LIBRARY OF PRINCETON
SEP 16 1905
THEOLOGICAL SEMINARY.

Division SCC
Section 5415
v.43-45

ANALECTA HYMNICA

MEDII AEVI.

Herausgegeben

von

Clemens Blume und **Guido M. Dreves.**

XLIII.

HYMNI INEDITI.

Liturgische Hymnen

des

Mittelalters.

Siebente Folge.

Leipzig.
O. R. Reisland.
1903.

HYMNI INEDITI

Liturgische Hymnen

des

Mittelalters.

Siebente Folge.

Aus

Handschriften und Frühdrucken

herausgegeben

von

Guido Maria Dreves
S. J.

Leipzig.
O. R. Reisland.
1903.

VORWORT.

In den Band XXIII dieser Analekten einleitenden Worten wurde derselbe als Abschluſs der liturgischen Hymnen, soweit dieselben als Inedita erschienen, bezeichnet. Wenn nunmehr der XLIII. Band dennoch eine weitere Folge von Hymni inediti bietet, so geschieht dies, weil in den sechs Jahren, welche die beiden bezeichneten Bände trennen, sich so viel neues einschlägiges Material angesammelt hat, daſs ein Unterbringen desselben in den voraussichtlichen Nachträgen untunlich erschien.

Den gröſsten Zuwachs zu der vorliegenden Folge von Hymnen brachte eine neue, im Herbste 1899 begonnene Italienfahrt, unternommen, einmal, um die älteren und verbreiteteren Hymnen auf alte Handschriften zu kollationieren, sodann, um eine Reihe liturgischer Handschriften der Vatikana auszunützen, von denen Ehrensbergers „Libri Liturgici Bibliothecae Apostolicae Vaticanae“ (Friburgi Brisgoviae 1897) Kunde gebracht.

Der andere Teil der Hymnen stammt aus französischen Quellen, aus denen sie mein Kollege Blume auf einer Reise nach Paris, dem Limousin, der Normandie und Bretagne im Sommer 1901 entnahm.

Weitere Beiträge verdanken wir der rastlosen Schaffensfreudigkeit unseres Freundes und Mitarbeiters, Rev. H. M. Bannister,

während eine Reihe von Inedita bei einer erneuten Durchforschung österreichischer Staats- und Stiftsbibliotheken zu Tage gefördert wurde.

Es steht zu hoffen, dafs mit dieser siebenten Folge — geringere Nachträge natürlich abgerechnet — die Sammlung der Hymni Inediti ihren endgültigen Abschlufs gefunden.

München, den 27. Juli 1903.

Guido Maria Dreves.

DE DEO, DE TEMPORE, DE BEATA.

1. Praefatio in librum hymnorum.

Continet hymnidicus divino iure libellus
Et laudes et dicta patrum veneranda priorum.
Spiritus aeternae cum panderet abdita vitae
Et praecelsorum lustraret pectora vatum,
Carmina divinis fuderunt dulcia verbis.
Iure prophetali repleti fonte perenni
Instituunt et corda rigant hominumque supernis
Mentes conciliant et ad aethera pectora tollunt.
Hinc rex purpureus, caelesti munere dignus,
Chordarum distincta decem per carmina David
Aptavit modulos et laudibus addidit hymnos.
Haec Salomon monimenta canunt quod in ordine templi
Hausit dulcisonas hymnorum cantibus odas.
Inde nova sub lege patres, quos personat orbis,
Ambrosius meritis et praesul Hilarius almis
Ad cultum deitatis amant superaddere carmen,
Carmina carminibus, hymnis ut concinat hymnus.
Nam cum psalmodicas sacro modulamine chordas
Davidica resonare manu contendimus usu
Antiqua pietate data praemittimus hymnos,
Metrorum numeris astricta lege sonantes,
Ut foveant animos praemissa laude tepentes,
Purius et resonent psalmos pia corda sequentes.
Crescant ecclesiae plebes et carmina crescant,
Laudibus hymnidicis sic saecula cuncta resultent.
Hunc igitur titulum liber hic per temporis usum
Perpetui teneat nobis per saecula fixum;
Dum mare dumque polus, dum constat in aethere nimbus,
Dum spirat ventus, dum cingitur aethere tellus,
Semper erit monachis memorabilis iste libellus.

Psalt. ms. Corbeiense saec. 11. Cod. Ambianen. 131. — 7 Insatuunt Hs. — Aufschrift: „Incipit praefatio in libro hymnorum.“ Hs.

2. Hymnus de sancta Trinitate.

Te decet laus, te decet hymnus, gloriosa trinitas, pater et filius et spiritus sanctus; Deus unus omnipotens, tibi gloria.

Te iure laudant, te adorant, te glorificant, universae creaturae tuae, o beata trinitas

Te nos indigni laudamus et adoramus, te benedicimus, tibi gratias agimus, o beata et gloriosa trinitas.

Exaudi nos et miserere nostri et dimitte universa delicta nostra, trinitas beata.

Libera nos de poenis inferni et de potestate cunctorum adversariorum nostrorum, sancta et laudabilis trinitas.

Praesta nobis aliquam partem aeterni gaudii, ut te laudare sine fine mereamur, trinitas sancta et benedicta et gloriosa.

O laudanda et adoranda atque veneranda trinitas, tibi gloria, laus, honor et iubilatio in aeterna saecula.

Psalt. et hymn. ms. Valcidorense saec. $11/12$. Clm. Monacen. 13067.

3. De sanctissima Trinitate.

1. Te decet laus, Domine,
Qui es dives in omnibus,
Qui das et non improperas;
Da nobis sapientiam,

2. Non altam huius saeculi,
Quae est superbe sapere,
Sed Jesu Christo Domino
Pleno feramus ordine.

3. Da, quaesumus, lucem oculis
Et fac intentos animos,
Acutam mentem tribue
Et aures cordis apperi.

4. Da nobis sensum proprium,
Da cerebrum memoriae,
Da intellectum vigilem,
Te laudent nostra labia.

5. Praesta, pius, piissime,
Qui es pater, parentibus
Praeceptorum prioribus
Plenum perceptum plenius.

Psalt. et hymn. ms. Valcidorense saec. $11/12$. Clm. Monacen. 13067. — 2,3 Sed tibi, Domine Jesu Christo Domino Hs. — 3,3 Acutem. — 5, 4 Plenam perfectam plenius. — Dieser Hymnus folgt in der Hs. unmittelbar auf den prosaischen gleichen Anfangs.

4. De sanctissima Trinitate.

Ad Matutinum

1. Laudes dicamus Domino
Per omnes linguas hominum,
Cui omne genu flectitur,
Et voces nostrae iubilent.

2. Tu es, qui eras antea,
Tu es, qui eris postea,
Trinus et unus, gloria
Tibi Deus per saecula.

3. Linguae solve aeruginem,
Vocem favens da pectori,
Tibi laudes et gratias
Pleno reddamus ordine.

4. Tibi honor et gloria,
Tibi magnificentia,
Tibi et hic potentia
Et in aeterna saecula.

Psalt. et hymn. ms. Valcidorense saec. 11/12. Clm. Monacen 13067. — 2, 2 qui et postea. — 4, 3 Tibi et potentia. — 4, 4 Hic et in aeterna saecula. — Dieser Hymnus steht in der Hs. aufser der Reihe, scheint indes der fehlende Mettenhymnus zu sein.

5. De sanctissima Trinitate.

Ad Laudes.

1. Te Deus, una trinitas,
Nostra collaudant carmina,
Benigno vultu respice
Tuorum vota supplicum.

2. Infunde nostris sensibus
Tui amorem spiritus,
Qui fluctivagos saeculi
Procul repellat impetus.

3. Professionem fidei
Decorent actus caelibes,
Quibus perennis gaudii
Efficiamur compotes.

4. Sit Deo patri gloria,
Sit honor eius filio,
Sit decus sancto flamini
Per infinita saecula.

Psalt. et hymn. ms. Valcidorense saec. 11/12. Clm. Monacen. 13067.

6. De sanctissima Trinitate.

Ad Primam.

1. Incircumscriptae gloria
Trinitatis mirabilis
Summe commendat unicae
Deitatis potentiam.

2. Quod nos, dum fide stabili
Profitemur te Dominum,
Magnificamus consonis
Praeconiorum iubilis.

3. Sit semper nobis, quaesumus,
Tua comes clementia,
Dum versamur volubili
Praesentis vitae orbita.

4. Deo patri ingenito
Eiusque unigenito,
Sancto simul paraclito
Sit laus omnis per saecula.

Psalt. et hymn. ms. Valcidorense saec. 11/12. Clm. Monacen. 13067. — 1, 2 mirabile.

7. De sanctissima Trinitate.

Ad Tertiam.

1. Aeternae rex potentiae,
Totius factor machinae,
In trinitatis nomine
Te deprecamur, Kyrie.

2. Tuis dona supplicibus,
Odas tibi canentibus,
Ut purgatis sceleribus
Te fruamur uberius.

3. Dilectionis geminae
Crescat nobis suavitas,
Sicque succedat inclita
Caelestis vitae dignitas.

4. Sit trinitati unicae
Postestas et victoria,
Sit iugis iubilatio
In saeculorum saecula.

Psalt. et hymn. ms. Valcidorense saec. $^{11}/_{12}$. Clm. Monacen. 13067. — 4, 4 saecula saeculorum.

8. De sanctissima Trinitate.

Ad Sextam.

1. Te trinitatis gloriam
In unitate simplicem
Et deitatem unicam
In trinitate triplicem

2. Cives adorant caelici
Chorique Michaelici
Tibi canunt sancti tui
Omnesque lucis filii.

3. Quorum choris concentuum
Admitte vota supplicum,
Te corde complectentium
Fideque confitentium.

4. Tibi melodum gloria
Deo patri cum filio,
Sancto simul paraclito
In saeculorum saecula.

Psalt. et hymn. ms. Valcidorense saec. $^{11}/_{12}$. Clm. Monacen. 13067. — 1, 2 simpliciter. — 3, 4 confidentium. — 4, 4 saecula saeculorum.

9. De sanctissima Trinitate.

Ad Nonam.

1. O trinitas laudabilis
Et unitas mirabilis,
In simplici substantia
Virtus manens intermina.

2. Tu caritatis puritas,
Tu pax et immortalitas,
Patris, nati, paracliti,
Decore pollens perpetim.

3. Fidem corona supplicum,
In te pie viventium,
Exterge sordes mentium,
Sortis misertus pauperum.

4. Honor, decus, laus, gloria
Deo patri cum filio,
Sancto simul paraclito,
Qui regnat absque termino.

Psalt. et hymn. ms. Valcidorense saec. $^{11}/_{12}$. Clm. Monacen. 13067. A. — Brev. ms. Antisiodorense saec. 15. (Privatbesitz). B. — Diurn. et hymn. ms. Benedictin. Suecic. saec. 15. Cod. Upsalen. C 477. C. — Brev. ad usum Fratrum ord. ss. Trinitatis de redemptione captivorum imp. Parisiis 1515. D. — Brev. Canonic. regul. sec. ordinarium capituli Sion imp. Schonhoviae 1507. E.
1, 1 Tu trinitas B. — 1, 3 Tu simplici D. — 1, 4 interminabilis C. — 2, 1 Tu caritas, tu puritas B C D E. — 2, 3 Pater, natus, paraclitus D. — 3, 1 Fidem terrenam A. — 3, 4 miserta B. — Nach Strophe 3 haben

D: Tu poli chori[s] civium
Voces admitte supplicum
Te corde complectentium
Fideque confitentium.

E: Da gaudiorum praemia,
Da gratiarum munera,
Dissolve litis vincula,
Astringe pacis foedera.

Die Doxologie lautet in B C E:

Laus patri sit ingenito,
Laus eius unigenito,
Laus sit sancto spiritui,
Trino Deo ac simplici;

in D dagegen:

Laus et perennis gloria
Deo patri et filio,
Sancto simul paraclito
Regnanti absque termino.

Cfr. Mone I, 4. Der Hymnus ist hier eingereiht, um die von No. 4 bis 11 inkl. laufende Serie nicht zu verstümmeln.

10. De sanctissima Trinitate.

Ad Vesperas.

1. O benedicta trinitas,
Et adoranda unitas,
Quod tibi pie canimus,
Tuis aspira laudibus.

2. In personarum numero
Unum te Deum credimus,
Cunctipotentem omnium
Creaturarum principem.

3. Huius fidei firmitas
Tuam nobis conciliet
Optatam votis gratiam,
Boni totius praeviam.

4. Concedat trina deitas,
Praestet una divinitas,
Ut suae laudis cantica
Sint nobis salutifera.

Psalt. et hymn. ms. Valcidorense saec. $^{11}/_{12}$. Clm. Monacen. 13067. A. — Psalt. et hymn. ms. Ostense saec. 15. Cod. Parisin. 1329. B. — Brev. Lascurrense imp. Lascurris 1541 (reimp. 1891). C.

1, 1 O fehlt C; O veneranda B. — 1, 3 Qua pie tibi B; Quae pie tibi C. — 2, 4 Creator et principium B. — 3, 1 Cuius BC; diei firmitas B. — 3, 3 Obtentis votis B; Optatam nobis C. — 3, 4 Bonis B. — Cfr. Anal. XI, 13; vgl. die Bemerkung zu Nr. 9.

11. De sanctissima Trinitate.

Ad Completorium.

1. Ave, colenda trinitas,
Ave, perennis unitas,
Pater Deus, nate Deus
Et Deus alme spiritus.

2. Hactenus tibi consona
Depromimus praeconia,
Sint ea tuo, quaesumus,
Conspectui gratissima.

3. Ut cum nobis ingruerit
Tremenda dies ultima,
Tuae dulcis clementiae
Sentiamus munimina.

4. Et nos iam, alma trinitas,
Attende pio munere,
Ut angelorum laudibus
Admittas, quod persolvimus.

5. Gloria tibi, Domine,
Gloria, unigenite,
Cum spiritu paraclito
[Et nunc et in perpetuum].

Psalt. et hymn. ms. Valcidorense saec. 11/12. Clm. Monacen. 13067. — Vgl. die abweichende Form dieses Hymnus Anal. XIX. 9 und die Bemerkung zu Nr. 9.

12. De sanctissima Trinitate.

1. O gloriosa trinitas,
Nobis fer opem miseris,
Quibus per te sit sanctitas,
Dimissa noxa sceleris.

2. Tu trinitatis unitas,
Arcem tenens prae ceteris,
Poenas remittas debitas
Et nos aduna superis.

3. Deo patri sit gloria
Eiusque unigenito,
Sint et laudis sollemnia
Spiritui paraclito.

Psalt. et hymn. ms. Eremit. S. Aug. Memmingen. saec. 15. Clm. Monacen. 8171. — 1, 3 fit. — Mel.: Verbum supernum prodiens.

13. De sanctissima Trinitate.

In 1. Vesperis.

1. Exaudi nos, rex unice,
Quem unum facit unio
Postestatis mirificae
Trinumque personatio.

2. Personando distinguimus,
Te credamus ut trinitas,
Et ad unum referimus,
Ut adoretur unitas.

3. In tribus fas est credere
Tres personas, sed non tria,
Quas donet nobis colere
Una trium essentia.

4. A nullo pater exiit,
A solo patre filius,
Ab his spiritus prodiit
Sanctus, amborum conscius.

5. Patri omnipotentia
Suo cum unigenito
Sit perennis et gloria
Cum spiritu paraclito.

Brev. Grassense imp. Lugduni 1528.

14. Hymnus Vespertinus.

1. Sator princepsque temporum,
Clarum diem laboribus
Noctemque qui soporibus
Fixo distinguis ordine

2. Mentem tu castam dirige,
Obscura ne silentia
Ad dira cordis vulnera
Telis patescant invidi.

3. Somno non cedat spiritus
Vigilque custos corporis
Metus inanes arceat,
Fallax depellat gaudium.

4. Vacent ardore pectora
Faces nec ullas sentiant,
Adfixa ne praecordiis
Mentis vigorem saucient.

5. Sed cum defessa corpora
Somni tenebunt gratiam,
Solo quietis sit memor,
Fides soporem nesciat.

Psalt. ms. saec. 8/9. Cod. Vatican. Reg. 11. — 1, 3 wieder laboribus. — 3, 3 inanis. — 5, 3 Lies: Sola quietis immemor? — 5, 4 nesciant. — Cfr. Tommasius II, 419.

15. Hymnus Vespertinus.

Feriae Quartae.

1. Deus, creator omnium,
Qui finem das principiis,
Post diem horas noctium
Quietas fac a noxiis.

2. Non hostis nos impediat,
Quin finem demus debitum,
Luci nosque suscipiat
Christus vitae post exitum.

3. Sensus humani corporis
Tibi Christe deserviat
Et nos in fine temporis
Dignos corona faciat.

4. Spondet coronam operis
Finis, si sit legitimus;
Christe, nostri memineris,
Lucis finem dum agimus.

5. Deo patri sit gloria
Tibique soli filio
Cum paracliti gratia,
Quo gaudeamus socio.

Brev. Grassense imp. Lugduni 1528.

16. Hymnus laudis ad Deum.

1. Omnipotenti Domino
Digna demus praeconia
Regi regum per omnia
Benedicentes saecula.

2. Qui suum dedit filium
Pro nobis unigenitum
Redemptionis pretium
Misertus pereuntium.

3. O quam inaestimabilis
Dei patris dilectio,
Quanta, quam admirabilis
Tanti regis dignatio,

4. Pro reis illum tradere,
Qui peccatum nescierat,
Pro servis dare filium,
Quem semper sic dilexerat!

5. Quis tantum beneficium
Recompensare poterit?
Quis tantum reddet debitum,
Si se totum impenderit?

6. Os, lingua, mens, sensus, vigor,
Confessionem personent,
Flammescat igne caritas
Nec a laude se temperet.

7. Grati laudent, glorificent
Venerentur dona Dei,
Hunc nostra vox summper sonet,
Et corda solvamus tibi.

Opusc. ms. S. Augustini saec. 15. Cod. Vatican. Palat. 224. A. — Opusc. ms. S. Augustini saec. 15. Cod. Rossian. IX 44. B. — 1, 1 Deo A; Domino alias Deo B. — 5, 2 Totum pensare A. — 7, 1 glorificent fehlt A — 7, 3 Hanc AB; vox primum sonet B.

17. Hymnus ad Deum.

Ad Processionem.

R°. Iuste Deus, iudex fortis, patiensque benignus
In te sperantes muni miserando fideles.

1. Surge et in aeternum serva munimine sacro
Custodique tuos, astripotens, famulos.

2. Naturae genitor, conserva a morte redemptos
Facque tuo dignos servitio famulos.

3. Pectora nostra tibi tu, conditor orbis, adure
Igne pio purgans atque cremando probans.

4. Tu populum humilem salvasti a morte redemptos
Atque superba tuo colla premis iaculo.

5. Sponsus ut de thalamo processit Christus in orbem
Descendens caelo iure salutifero.

6. Auxilium nobis, salvator, mitte salutis
Et tribuas vitam tempore perpetuo.

7. Rex sine fine manens, miseris tu parce ruinis
Praemia contendens et tua cuncta regens.

Clm. Monacen. (ol. Ebersbergen.) 5823. saec. 14. — Überschrift Metra. Die zwei ersten Hexameter bilden aller Wahrscheinlichkeit nach den Rundreim. Nach Inhalt und Form erinnert das Lied an die Prozessionshymnen der St. Galler Schule. Der liturgische Gebrauch ist allerdings nicht nachzuweisen.

18. Hymnus Trium Puerorum.

O sator omniparens, es qui per saecula, clemens,
Os aperi nostrum, quo te laudemus in unum
Cum tribus et pueris sanctum cantemus ut hymnum.
Principium nostris tu sis ac terminus odis,
Qui regis aeternum stabili moderamine regnum.

Omnia nunc elementa Dei, benedicite Christo
Et superexaltate Deum per saecula cuncta.
Angelici cum laude chori, benedicite Christo,
Et caeli caelorum et aquae, benedicite Christo.
Omnes virtutes Domini benedicite Christo.
Sol et luna, simul Domino benedicite Christo,
Et stellae caeli, Domino benedicite Christo.
Imber rosque, Deo canite et benedicite Christo,
Spiritus atque omnis, Domino benedicite Christo.
Aestas atque ignis, Domino benedicite Christo.
Frigus, cauma, Deo canite et benedicite Christo.
Rores atque pruina, Deo benedecite Christo.
Frigus et omne gelu, Domino benedicite Christo.
Nix glaciesque, Deo canite et benedicite Christo.
Noctes atque dies, Domino benedicite Christo.
Lux simul et tenebrae, Domino benedicite Christo.
Fulguraque et nubes, Domino benedicite Christo.
Omnis terra Deum benedicat in omnia saecla.
Montes et colles, Domino benedicite Christo.
Germina cuncta soli, Domino benedicite Christo.
Et maria et fontes ac flumina, psallite Christo.
Quaeque natant in aquis, Domino benedicite Christo,
Omnes et volucres caeli, benedicite Christo.
Bestiae et omne pecus, Domino benedicite Christo,
Atque hominum nati, Domino benedicite Christo.
Israel, Dominum benedicite in omnia saecla.
Eia, sacerdotes, Domino benedicite Christo,
Spiritus atque animae iustorum, psallite Christo.
Corde humiles sanctique, Deo benedicite Christo.
Anania, Azaria, Misahel, benedicite Christo
Et superexaltate Deum per saecula cuncta.
Altithronum patrem cum prole et pneumate sancto
Nunc benedicamus pariter laudemus et illum
Et superexaltemus eum per saecula cuncta,
Nos super est eius quoniam miseratio multa
Nos et ab ignivomo clemens subtraxit averno
Et quia florigero sua germina reddidit horto.
Gloria semper ei maneat per saecula saecli.

Collectan. ms. Gemmeticense saec. $^{10}/_{11}$. Cod. Rotomagen. 1385. (U 107) add. saec. 11. — Vgl. das zu No. 17 Bemerkte.

19. In Nativitate Domini.

Ad Processionem.

Salve, festa dies, toto venerabilis aevo,
Qua Deus exstat homo, qua polus instat humo.
Sol liquit superos, infra lux caelica fulget,
Et melos angelicum concrepat aula poli.
Sic rex pacificus contemperat infima summis
Et retulit dragmam, quam male perdit Adam.
Tres soles coeunt, crucifixus fulget in astris,
Engaddi vites germine, flore favent.
Nascitur ergo Iesus de virgine, regia proles;
In nobis habites; sit benedicta dies.

Process. ms. S. Osithae saec. 15. Cod. Oxonien. Laud. miscell. 329. — Abschrift von Rev. H. M. Bannister.

20. In Nativitate Domini.

Ad Processionem.

Salve, festa dies, toto venerabilis aevo,
Qua Deus illuxit lux et imago patris.
Ecce, novae lucis oriuntur tempora nobis,
Pax redit et requies, hoc docet aucta dies.
Iam repetit sursum solaris lampada cursum,
Mors abit, orbis avet, nox peritura pavet.
Quod patriarcharum typicaverat umbra priorum,
Quod lex et vates dixerat, ecce, patet.
Spina rosam, Iudaea Deum, virguncula florem
Et genuit iugem stella Maria diem.
Virga ferens florem cum fructu spirat odorem,
Flos Christus, caro nux, nucleus est deitas.
Salve, porta Dei, via, virgo Maria, dei,
Per quam lux nobis fulsit ab arce patris.

Miss. ms. Tornacense saec. 14. Cod. Tornacen. XIII. Daraus Voisin in Bulletin de la société historique et littéraire de Turnai. Tome VIII. (1862) p. 114 sq. — 3. 2 paritura Hs. — 7. 1 dies Hs. — 7. 2 ab arche Hs.

21. In Epiphania Domini.

Ad Processionem.

Salve, festa dies, toto venerabilis aevo,
Qua Iesus in cunis claruit esse Deus.
Fulgida stella magis nova duxit solis ab ortu,
Qui nato Domino munera magna ferunt.

5. Auro, ture Iesum, murra magi venerantur,
Rex, sacer, athanatos haec tria dona petit.
Conviviis aderat hodie suadenteque matre
In vinum melius illico vertit aquas;
Convivas hilarant nova mox libata Falerna.
10. Huic hilares: Salve, psallite, festa dies.
Vox patris audita, bona prolis, missa columba,
Haec tria testantur, quis foret iste puer.
Iordanis lavacra subit mala nostra lavando,
Hinc baptista tremit tangere membra Iesu.
15. O pater, o proles, o spes, o [lux] Deus alme,
Da famulis veniam, quae tua festa colunt.

Process. ms. S. Osithae saec. 15. Cod. Oxonien. Laud. miscell. 329. — Abschrift von Rev. H. M. Bannister.

22. De Nomine Iesu.

In 2. Vesperis.

1. Iesu, fili Dei,
Pietatis mare,
Nomen sanctae spei,
Nomen salutare.

2. Cibus, medicina,
Lux est Iesu nomen,
Servans a ruina
Donansque solamen.

3. Pascit cogitatum,
Praedicatum lucet,
Lenit invocatum,
Castas mentes fovet.

4. Consolatur tristes,
Paenitentes salvat,
Confortat pugnantes,
Omnes morbos sanat.

5. Praestat caecis visum
Et sermonem mutis
Datque claudis gressum
Et auditum surdis.

6. Nomen reverendum
Suscitat defunctos,
Nomen expavendum
Liberat obsessos.

7. Quod a genitoris
Pietate datur,
Hoc in salvatoris
Nomine petatur.

8. Sit laus trinitati
Decus atque virtus,
Compar unitati
Honor, lux et decus.

Brev. ms. Atrebatense imp. Rotomagi 1517 — Brev. Atrebatense imp. Atrebati 1595. — Mel. jedenfalls: Ave maris stella.

23. In Transfiguratione Domini.

Ad Vesperas.

1. Aeterna caeli gloria,
Beata spes mortalium,
Cuius est refulgentia
Maior astrorum omnium.

2. Salutem supplicantibus
Utriusque des hominis,
Lumen infunde mentibus,
Lux lucis et fons luminis.

3. Peccata nostra deleas
Pacemque dones cordium,
Vitam aeternam praebeas.
Christe, redemptor omnium.

4. Transfigurato Domino
Laus, honor, virtus, gloria,
Qui det in vitae termino
Beata nobis gaudia.

Brev. ms. Monialium s. Francisci Nanceiensium saec. 15. Cod. Semin. Nanceien. 1.

24. In Transfiguratione Domini.

Ad Vesperas.

1. Laudetur sancta trinitas
Et indivisa unitas,
Quia misercordiam
Nobis fecit et gratiam.

2. Nunc pater in potentia
Regnat mundi dementia
Et det in patientia
Transire impugnantia.

3. Natus in sapientia
Carnis per petulantiam
Vitare det letitiam
Deflere et gementia.

4. Pneuma, amborum caritas,
Beatitudo, sanctitas,
Virtutum fons, suavitas,
Lustra, unge nos, deitas.

5. Trinitati sit gloria,
Ut det frui victoria
In terris omnifaria
Et in caelesti curia.

Antiph. ms. Scepusiense saec. 15. Cod. Capit. Scepusien. s. n. — 3, 2 peculentia. — 3, 3 iam det laetitia.

25. In Septuagesima.

1. Alleluia, dulce carmen et caeleste, canimus,
Quod Iohannes, sacer ille virgo et apostolus,
De secreto paradisi haurire promeruit,

2. Alleluia, quod superna mater nostra sedulo
Hierusalem concinendo hymnizare noscitur.
Trinum semper atque unum commendans altithronum;

3. Alleluia nunc in terris totis canamus viribus,
Quo post mortem in supernis iubilemus sedibus,
Ipsum regem saeculorum laudaturi perpetim.

Psalt. et hymn. ms. Lambacense saec. 12. Cod. Lambacen. s. n.

26. Tempore Quadragesimae.

Ad Matutinum.

1. Largitor indulgentiae,
Jesu benigne, suscipe
Jeiunium familiae
Tuo redemptae sanguine.

2. Salubre nobis effice
Hoc tempus acceptabile
Frugalis observantiae
Sanctaeque quadragesimae.

3. Fac, ut quiescant iurgia
Et sopiantur odia,
Fiat procul lascivia
Et omnis arrogantia.

4. Profunda sit compunctio
Et pura supplicatio,
Famesque nostra serviat
Refectioni pauperum.

5. Purgata conscientia
Ventura Paschae gaudia
Digne colat cum moribus
Et actibus paschalibus.

6. Tibi, beata trinitas,
Sit laus et omnis gloria
Nobisque per te sit tuis
Condigna vita laudibus.

Brev. s. Albini Andegavensis imp. s. l. 1531.

27. De Passione Domini.

Ad 1. Vesperas.

1. Pias, homo, da lacrimas,
Regem poli dum prospicis
Plagas pati purpureas,
Per quas lavantur crimina.

2. Caput dolens ecclesiae
Membris dedit solacium,
Vulnus tulit pro vulnere
Totum propulsans vitium.

3. Vides Mariae filium
Pro te mori crudelius,
Hic innocens et tu nocens,
Nec aestimes iudicium.

4. Homo capit, non angelus,
Redemptionis gratiam,
Ingratus est homo magis,
Qui spernit haec suffragia.

5. Deo patri sit gloria
Vulneratoque filio
Cum spiritu paraclito
Et nunc et in perpetuum.

Brev. Ordinis fratrum Eremitarum s. Pauli imp. Venetiis 1540. — „Officium de passione Domini per omnem sextam feriam celebrandum . . . receptum per patres definitores anno 1536.“ — 1, 1 das. — 5, 3 paracleto.

28. De Passione Domini.

Ad Laudes.

1. Latus patens, latus fluens
Aquas dedit cum sanguine,
Sponsae nigrae tergit rugas
Dei lavans imaginem.

2. Clavus rebellis ferreus
Tensas manus in stipite
Figit, latusque perforat
Sudes acuta militis.

3. Figunt pedes innoxios
Cruci truces et impii,
Lignum crucis nudum rapit
Iustum, leprae simillimum.

4. Succurre tuis, quaesumus.
Qui sanguinem fundis tuum
Durumque fers patibulum,
Servis crucis fidelibus.

5. Deo patri sit gloria
Vulneratoque filio
Cum spiritu paraclito
Et nunc et in perpetuum.

Brev. fratrum Eremitarum sancti Pauli imp. Venetiis 1640.

29. De sancta Cruce.

Ad Vesp. et Noct.

1. Ave, crux, lignum nobile,
Aeternis digna laudibus
Hosti signum terribile,
Impressa regum frontibus.

2. O crux, inter pericula
Tu naufraganti tabula,
Per te purgantur crimina,
Cui vetus cessit lamina.

3. Per te salvatur Israel
Ab hostis exterminio,
Praesignavit Ezechiel
Sub Tau te mysterio.

4. Tu ligni vitae surculus,
Tu triumphalis titulus,
Tu vecti botri baiulus,
Quem fert uterque populus.

5. Crux ara, crux craticula,
Da nobis agni fercula,
Qui solus sine macula
Solvit a labe saecula.

6. Constantino victoriam
Crux dedit et Heraclio,
Nos cruci demus gloriam,
Per quam nostra redemptio.

7. Gloria tibi, Domine,
Cum patre et sancto flamine,
Qui resurgens a mortuis
Mortem per crucem destruis.

Prosar. ms. Parisiense saec. 13. Cod. Assisien. Commun. 695.

30. De sancta Cruce.

In Laudibus.

1. Aeterni patris unicum
Tangat affectus supplicum,
Qui per crucis mysterium
Mortis solvit imperium.

2. Verbi celant potentiam
Sumpta carnis mysteria,
Vicit hostis malitiam
Divina sapientia.

3. Escam videns improvidus
Non praevidit aculeum;
Dum praedam captat avidus,
Necis incurrit laqueum.

4. Salve, crux, arbor nobilis,
Nunc clara, prius humilis,
Prius tormentum sceleris,
Nunc spes superna miseris.

5. Crux nostrae frontis gloria,
Munimen et protectio,
Cordis munit vitalia
Sacrae crucis impressio.

6. O crux, prae lignis inclita,
Ligno mortis opposita,
Tu nobis hostem subicis
Tribunal facta iudicis.

7. Gloria tibi, Domine etc.

Prosar. ms. Parisiense saec. 13. Cod. Commun. Assisien. 695.

31. De sancta Cruce.

In 1. Vesperis.

1. Aveto, gloriosior
Crux omni ligno florido,
Cui non est fructus parilis
Vitis Cypri nec Engaddi.

2. Salve, figura nobilis,
Venusta Christi brachiis,
Quae florens omni tempore,
Maturas grana gratiae.

3. Nam vitae praegnans germine
Fides floret ecclesiae,
Pro qualitate fructuum
Turbam repellit daemonum.

4. Hic fructus pretiosior
Est omni malo puuico,
Quem de fide suscipimus
Actuque vero fruimur.

Brev. Monasterii s. Crucis beati Leufredi (Ebroicensis dioecesis) imp. s. l. et a [1544]. — 2,4 Matura. — 3,2 flores.

32. Hymnus de sancta Cruce.

1. Arbor alta, crux beata,
Virtus orbis unica,
Sola digna, salve, lecta
Ferre mundi pignora,
Navis tuta, urbs munita,
Compta regis purpura.

2. Pax perennis, horror hostis,
O crux ave nobilis,
Fons salutis, arx amoris,
Pignus almi foederis,
Tu decora sic consiste
Lota sacro sanguine.

3. Sole vibrans, nempe clara
Luce terrens tartara,
Tu Mariae rore cresce,
Lata tende brachia,
Mortis Evae iura solve,
Viva funde flumina.

4. Quattuor quadrangulatis
Haec nitet virtutibus,
Crux fidelis more matris
Nutrit, ambit, diligit,
Spes volando caeli recta
Summa poscit aethera.

5. Latitudo caritatis
Ampla donat munera,
Longa virtus, fortis aula,
Docta ferre proelia,
Lucis auctor, orbis emptor,
Hanc honorat gratia.

6. Crux regendo mundi cuncta
Rite complet compita,
Vesper, ortus, auster imus
Et sinister aquilo,
Messis, aestus, ver et frigus
His quadrata partibus.

7. Crux nitendo nonne totum
Consecravit saeculum?
Hac niten[t]que Christi quadra
Prorsus evangelia,
Coetus hac apostolicus
Consecratus gloria.

8. Vera manat inde vita,
Regnat immortalitas,
Crux amoena patrum palma,
Crux prophetis dignitas,
Crux peregrinorum doxa,
Crux regum victoria.

9. Crux, piorum laus virorum,
Crux, triumphus martyrum,
Crux aegrotis vis vigoris,
Crux ligamen virginum,
Crux monachis dux herilis,
Crux corona praesulum.

10. Crux parata nautis portus,
arx Dei militibus.
Crux tutela, lex, auriga,
Crux regalis ancora
Cruxque lumen et sophia,
Crux gubernat omnia.

11. Crux sacrata splendet alma,
Sponte pandit, regia,
Cuius iure constat omne,
Quidquid durat in orbe,
Mors et vita, caelum, terra,
Pontus atque sidera.

12. Crux colenda, nosque serva
Per tropaea mystica,
Crux benigna, regis ara,
Pacis adde foedera,
Crux amanda, vere cara,
Duc nos super sidera.

13. Numen unum gloriosum,
Salve, sancta trinitas,
Per crucis nos mysterium
Salva, simplex unitas,
Sit tibi Deo perenni
Sempiterna claritas.

Collect ms. S. Vitoni Virdunensis saec. 11. Cod. Virdunen. 77. — Aufschrift: „Incipit laus Cari de sancta cruce, rogati a Theoderico, religioso monacho sancti Petri et sancti Vitoni.“ — Man beachte den durchwegs gewahrten Binnenreim in den Verszeilen 1, 3, 5. Abschrift von Ernest Rivière S. J.

33. In Inventione s. Crucis.

Ad Processionem.

Salve, festa dies, toto venerabilis aevo,
Qua pia crux Christi fulget et alta petit.
Ecce, crucem Domini, per quam sunt lubrica pulsa!
Nunc in amore crucis pectora nostra crement.

5. Iudex cum veneris, concernere saecula cuncta,
Praemia tunc iustis desque reis veniam.
Angelicis turmis cingas nos, conditor orbis,
Non nostris meritis sed bonitate crucis.
Mittitur a patre, qui laxat crimina gratis;
10. Pro venia flentes hic rogitemus eum.
Qui crucifixus erat, Deus, ecce, per omnia regnat;
Crimina nunc nostra linquere nos faciat.
Fert crux omne bonum, crux pellit omne delictum,
Crux tegit hic clerum, crux iuvat et populum.
15. Virtus et omnis honor tibi sit, rex Christe, redemtor,
In cruce consigna cuncta creata tua.

Process. ms. Wintoniense saec. 15. Cod. Oxonien. Bodl. 637. — Abschrift von Rev. H. M. Bannister.

34. De Corona Spinea.

Ad Vesperas.

1. Laudemus regem gloriae
Nostrae coronam spineam
Imprimentes memoriae,
Christi cruore roseam.

2. Rex regum, regis filius,
Descendit a regalibus,
Rex culpae spinae nescius
Est coronatus sentibus.

3. Spinae ferens ludibrium
Rex spina carens pungitur,
Spineti purgat vitium,
Dum spinis punctus moritur.

4. Gloria tibi, Domine,
Pro coronae virtutibus,
Redemptos tuo sanguine
Supernis iunge civibus.

Brev. Scarense imp. Norimbergae 1498. A. — Brev. Aarhusiense imp. Aarhusiae 1519. B.

35. De Corona Spinea.

Ad Laudes.

1. Laudes ad laudes iungite,
Exsultet caelum laudibus,
Laudes coronae psallite,
Gentes, plaudite manibus.

2. Angelorum rex capitur,
Sertum paratur spineum,
Dum serto spinae pungitur,
Regnum vicit tartareum.

3. Spina, spineti gloria,
Oppressos spinis liberat,
Per spinam fit victoria,
Dum spina Christum vulnerat.

4. Gloria tibi, Domine,
Pro coronae virtutibus,
Redemptos tuo sanguine
Supernis iunge civibus.

Brev. Scarense imp. Norimbergae 1498. A. — Brev. Aarhusiense imp. Aarhusiae 1519.

36. Sabbato in Palmis.

Ad Vesperas.

1. Crucis instant sollemnia,
Pa[n]dunt redemptis gratiam,
Quae fuit morientium
Salus, vita viventium.

2. Lignum conscendens pretii
Exclusit crimen vetiti,
Sic sua morte vivimus,
Viventi conresurgimus.

3. Sanguinis fluens undula
Lavit mundi piacula,
Aquam fudit pro lavacro
Carnem tradens in pabulo.

4. Crux, salus et refugium,
Spes nostra et praesidium,
A morte salva duplici
Merce quaesitos sanguinis.

5. Simplici trino Domino
Sit laus et iubilatio,
Nos condidit aeternitas
Cuius, redemit caritas.

Hymnar. ms. Bobiense saec. 11. Cod. Vatic 5776. — 1; 2 Padunt. — 4, 4 Merces. — „Sabbato in Palmas ad Vesperum."

37. Sabbato Sancto.

1. Haec est clara dies, clararum clara dierum,
Haec est sancta dies, sanctarum sancta dierum,
Nobile nobilius rutilans diadema dierum;

2. Ecce, dies toto rutilat festivior anno,
Qua Deus omnipotens superata morte resurgens
Traxit ab infernis captorum mille cavernis.

3. Namque nostrae abiere
Atque Iesum invisere
Caeli cives dicunt illum vivum iam regnare.

Trop. ms. Nivernense saec. 12. Cod. Parisin. Nouv. acq. 1235. — „In reditu fontium," also ein Prozessionshymnus. Die ersten drei Hexameter kommen auch in der Liturgie des Eselsfestes vor. Vgl. Anal. XX, 219.

38. Dominica in Albis.

Ad Vesperas.

1. Qui cum triumpho gloriae
Surrexisti a funere,
In huius noctis tempore
Custos esto nobis, Christe.

2. Tuae carnis sacramentum
Sanguinisque mysterium
Adversus hostem callidum
Exhibeant praesidium.

3. Victrice tua dextera
Inter festa paschalia
Nostra nunc regatur vita
Aliaque per tempora.

4. Vigilemus in spiritu,
Dum soporantur corpora,
Mundosque nos excipiat
Surgentis solis aurora.

5. Repentinae mortis casus
Ne nobis sit interitus,
Fovere nos non deseras,
Christe, qui cuncta ordinas.

6. Sit in ore confessio
Tuae laudis continua,
Eamque mors non obstruat.
Dum noster flatus vegetat.

7. Alleluia, vocis tuba
Frequentando Alleluia
Te, Iesu, benedicamus,
Alleluia, dum vivimus.

8. Deo patri Alleluia
Filioque Alleluia,
Sancto quoque spiritui,
Gloria sit, Alleluia.

Brev. ms. Antisiodorense saec. 15. (Privatbesitz) A. — Brev Antisidorense imp. Cabeliae 1483. B.

39. In Ascensione Domini.

Ad Processionem.

Salve, festa dies, qua Christus ad astra regressus
Nostrum de terra corpus ad ipsa levat.
Immo super caelos levat hic et collocat omnes
Ad dextram in nostra carne patris residens.
Naturae decus hoc supremaque gloria nostrae
Ordini sublimi praeminet angelico.
Nec minor utilitas super hoc quam gloria nobis,
Carne quod in nostra considet ipse patri.
Hanc ipsam semper praesentans vultibus eius,
Qua tot pro nobis tantaque sustinuit.
Sic interpellans pro nobis semper et orans
Conciliat servis filius ipse patrem.
Quod minus in nobis pater invenit ad miserandum,
Suppleat pro nobis unicus [ipse] patris.
Quae nos perdidimus, bona restaurantur ab ipso,
Quae reparare patris venerat imperio.
Peccatum factus peccamen tollere venit,
In quem peccatum repere non potuit.
Quod delere scelus non sufficit hostia tanta
Aut quibus ad veniam non satis esse queat?
More triumphantis devicto principe mundi
Ad regnum Dominus post sua bella redit.
Captivi comitantur herum, quos eruit ipse
In spoliis referens ampla tropaea suis.

Angelici cives et caeli curia regi
Obvia procedens carmina laeta canit.
Felix ista dies, tanto praeclara triumpho,
Dulce Chere resonans audit Hosanna pium.
Mutua permiscent permixtae carmina turbae,
Hinc canit eruta plebs, inde superna cohors.
Obvia turba Chere, plebs eruta cantat Hosanna,
Utraque conveniens pars sibi carmen habet.
Cum quibus et nostras, quas possumus, accipe laudes,
Christe triumphator, proelia nostra gerens.
Conditor et rector noster pariterque redemptor,
Tela beatorum, spes simul atque salus.
Vade parare tuis loca sursum, vade deorsum,
Quem promisisti, mittere paraclitum.

Collect. Bridlingtonien. ms. saec. $^{12}/_{13}$. Cod. Oxonien. Digby 53. — Abschrift verdanke ich Rev. H. M. Bannister. — 1 statt qua Christus etc. auch: toto venerabilis aevo; dann steht 2 astra statt ipsa. — 3 omnis. — 6 Omni [?] sublimi. — 7 hoc quia [?]. — 14 Supplex [?] pro. — 29 carmina turpe. — 30 plebs mihi [?] superna. — Nach 20 „Partitio" unter Wiederholung von 1 u. 2.

40. Diebus Dominicis a Pascha usque ad Ascensionem.

Ad Processionem.

Salve, festa dies, felix octava dierum,
Quam fecit Dominus nomine reque suam.
Psalmorum primo consignans nomine frontes
Et titulos decorat nominis huius honor.
Praesens vita dies septem tantummodo novit,
Post hos octavam vita beata tenet.
Hi miserae vitae sunt nobis, illa beatae,
Cuius mysterium continet ista dies.
Haec mundo mundique dedit primordia luci
Inchoat hic vitae gaudia perpetuae.
Ipsa resurgentem vitam de morte recepit
Octavae vere gaudia nacta prior.
Spiritus adveniens ipsam Christusque resurgens
Insignem feriis omnibus anteferunt.
Hanc in ea merito celebrant festando fideles
Qua requies perpes gaudia summa dedit.
Summa patri summo pax, eius gloria nato,
Compar amborum gloria spiritui.

Collect. ms. Bridlingtoniense saec. $^{12}/_{13}$. Cod. Oxonien. Digby 53. — 1 statt felix octava etc. auch: toto venerabilis etc. — Abschrift von Rev. H. M. Bannister.

41. In Festo Pentecostes.

1. Aeterna sapientia,
Per quam facta sunt omnia,
Da sapere christicolis
Nectar tuae dulcedinis.

2. Tu singillatim cordium
Finxisti certum numerum,
Quorum solus abscondita
Intellegis concilia.

3. Tu angelus consilii
Crederis antiquissimi,
Quod in nobis verifica
Tua virtute provida.

4. Fortis, potens in proelio,
Tu nostra sis munitio
Adversus daemoniacas
Pugnas atque insidias.

5. Scientiarum Domino
Tibi sit iubilatio
In nostris cogitatibus,
Te, Christe, non latentibus.

6. Tu, bone pastor ovium,
Servans iustum, quaerens reum,
In pascuis uberrimis
Nos iunge gregibus piis.

7. Ne terror irae iudicis
Nos hoedis iungat foetidis,
Sed simus temet iudice
Oves tuae pascuae.

8. Sit trinitati gloria,
Honor, virtus, victoria,
Regnanti super omnia
Per saeculorum saecula.

Hymn. ms. S. Mariae Magdal. Claustroneoburgen. saec. $^{13}/_{14}$. Cod. Claustroneoburgen. 1001. A. — Brev. ms. Claustroneoburgense saec. 14. in. Cod. Claustroneoburgen. 1200. B. — Hymn. ms. S. Mariae Magdal. Claustroneoburgen. anni 1336. Cod. Claustroneoburgen. 1000. C. — Hymn. ms. S. Mariae Magdal. Claustroneoburgen. saec. 14. Cod. Claustroneoburgen. 996. D. — Hymn. ms. S. Mariae Magdal. Claustroneoburgen. saec. 14. Cod. Claustroneoburgen. 997. E. — Hymn. ms. S. Mariae Magdal. Claustroneoburgen. saec. 14. Cod. Claustroneoburgen. 999. F.

2, 1 sigillatim C. — 2, 2 cervim numerum D. — 3, 3 veridica CD. — 4, 1 et potens BCF. — 5, 3 In terris cogitatibus C. — 6, 1 pastor omnium F. — 7, 3 iudicem BCF. — 7, 4 fehlt eine Silbe. — 8, 4 saecula saeculorum D. — Der Hymnus steht zum Pfingstfeste, obschon er auf dasselbe inhaltlich nirgends Bezug nimmt.

42. In Pentecoste.

Ad Processionem.

Salve, festa dies, toto venerabilis aevo,
Qua Deus in sanctos affluit igne suos,
Ad nos mitte patris promissum nectar ab astris,
Pneuma, quod emundet crimen et omne lavet.
Servet in exsilio nos ipse paraclitus isto,
Soletur, foveat, provehat atque regat.

Process. ms. S. Mariae Magdalenae saec. 14. Cod. Claustroneoburgen. 995.

43. In Pentecoste.

Ad Processionem.

Salve, festa dies, toto venerabilis aevo,
Qua sacer accendit spiritus igne suos.
In nos mitte patris promissum, rector, ab astris
Pneuma, quod emundet crimen et omne lavet;
Igne sui roris famulos inflammet, amoris
Flamma quo fidei ferveat atque spei.
Suggerat in nobis vitae praecepta perennis
Consolidans donis nos sine fine suis.
Summa corona tibi, sit doxa coaeva parenti,
Sancto spiritui laus deitate pari.

Grad. ms. Sipachcellense saec. 15. Cod. Cremifanen. 190.

44. In Pentecoste.

Ad Processionem.

Salve, festa dies, toto venerabilis aevo,
Qua nova de caelo gratia fulsit homo.
Spiritus, ecce, Deus, patri natoque coaevus,
Ignis adest specie discipulis hodie.
Sensibus humanis infundit opes deitatis
A patre procedens mystica dona ferens.
Non cessat variis Christi magnalia linguis
Plebs bene docta loqui gentibus omnigenis.
Laus tibi, pneuma sacrum, fons vitae, lux animarum,
Omnia vivificans semper et irradians.
Poscimus, omnipotens, terram, mare, sidera replens,
Nos tibi purifica, protege, salvifica.
Pax, decus, omne bonum, dulcis concordia morum,
Reple corda tuo munere mellifluo.
Intima divinae da praegustare sophiae,
Quam redolet Cherubim praecluus ordo Dei.
Nostra pie tangat Seraphim carbunculus ora,
Ut mens perpetuo flagret amore tuo.

Miss. ms. Tornacense saec. 14 Cod. Tornacen. XIII. Daraus Voisin in: Bulletin de la société historique de Tournai VIII (1862), 116 sq — 14. mellievo. — 16 praecluis, von Voisin geändert in praevius.

45. In Pentecoste.

Ad Processionem.

Salve, festa dies, quam sanctificavit ab alto
Cordibus infusus spiritus uberior.
Spiritus ipse Dei de summis missus ad ima,
Qui mentes hodie replet apostolicas.
Caelitus ignis hic est, quo terras esse cremandas
Pollicitus fuerat Christus ad hoc veniens.
Praeparat has veniens, rediens his admovet illum,
Multiplicem segetem dat bene cultus ager.
Est hic ager mundus, cultores eius [alumni];
Spiritus his hodie semina larga dedit.
Istis seminibus tellus sata totius orbis
Frugibus innumeris climata cuncta replet.
Unam Iudaeae terram coluere prophetae,
Cuncta hi proscindunt vomere regna suo.
Felix ista dies, qua summus venit ab astris
Spiritus exponens horrea cuncta Dei.
Ex hoc omne bonum sic transmandavit in omnes,
Provocet ad laudes copia tanta boni.
Consummantur in hac aliis incepta diebus,
Et promissa Dei perficit ista dies.

Collect. ms. Bridlingtoniense saec. $^{12}/_{13}$. Cod. Oxonien. Digby. 53. — Abschrift von H. M. Bannister. — 7 ammoni [?] — 9 fehlt ein Wort; am Rande: apostoli. — 17 transmandum [?].

46. In Pentecoste.

Ad Processionem.

Salve, festa dies, quam sanctificavit ab alto
Cordibus infusus spiritus uberior.
Filius in mundum primo fuit a patre missus,
Spiritus amborum nunc ab utrisque venit.
Perficit hic veniens, quae sunt incepta per illum,
Supplentur per hunc, quae egerat ille minus.
Verba dedit verbum, sensum affert spiritus horum
Et spirans, ubi vult, et sine voce docens.
Ille repentinus sonus est, quo corda suorum,
Ut meminit Lucas, hac docet ipse die.
Omnia qui penetrans habet aeque pervia cuncta,
Intus et exterius praesidet atque regit.

Membrorum cunctas compages atque medullas
Discutit et, quae sunt intima, quaeque videt.
Ignis hic in sanctis divinus lucet et ardet,
Cum de doctrinae lumine fervet amor.
Iste Dei digitus, manus est sed dextera Christus,
Indicat hic digitus, quae manus illa facit.
Verba docet verbi, quoniam cum venerit ille,
Suggeret hic vobis omnia, Christus ait.
Corda replet sensu, ditat sermonibus ora,
Gratia sunt eius omnia, quae bona sunt.
Omnia dona Dei sunt ipsius, ipse quibus vult,
Quomodo quandoque vult, omnia distribuit.
Auctor cunctorum conservatorque bonorum
Dedicat in templum corpora nostra suum.
In quo septeno cor munere consecrat aram
Ut queat offeri victima grata patri.
Spiritus est, a quo sunt, qui sunt spirituales,
Quique sui templum spirituale facit.
Hic locus, hic finis est ipso quoque nomine teste
Qui re se melius sentiat esse suum.

Collect. ms. Bridlingtonien. saec. $\frac{12}{13}$. Cod. Oxonien. Digby 53. — Abschrift von H. M. Bannister. — Dies Lied bildet in der Hs. mit dem vorhergehenden insoferne eines, als es ausdrücklich als Partitio des ersteren bezeichnet wird und das Ganze die Aufschrift trägt: „In Pentecosten, apud paracletum, 50 versus secundum numerum dierum a Pascha". Es rückt aber einen neuen Gedanken so kräftig in den Vordergrund, dafs es sich sehr selbständig präsentiert.

47. De Corpore Christi.

Ad Completorium.

1. Christus vere noster cibus,
Christus vere noster potus,
Caro Dei vere cibus,
Sanguis Dei vere potus.

2. Caro cara, quam sumimus,
Quam assumpsit de virgine,
Verus sanguis, quem bibimus,
Quem effudit pro homine.

3. Vere tali mysterio
Verbum caro comeditur,
Per quod viget religio,
Per quod nobis ingreditur.

4. Panis iste dulcedinis
Totus plenus est gratiae.
Alvo gestatus virginis
Rex est aeternae gloriae.

5. Cuius panis angelici
Saginemur pinguedine,
Et tam pii viatici
Delectemur dulcedine.

6. O caeleste convivium,
O beatorum gloria,
O requies humilium,
Aeterna confer gaudia.

7. Praesta pater per filium,
Praesta per almum spiritum,
Quibus hoc das edulium,
Prosperum serves exitum.

Brev. Belovacense imp. Parisiis 1497. A. — Brev. Belovacense imp. Parisiis 1548. B. — 2, 3 quam A. — 3, 4 Per quam B. — 5, 3 Pii et tam viatici A. — 7, 1 Per patrem et per B.

48. De Corpore Christi.

Ad Primam.

1. Christe, mirabiliter
Quam consecrasti hostiam,
Offerre fac humiliter
In tui nos memoriam.

2. De pane vitae refice
Tu nos in hoc exsilio,
Quos dignos rite effice
Caelesti nos convivio.

3. Laus tibi, rex mirifice,
Qui in te nunquam deficis,
Impinguans nos munifice
Te ipso pie reficis.

Orat. ms. saec. 15. Cod. Labacen. 45. — 1, 1 Lies O Christe oder Rex Christe? — Aus einem Kursus, dessen übrige Hymnen dem Officium des hl. Thomos Aquinas entlehnt sind.

49. De Corpore Christi.

Ad Nonam.

1. O salutaris hostia,
Quae caeli pandis ostium,
Bella premunt hostilia
Da robur fer auxilium.

2. Nos, manna verum, suaviter
In hac nutri miseria,
In patria perenniter
Tuo dulcore satia.

3. Laus tibi, rex mirifice.

Orat. ms. saec. 15. Cod. Labacen. 45. — Vgl. das zum vorhergehenden Liede Bemerkte.

50. De Corpore Christi.

Ad Processionem.

Salve, festa dies, toto venerabilis aevo,
Qua nova dat Christus munera christicolis.
Cena paschali ritu typico celebrata
Agnum se verum dans removet typicum.

Pro nostro natus scelere tandem moriturus
Certa remedia dat, iam quia non moritur.
Corpus dando cibum verbi virtute sacratum
Sanguinis et gustum contulit in pretium.
Sed sacer hic panis non corporis est alimentum,
Mentibus ast sanis dulce ferens epulum.
Frangitur et teritur, sed, si partim minuatur,
Hoc fit in hac forma, cernere quam poteris;
Sed qui signatur et in hoc contentus habetur,
Sub quiscunque velis partibus integer est.
Nec, qui plus ceperit, plus de Christo quit habere,
Nec habet ille minus, qui minus acceperit.
Ergo sacramentum, digne, socii, veneremur
Quod digne sumptum nos fovet et reficit.
Laus tibi sit, Christe, cuius pia gratia praestat
Digne participes corporis esse tui.
Dum nobis occurrit in morte ferox inimicus,
Sis nobis, Christe, cibus, sis tutor et clipeus
Inque tuo, Christe, bene [functos] corpore siste
Nosque loces cum te perpetua requie.

Process. ms. Oseneiense anni 1288. Cod. Oxonien. Rawlin. N. 939. — Abschrift von Rev. H. M. Bannister.

51. In Festo Corporis Christi.

Ad Processionem.

Salve, festa dies, toto venerabilis aevo,
Qua Christi corpus turba renata colit.
Terrigenae quique recolent hoc nobile festum
Quod nobis Iesus Christus in orbe sacrat.
Omnis plebs hodie veneretur amoreque laude
Patrem, qui nobis manna perenne dedit.
Tempore, quo Moyses deserta per arida duxit
Israelis populum, manna cibavit eum.
Illum qui pastum degustavere, refecti
Sunt, sed post omnes esuriere patres
Et cum mundanam defecerunt per eclipsim
Hausit eos veteris carcer opacus Adae.
Istum qui pastum digne gustaverit, ille
Non plus esuriet postea nec sitiet.
Illud erat caeli, supra caelum manet istud
Pascens nos manna fomite vivifico.
Manna figuravit deserti manna futuri.
Corpus idem Christi, vera sophia Dei.
Hoc Christi corpus est noster in orbe redemptor,
Neumate conceptus, virgine natus erat.

Postea, cum fuerint ab eo sex lustra peracta,
Mortem pro nobis in cruce sponte tulit.
Manna tribus pavit in deserto duodenas,
Christus bis denos corpore discipulos.
Sub specie panis et vini pascimur ipsi
Carne redemptoris atque cruore sacro.
Vertitur in carnem verbo substantia panis,
Per verbum fit ita sanguis usia meri.
Nec debent varia cruor et caro corpora credi,
Opus idem Christi sunt cruor atque caro.
Et quamvis discors menti sit visus in hac re,
Ad confirmandum sufficit una fides.
Hinc sacrae fidei qui verbis mente oboedit
Coram verbigena iudice salvus erit.
Qui non crediderit hanc esse fidem sacrosanctam,
Perpes in infernum cauma vorabit eum.
Gloria sit patri, sit virtus verbigenaeque,
Sit procedenti par ab utroque salus.

Process. ms. S. Oswaldi (dioec. Eboracen.) saec. 14/15. Cod. Mus. Oxonien. 126. — Abschrift von Rev. H. M. Bannister.

52. In Dedicatione Ecclesiae.

1. Sanctificetur dies ista annua,
Qua renovantur gaudia continua,
In qua fundatum Deo sacrificium
Cottidianum praestat beneficium.
A honorem Domini.

2. In hac erectus lapis est in titulum
Totius anni benedicens circulum,
Ut domus ista consecrata caelitus
Sit ad tutelam corporis et spiritus,
Ad honorem Domini.

3. Quam benedixit benedicti gratia
In sempiterna populi solatia
Dans profutura, pellens adversantia
Purificandis cunctis ab infantia
Ad honorem Domini.

4. Aeternitatis dominus et temporum,
Caeli terraeque, aeris et aequorum
Ad confitendum sibi ab hominibus
Elegit domum factam de lapidibus
Ad honorem Domini.

5. Ut quem in caelis novem colunt ordines,
Ipsum in terris venerentur homines,
Et quorum factor unus regit omnia,
Communi voto dent ei praeconia
Ad honorem Domini.

6. Condignus ordo, iusta providentia,
Ut quos praescivit Dei sapientia
Fore concives et unam rem publicam,
Illos uniret in laudem dominicam
Ad honorem Domini.

7. Per Salomonem, per nostrum pacificum,
Traduntur quaeque manibus artificum,
Ligna dolantur et quadrantur lapides
Structurae sanctae civitatis habiles
Ad honorem Domini.

8. Hic fabricatur solida materia
Per sacerdotum sacra ministeria,
Qua consummetur illa summa civitas,
Ubi fit Deus civium felicitas
Ad honorem Domini.

9. Sit ergo dies ista celeberrima,
Qua salvatoris pietas uberrima
Fecit hunc locum sanctum frequentabilem,
Caelestem portam, domum venerabilem
Ad honorem Domini.

10. In quo te, pater, petimus per filium,
Custodi tibi corpora fidelium,
Tuere mentes nostras ab interitu
Vivificandas tuo sancto spiritu
Ad honorem Domini.

11. Conserva locum, funda sanctimonia,
Des postulanda praebens alimonia,
Populum rege faciens unanimen,
Languidum cura protegens incolumem
Ad honorem Domini.

12. In istis ergo fusis ad te precibus
Tu nos exaudi, Deus, et in omnibus,
Cui sit aeterna laus, honor et gloria,
Salus, potestas, virtus et victoria
Ad honorem Domini.

Rit. ms. Patauiense saec. 12. ex. Cod. Palat. Vindobonen. 1817. 1 4 beneficia. — 6, 1 Salemonem.

53. In Exsequiis Mortuorum

Postquam transgressus Domini praeceptum
Adam gustavit pomum interdictum,
Poenam, quam iuste pertulit origo
Damnata, nobis intulit occulta.
Licet baptismum mundet nos in culpa,
Tamen antiquo debito pro carnis
Manente vita pauci timent mortem;
Sed cum repente venerit ad finem,
Quos nunc delectant fugitiva saecla,
Iniusti iusti fierent, si scirent.
Genus humanum nascitur ad planctum,
Aspere vivens vitam et consumens,
Laeta spernentis, duris adhaerentis,
In hora mortis numine timentis.
Christe redemptor, adiuva redemptos,
Quaesumus omnes, aspice misertus,
Animae vitam tribue post mortem
Laeta concede temporaque nostra.
Dominus Christus, Deus adorandus,
Laudetur trinus, unus et aeternus.

Rituale ms. Aquilegiense saec 11. ex. Cod. Univ. Bononien. 2679. — Nach je zwei Zeilen wiederholt sich der Rundreim: Quam dure, quam [l.: quando?] spiritus a carne recedit — Abschrift von Rev. H. M. Bannister.

54. In Exsequiis Mortuorum.

1. Mundi redemptor Domine,
Latroni qui misertus es,
Nunc petimus clementiam
Tuam valde magnificam,

2. Ut agmina angelica
Huius defuncti animam
In regni tui auream
Introducant aulam.

3. Ubi resultant agmina
Angelorum caelestia,
Cherubim ardentia,
Seraphim altithrona

4. Cantando tibi cantica
Sedenti patris in dextra,
Quem decantant frequentia
Alta caeli palatia,

5. Angelorum gaudia
Potitura magnifica,
Cum quibus nunc per omia
Tripudiet per saecula.

Brev. ms. Humiliatorum anni 1443. Cod. Vatican. 9217. — Teile von Str. 1 und 2 kehren als Rundreim wieder. Nach Str. 4 folgt noch:

Rex saeculorum, tuorum
Suscipe preces servorum,
Aeternam requiem
Dona ei, Domine.

55. In Exsequiis Mortuorum.

1. Recordare, Domine,
Quia terra et pulvis sumus,
Ne despicias opus
Manum tuarum.

2. Delicta nostra dele,
Iesu, salvator o pie,
Qui es lux vera, Christe,
Illumina nos tu semper.

3. O creator ac redemptor,
Creaturae tuae memento,
Plasma tuum defende,
Quem redemisti benigne.

4. Ab amara morte
Erue nos, Deus alme,
Parce, iam parce
Tua redemptis cruce.

5. Animabus defunctorum
Concede requiem polorum,
Ad gaudia sanctorum
Deduci facias beatorum.

6. Preces nunc servulorum
Exaudi, rex saeculorum,
Amen dicant astantes,
Eadem sorte mortales.

Brev. ms. Humiliatorum anni 1443. Cod. Vatican. 9217. — Teile der ersten Strophe kehren abwechselnd als Rundreime wieder.

56. Ad salutandum Episcopum.

Aurea spes patriae, specimen pietatis opimae,
Salve et nos alacris, semper, adire velis.
Munera parva nimis haud quaquam consona votis
Ecclesiae matris accipe nunc hilaris.
Nos tibi praemittit, quem quondam lacte refovit,
Texit et algentem, pavit et esuriem.
Iamque viri super effectum festiva triumphat,
Cuius profectu splendida nata gerit.
Olim te genibus carum nutrivit alumnum,
Nunc visura suum nobile praesidium.
Quaeque prius baculi parvum moderamine rexit,
Nunc te pastorem gaudet adesse sibi.
Ecce, sinum pandit, te susceptura fovebit
Infigens labiis oscula casta tuis.
Amplexatur, amat, veneratur, honorat, obumbrat,
Gaudet habere suum pontificale caput.
Hinc, rogo, perpendas, quod matri tale rependas,
Has sibi redde vices, ut pietate colas.
Iamque salutaris tibi victima redditur aris,
Hoc ut idem facias, iam prior ipsa facit.
Foedera bina pari sub religione frequentas,
Inde vocat coniunx, mater et hinc retinet.
Haec pastoris opem, nati haec implorat amorem,
Illam lege, fide, hanc pietate cole.

Versibus his, praesul te nutrix fide salutans
Deposcit vultum laeta videre tuum.
Personis trinum Dominum, deitate sed unum,
Omnes oramus, quo tibi longa salus
Assit, et ut vitae fungaris sorte beatae
Praevius et ducas pastor ad alta gregem.
Sidera, clara prius, vestro adventante decore
Splendidius multo fulta nitore micant.
Mentibus, ecce, suis gaudens locus ipse resultat,
Se gaudere probat, quis valet, indiciis.
Astant, ecce, patres votiva precamina dantes,
Et te corde pio quisque beare cupit.
Insuper et populus vos, praesul, visere laetus
Urget ad optatas vos superesse preces.

Grad. ms. Mindense saec. 11. in. Cod. Berolinen. IV^0 11. add. saec. 12. — Vers 1 und 2 kehren abwechselnd nach je zwei Distichen als Rnndreim wieder.

57. Pro Duce Venetiarum.

1. Ducalis sedes inclita
Es Venetorum praedita
NN duce, quo supera
Locaris inter sidera.

2. Hoc duce tuta permanes,
Hostes hoc duce perimes,
Hoc duce ad alta venies,
Tibi cuncta subicies.

3. Voto precamur sedulo,
Diu consistas solio,
Longo vivat imperio
Excelso Iove praevio.

4. Laetare, festa, iubila,
Senatus et plebs Veneta,
NN sub alis condita
Nunquam videbis nubila.

5. O sancte Marce, praesidem
Nunquam videbis . . . .
. . . . . .
. . . . . .

6. . . . . Veneti
Tibi tenemur debiti,
Quod noster dux est genitus
De te, princeps magificus.

7. O Christe, grates agimus
Tibique vota solvimus,
Qui nos dotasti praeduce
Tanto rectore consule.

8. Hunc nobis serva incolumem
Ducatus nostri columen,
Quo stante tuti stabimus
Et nil adversi dabimus.

9. O sancte Marce, praesidem
Ad usque terae limitem
NN praefer dominio,
Nunquam vincatur proelio.

Collect. ms. Brixiense saec. $^{15}/_{16}$. Cod. Bononien. 2216.

58. De Conceptione Beatae MV.

In 2. Vesperis.

1. Gaude, mater ecclesia,
Voce perennis gaudii,
En, agitur memoria
Sacri conceptus lilii.

2. Ex spinis ortum lilium
Solo creatur sterili
Et intra ventris gremium
Purgatur culpa flebili.

3. O admiranda novitas
Conceptionis virginis,
Per quam tergitur foeditas
Originalis criminis.

4. Nata nova nova prole
Nova confert remedia,
Stella nova novo sole
Nova generat gaudia.

5. Anna, radix generosa,
Tanto fecunda germine,
Benedictaque leprosa
Mundatur rubigine.

6. O quam felix conceptio
Virgae florentis caelitus,
Qua luctus cedit gaudio,
Redditur vita spiritus.

7. Haec in luce primaria
Figuratur, sed typice,
Quae a tenebris gaudia
Separavit mirifice.

8. Laus, honor sit ingenito,
Salus, virtus, victoria,
Sit eius unigenito,
Sacro flatui gloria.

Brev. ms. Senoniense (Claudii Iacquot de Chaimoniis) anni 1577 — 1580. Cod. Spinalien. 161 (76). — 4. 1 Nato. — 4. 3 nova sole.

59. In Conceptione BMV.

Ad Matutinum.

1. Pange, lingua, gloriosi
Conceptus praeconia,
Cuius fructus speciosi
Agitur memoria,
Per quam status gaudiosi
Nobis dantur praemia.

2. Regia domus accepta
Fonti sapientiae,
Qui ventris intravit saepta
Virginis eximiae.
Arido ventre concepta
Praedicatur hodie.

3. O quam sanctum ventris onus
Annae, matris virginis,
Quam suavis et quam bonus
Fructus talis feminis,
Quo caeli repletur chorus,
Labe pulsa criminis.

4. Nutu Dei pendet rosa
Sterili rosario,
Labe purgata leprosa
Ventris in stercidio,
Rubigine nunquam rosa
Vel letali vitio.

5. A defunctis relevatur
Per conceptum virginis,
Qui a morte tenebatur
Culpa primi hominis,
Sacris coronis aptatur
Sursum regno luminis.

6. Germine sata regali
Rosa, verni primula,
Necnon et pontificali
Florens Iesse virgula,
Per quam mundus morsus mali
Evasit pericula.

7. A prophetis praesignatur
Annae proles inclita,
Per quam cunctis salus datur,
Dantur vitae merita,
Summa sedes reparatur
Morsu pomi perdita.

8. Laudes ergo personemus
Huic sacro germini,
Ore, voto collaudemus
Vas decorum Domini,
Ut ab ipso reportemus
Vitam iuncti numini.

9. Gloria sit Deo quoque,
Virtus et imperium,
Una patri filioque
Sit perenne gaudium,
Procedenti ab utroque
Laus et decus nimium.

Brev. ms. Senoniense (Claudii Iacquot de Chaimoniis) anni 1577—1580. Cod. Spinalien. 161 (76). — 2, 1 Regia donis. — 2, 3 ventris ravit cepta. — 4, 4 in stercicio.

60. De Conceptione Beatae MV.

Ad Laudes.

1. Praesens dies expendatur
In eius praeconium,
Cuius conceptus laudatur
Salutis initium
Et a mundo memoratur
In caelorum gaudium.

2. Dies, praeco dulcis ortus,
Celebratur hodie,
Mariae, quae fuit portus
Salutis et gratiae
Et deliciarum hortus,
Rore plenus gloriae.

3. Ergo laudes in hac die
Concinat ecclesia,
Qua mater sacrae sophiae
Inspirante gratia
Concipitur, huius viae
Perdux stella praevia.

4. Haec est nova genitura,
Quae novum dat gaudium,
Dum factorem creatura
Traxit ad conubium,
Quo mors morte peritura
Virtutis dat praemium.

5. Virga florem conceptura
Dono sancti spiritus,
Stella solem paritura,
Quo Vae patet exitus,
Annae ventris intrat rura,
Mundo datur caelitus.

6. Hanc perfudit ros novellus,
Intra carnis horrea
Maduit ut quondam vellus,
Sicca tamen area,
Cum concepit dote tellus
Manente virginea.

7. Columba, quae adportavit
Ore virens lilium,
Per quam Christus mitigavit
Inundans diluvium,
Haec est virgo, quae lactavit
Portans Dei filium.

8. Rectori hierarchiarum
Laus, honor sit simplici,
Qui numero personarum
Distinguitur triplici,
Vultu et gloria quarum
Mereamur refici.

Brev. ms. Senoniense (Claudii Iacquot de Chaimoniis) anni 1577 — 1580. Cod. Spinalien. 161 (76. — 4, 1 est fehlt. — 7, 5 est fehlt.

61. In Conceptione Beatae MV.

In 1. Vesperis.

1. Conceptus almae virginis
Mariae novi luminis
Est omnibus initium
Dans salutis remedium.

2. Concepta fuit hodie
Causa misericordiae,
De qua Christus iustitiae
Sol ortus est et veniae.

3. Ergo tu, quae conciperis,
Impetra nos a crimine
Abstergi culpae veteris
A veri solis lumine.

4. Laus, honor et sublimitas
Tibi sint, vera unitas,
In unitate trinitas
Per omnes mundi semitas.

Brev. Aurelianense imp. s. l. et a. [1510].

62. In Conceptione Beatae MV.

Ad Matutinum.

1. Annuntiatur caelitus
Haec Mariae conceptio,
Per quam exspirat penitus
Peccati subiugatio.

2. Pater, qui desperaverat,
Quia Deus non dederat
Fructum, redit ad propria
Conceptionis gratia.

3. Dum auream ingreditur
Ioachim portam, obviae
Gaudens uxori redditur,
Annae cessant angustiae.

4. Laus, honor et sublimitas
Tibi sint, vera unitas,
In unitate trinitas,
Per omnes mundi semitas.

Brev. Aurelianense imp. s. l. et a. [1510].

63. In Conceptione Beatae MV.

Ad Laudes.

1. Per terram Israel tonat
Dans fama vocis gaudium,
Adfinium laus resonat
In conceptae praeconium.

2. Nos gaudeamus etiam
Ad summi patris gloriam,
Qui per conceptae gratiam
Laetificat ecclesiam.

3. Pax detur, salus omnibus
Tam excellentis dominae
Conceptum celebrantibus
A suae prolis numine.

4. Laus, honor et sublimitas
Tibi sint, vera unitas,
In unitate trinitas,
Per omnes mundi semitas.

Brev. Aurelianense imp. s. l. et a. [1510].

64. In Nativitata BMV.

1. Fulgent magna sacrae festa Mariae,
Huius quae revocat meta diei,
In qua virgo pia luminis ortum
Toto perpetui protulit orbi.

2. Felix ista dies munere tanto,
Natalis celebri clara decore,
Quae dat principium virginis almum,
Cunctis unde salus constat opima.

3. Iam nunc quis taceat promere laudes,
Ut puro valeat corde precari
Huius se precibus auxiliari,
Per quam mundus ovat auspice Christo.

4. Haec est, unde sacer mystice vates
Olim sic cecinit mente sagaci,
Venturum siquidem praescius aevi
Sanctum virga dicit Iessea florem.

5. Salve, christigena, virgo venusta,
Salve, conspicuo germine fusa,
Salve, gemma nitens, regia proles,
Salve, post genitum forma pudoris.

6. Nunc, mater, precibus adnue nostris,
Devotas populi suscipe laudes,
Ut grato famuli munere fulti
Salvet iugiter nos gratia nati.

Collect. ms. S. Vincentii Meten. saec. $^{10}/_{11}$. Cod. Berolinen. Phillipp. 1723. add. saec. 11.

65. In Annuntiatione BMV.

1. Mysterium a saeculis
Absconditum in oculis
Apparuit fidelium
Per Gabrielem nuntium.

2. Verbum ignotum homini
Annuntiatur virgini,
De verbi ignorantia
Turbatur plena gratia.

3. Caelestis aulae nuntius
Tristem solatur citius:
Benedicta, ne timeas,
Quae habes, unde gaudeas.

4. Ecce, virgo concipies
Et virgo manens paries
Deum et Dei filium
Ac redemptorem gentium.

5. Ligatus iste sanitas,
Per quem nostra infirmitas
Sanetur, ut caelestium
Assequamur consortium.

6. Gloria tibi, Domine,
Qui filium pro homine
Dedisti sacro flamine
Conceptum et de virgine.

Diurn. et hymn. ms. Benedict. Suecic. saec. 15. Cod. Upsalen. C 477. — 4, 2 manes. — Bei Klemming II, 157 sq. irrtümlich als Sequenz bezeichnet.

66. In Visitatione BMV.

1. Figurarum iam detectum
Antiquarum est velum,
Zacharias dum sub tectum
Pacis sumpsit angelum,
Causans Sarae risum pium
Scultantis post ostium.

2. En, Rebecca cum camelis
Servum fovet Abrahae,
Anna, mater Samuelis,
Parens fit ex sterile,
Typus patet Gabrielis
Verborum ex serie.

3. Sponsus tuus regens caelos
Praestolatur, domina,
Relevatos ut anhelos
A peccati sarcina
Ad se ducat nos camelos
Portantes aromata.

4. Gloria sit, Iesu pie,
Tibi nunc et iugiter,
Visitanti Zachariae
Domum personaliter,
Fac nos te, fili Mariae,
Frui aeternaliter.

Diurn. et hymn. Benedictin. Suecic. saec. 15. Cod. Upsalen. C 477. — 1, 6 Sculptantis; scultantis statt auscultantis. — 3, 2 Praestolator. — Dieser Hymnus fehlt bei Klemming.

67. In Visitatione BMV.

1. Hymnum Deo modulatur
Puella dulcissimum
Dum ad tanta sublimatur
Pro salute hominum,
Magnipendens, quod narratur,
Magnificat Dominum.

2. Est in Deo sua rata
[Dulcis visitatio],
[Sua] nam considerata
Est humiliatio;
O quam dicet „Haec beata"
Omnis generatio!

3. Magna fecit Deus ei,
Quia potens nomine,
Miseretur enim rei,
Si timor in homine,
Proprium est enim Dei
In omni progenie.

4. Sede iecit vanos, fecit
Altos dextra divites,
Imos levat et refecit
Quos vexat esuries,
In promissis et profecit
Antiqua progenies.

5. Gloria sit, Iesu pie,
Tibi nunc et iugiter,
Visitanti Zachariae
Domum personaliter,
Fac nos te, fili Mariae,
Frui aeternaliter.

Diurn. et hymn. ms. Benedictin. Suecic. saec. 15. Cod. Upsalen. C 477. — 1, 5 Magnipendent. — 3, 4 Sed timor in. — 4, 1 Suo iecit. — 4, 2 Auch Altos mufs ein Verschreiben sein; man erwartet ein Synonym für inanes; lies paevos? — 4, 4 fexat. — Aus derselben Quelle Klemming II, 152. Derselbe bezeichnet irrtümlich die HS. als Missale, das Lied als Sequenz und liest: 1, 2 dulcissima. — 1, 5 Magnipendat. — 4, 4 ferat.

68. In Visitatione BMV.

1. Maria, mater Domini,
In laudem tuo nomini,
Elisabeth dum visitas,
Vates dat laudes debitas.

2. Deum de Deo genitum
Portasti primogenitum,
Cuius novit exordium
Vates, scrutator cordium.

3. Caelum terramque qui regit,
In te carnem sibi legit,
Qui praecursori placuit,
In tuo ventre iacuit.

4. Deus et homo nascitur,
Quo totus mundus pascitur,
Qui est salvator gentium
Et vera spes credentium.

5. Illum, quem virgo gesserat,
Vati clauso impresserat,
Ut nullum habens vitium
Pacis sciret initium.

6. Gloria tibi, Domine,
Qui natus es de virgine,
Patri simul ingenito
Cum spiritu paraclito.

Orat. ms. Campense anni 1462. Cod. Darmstadien. 521. — Am Rande: sub eadem nota, nämlich wie das vorhergehende O Christi mater caelica.

69. In Visitatione BMV.

1. Mundi salus affutura,
Virgo mater inclita,
Gestu simplex, mente pura,
Specie praefulgida,
Cum caelesti genitura
Processit in publica.

2. Caput conterens draconis,
Rubus, qui non uritur,
Aaron virga, Gedeonis
Vellus, quod perfunditur,
Haec perfecta Salomonis,
O beata dicitur.

3. Genetrix Emmanuelis
Virga Iesse floruit,
Ostium Ezechielis,
Quod viro non patuit,
Mons, quo lapis Danielis
Statuam comminuit.

4. Sic in mundo praeter morem
Novum fecit Dominus,
Castis mater conditorem
Circumdat visceribus,
Terra gignit salvatorem
Nubibus pluentibus.

5. Virgo cara, caritatis
Fervens desiderio,
Castae consanguinitatis
Fovet ministerio,
Gaudens huius novitatis
Sancto puerperio.

6. Felix domus Zachariae
Talem habens hospitem,
Felix cognata Mariae,
Quam suscepit comitem,
Sed Iohannis et Messiae
Tu distingue limitem.

7. Laus sit summo genitori,
Qui regnat per omnia,
Laus sit nostro redemptori,
Per quem venit gratia,
Procedenti creatori
Sit aequalis gloria.

Hymnorum opusculum ad usum insignis ecclesiae Sarum imp. Antwerpiae 1512. — 5, 3 Casti. — 7, 6 In aequalis.

70. In Visitatione BMV.

Ad Laudes

1. Verbum a patre prodiens
In novissimo tempore
Servi formam accipiens
Mortali sumpsit corpore.

2. Statim ut virgo concepit
Hunc ad hoc praedestinata,
Gabriel affari coepit
Hanc instruens de cognata.

3. Ad montana tunc adiens
Visitavit Elisabeth
Per tres menses, hinc rediens
Reversa est in Nazareth.

4. Miles suo tripudio
Regem salutare gliscit,
Clauso clausus in gaudio,
Matri mater benedixit.

5. O grata visitatio
Et melliflua oscula!
O laeta salutatio
Celebranda per saecula!

6. Uni trinoque Domino
Sit decus et imperium,
Qui vitam sine termino
Nobis donet et praemium.

Brev. ms. Caelestinorum saec. 15. Cod. Sangallen. 500.

71. In Visitatione BMV.

1. Praeconium dulcissimum
Puris canamus cordibus,
(Quod) melos sit audientibus
Vitamque nobis tribuat.

2. Hic est dies, in quo virgo,
Cum caelos rediit Gabriel,
In montem venit ocius
Ad salutandam Elisabeth.

3. Intrans domum Zachariae
Salutat virgo veterem,
Quam parituram noverat
Praecursorem altissimi.

4. Almo repleti spiritu
Gaudet mater cum filio,
Maria dum os aperit,
Ambo sunt docti pariter.

5. Senex agnovit virginem
Deum gestare in utero,
Fructus, qui ventre clausus est,
Caeli cognovit dominum.

6. Unde mihi [quod] veniat
Ad me mis mater domini,
Inquit tunc Elisabeth
Sensum habens propheticum.

7. Mariam sui domini
Matrem beatam memorans
Verba profert angelica,
Completa, quae praedicta sunt.

8. O quam mirandum saeculo,
Quod haec sciens fit praescia,
Recoleret praeterita
Futuraque praenosceret.

9. Tunc licuit charismata
Mariae data pandere
Et hymnum hinc Magnificat
Devote Deo promere.

10. Uni trinoque Domino
Sit sempiterna gloria,
Qui nos visitet hodie
Nec non per cuncta saecula.

Brev. ms. Ambrosianum saec. 15. Cod. Borgian. M II 20. — 9, 2 Maria.

72. In Visitatione BMV.

Ad Matutinum.

1. Mariae vox ut sonuit
Elisabeth in auribus,
Ipsam fore matrem Dei,
Revelat sibi spiritus.

2. Et clamat voce valida
Cognata: Benedicta tu
Inter omnes mulieres,
Plenior sancto spiritu;

3. Benedictus quoque tui
Fructus ventris virginei;
Unde hoc, ut ad me venias
Tu, mater domini mei?

4. Ex quo virtus vocis tuae
Meum pulsavit uterum,
Ad exsultandum Domino
Meum mox movit filium.

5. Maria, mater gratiae etc.

Brev. Biturícense imp. Venetiis 1481. A, — Brev. Lemovicense imp. Lemovicis 1495. B. — Brev. Biturícense imp. Lemovicis 1512. C. — 1, 3 foret A. — 3, 3 sq. Ut venias tu ad me mater A. — 4, 4 novit C. — In B In secundis Vesperis.

73. In Visitatione BMV.

Ad Vesperas.

1. Dum patrum exspectatio
Clamat Messiam sitiens,
Mundi venit redemptio
De sinu patris saliens.

2. Lux spirat verni temporis,
De virga flos concipitur,
Puer perfecti corporis
Ventre Mariae clauditur.

3. Pascha novum iam celebrans
Virgo transit a Nazareth,
Ad altiora properans,
Salutet ut Elisabeth.

4. Mariae salutatio
Cognatam quando visitat,
Iohannem in mysterio
In novum plausum excitat.

5. O virgo Iesse florida,
Fructum salutis pariens,
Stella Iacob praefulgida,
In lucem nostram oriens!

6. Maria, surge, propera,
Veni cum tuo filio.
Procede, regnans impera,
Defende nos in proelio.

7. Saluta nunc ecclesiam,
Ut tuam vocem audiens
Exsurgat in laetitia,
Adventum Christi sentiens.

8. O Iesu, per miracula
Tuam matrem clarifica,
Ut cuncta noscant saecula
Eius gesta mirifica.

9. Veni, puer, alliciens
Ad tuum nos cenaculum,
Ut tua mater transiens
Ministret vitae poculum.

Brev. Arosiense imp. Basileae 1513. — Vgl. Klemming II, 164 ff.

74. In Visitatione BMV.

Ad Nocturnum.

1. Sub medio silentio
Dum mundus gaudens otio
In tenebrarum filiis
Fovebatur in vitiis,

2. Superni solis radius,
Aeterni patris filius,
Ad effugandas tenebras
Carnis subivit latebras.

3. Gaudet virgo concipiens,
Quem Gabriel praedixerat,
Quem matris alvo gestiens
Clausus Iohannes senserat.

4. Indutus carnis trabea
Exit claustra virginea,
Nudus iacens in pulvere
Venit flores colligere.

5. O quam magnum mysterium,
Ante bovem et asinum
Virgo ponebat filium,
Caeli terraeque Dominum.

6. Videbant animalia
Illum, qui lux est saeculi,
In cuius lucis gloria
Utrique currunt populi.

7. Maria, stella gentium,
Super astra splendidior,
Duc nos ad tuum filium,
Qui sole fulget clarior.

8. Domum, portam et tumulum,
Virgo cum nato visita,
Natum ex Eva populum
A somno mortis excita.

9. Gloria tibi, Domine.

Brev. Arosiense imp. Basileae 1513. — Vgl. Klemming II, 166.

75. In Visitatione BMV.

Ad Laudes.

1. Aurora fulgens radiat,
Per quam sol terris oritur,
Virgo laeta tripudiat,
Dum Christus ex hac nascitur.

2. Veni, o mater inclita,
Cum sancti flatus munere,
Nos ut Iohannem visita
In huius carnis carcere.

3. Procede portans parvulum,
Ut mundus possit credere
Et tuae laudis titulum
Omnes sciant extollere.

4. Reginae caeli tunicam,
Omnes gentes, consuite,
Hanc matrem Christi unicam
Immaculatam credite.

5. Maria, leva oculos,
Vide credentes populos,
Te quaerunt piis mentibus,
His vestieris omnibus.

6. Vestis materna rutilat
Contexta discoloribus,
Cor tuum, virgo, iubilat
Pro filiorum laudibus.

7. Scissuram tuae tunicae
Tuus natus resarciat,
Unus pastor catholice
Suam sponsam custodiat.

8. Aufer lites et schismata
Credentium de finibus,
Tranquillae pacis sabbata
Nostris praebe temporibus.

9. A filiorum cordibus
Pelle frigus acidiae,
Nudos tege cum vestibus
Honestatis et gratiae.

10. O verae spes laetitiae,
Nostrae finis miseriae,
Nos iunge caeli curiae
Ornatos stola gloriae.

11. Gloria tibi, Domine.

Brev. Arosiense imp. Basileae 1513. — Vgl. Klemming II, 173 ff.

76. In Visitatione BMV.

Ad Horas.

1. Effundet nobis domina
Vires plangendi crimina,
Ut servivit Elisabeth,
Mentem humanam visitet.

2. Ergo, pater piissime
Verbumque, iudex animae,
Cum spiritus charismate
Ad caelos omnes trahite.

Brev. ms. Humiliatarum ad S. Erasmi Mediolanen. saec. 15. Cod. Ambrosian. I 197 inf. — Diese zwei Strophen sind kein selbständiger Hymnus, sondern anzuhängen an die Hymni communes ad parvas horas. „Et notandum, quod ad omnes horas diei hymnorum ferialium relicto ultimo versu dicantur isti duo versus sequentes.“ Hs. (Fell.)

77. In Purificatione BMV.

1. Sol de stella purissima,
Stilla mellis dulcissima
Ex regali progenie
Processit matre virgine,

2. Homo Deus, Christus Iesus,
A prophetis prophetatus,
A regibus adoratus
Cum Maria matre eius.

3. Profert rubus virens rogum,
Virgultum marcidum fructum,
Siccum vellus undam mundam,
Porta semper clausa viam,

4. Stella matutina solem,
Maria praeclara prolem,
Virgo excellentissima,
Super omnes sanctissima.

5. Iesu clemens, matrem audi,
Mater bona, nos exaudi,
Potes enim ut regina
Caeli pandere limina.

6. Templum munda tu intrasti,
Deum patrem tu placasti,
Mundum clare illustrasti,
Dum obtulisti filium.

7. Florens rosa cum lilio,
Virgo mater cum filio,
Serva nos in exsilio
Vitiorum a lolio.

8. Gloria tibi, Domine,
Qui natus es de virgine,
Cum patre et sancto spiritu
In sempiterna saecula.

Orat. ms. S. Petri Salisburgen. saec. 16. Cod. Petrin. a III 20: bezeichnet als „hymnus“.

78. De Beata Maria V.

Tempore Quadragesimali.

Ad Vesperas.

1. Gloriosa mater Dei,
honor nostri generis,
Decus orbis, spes piorum,
peccatorum venia,
Nostrae laudis sume vota,
dele nostra crimina.

2. Clara caeli tenes sceptra
prope natum posita,
Super choros angelorum
habens privilegia,
Unde memor esto nostri,
virgo benignissima.

3. Hinc averte, quod timemus,
quod optamus, perfice,
Hinc te mundus protectricem
sentiat assidue,
Pia mater, sublevemur
illuc tuo munere.

4. Summum caeli decus tuum
esse natum novimus,
Eius ergo maiestati
nostros offer gemitus
Atque piae visioni
nos praesenta caelitus.

5. Clara virgo, quae fugasti
matris Evae tenebras,
Pia mater, quam honorat
Dei patris pietas,
Ad videndum tuum natum
nobis viam praepara.

6. Sint tonanti laudes patri,
nato et paraclito,
Sit perennis honor matri,
decus atque gloria,
De qua nobis Christus natus
vitam dedit saeculo.

Brev. Ecclesiarum Claromontis atque S. Flori imp. Tierni [1556]. — 1, 2 und 6, 4 fehlt auffallenderweise der Reim.

79. In Compassione BMV.

Ad Vesperas.

1. Mentes iuvet fidelium
Dolores et suspirium
Matris Christi revolvere
Cum gratiarum munere.

2. Castae parentis viscera
Poena torquentur aspera,
Dum staret sub supplicio
Languens pro dulci filio.

3. Tantum sibi compatitur,
Quod fere secum moritur,
Nullus dolor amarior,
Nam nulla proles carior.

4. O quam praedigni rivuli
In cruce Christi sanguinis
Et, quos fuderunt oculi
Sub cruce matris virginis.

5. Sic corda nostra penetret
Iesu matris compassio,
Ut semper nos inhabitet
Eius vera dilectio.

6. Gloria tibi, Domine,
Qui passus es pro homine,
Cum patre et sancto spiritu
In saecula saeculorum.

Legend. ms. Laurentii Odonis Lincopen. saec. ^{14} 15. Cod. Dresden. A 182. A. — Brev. Stregnense imp. Holmiae 1495. B. — 5, 2 O Iesu, tua passio B. — 5, 4 Tua matris dilectio B. — Vgl. Anal. XII. 66.

80. In Compassione BMV.

Ad Nocturnum.

1. Rogatus Deus rumpere
Caelos et huc descendere
Nobis venit in virgine
Nos redimens a crimine.

2. Sputa, flagella, lancea,
Minae, corona, spinea,
Clavi, probra, crux, verbera,
Fel, vincla, mors et vulnera,

3. Haec virgo vidit filio
Parari cum ludibrio.
Qui caritate venerat
Salvare, quod perierat.

4. Patibulo suspenditur,
Latronibus coniungitur,
A cunctis fere spernitur,
Sic desolatus moritur.

5. Sic corda nostra etc.

Legend. ms. Laurentii Odonis Lincopen. saec. ^{14} 15. Cod. Dresden. A 182. A. — Brev. Stregnense imp. Holmiae 1495. B.

81. In Compassione BMV.

Ad Laudes.

1. Condolentes maeroribus
Mariae matris virginis
Iungamus laudes fletibus
Ad laudem sui nominis.

2. Pensemus, quid perpenderet
Astans cruci puerpera,
Dum testamentum conderet
Christus in vitae vespera.

3. Matrem piam discipulo,
Patri commendat spiritum,
Aceti sumpto poculo
Carnis exsolvit debitum.

4. Postremo vidit elici
De fossi fonte lateris
Cruorem mixtum latici
Pro redimendis miseris.

5. Sic corda nostra etc.

Legend. ms. Laurentii Odonis Lincopen. saec. ^{14} 15. Cod. Dresden. A 182. A. — Brev. Stregnense imp. Holmiae 1495. B. — Vgl. Anal. XII. 68.

82. In Compassione BMV.

Ad Vesperas.

1. O quis videret animam dolore
Gemere tuam cultro circumfossam,
Saxea corda minime non possent
Compati tibi.

2. Monte dum vides ortum vitae mori,
Quantus doloris gladius pertransit,
Animam [tuam], redemptoris mater,
Clemens et pia.

3. Corporis nati latusque cruentum,
Sanguinis fluxum, derisorum verba,
Caput depressum, spinis circumfusum,
Lacrimas fundens.

4. Lumina mortis tenebris eversa,
Felle potato ore sitibundo
Mortis dolore vexarique cunctos
Corporis artus.

5. Sanguinis undam terram deglutire,
Color pallebat capite demisso,
Pater dimitte me crucifigentes,
Vides clamantem.

6. Ave dum audis Gabrielis ore,
Gaudio plena resonas in laude,
Nunc ex adverso maerore confecta
Defles amare.

7. Audit Iohannes: ecce, mater tua,
Tu quoque audis: ecce, natus tuus;
Magna de cruce spiritum emittit
Voce prorumpens.

8. Te deprecante vincula disrumpat,
Abluat sordes, donet caritatem,
Aures ad nostras deitatis preces
Deus inclinet.

9. O pater, fili et spiritus sancte,
Da nobis matris natique dolores
Pie deflere fruique cum ipsis
Gloria tua.

Propr. ms. Conimbricense saec. $^{16}/_{17}$. Cog. Vatican. 6283.

83. In Compassione BMV.

Ad Nocturnum.

1. Pange, lingua, gloriosae
virginis angustiam
Lacrimasque venerandas
et cordis maestitiam,
Quas eidem ipsa passus
vertit in laetitiam.

2. Verbum sancti Simeonis
commendat memoriae,
Signum contradictionis
fore regem gloriae,
Gladium transfixionis,
quod impletur hodie.

3. O vos omnes, qui transitis
per viam huius saeculi,
Attendatis subsistentes
inermis pauperculi
Regisque latus cruentum
ictu saevi iaculi.

4. Mater sentit, quod non sentit
caro iam exanimis,
Vulnus lateris manantis
undam atque sanguinem
Lavacrumque lavans mundum
instar vivi fluminis.

5. Gloriam patri melodis
personemus vocibus,
Gloriam Christo canamus,
gloriam paraclito
In transfixo virginali
corde Christi gladio.

Propr. ms. Conimbricense saec. $^{16}/_{17}$. Cod. Vatican. 6283.

84. In Compassione BMV.

Ad Laudes.

1. O lacrimosa domina,
Excelsa super sidera,
Quae moriente filio
Palles doloris gladio.

2. Quod Eva tristis abstulit,
Tu reddis almo germine,
Ipsa deglutit scelere,
Tu sine culpa pateris.

3. Tu regis alti ianua,
Cum reseratur lancea,
Levando flentes oculos
Intrasti prima merito.

4. Maria, mater gratiae,
Cultro sanctae maestitiae
Tu nos ab hoste protege
Et hora mortis suscipe.

5. Gloria tibi, Domine,
Defuncto coram virgine,
Cum patre et sancto spiritu
In sempiterna saecula.

Propr. ms. Conimbricense saec. $^{16}/_{17}$. Cod. Vatican. 6283.

85. In Transfixione Beatae MV.

In Laudibus.

1. O gloriosa domina,
Transfixa tua viscera,
Nunc facias propitium
Iesum salutem omnium.

2. Quod iustus olim cecinit
In templo, tunc non defuit,
Tua pertingens intima
Dum cernis spata horrida.

3. Tu crucis dura brachia
Et vulnerum foramina
Vidisti vere pavide;
Gentes astantes, plangite!

4. Gloria tibi, Domine,
Matrem qui vides nitide,
Cum patre et sancto spiritu
In sempiterna saecula.

Brev. ms. Franciscan. Hispan. saec. 15. ex. Cod. Parisin. 1064. A. — Brev. Vicense imp. Lugduni 1557. B.

86. In festo B. Mariae Pietatis.

Ad Vesp. et Noct.

1. Chorus sonoris vocibus
Pangat dolores virginis,
Iuxta crucem quos pertulit
Mucrone mentis saucia.

2. Stans ad crucem mater Dei
Tristatur angore gravi,
Pati volens angustiam
Cum filio dignissimo.

3. Tristans ait tunc filius
Fixus cruci durissime:
Pro filio trado Dei
Natum tibi Zebedaei.

4. O quanta commutatio
Et quanta fit diversitas,
Dum traditur domesticus,
Et perditur verus Deus.

5. Mater silet doloribus
Repleta nec fari potest,
Dat lacrimas cum fletibus,
Gestus habens laudabiles.

6. Ergo decet tam mysticum
Exemplar imis sensibus
In mente firma condere;
Quare rogemus supplices:

7. Maria, lacrimis tuis
Fac, nos lavemur sordibus,
Ut post dies vitae brevis
Laetemur in caelestibus

8. O crux, ave, spes unica,
Hoc passionis tempore,
Auge piis iustitiam
Reisque dona veniam.

9. Te, summa Deus trinitatis,
Collaudet omnis spiritus,
Quos per crucis mysterium
Salvas, rege per saecula.

Brev. Xantonense imp. Pictavii 1542. — 4, 2 sit. — 6, 2 iuris sensibus. —

87. In festo B. Mariae Pietatis.

In Laudibus.

1. Flexo genu, zelo pio
Hoc passionis tempore
Matris celebremus Dei
Compassionis lacrimas.

2. Iam Simeon praedixerat
Sancto repletus flamine,
Dum te beatam plurimum,
O gloriosa, diceret,

3. Gnatum tuum pignus fore
Nostrae salutis et viam,
Qua scanderemus caelicam
Anfractibus motis domum.

4. Hic in ruinam perfidis
Tangentibus quam ceteris,
Post hac tuum sed spiritum
Ensis doloris transiet.

5. Vates probus cognoverat
Doctus superno lumine,
Quod filius tuus suo
Nos liberaret sanguine.

6. Ergo decet tam mysticum
Exemplar imis sensibus
In mente firma condere;
Quare rogemus supplices:

7. Maria, lacrimis tuis
Fac nos lavemur sordibus,
Ut post dies vitae brevis
Laetemur in caelestibus.

8. O crux, ave, spes unita,
Hoc passionis tempore,
Auge piis iustitiam
Reisque dona veniam.

9. Te, summa Deus trinitas.

Brev. Xantonense imp. Pictavii 1542.

88. In Assumptione BMV.

1. Maria, virgo virginum,
Quae genuisti Dominum
Sine virili semine,
Verum lumen de lumine.

2. Tu sola vitae ianua,
Tibi sit laus assidua,
Virtus, decus continuum,
Imperium perpetuum.

3. Largire nobis omnibus
Ad te confugientibus
Per tui nati gratiam
Aeternitatis gloriam.

4. Gloria tibi, Domine,
Qui natus es de virgine,
Cum patre et sancto spiritu
In sempiterna saecula.

Brev. ms. Senonense saec. 14. Cod. Vatican. Reg. 153. — Brev. Senonense imp. Parisiis 1519.

89. De Rosario BMV.

Ad Vesperas.

1. Ave, electa Deo,
Dei digna parens,
Virga Iesse florens,
Primum caeli decus.

2. Nuntiaris, alma,
Spiritu fecunda,
Paritura verbum
Salutare patris.

3. Mater adis matrem
Sexto mense fetam,
Unde exsultat verbo
Verbi vox et praeco.

4. Virgo amicta sole,
Lunam pede premis,
Stella enixa solem,
Caput hydrae teris.

5. Deo ex lege sacras
Marem primo natum,
Quem praefatur vates
Lumen plebi datum.

6. Invenitur lactens
A magis in domo,
A te cum magistris
Disserens in templo.

7. Laus tibi, regina,
Quae pios coronas
Triumphalis horti
Liliis et rosis.

Antiph. ms. S. Katharinae Divoduren. saec. 14. Cod. Vatican. s. n. (ol. 122 bis) add. saec. $^{15}/_{16}$.

90. De Rosario BMV.

Ad Matutinum.

1. Christi gementis imbribus
Rigatur hortus roseis,
Cuius fluunt aromata
Flante aquilonis turbine.

2. Rubescit iacta verbere
Columna caesi corporis,
Nam nulla pars plagis vacat
A planta ad usque verticem.

3. Caput sacrum ornate rosis,
Coetus sacri rosarii,
Quod perfidi et sacrilegi
Spinis cruentant rigidis.

4. Succurre, mater, filio
Crucis gravato pondere,
Lugete, Sion filiae,
Cladi futurae obnoxiae.

5. Crucis sub ara residens,
Evae propago veteris,
Guttis profusi sanguinis
Absterge lepram germinis.

6. Maria, mater gratiae,
Mater misericordiae,
Tu nos ab hoste protege
Et hora mortis suscipe.

7. Gloria tibi, Domine.

Antiph. ms. S. Katharinae Divoduren. saec. 14. Cod. s. n. (ol. 122 bis) add. saec. $^{15}/_{16}$.

91. De Rosario BMV.

Ad Laudes.

1. Fletus moratur vesperi,
Aurora fert laetitiam,
Qua sol in oras superas
Resurgit ab occiduis.

2. Adire post victoriam
Sinum paternae dexterae
Vidisti amictum nebula
Stipante caeli curia.

3. Hinc vehementis ignea
Repleris aura spiritus
Et, cuius alvus templum est,
Fit lingua vocis organum.

4. Caduca mundi deserens
Scandis choros angelicos
Piosque piis precibus
Servas ab ira iudicis.

5. A trinitatis solio
Fructu salutis perpeti
Adepta sceptrum gloriae
Regina caeli frueris.

6. Maria, mater gratiae,
Mater misericordiae,
Tu nos ab hoste protege
Et hora mortis suscipe.

7. Gloria tibi, Domine.

Antiph. ms. S. Katharinae Divoduren. saec. 14. Cod. Vatican. s. n. (ol. 122 bis) add. saec. $15/16$. — 5, 2 Functus. — Mel. dieses wie des vorhergehenden Hymnus: Quem terra pontus.

92. De beata Maria V.

1. Salve, sancta parens,
Rosa spina carens,
Seda nobis bella,
Ave, maris stella.

2. Dona nobis pacem,
Mater, tu veracem,
Tribue iuvamen
Mutans Evae nomen.

3. Mala nostra pelle,
Trahens sine felle,
Crimina ignosce,
Bona cuncta posce.

4. Per te detur, mater,
Filius et pater,
Ut qui ex te natus
Tulit esse tuus.

5. Superbiam vita,
Salus infinita,
Suscipe tu fastos,
Mites fac et castos.

6. Subleva tu clemens,
Salve, virgo parens,
Tecum sublevemur,
Semper collactemur.

7. Ago tibi patri
Sumas grates ratas,
Almo nato sonus,
Tribus, honor unus.

Miss. Romanum imp. Venetiis (de Zanchis) 1505. A. — Missale sec. usum Sarum imp. 1519. B. — In A auf dem letzten Blatte mit zwei andern Liedern Laudetur Dei filius und O gloriosa domina als eine Sequenz. Es ist aber augenscheinlich keine Sequenz, sondern eine Imitation des Ave maris stella. — 4, 2 Filius nobis et pater.

93. De beata Maria V.

1. Laudetur Dei filius,
Patris, Mariae unicus,
Colant, adorent viscera
Quem terra, pontus, aethera.

2. Surgamus omnes invicem,
Flectamus iram vindicem,
Subdantur illi singula
Cui luna, sol et omnia.

3. Beata mater humilis,
Excelsa super sidera,
Fac nos purgatos crimine,
Beata mater munere.

4. Praesta, virgo piissima,
Almo lustrata flamine,
Munitos redde filio,
Beata caeli nuntio.

5. Per te sumamus gaudia
Et supernorum cantica
Psallentes Christi nomine:
Gloria tibi, Domine.

Miss. ms. Capit. Lucen. VIII, 589 saec. 15. add. saec. 15. ex. A. — Miss. Romanum imp. Venetiis 1505. B. — Miss. sec. usum Sarum imp. 1519. C. — Balinghem, Parnassus Marianus p. 265 u. f. D. — A hat nur die erste Strophe. Cfr. Anal. XX, 177. Vgl. die Bemerkung znm vorhergehenden Hymnus.

94. De beata Maria V.

1. *O gloriosa domina,*
Hirsutos hostes callidos
Sternis, collisa tartara,
Confusa semper viscera.

2. *Quod Eva tristis abstulit,*
Tu sola, mater, tribuis,
Per te resumit populus
Priores vires perditas.

3. *Tu regis alti ianua,*
Per quam intramus curiam,
Iucunditatis gaudia,
Agmen sanctorum civium.

4. *Gloria tibi, Domine,*
Qui natus es de virgine,
Cum patre et sancto spiritu
In sempiterna saecula.

Miss. Romanum imp. Venetiis 1505. A. — Miss. sec. usum Sarum imp. 1519. B. — Balinghem, Parnassus Marianus p. 266. C. — 1, 4 lies vipera? — 3, 4 Atque caelestem gloriam C. — Vgl. die Bemerkung zum Hymnus Salve sancta parens Nr. 92.

95. De beata Maria V.

1. O imperatrix regia,
Caeli et terrae domina,
Mater Dei eximia
Virginumque pulcherrima.

2. Supernorum laetitia,
Stupor, festum et gloria,
Laus, decus nostri generis
Salvatrixque mirabilis.

3. Ad summi regni solium
Evecta et fastigium.
Nos clarae tuae curiae
Ascribas et familiae.

4. Immenso cordis iubilo
Atque laudis tripudio
Nunc Deum benedicimus
Pro tibi datis omnibus.

Orat. ms. S. Petri Salisburgen. saec. 15. Cod. Petrin. b VII 10.

96. De beata Maria V.

1. Regina terrae gentium,
Maria, lumen mentium,
Fons aquarum viventium,
Solacium maerentium.

2. Tu virga Iesse florida,
Confugii urbs valida
Et stella maris fulgida,
Cunctorum mater vivida.

3. Conciliatrix veniae,
Larga largitrix gratiae,
Pacis auctrix, concordiae
Et imperatrix gloriae.

4. Rosa quae profers lilium
Et sidus solem filium,
Hunc nobis in praesidium
Da nunc et post in praemium.

5. Gloria tibi, Domine,
Deus homo, qui virgine
Prodisti David germine,
Non a virili semine.

Sequent. et. hymn. ms. Carmeli Senen. saec. 14. Cod. Senen. G III 2. — 5, 2 De cuius homo qui. — 5, 4 Non fehlt. — Mel.: Agnetis festum martyris.

97. De beata Maria V.

Ad Primam.

1. O Christe, proles virginis,
Patris compar altissimi,
Per tuae matris merita
Dele nostra peccamina.

2. O mundo venerabilis,
Virgo, mater mirabilis,
Maria, plena gratia,
Ora pro nobis, domina.

3. Maria, mater gratiae,
Mater misericordiae,
Tu nos ab hoste protege
Et hora mortis suscipe.

Brev. S. Crucis b. Leufredi imp. s. l. et a. [1544].

98. De beata Maria V.

Ad Tertiam.

1. Quem credimus ex virgine
Natum, benigne Domine,
Sit nobis haec confessio
Peccatorum remissio.

2. Quae genuisti filium
A summo patre genitum,
Per haec tua nos merita
A lapsu mortis releva.

3. Maria, mater gratiae,
Mater misericordiae,
Tu nos ab hoste protege
Et hora mortis suscipe.

Brev. S. Crucis b. Leufredi imp. s. l. et a. [1544].

99. De beata Maria V.

Ad Sextam.

1. Nate summe rex utero
Mariae de virgineo,
Emunda nos a vitio
Et orna sanctis meritis.

2. Dei mater, o domina,
Sublimis tanta gratia,
Tua fac exaltatio
Sit nostra relevatio.

3. Maria, mater gratiae,
Mater misericordiat,
Tu nos ab hoste protege
Et hora mortis suscipe.

Brev. S. Crucis b. Leufredi imp. s. l. et a. [1544].

100. De beata Maria V.

Ad Nonam.

1. Fili Mariae virginis,
Da nobis eius meritis
A peccato resurgere
Et ad vitam pertingere.

2. Cuius es factus, filius
Dei, pro peccatoribus,
Haec qui fide pronuntiant,
Fac ut salutem sentiant.

3. Maria, mater gratiae,
Mater misericordiae,
Tu nos ab hoste protege
Et hora mortis suscipe.

Brev. S. Crucis et b. Leufredi imp. s. l. et a. [1544].

101. De beata Maria V.

1. Sint salutati caput et capilli,
Frons, genae, cervix, oculi, pupilli
Et color vultus, genetrix tonantis,
Guttur et ora.

2. Sint salutati teretes papilli,
Cor, pedes, venter, digiti, labella,
Tristis es maestis, veneranda virgo,
Cordis amore.

3. Sit salutatus dolor o acerbus,
O parens dulcis, Deus est supremus,
Passio Christi benedicta, tecum
Natus Olympi.

Orat. ms. S. Petri Salisburgen. saec. 16. Cod. Petrin. a III 20.

DE SANCTIS.

102. Litania Omnium Sanctorum.

1. Rex salvator alme,
Suscipe nostrarum
Munuscula precum.

2. Indulgere nobis,
Christi tui servis
Scelere gravatis.

3. O sancta Maria,
Mater atque virgo,
Postula pro nobis.

4. Archangele summe,
Michael ut Dei,
Postula pro nobis.

5. Condigne Gabriel,
Fortitudo Dei,
Postula pro nobis.

6. O consors Raphael,
Medicina Dei,
Postula pro nobis.

7. O almitas sancta
Patriarcharum,
Postula pro nobis.

8. O principalitas
Apostolorum,
Postula pro nobis.

9. O martyres sancti,
Veniam precamini
Pro peccatis nostris.

10. Confessores sancti,
Precibus assiduis
Poscite pro nobis.

11. O celsi patroni,
Monachi beati,
Poscite pro nobis.

12. O sanctarum chori
Virginum corusci,
Poscite pro nobis.

13. Faventes sanctarum
Viduarum preces
Nobismet nunc prosint.

14. Insontes pueruli,
Martyrum floretum,
Poscite pro nobis.

15. O sancti vos omnes,
Virtutes innumerae,
Poscite pro nobis,

16. Maligno ab hoste
Ut Deus defendat
Nos hic et in aevum;

17. A gente pagana
Ut Deus defendat
Nos hic et in aevum;

18. Ab omni terrore
Ut Deus defendat
Nos hic et in aevum;

19. Ab omni periculo
Ut Deus defendat
Nos hic et in aevum;

20. Ut aurae temperiem
Bonam ac frugiferam
Det nobis salvator;

21. Ut commoditatem
Aeris rorantis
Det nobis salvator;

22. Ut imbrem fecundum,
Bona germinantem,
Det nobis salvator;

23. Ut tranquillam vitam
Pacem et perennem
Det nobis salvator;

24. Ut indulgentiam
Criminum nostrorum
Det nobis salvator;

25. Ut summum pastorem
Apostolicum N
Dominus conservet.

26. Ut dignum pontificem
N dominum
Dominus conservet;

27. Ut Ottonem regem
Et eius exercitum
Dominus conservet;

28. Ut per totum orbem
Ecclesiam sanctam
Dominus conservet.

Rit. et Sacram. S. Albani Magunt. saec. 10. Cod. Palat. Vindobonen. 1888.

103. In Natali plurimarum Virginum.

Ad Vesperas.

1. Rerum creator omnium,
Iesu, decusque virginum,
Exaudi preces omnium
Harum festa colentium.

2. Tuam, Deus, potentiam
Atque misericordiam
Laudat devota contio
In hoc sancto sollemnio.

3. Victoriam martyrii
Qui das in sexu fragili,
Dimitte nostra vitia
Nobis dans caeli gaudia.

4. Praesta, pater piissime,
Patrique compar unice
Cum spiritu paraclito
Regnans per omne saeculum.

Brev. Auxitanum imp. Auxis 1533.

104. De una Electa.

1. Gratuletur ecclesia
Nova promendo cantica,
Nam omnes ad caelestia
Invitat Christi gratia.

2. Dum luit mundi crimina
Lapsos erigit venia,
Peccantes paenitentia
Iungit iustis in gratia.

3. Omnis gentis et generis
Atque sexus quamvis reis
Bravium vitae perpetis
Non denegat pro meritis,

4. Virginibus centesimum,
Viduis sexagesimum,
Coniugatis tricesimum
Dans fructum saluberrimum.

5. Quarum, Christe, suffragiis
Nos errantes hic in viis
Ereptos de tristitiis
Aeternis dita gaudiis.

6. Da, pater, nobis gaudia
Per filium repromissa
Spiritus sancti gratia
Nos fovente per saecula.

Brev. Poznaniese imp. Lipsiae 1530.

105. In Natali sancti Adelphii.

Ad Vesperas.

1. Sancte Deus altissime,
Tibi grates referimus,
Qui per fideles famulos
Tuos ditasti tellurem.

2. Sacer confessor Domini,
Adelphius fert tropaea
Post saeculi angustias
Adeptus almam requiem.

3. Pastor effectus ovium,
Paterna splendens gratia,
Sibi subiectum populum
Nutrivit atque aluit.

4. Mitis et dulcis omnibus,
Eloquio affabilis,
Die ac nocte meditans
Psalmos et hymnos iugiter.

5. Hic caritate profluus,
Hospitibus dulcissimus,
Sic nitens inter homines
Ceu iubar ex aethere.

6. Amans opaca eremi
Oratione sedula,
Gemitu atque lacrimis
Abstersit culpas noxias.

7. Celsus de gente nobili,
Sicambrorum de culmine
Veluti cunctis ultimus
Vivebat inter homines.

8. Sancte Deus altissime,
Te supplicantes quaesumus,
Illi augeas praemia,
Nobis concedas veniam.

Brev. ms. Romarici Montis saec. 16. Cod. Spinalien. 164 (77). A. — Hymnar. ms. Romarici Montis saec. 15. Cod. Spinalien. 194 (86). B. — 2, 2 ferens AB. — 5, 1 Hic fehlt AB. — 6, 3 et lacrimis B. — 8, 1 Te sancte B. — 8, 2 Te fehlt B. — 8, 3 Ut illi B.

106. In Natali s. Adelphii.

Ad Nocturnum.

1. Iesu iuste, misericors,
Devotae mentis conditor,
Nostris parcens criminibus
Piis fave concentibus.

2. Sancti patris Adelphii,
Virtutum flore splendidi,
Gaudentes festum canimus
Ipsi psallentes vocibus.

3. Qui contulit hoc meriti,
Ut verus cultor eremi
Per deserta et invia
Vitae probaret gaudia.

4. Aetate quamquam iuvenis,
Fonte rigatus pneumatis,
Sancto sanctorum placitam
Sese mactavit hostiam.

5. Huius te, Christe, precibus
Nos consolare, quaesumus,
Pestem pellendo noxiam
Pacem praebe continuam.

6. Deo patri et filio
Cum spiritu paraclito
Sit laus aeternae gloriae,
Sit decus sine tempore.

Brev. ms. Romarici Montis saec. 16. Cod. Spinalien. 164 (77). A. — Hymnar. ms. Romarici Montis saec. 15. Cod. Spinalien. 194 (86). B. — 2, 2 splendida B. — 3, 3 in via B. — 4, 3 placidam. — 6, 2 paracleto A.

107. De sancto Adelwoldo.

1. Inclitus pastor populique rector,
Cuius insignem colimus triumphum,
Nunc Adelwoldus sine fine laetus
Regnat in astris.

2. Qui pater noster fuit et magister,
Exhibens sacrae documenta vitae
Et Deo semper satagens placere
Corde benigno.

3. O diem sanctum, celebrem, coruscum,
Quem Dei nobis pietas sacravit,
Ut patri tanto mereremur almum
Promere cantum!

4. Nunc eum nisu rogitemus omni,
Abluat nostrum pius ut reatum
Et sua sancta prece nos ad altum
Ducat Olympum.

5. Sit Deo soli decus et potestas,
Laus in excelsis, honor ac perennis,
Qui suis totum moderans gubernat
Legibus orbem.

Collect. ms. S. Ebrulphi saec. 11. [et 12]. Cod. Alenconien. 14: dieser Teil (nach Delisle) von der Hand des Ordericus Vitalis. Ob auch die Dichtung von ihm herrührt? Aufschrift: „Hymnus vespertinalis sapphico metro hendecasyllabo editus. Adonium quarto continens in loco."

108. De sancto Aegidio.

1. Gaude, fidelis contio,
Sancto plaudens Aegidio,
Eius namque sollemnia
Sacra colit ecclesia.

2. Confessor est eximius
Christi sanctus Aegidius,
Quem oriundum Graecia
Dei lustravit gratia.

3. Laudabuntur per saecula
Virtutes et miracula,
Quae divina potentia
Patravit ab infantia.

4. Aetatis puer tenerae
Viro languenti misere
Veste dedit remedia,
Per quam cepit salubria.

5. Per hunc omnis infirmitas
Fugit, cessit sterilitas,
Recuperata copia
Gavisa fuit Gotia.

6. Perfecte quia credidit,
Vitam defuncto reddidit,
Ipsius ad imperia
Fugata sunt daemonia.

7. Sanctum quisquis Aegidium
Digne colit, propitium
Christum habet, nec gratia
Caret petita venia.

8. Veneremur hunc pariter,
Oremus unanimiter,
Ut ad aeterna gaudia
Nos perducat prece pia.

9. Gloria tibi, trinitas,
Laus tibi, sancta unitas,
Ex cuius sapientia
Sunt et reguntur omnia.

Hymn. ms. S. Petri Mart. Utinen. saec. 16. Cod. Civit. Utinen. s. n. — 4, 2 misero. — 6, 3 Impius ad.

109. De sancta Agatha.

Ad Laudes.

1. Quas seminavit lacrimas
Nunc metit ovans Agatha,
Quia in regni solio
Laetatur cum tripudio.

2. Cui dolor non amplius,
Luctus non erit nec aestus,
Quia eius ab oculis
Lacrimas Deus detraxit.

3. Iam enim hiems transiit,
Imber cessit et abiit,
Florentes assunt vineae
In terra redolentiae.

4. Ubi castis amplexibus
Sponsa beata iungitur,
Cum quo regnat feliciter
Lumen adepta gloriae.

5. Cuius nobis clementiam
Prece imploret sedula
Suum devotis mentibus
Hic festum celebrantibus.

6. Sit laus patri ingenito
Eiusque unigenito
Una cum sancto spiritu
In sempiterna saecula.

Psalt. et hymn. ms. Tridentinum saec. [12. et] 13. (Privatbesitz). — 3, 1 hiems traxit. — 5, 1 clementia.

110. De sancta Agnete.

1. Ad laudem tui nominis,
O Agnes, expers criminis,
Sponsa Dei et hominis,
Cantetur hymnus celebris.

2. Haec tibi natum virginis
Elegit ex cunabulis
In sponsum, quem prae ceteris
Amavit virgo nobilis.

3. Dum a scholis revertitur,
Cor virginis concutitur,
Quam per multos alloquitur
Ostendens, quod promittitur.

4. Spreto, quidquid ostenditur,
Velut lutum, quod teritur,
Agnes nunquam seducitur,
Donis nec minis flectitur.

5. Quod cernens ille fortius
Gravatur atque protinus
In lecto clamat altius,
Ex quo fit pater anxius.

6. Videns autem quod alius,
Donet vota vel melius.
Non prosunt, coepit diutius
Vexari atque durius.

7. Auditaque iactantia,
Qua se Domini famula
De sponsi sui curia
Exsultat spernens alia,

8. Repertoque contraria
Esse diis christicola,
Probata iam constantia
Eius, fertur sententia.

9. Sit trinitati gloria
Sicut et laus perpetua,
Per quam in eius curia
Regnat Agnes per saecula.

Brev. Massiliense imp. Lugduni 1526. — 6, 1 aliud. — 6, 2 Donec. — 7, 2 Quae se. — 9, 3 eius gloria.

111. De sancto Amando.

1. Ave pater, pastor noster,
pontifex egregie,
Ave carus amor noster,
dulce nomen Amande,
Ave praesul gloriae,
semper amantissime.

2. Iure tibi laudum melos
concinendo pangimus,
Sed condignas tanto patri
ferre laudes nequimus,
Corde tamen quod gestimus
plectro linguae promimus.

3. A primaevo nempe flore
sacrae pueritiae,
Maribus aevum senile
visus es(t) attingere,
Multis et normam praebere
perfectae iustitiae.

4. Mox signorum gloriosis
muneratus titulis,
Triumphalis signo crucis
anguem saevum proteris
Verbique virtute pellis
Ogiae de terminis.

5. Virtutes excoluisti
studio pervigili,
Ipse sed occuluisti
mente semper humili,
Favor ne daretur tibi,
sed superno numini.

6. Hinc factus praesul mactusque
deitatis munere,
Ut lucerna ardens fide
claro lucens opere,
Iure celso candelabri
sublevaris stipite.

7. Tu redemptor captivorum,
consolator pauperum,
Tuque pater pupillorum,
tu mater orphanorum,
Vigor paralyticorum,
effugator daemonum.

8. Tu surdis auditum praestas,
tu caecos illuminas,
Lurida tu membra purgas,
mortuum resuscitas
Verbis simul et exemplis
animas vivificas.

9. Nostra laus succumbit tantae
tibi datae gratiae,
Dum mundum reples doctrinae
virtutumque munere,
Famam diffundens et terrae
et caeli per cardines.

10. Nunc precamur, pater alme,
vota nostra suscipe
Et Iesum benignum posce
nobis semper parcere
Ac post huius finem vitae
tecum semper vivere.

11. Annue votis poscentum,
Deus, factor omnium,
Esse credimus quem trinum
atque unum Dominum,
Manet quem laus ante aevum
nunc et in perpetuum.

Dieser Hymnus ist Acta SS. Feb. I, 912 aus einer Antwerpener Hs. der Vita S. Amandi von Milo Elnonen., deren Alter nicht angegeben wird (vgl. S. 853. n. 129) abgedruckt, aber so, dafs hintereinander erst alle ungeraden Zeilen sämtlicher Strophen und dann ebenso alle geraden folgen. Dieses sinnlose Etwas hat dann Migne, PP. LL. 87, 1275, getreulich nachgedruckt

112. In Translatione ss. Amati, Romarici, Adelphii.

1. Exsultent agmina poli
Ob triumphum antistitis
Arnulphi, quem paraclitus
Praenuntiavit spiritus.

2. Fulgens in mundi gloria
Cum Romarico consulens
Regnum et regem deserens,
Quem gubernabat fortiter.

3. Vexillo crucis edito
Urbem e flamma protegens,
Sanxerunt loca eremi,
Adest Amatus inclitus.

4. Certantes cum Adelphio
Coronantur a Domino,
Nos salvent piis precibus
Nosque reddant caelestibus.

5. Creator saecli optime,
Horum precibus adnue,
Iram amove debitam,
Gratam tribue gratiam.

6. Summa concede deitas,
Horum ut fulti meritis
Tibi canamus gloriam
Per cuncta semper saecula.

Brev. ms. Romarici Montis saec. 16. Cod. Spinalien. 164 (77). A. — Hymnar ms. Romarici Montis saec. 15. Cod. Spinalien. 194 (86). B. — 2, 3 reges A. — 3, 3 Laxerunt A. — 4, 4 Ibi peregrinantibus B. — 6, 2 merita B.

113. In translatione ss. Amati, Romarici, Adelphi.

Ad Tertiam.

1. Oratione sedula
Abiecit saepe daemones,
Virtute fultus Domini,
Sanctis ornatus moribus.

2. Pietate praecipua,
Humilitate maxima,
Sic celsus inter homines
Beavit partes eremi.

3. Te peccatores quaesumus,
Iesu bone, piissime,
Nobis largita venia
Illi ut addas praemia.

Brev. ms. Romarici Montis saec. 16. Cod. Spinalien. 164 (77).

114. De sancto Amato.

Ad Vesperas.

1. Praeclara dies Domini
Nobis illuxit hodie,
In quo amisso saeculo
Victor accepit praemium.

2. Post durum victum eremi,
Post iugem paenitudinem
Amatus, Christi famulus,
Caelorum regna petiit.

3. Ubi orando Dominum
Specus cum arte condidit,
Tignum, quod breve fuerat,
Tot auxit palmis largius.

4. Caesa rupe de montibus
Casu minante cellulae
Vexillo crucis edito
Mox saxum fixit enorme.

5. Inde iubente Domino
Ad oras tendit alias,
Ut lumen lucens omnibus
Non occultetur modio.

6. Mox Habendi ingreditur
Beanda montis culmina,
Sublato passim nemore
Plures fundavit cellulas.

7. Turmis sanctarum virginum
Psallendi normam praebuit,
Die noctuque iugiter
Iesum ut laudent Dominum.

8. Hinc utrique sexui,
Magnis, pusillis, omnibus,
Parem aptavit animum,
Cunctos ut lucrifaceret.

9. Hodie caeli angeli
Laetantur, chori martyrum,
Sanctus pro tali merito
Amatus caelos adiit.

10. Huius patroni precibus
Nos foveamur largius,
Nostrorum vincla criminum
Solvantur in perpetuum.

11. Iamiam secutus agmina
Sanctorum illa inclita
Illucque sibi bravium
Dudum meritis tulerat.

12. Devotas ergo, proximi,
Grates reddamus Domino,
Confessoris praeconia
Sui dum ore pangimus.

13. Gloria tibi, Domine,
Gloria, unigenite,
Una cum sancto spiritu
In sempiterna saecula.

Brev. ms. Romarici Montis saec. 16. Cod. Spinalien. 164 (77). A. — Hymn. ms. Romarici Montis saec. 15. Cod. Spinalien. 194 (86). B. — 1, 4 pretium B. — 2, 1 Post dudum A. — 2, 2 plenitudinem B. — 3, 1 Domino A. — 4, 1 Caesar A. — 5, 3 lumen fehlt A. — 6, 2 culminis B. — 6, 3 passum B. — 8, 1 Huic utroque B. — 9, 2 Laetentur B. — Str. 10 fehlt B; ist durchgestrichen in A. — 11, 3 brevius AB. — 11, 4 monitis AB. — 12, 2 solvamus B. — 12, 3 praeconio B. — 13, 2 unigenito B.

115. De sancto Ambrosio.

1. Ambrosius, vir fidelis
Doctrinae, nobis de caelis
Qui datus es divinitus
Organum sancti spiritus.

2. O Ambrosi, doctor dulcis,
Caeli da nectar insulsis,
Insipidis ne cordibus
Circumvolvamur sordibus.

3. O Ambrosi, doctor vitae,
De caelesti palmes vite
Sitientes inebria
Tua doctrina sobria.

4. O Ambrosi, lux de luce,
Transire fac nos te duce
De mundi huius tenebris
Et felleis illecebris.

Orat. ms. Carthus. Colonien. saec. 15. Cod. Colonien. 28. — Mit der Bemerkung: „Ex hymno.“

116. „In Vigilia divi Ambrosii de la victoria“.

1. Mediolanum laudibus
Exsultet, votis, precibus
Tot Mediolanensibus
Hodie datis dotibus.

2. Nam visus est Ambrosius,
Eorum patronus pius,
Scutica expavescere
Suis nitentes nocere.

3. Tunc fantur Theotonici
Similiter et Gallici:
Non possumus extendere
Nec gladium proicere;

4. Ablatis nostris viribus
Cedamus istis partibus;
Sed ipsis non potentibus
Necat vel dat carceribus.

5. Ambrosii, sancte doctor,
Nostrorum sis semper rector,
Ad nostri protectionem
Te advocamus patronum.

6. Doctor sanctae ecclesiae,
Intercessor sis hodie,
Sancte pater Ambrosii,
Veniae simus conscii.

7. Deo ergo sit gloria,
Qui dedit patrocinia
Haec, meritis Ambrosii
Veniae simus conscii.

Brev. Ambrosianum imp. Mediolani 1487. — 2, 4 noscere. — 4, 4 dat fehlt. — 5, 1 Ambrosi; vgl. 6, 3. — 5, 4 vocamus patronem. — Das Fest „Victoria s. Ambrosii in Parabiago" wurde am 21. Febr. gefeiert. Vgl. Locatelli, Vita di S. Ambrogio, Milano 1874, S. 544.

117. De sancto Andrea.

In 2. Vesperis.

1. Magnificetur artifex,
Laetetur mundi machina,
Rerum laudetur opifex,
Caelorum plaudant agmina.

2. Simonis Petri socius
Nec impar in supplicio,
Nec crucis Christi nescius,
Vivens pependit biduo.

3. Pro cuius pendens nomine
Palam docebat populum
Eiusque fultus numine
Sic orabat ad Dominum:

4. „Pie praeceptor optime,
Tempus est, ut te videam,
Rex Iesu clementissime,
Fac, mox ut ad te veniam."

5. Tuis, Andrea, precibus
A peccatorum vitiis
Purgemur ac criminibus,
Caeli fruamur gaudiis.

6. Ut, cum dies iudicii
Mundo finem praefixerit,
Securae mentis conscii
Stemus, cum iudex venerit.

7. Uni trinoque Domino
Sit laus, perennis gloria,
Sit decus sine termino
Hic et in caeli curia.

Brev. Abricense imp. Parisiis 1548. — 3, 3 nomine. — 5, 1 Unis (falsche Initiale). — 5, 3 a criminibus. — Vgl. den Hymnus: Glorificetur artifex.

118. De sancto Andrea.

1. Unum Israel de fontibus
Clarum virum virtutibus,
Quicunque recte credimus,
Dignis canamus laudibus.

2. Hic Andreas apostolus,
De fratre Petro fulgidus,
Christe fide fit celsior,
Est porta facta in Sion.

3. Primus iste dignus exstitit,
Oculis beatis ut cerneret
Messiam et sic concite
Vidisse fratri prodidit.

4. Piscator ante in fluctibus,
Post doctor ipse in gentibus,
Ne plebs periret imbribus,
Extraxit ore retibus.

5. Tradens Achaiae in finibus
Mysterium fidelibus,
Ab Aegaea proconsule
Retrusus est in carcere.

6. Dein flagellis subditus
Septem quaternionibus
Christum fateri publice
Doctor pius non destitit.

7. Post exaratus verbere
Suspensus est in stipite,
Quem missus alto ab aethere
Fulgor micans circumdedit.

8. Hac sorte carnis termino
Reddit beatum spiritum
Et gloriosus funere
Vitam beatam possidet.

9. Gloria patri ingenito,
Gloria unigenito
Una cum sancto spiritu
In sempiterna saecula.

Liber ms. Miraculorum S. Andreae saec. 12. Cod Parisin. 12603. — 3, 1 Lies: Prius?

119. De sancta Anna.

Ad Vesperas.

1. Salve, parens Anna,
Illuxisti late,
Caeli ferens manna
Vitae sanctitate.

2. Electa fuisti,
Quod sis matris Christi
Mater, mundo tristi
Vitam genuisti.

3. Castitatis testis,
Ligni vitae fructum
Carne sancta vestis
Evae mutans luctum,

4. O dulcis Maria,
Matri meruisti,
Quod posset in via
Sic sublimis sisti.

5. Ave, maris stella,
Trementes conforta,
Sub mundi procella
Felix caeli porta.

6. Dei mater alma,
Da triumphi dona,
In virtutum palma
Vincentes corona.

7. Sit laus Deo patri,
Summum Christo decus,
Spiritui sancto,
Trinus honor et unus.

Ant. et hymn. ms. Scarense saec. [14. et] 15. Cod. Upsalen. C 422. A. — Collect. ms. Vadstenense saec. 15. Cod. Upsalen. C 23. B. — Brev. Scarense imp. Holmiae 1495. C. — Brev. Arosiense imp. Basiliae 1513. D. — 7, 2 Summo A. — 7, 4 Tribus honor unus A. — Dieser und die beiden folgenden Hymnen gehören zu dem Officium Felix orbis, felix hora (Anal. XXV, 64), als dessen Verfasser Klemming Nicolaus Hermanni, Bischof von Linköping, bezeichnet.

120. De sancta Anna.

Ad Nocturnum.

1. Arbor est altae gloriae
Florens Annae fecunditas,
Quam lux perfudit gratiae
Virtutumque sublimitas.

2. In huius culmen arboris
Deus nidum reposuit,
Annae venter dum corporis
Mariae fructu floruit.

3. Maria, nidus arboris,
Clausit nido virgineo
Fortem immensi roboris
Caelo missum empyreo.

4. Anna, Maria pariter
Divinis erant oculis
Gratae prae cunctis dulciter
Aeternis semper saeculis.

5. Matris et natae precibus
Optamus nos suppliciter
Caeli coniungi civibus,
Deo frui feliciter.

Ant. et hymn. ms. Scarense saec. [14. et] 15. Cod. Upsalen. C 422. A. — Collect. ms. Vadstenense saec. 15. Cod. Upsalen. C 23. B. — Brev. Lincopense imp. Norimbergae 1493. C. — Brev. Scarense imp. Holmiae 1495. D. — Brev. Arosiense imp. Basileae 1513. E. — Nach Str. 5 Maria mater gratiae etc. und die Doxol. de Beata A.

121. De sancta Anna.

Ad Laudes.

1. Anna matrona maxima
Est testamenti veteris.
Per mores erat optima,
Excelsior prae ceteris.

2. Eius Maria filia,
Throni tenens sublimia,
Cunctos legis et gratiae
Longe praeit in acie.

3. Ambae sursum eximiae
Et praeminentis gloriae,
Precantes nos respicite
Vultu misericordiae.

4. Sacra caelorum acie,
Felix Anna, sublimiter
Coniuncta tuae filiae
Pro nobis ora iugiter.

5. Maria, mater gratiae etc.

Ant. et hymn. ms. Scarense saec. [14. et] 15. Cod. Upsalen. C 422. A. — Collect. ms. Vadstenense saec. 15. Cod. Upsalen. C 23. B. — Brev. Lincopense imp. Norimbergae 1493. C. — Brev. Scarense imp. Holmiae 1495. — Brev. Arosiense imp. Basileae 1513. D. — 2, 2 Iesu tenens C. — 3, 2 praeminentis C.

122. De sancta Anna.

1. Laudes ad laudes iungite,
Exsultet caelum laudibus,
Et matris huius inclitae
Laudes cantemus vocibus.

2. Laudans laudare docuit
Exemplari peritia,
Laus illi semper adfuit
Post sacra puerperia.

3. Quam diu putant sterilem,
Legis damnandam vitio,
Meretur delectabilem
Rosam fovere gremio.

4. Est haec Maria teneri
Christum lactans ex ubere,
Mitis humano generi
Plus quam contingit dicere.

5. Maria, mater gratiae,
Tua salvet oratio
De lacu nos miseriae
Fultos Annae suffragio.

Brev. Scarense imp. Norimbergae 1498. — Vgl. Klemming III, 23 u. f.

123. De sancta Anna.

1. Anna, regum progenies
Et sacerdotum series,
Stirpem illustrem patribus
Suis ornavit actibus.

2. Nupta caeli indicio
Fideli matrimonio
Iuxta verbum angelicum
Fructum concepit caelicum.

3. Infecunda pro tempore,
Prope marcescens corpore,
Decreto patris luminum
Reginam parit virginum.

4. Caeleste beneficium
Pneumatisque solacium
In sanctam Annam fluxerat,
Quae Mariam genuerat.

5. O matrona sanctissima,
Omni repleta gratia,
Deum, auctorem omnium,
Nobis redde propitium.

6. Per eius, Christe, gratiam
Da in morte fiduciam,
Quando hinc egrediemur,
Ut te semper contemplemur.

Orat. ms. S. Petri Salisburgen. saec. 15. Cod. Petrin. a IV, 39.

124. De sancta Anna.

1. Exsultet plebs fidelium
Annae referens gaudium,
Dum haec post vitae stadia
Transit ad vitae gaudia.

2. Caeleste beneficium
Nobis [fit in] remedium,
Cum haec ex Anna nascitur.
Per quam libertas redditur.

3. Felix Anna, quae genuit
Illam, per quam nos exuit
A peccati caligine
Deus natus de virgine.

4. Ex Anna surgit virgula
Totius boni primula,
Virgo generans filium,
Nostrae salutis pretium.

5. Quam felix terra fertilis,
Qua crevit spica nobilis,
Granum frumenti protulit,
Quod sua morte contulit.

6. Laus sit semper ingenito
Eiusque unigenito,
Qui natus est de virgine,
Una cum sancto flamine.

Brev. ms. Lexoviense saec. 15. Cod. Cadomen. 24 (IV°, 19). — 3, 3 peccatis.

125. De sancta Anna.

In 1. Vesperis.

1. Gaude, mater Anna,
Gaude, mater sancta,
Cum sis Dei facta
Genetrix avia.

2. Plaude tali natae,
Virgini Mariae,
Eius genitore
Ioachim congaude

3. In hac nostra terra
Primo benedicta,
Quae fuit in Eva
Quondam maledicta.

4. Ergo sume laudes,
Quas damus ovantes,
Nos ab omni sorde
Tua prece terge.

5. Cum sit tibi notus
Muliebris sexus,
Scias misereri
Supplicans regnanti.

6. Sit laus Deo patri,
Summo Christo decus,
Spiritui sancto
Trinus honor unus.

Brev. Xantonense imp. Pictavii 1542. — Melodie jedenfalls: Ave maris stella.

126. De sancta Anna.

In Laudibus.

1. O quam felix coniugium
Annae simul et Ioachim!
Caste vivunt octogenos,
Dolent tamen totos annos.

2. Longo legis opprobrio
Subsunt ambo, sed orando
Meruerunt exoptatam
Prolem Deo dedicatam.

3. Annam quondam qui dolentem,
Saram simul et ridentem,
Templo vidit et respexit,
Huius alvum et implevit.

4. Radix Iesse mater Anna,
Virga florens virgo nata,
Anna vellus, virgo concha
Gedeonis in area.

5. Spina mater, rosa virgo,
Iacob stella fulgens caelo,
Ut hic sedet velut thoro
Rex supernus in solio.

6. Audi, mater, cum filia
Vota, quae dant haec agmina,
Fer ad Christi palatia
Tibi facta melodia.

Brev. Xantonense imp. Pictavii 1542. — 3, 2 Sarram. 4, 4 in aera. — Ohne Doxologie.

127. De sancta Anna.

1. Lux de luce prodit orta
Clausa permanente porta,
Vates ut praecinuit;

2. Felix ista genitura,
Per quam [Deus] mortis iura
Dissipare voluit.

3. Ductrix Anna tanti boni,
Cedis maledictioni,
Vetus lex quam statuit,

4. Tu pridem infructuosa,
Cunctis oras odiosa
Tuis contribulibus.

5. Prole tandem fecundata
Es beata praedicata
Olim te spernentibus.

6. Ergo natam deprecare,
Nos ut suo commendare
Nato velit precibus.

7. Quod praestare tu dignare,
Bona cuncta qui donare
Scis et vales omnibus.

Brev. ms. Pataviense anni 1333. Cod. Lambacen. CLXXI. add. saec. 15.

128. De sancto Ansgario.

Ad Vesperas.

1. Ansgari, pater optime,
Errantes nos in devio
Reduc tuo iuvamine,
Servans sub Christi gremio.

2. Danis et Suecis gratiae
Donum fidemque praedicas,
Pugil fortis in acie
Gentes Deo sanctificas.

3. Notam facis incredulis
Doctrinam evangelicam,
Lucem ministrans populis
Ducis in viam caelicam.

4. Bonus pastor utiliter
Gregem pascis dominicum,
Informans, quod veraciter
Christum colat magnificum.

5. Prudens talenta gratiae
Et lucri magnitudinem
Adducis regi gloriae
In pacis pulchritudinem.

6. Deo patri sit gloria
Eiusque soli filio
Cum spiritu paraclito
In sempiterna saecula.

Legend. ms. Laurentii Odonis Lincopen. saec. ^{14} 15. Cod. Dresden. A. 182. A. — Ant. et. hymn. ms. Scarense saec. [14. et] 15. Cod. Upsalen. C. 422. B. — Collect. ms. Vadstenense saec. 15. Cod. Upsalen. C. 23. C. — 2, 1 Suevis AB; Sweuis C. — 4, 1 viriliter C. — 4, 3 verasciter C. — 6, 1 sit gratia C. — Doxologie unvollständig ABC. — Vgl. Klemming I, 1 sq.

129. De sancto Ansgario.

Ad Nocturnum.

1. Vidit puer Ansgarius
Quandam raptus in spiritu
Praefulgidam decentius
Caelorum in exercitu.

2. Ipsam constanter credidit
Mariam esse virginem,
Quae sibi mitis edidit
Talem sermonis ordinem:

3. Si vis nostro consortio
Et nostra frui gloria,
Vitabis omni studio
Iocos et puerilia.

4. Vanus quivis displiceat
Discursus et lascivia,
Maturus sis et saciet
Te Christi sapientia.

5. Nam detestamur otia
Contempto vaniloquio,
Virtutum excellentia
Nostro servit solacio.

6. Post haec crescens appetere
Coepit virtutum foedera,
Christum ferventer colere.
Fide transcendens sidera.

6. Deo patri sit gloria.

Legend. ms. Laurentii Odonis Lincopen. saec. ^{14} 15. Cod. Dresden. A. 182. A. — Ant. et. hymn. ms. Scarense saec. [14. et] 15. Cod. Upsalen. C. 422. B. — Collect. ms. Vadstenense saec. 15. Cod. Upsalen. C. 23. C. — 3, 1 und 3 fehlt der Reim. Cfr. Klemming I, 6 sq.

130. De s. Antonino Apamiensi.

Ad Vesp. et Noct.

1. Nunc Antonini martyris
Festum celebre colimus,
Qui ob amorem Domini
Sprevit caduca saeculi.

2. Interrogans profectus est,
Ubi vigeret populus,
Qui collaudaret Dominum
Relictis quondam idolis.

3. Inventis iam pastoribus
Et fidei doctoribus,
Cum quibus diu commanens,
Suscepit sacerdotium.

4. Una dierum revocans
A suis cordis cellula:
Si persecuti fuerint,
In reliquam transfugite.

5. Cumque iter perageret,
Ardore sitis lapsus est;
Levando sursum oculos
Preces effudit Domino.

6. Quem exaudivit Dominus,
Ac ille fisus numine
Cum sua virga parvula
Percussit terram aridam.

7. Ex qua manavit coelitus
Unda aquae purissimae,
Qua sanctus tunc refectus est
Et permanet et perpetim.

8. Gloria sit altissimo
Patri cum suo filio
Et sanctoque spiritui
Per infinita saecula.

Off. ms. S. Antonini saec. 17. Cod. Vatican. 8575.

131. De s. Antonino Apamiensi.

Ad Laudes.

1. Laetetur Vallis Nobilis
Pariter cum affinibus,
In qua athleta denique
Flagitat domicilium.

2. Per flammam sancti pneumatis
In nece sua rosea
Cum caput parte corporis
Angelice delatum est.

3. Tunc alveus mirifice
Retro cursum arripiens,
Ducente Dei gratia
Applicuerunt patriae.

4. Per illum vicum principis,
Qui Festus nuncupatus est,
Ara beati Stephani
Habebat illuc transitum.

5. Bobus appropinquantibus
Per Antonini merita
Fixerunt sua onera,
Ac si essent immobiles.

6. Palam viso miraculo
Omnes teneri exstasi,
Altercati sunt singuli
Et humarunt reliquias.

7. Gloria sit altissimo
Patri cum suo filio
Et sanctoque spiritui
Per infinita saecula.

Offic. ms. S. Antonini saec. 17. Cod. Vatican. 8575. — 5, 3 suas aneras. — 6, 2 Et teneri extasi. — Vgl. die Hymnen Anal. XVI, Nr. 104—106. — Das zu diesen Hymnen gehörige Officium ist bis auf einige rhythmische Antiphonen prosaisch; die Hymnen (trotz der jungen Quelle) augenscheinlich alt.

132. De b. Antonio de Monte Ciano.

1. Alme confessor, supplices, Antoni,
Laudes et preces humiles canentes,
Tuum ante corpus humiles astantes,
Adiuva illos.

2. Suscipe preces huius tuae plebis
Et Iesum Christum supplica pro eis,
Ut eos servet simul et defendat
Ab omni malo.

3. Qui te locavit hic miraculose,
Ut apud ipsum esses intercessor,
Sic esto custos huius tui castri,
Montis Ciani.

4. Simul cum patre celebri Augustino
Iungito tecum illum Nicolaum,
Qui Tolentini semper est defensor,
Nos custodire.

5. Tecum coniunge omnes caeli cives,
Prophetas, vates, martyres, Antoni,
Omnes doctores, sanctos eremitas,
Supplicent tecum.

6. Virgines quoque, ut virgo permansisti,
Duc in favorem tu(ae) sanctae catervae,
Sic ante Christum pro nobis orantes
Dicite omnes:

7. Gloria patri genitoque semper,
Et qui procedit Deus ex utroque,
Trinitas sancta, respice dicentes
Hunc sacrum hymnum.

Alphabetum Augustinianum, in quo praeclari Eremitici ordinis germina virorumque et feminarum domicilia recensentur. Autore P. M. F. Thoma de Herrera, Eremita Augustiniano etc. Matriti 1644. — Dem Hymnus folgt unmittelbar eine rhythmische Antiphon (nebst Versikel und Oration):

Almum diem recolimus
Celebritate annua
Antonii, quem credimus
Intronizatum gloria,
Qui nobis, velut cupimus,
Patrocinetur: grandia
Patravit ut iam vidimus,
Patrat nunc et miracula
Suis mente supplicibus
Praebendo mira munera.

Eine Quelle ist nicht angegeben.

133. De sancta Apronia.

1. Excelsae laudis cantica
Pangamus cum melodia
Aproniae magnifica
Recensentes sollemnia.

2. Huius vita sanctissima
Claris fulgens virtutibus
Virginitatis lilia
Plena tulit odoribus.

3. Soror fuit clarissima
Apri, sancti antistitis,
Ex Trecorum familia
Excellentis propaginis.

4. Haec duo luminaria
Ex eadem prosapia,
Aper atque Apronia
Relucent inter sidera.

5. Huius sacrato corpore
Haec ditatur ecclesia,
Ergo pro tali pignore
Deo reddatur gratia.

6. Hinc Gerardus, pastor mitis,
Exaltetur cum laudibus,
Cuius opera praeclaris
Decoratur muneribus.

7. Summo patri sit gloria
Eiusque soli genito,
Sancto quoque sit flamini
Coaequalis laudatio.

Brev. Tullense imp. Mussiponti 1595.

134. De sancto Armagilo.

Ad Laudes.

1. Exaltemus exaltatum
In supremo culmine,
Veneremur veneratum
Et devoto carmine,
Deo datum, praesignatum,
Ut patet ex nomine.

2. Armagilus arma gerens
Nuncupatur proprie,
A primaevo regi haerens
Caelestis militiae,
Miles acer semper gerens
Arma paenitentiae.

3. Te rogamus, arma gere
In occursum hostium,
Nos vexantes hostes tere,
Tu, nostrum praesidium,
In succursum nobis quaere
Iesum, Dei filium.

4. Hostes nostros qui confundat
Huius sancti merito
Et in nobis sic infundat
Gratiam, ut merito
Stipendia mereamur
Caeli cum emerito.

5. Cui mortem nuntiavit
Rex caelestis patriae,
Hunc amavit, hunc ornavit
Stola suae gloriae
Et ad portam coronavit
Paradisi hodie.

6. Pro concive est laetata
Tota caeli curia,
Cuius morte desolata
Doluit Britannia,
Post dolorem consolata
Pro ipsius gloria.

7. Summo regi laudas demus.

Brev. ms. Redonense saec. 15. Cod. Vatican. Ottob. 543. — 3, 5 In sursum nobis. — 5, 5 sq. Et ad portam paradisi coronavit. — 6, 1 est fehlt. — Den Hymnus ad Vesp. siehe Anal. XIX, 71 sq.

135. De sancto Arnulpho.

1. Laudes conditori nostro
persolvamus ovantes
In hac die praecipue,
qua beatus Arnulphus
Coetui iunctus laetatur
angelico in caelis.

2. Qui ceu iubar ex polo
radiavit in solo
Et gratia Dei fultus
praesentia contempsit
Desertique antra petens
secutus est Dominum.

3. Auctor pacis, Deus summe,
castae matris unice,
Patris in sede qui sedes,
preces nostras exaudi,
Per Arnulphi interventum
nobis esto placatus.

4. Gloria patri natoque
semper et paraclito,
Laus, potestas atque virtus,
gratiarum copia,
Quem Deum cuncta fatentur
saeculorum saecula.

Brev. ms. Romarici Montis saec. 16. Cod. Spinalien. 164 (77). A. — Hymn. ms. Romarici montis saec. 15. Cod. Spinalien. 194 (86). B. — 2, 1 Qui sicut A. — 2, 6 est Christum.

136. De sancto Audoeno.

1. Hymnum Christo laetitiae
Promat chorus ecclesiae,
Laudum ferens praeconia
Audoeni pro gloria.

2. Hic fide, verbis, actibus
Insignis et virtutibus,
Gemma fulsit pontificum
Velut iubar clarissimum.

3. Nunc decus apostolicum
Coronam tenet martyrum
Et virginalis gloriae
Carmen cantat laetitiae.

4. O praesulum sanctissime,
Pastor noster dulcissime,
Obtine nobis veniam
Et paradisi gloriam.

5. Sit decus et potentia,
Laus, virtus atque gloria
Summo patri cum filio
Et spiritu paraclito.

Pass. ms. S. Audoeni Rotomagen. saec. 12. in. Cod. Rotomagen. 1406. — „Hymnus ipsius pretiosi pontificis Audoeni."

137. De sancto Audoeno.

1. Mentis exsultent organa
Audoenum laudantia,
Sacra cuius sollemnia
Festiva dant praeconia.

2. Qui altus aula regia
Caeli tenet palatia,
Hodie mole carnea
Liber petivit sidera.

3. Qui nos suo consortio
Pio iungat suffragio,
Pro nobis orans Dominum
Oppressis mole criminum.

4. Quem fides nostra triplicet
Et triplicatum simplicet,
Patrem, natum ac spiritum
Adorans in perpetuum.

Pass. ms. S. Audoeni Rotomagen. saec. 12. in. Cod. Rotomagen. 1406. — „Hymnus beati Audoeni".

138. De sancto Augustino.

Ad Nocturnum.

1. Augustine, lux doctorum
Ex fulgente lumine,
Fugator haereticorum
Cum exculto famine,
Fuisti christianorum
Fax interno flamine.

2. Exstitisti forma morum
In sancta ecclesia,
Ornamentum clericorum
Vitae relucentia,
Dux fuisti populorum
Verbi remanentia.

3. Fuisti eremitarum
Fundatur praecipuus,
Exstitisti viduarum
Instructor mellifluus,
Omnium coniugatarum
Praeceptor asssiduus.

4. Egenorum educator
Fuisti cum lacrimis,
Captivorum liberator
Commones ab intimis,
Orphanorum defensator
Viribus verissimis.

5. Tibi, Deus, decantemus
Hunc hymnum alacriter,
Tibi quoque laudes demus
Cum affectu dulciter,
Trinitati personemus
Pio corde iugiter.

Collect. ms. saec. 15. Cod. Oxonien. (Canon. Script. Eccl. 89). — Abschrift von Rev. H. M. Bannister.

139. De sancto Augustino.

Ad Laudes.

1. Iussu praelati presbyter
Sacratus mox coenobium
Instituit, ut viveret
Cum fratribus communiter.

2. Kasto se voto vinciens
Pauper fit et oboediens,
Re, carne, mente devovens,
Sed caritate praesidens.

3. Locum cum tenet praesulis
Crescit fides, spes, caritas,
Doctrinis et miraculis
Augetur Dei civitas.

4. Mundi despectis opibus
Non testans pauper obiit,
Coniunctus caeli civibus
In paradisi gaudiis.

5. Non visum choro praesulum
Te sancto mira visio
Situm praecelso solio
Prodit teste Gregorio.

6. Ope tua cum precibus
Te, pater, exorantibus
Dentur in caeli curia
Beata nobis gaudia.

7. Honor, virtus et gloria
Sit trinitati, gratia
Cuius clausa praecordia
Is sua fecit pervia.

Pontific. ms. Paulanorum saec. 15. Cod. Vatican. Ottobon. 502. — Den Hymnus zur Noct. Auxit errorem nubilo siehe Anal. XXII, 47 u. f. Der vorliegende führt den Abcdarismus bis O weiter. Vielleicht fehlt noch ein drittes, bis Z reichendes Stück.

140. De sancto Augustino.

Ad Laudes.

1. Flos cleri, norma praesulum,
Canonicorum speculum,
Iam bonis regni frueris
Cum Salomonis pueris.

2. Iam cernis, non per speculum,
Sed facie ad faciem
Summi regis cubiculum
Et illam dulcem requiem.

3. Iam supplices te poscimus,
Ut tuis, pater, precibus
Culpis deletis omnibus
Caeli iungamur civibus.

4. Praestet pater ingenitus,
Praestet hoc unigenitus,
Praestet hoc sanctus spiritus,
Non tres, sed unus Dominus.

Brev. fratrum Eremitarum s. Pauli imp. Venetiis 1540.

141. De sancta Aurea.

Ad Laudes.

1. In aula iam aetherea
Conspectu sponsi fruitur,
Quem virgo felix Aurea
Semper laudando sequitur.

2. Mortalis viri nuptias
Innecti virgo renuit,
Quae castis iam deliciis
Cum Christo regnans adfuit.

3. Despexit mundi gloriam
Capescens Christi gratiam,
Reliquit aulam regiam
Caelestem quaerens patriam.

4. Per poenas et supplicia
Transit ad vera gaudia,
Post bella multiplicia
Triumphat de victoria.

5. Sit Christo regi gloria,
Qui coronavit Aurcam,
Per cuius dat suffragia
Perennem nobis laurcam.

Offic. ms .S. Aurene Ostien. saec. 15. Cod. Vatican. Regin. 1949. - Den Hymnus zur Vesper siehe Anal. XIX, 73.

142. De sancto Babyla.

1. Antiochiae Babylas
Bonus erat vates verbo,
Caesar volebat ingredi
Multum profanus ecclesiae.

2. Intus manere ceteros
Iussit sacerdos, obviam
Ferens tyranno pectora
Intrare temptantem vetat.

3. Furens tyrannus restitit,
Revertens tanti nominis
Non passus se trudi sene,
Verso redit vestigio.

4. Exorto die secundo,
Quare sibi obstiterit,
Rogatus natos fatetur
Fides teneri nescia.

5. Lupum cernens irrumpere,
Oves tenere debui,
Sed contempta senectute
Me non timere indicem.

6. En, habeo tres parvulos,
Domi fideles instruo,
Vinctum fatebor meritos
Christo quem passos imolant.

7. Ibat sacerdos obviam,
Psallentes trahebat hostias;
Ecce, ego meique pueri,
Iesu, dedi, quos tu mihi.

8. Prius necari parvulos
Babylas petit iudici;
Necati statim parvuli,
Dehinc Babylas sequitur.

9. Gloria tibi, Domine.

Brev. ms. Ambrosianum saec. 15. Cod. Borgian. M II, 20. — 1, 4 Mutum. — 5, 1 irrupere. — 8, 2 indici.

143. De sancta Barbara.

1. *Beata nobis gaudia*
Dat Barbarae martyrium,
Quam traxit ad caelestia
Deus, creator omnium.

2. *Ad cenam agni providi*
Invitatae, qua resides,
Agno iunguntur nobili,
Quocunque pergis, virgines.

3. *Rerum creator optime,*
Per eam te testificas
In turris trino lumine,
O lux, beata trinitas.

4. *Beata cuius brachiis*
Saxa tacta oboediunt,
Dum iis manum imprimis,
Vexilla regis prodeunt.

5. *Amicta luce caelitus*
Ducitur virgo carcere,
Plagae curantur penitus
Iam lucis orto sidere.

6. *Rex Christe, clementissime,*
Haec passa te magnificat,
Audita benignissime
Vox clara, ecce, intonat.

7. *Audi, benigne conditor,*
Per eam hic nos protegens,
Aeternae sis vitae dator,
Verbum supernum prodiens.

Orat. ms. Carthus. Colonien. saec. 15. Cod. Colonien. 28. — 2, 2 Invitare.

144. De sancta Barbara.

In 1. Vesperis.

1. Barbarae festum celebremus omnes,
Virginis sacrae referat triumphos
Martyris noster chorus et beatos
Pangat honores.

2. Fortis et prudens teneris ab annis
Haec fuit virgo, pia, iusta, cunctos
Temperans actus Dominoque iuncta
Mente fideli.

3. Haec Deum verum coluit relictis
Gentium diis, genitoris iras
Passa crudelis, caput et paterno
Perdidit ense.

4. Sit Deo summo Dominoque rerum
Laus, honor, virtus, decus et potestas,
Gratia cuius super astra felix
Barbara vivit.

Brev. Bituricense imp. Lemovicis 1522.

145. De sancta Barbara.

Ad Matutinum.

1. Creator omnium, Deus,
Invictae fortitudinis
Spes martyrum, dux et via,
Votis fave precantium,

2. Qui celsa Barbarae tuo
Dicata sancto nomini
Tropaea cum sollemniis
Cultu celebrant annuo.

3. Haec passione iudicem
Vicit sua, vicit suum
Patrem Dioscorum fide
Caelo reportans praemia.

4. Manus paterna virginis
Collum scidit, sic mortua
Mors est, ut altera Deo
Barbara vita viveret.

5. Sit laus Deo, sit gloria,
Honos, decus, victoria,
Sit gratiarum actio
In saeculorum saecula.

Brev. Bituricense imp. Lemovicis 1522

146. De sancta Barbara.

Ad Laudes.

1. O Christe, sponse virginum
Et martyrum pulcherrime,
Mirabiles victorias
Audi beatae Barbarae.

2. Amore cuius intimo
Sprevit maritales thoros,
Ut se tibi, sponso suo,
Fidam probaret virginem.

3. Quam non paterna iurgia,
Non praesidis ferocitas
Nec mors cruenta denique
Quivere fortem vincere.

4. Perennis unde laus tibi
Sit, Christe, qui das laureas
Servis triumphales tuis
Et summa demum praemia.

Brev. Biturícense imp. Lemovicis 1522. — 3, 4 Quere.

147. De sancta Barbara.

In 1. Vesperis.

1. Exsulta, plebs catholica,
Sacrae Barbarae laudibus,
Nam eius vita caelica
Supernis micat opibus.

2. Haec ab adulescentia
Christianitatis ordinem
Ingressa duce gratia
Sprevit mundi dulcedinem.

3. Flore nitens perpetuo
Castae excellentiae
Digne dono praecipuo
Fulsit altae peritiae.

4. Veritatis catholicae
Recte Tusciam irrigat
Simulque deifice
Sensum cum fide colligat.

5. Sit laus patri ac genito
Pariterque ac flamini,
Qui huius sanctae merito
Nos summo iungat agmini.

Brev. Lemovicense imp. Lemovicis 1495. A. — Brev. Ebredunense imp. Lugduni 1520. B. — 1, 4 mutat B. — 2, 2 Christi tie ordinem B. — 3, 2 fehlt eine Silbe. — 4, 2 Recte iustitiam irrigat B. — 5, 4 summo iungat.

148. De sancta Barbara.

In Laudibus.

1. Aurora lucis rutilans
Splendorem defert roseum,
Nosterque chorus iubilans
Barbarae corpus laureum.

2. Dum fidem firmam aperit
Caeleste sidus oculis,
Suam personam ingerit
Datam pro luce saeculi.

3. Nam occidentem radiis
Implere caelum incipit,
Cum multis vectam studiis
Sanctam Barbarum recipit,

4. Veram, constantem, solidam
Vitamque eius inclitam,
Securam, firmam, lucidam,
Divinis verbis insitam.

5. Sit laus patri ac genito
Pariterque ac flamini,
Qui huius sanctae merito
Nos iungat summo agmini.

Brev. Lemovicense imp. Lemovicis 1495. A. — Brev. Ebredunense imp. Lugduni 1520. B. — 3, 3 vectum AB. — 4, 1 constans A.

149. De sancta Barbara.

In Laudibus.

1. Barbaram diri celebrant agones,
Quippe tyrannos vicit truculentos,
Maximianum simul Marcianum,
Eius praefectum.

2. Hanc saevi torquent iacturis poenarum,
Ut fatigati lictores reddantur,
Nil timet truces ferocesque minas
Ridet eorum.

3. Turre reclusa architecta sollers
Unum rimatur auctoremque trinum,
Dum tres adaptat lumini fenestras:
Patre reverso.

4. Ille miratur artifices causans,
Quem sic adfatur Barbara praeconstans:
His unum lumen, genitor, par fore
Numine divum,

5. Trinis innatum personis divinis
Quodque credentum vivificat alme
Mentes illustrans sensus et obscuros
Illuminatque.

6. O felix virgo Barbaraque martyr,
Spernis electum coniugem carnalem
Nec genus ferox pavescis poenarum
Bis coronata.

7. Hinc, pia mater athletaque fortis,
Comprime nostros perlubricos actus,
Et tua prece digne celebremus
Alma tropaea.

8. Gloria patri genitaeque proli
Et tibi, compar utriusque semper
Spiritus alme, Deus unus, omni
Tempore saecli.

Brev. Autisiodorense imp. Autisiodori 1580. Daraus Weale, Le Beffroi IV (Bruges 1876) p. 39. u. f. Der Hymnus ist augenscheinlich älter als die späte Quelle.

150. De sancta Barbara.

1. Gratuletur hac in die
Genetrix ecclesia,
Laudes promat harmoniae
Et hymni melodia
In cantum prorumpat pie
Ad Barbarae sollemnia.

2. Ista pro Christi amore
Flagellis concutitur
Et in arta cum furore
Cellula detruditur,
Hinc coram praefecto more
Diis libare praecipitur.

3. Haec diis spernens immolare
Laceratur verbere
Et nolens obsecundare
Clauditur in carcere,
In quo Christus splendens clare
Hanc solatur numine.

4. Hinc mamilla demolitur
Vesteque exuitur,
Sed a Christo custoditur
Et cum stola tegitur,
Hinc decollatur, moritur
Et ad caelos subvehitur.

5. Genitori genitoque.

Orat. ms. Campense anni 1462. Cod. Darmstadien. 521.[1] „Nota est sicut pange lingua.“ — 3, 6 Lies munimine? Es hat nämlich sonst jede sechste Zeile des Liedes eine Silbe Überschufs.

151. De sancto Barnaba.

1. Mediolani civitas,
Age festiva gaudia,
Pastoris tui Barnabae
Pange mira praeconia.

2. Qui tibi sanctae fidei
Primus pandit eloquia
Honorisque metropolis
Tibi confert insignia.

3. Hic adpetens caelestia
Contemptor visibilium
Ad pedes apostolicos
Agri deponit pretium.

4. Hic plenus sancti spiritus
Verbum in Antiochia
Christi constanter praedicat
Et in Romana patria.

5. Per Barnabam apostolum
Clemens ad fidem ducitur,
Civis Romanus nobilis,
Qui papa martyr moritur.

6. Hic macerat assiduis
Corpus suum vigiliis,
Crebris orationibus,
Frequentibus ieiuniis.

7. Apostolus hic Barnabas
Matthaei evangelium
Deponens super languidos
Languores sanat omnium.

8. Hic a Iudaeis perfidis
Fune ligatus trahitur,
Qui traditus incendio
Supernis bonis fruitur.

Brev. Ambrosianum imp. Mediolani 1487. — 4, 1 plenas. — 8. 4 upernis.

152. De sancto Barnaba.

Ad Vesperas.

1. Cum protoplasti germina
Morti forent obnoxia,
Ne lex ipsos eriperet,
Quos duris vinclis stringeret,

2. Advenit lucis conditor
Volens sanare languidos,
Qui magna dans prodigia
Depulsit ignorantiam.

3. Miraculis sic [inclitam]
Fidem reduxit perditam,
Post [carnis] mortem superans
Revexit cunctos liberans.

4. Scandens caeli palatium
Sanctum refudit spiritum,
Quo pleni tunc apostoli
Dederunt fidem populis.

5. Ex quibus fuit conditus
Hic Barnabas piissimus,
Qui sprevit mundi gaudia
Corde quaerens caelestia.

6. Terrena (re)liquit omnia
Vendens hic sua praedia,
Sociatus apostolis
Resplenduit miraculis.

7. Cum Paulo Christum praedicans,
Deum paganis nuntians,
In Cypro captus variis
Subactus est suppliciis.

8. His perferens incendium
Suscepit vitae terminum;
Nunc adeptus caelestia
Pro nobis preces offerat.

9. Deo patri et filio,
Sancto simul paraclito
Potestas, honor, gloria
Per infinita saecula.

Puccinelli, Placido. Vita di San Barnaba Apostolo, primo pastore di Milano. Milano s. a. [1649], S. 105. „Hinno di S. Barnaba descritto in due codici antichi di carta pergamena, che si conservano nella chiesa S. Lorenzo Maggiore di Milano.“ — 9, 1 Sit Deo.

153. De sancto Barnaba.

Ad Nocturnum.

1. Aeterna Christi munera,
Apostoli victoria,
Beato Cypri genere
Hymnum canamus Barnabae,

2. Qui quasi rosa rutilans,
Mundum totum illuminans,
Cuius odore perfidi
Fugantur omnes ethnici.

3. Exsultet Romae gloria,
Resultet tota Brixia,
Mediolanum iubilet,
Cum tantus pater praepollet.

4. Christum gerens in pectore
Mandata servans optime
Agrumque suum vendidit
Nec non dedit apostolis.

5. Hic Pauli fidelissimus
Verbo, doctrina socius,
Quorum vita perfulgida
Tota fulget ecclesia.

6. Conscendens in naviculam
Et properans Salaminam
Verbum ferventer praedicat
Multos languore liberat.

7. Tunc Iudaei increduli
Collum ligant apostoli,
Perducunt ad supplicium
Cremando corpus lucidum.

8. O lux pretiosissima,
Pater beate Barnaba,
Salva praesentem populum
Per tuum natalitium.

9. Praesta, pater ingenite,
Cum genito et flamine
Nobis videre virginem
Gestantem Deum hominem.

Puccinelli l. c. p. 107 sq. — 2, 3 odorem. — 5, 4 fulgit.. — 6, 3 fruenter. — 6, y languores.

154. De sancto Barnaba.

Ad Laudes.

1. Exsultet caelum laudibus,
Resultet terra gaudiis,
Quod Barnabas apostolus
Laetus potitur praemiis.

2. Apostolo sanctissimo
Non finis vitae latuit,
Quem Paulo sacratissimo
Per ordinem tunc patuit.

3. Tunc ambo flexis genibus
Tradendo pacis osculum,
Quos separabat spiritus,
Praedicando professi sunt.

4. Per doctrinam apostoli
Et approbatis fructibus
Augetur fides populi
Et crescit ardor spiritus.

5. Insignis et virtutibus
Vitam beatae Barnabae
Pollere facit Dominus,
Rector suae militiae.

6. Praesta, beata trinitas,
Concede, simplex unitas,
Ut precibus apostoli
Salventur Christi populi.

Puccinelli l. c. p. 108 sq. — 4, 2 fluctibus. — 4, 4 crescat.

155. De sancto Bartholomaeo.

1. Tropaea palmae nobilis
Bartholomaei apostoli
Quantum meretur muneris,
Quis explicet praeconiis?

2. Ad quem frequenter fulgidi
Conversitabant angeli
Et, quod iubebat exsequi,
Oboediebant conciti.

3. In Indiae confinio
Ingressus templum Astaroth
Mox eius ad praesentiam
Daemon resolvit idola.

4. Polymii lunaticam
Natam per ampla tempora
Curando, regis filiam,
Errore gentem liberat.

5. Astriges ut hoc comperit,
Rex et minister idoli,
Iussit suo conspectui
Sanctum nefandus attrahi.

6. Interrogat hunc nequiter,
Quare deos everteret,
Sed colloquente apostolo
Waldat cadit mox idolum.

7. Iubente rege protinus
Sanctus secatus fustibus
Et post reciso vertice
Palmam est adeptus gloriae.

8. Tali beatus ordine
Salus fuit provinciae,
Et laureato funere
Caelum triumphus obtinet.

9. Gloria Deo patri,
Gloria unigenito etc.

Legend. ms. Mediolanense saec. 13. Cod. Ambrosian. C 125 inf. — 3, 2 in templum Adstaroth. — 4, 1 Polemii. — 4, 3 filia — 5, 1 Astrigis. — 5, 4 Sanctum fehlt. — 6, 1 Interrogavit. — 6, 2 deus. — 6, 4 uvaldat. — 8, 2 Salvus fuit. — 9, 1 Lies: Gloria patri ingenito.

156. De sancto Bartholomaeo.

Ad Laudes.

1. Apostoli sollemnia
Bartholomaei inclita
Recurrunt, ergo agmina
Tripudiant fidelia.

2. Concinendo melliflua
Superno regi cantica,
Qui suum invincibilem
Glorificavit militem.

3. Cuius quanta constantia
Fuit et patientia
Conversa Lycaonia
Probat primum, post India.

4. Venerantes nos famulos
Trahat ipse ad superos,
Ad quos per immanissima
Pervenit cruciamina.

5. Praeclara apostolicis
Bartholomaee meritis,
Culparum pressos pondere
Interventu nos erige,

6. Et quos per prava opera
Orci terrent supplicia,
Tua prece dulcissima
A cruciatu libera.

7. Civesque, quos Salomone
Continua levas ope,
Supplicando assidue
Coelesti iunge curiae.

8. Deo patri et filio,
Similiter paraclito,
Sit honor, virtus, gloria
In saeculorum saecula.

Brev. ms. Aniciense saec. 15. Cod. Parisien. 1304. — 6, 1 Ut quos. — 7, 1 Cunisque.

157. De sancta Bathilde.

1. Inter triumphos nobiles
Praeclaros Christi milites
Tendentes ad aetherea
Aeterna ferunt praemia.

2. Fuit Bathildis optima
Caelestis regis famula,
Quae regnavit in Francia
Favente Dei gratia.

3. Haec femina laudabilis
Et honorata meritis,
Moribus quae pollet sanctis,
Sic triumphat cum angelis.

4. Forma quoque egregia
Et mente subtilissima
Electa est a Domino
Ex genere Saxonico.

5. Quae peregrina venerat,
Regi Francorum nupserat,
Quam Deus magna gratia
Vocavit ad caelestia.

6. Diligens certe Dominum
Ex corde devotissimo,
Christi vero pauperibus
Ut mater esset omnibus.

7. Frequentabat ecclesias
Orans Deum cum lacrimis,
Vigiliis, ieiuniis
Inhaerebat assiduis.

8. Sub regis namque copula
Ut uxor devotissima
Quaesivit regi optimo,
Iesu (ad)haerere Domino.

9. Abiecit vana omnia,
Concupivit aetherea,
Nunc possidet caelestia
Aeterni regis praemia.

10. Contemnens mundi gloriam
Menteque devotissima
Post perfectam iustitiam
Migravit ad caelestia.

11. Eius per sancta merita
Facit Deus miracula,
Ad eius sacros cineres
Plures curantur debiles.

12. Gloria clementissimo
Deo patri et filio
Una cum sancto spiritu
In sempiterna saecula.

Brev. S. Mariae Suessionen. imp. Parisiis 1533. — 8, 2 Ut femina devotissima.

158. De ss. Benedicto et Mauro.

Ad Horas.

1. Dilectus hic pollet tuus,
Sanctissimum nostrum decus,
Quem Benedictum dicimus,
A quo iuvari poscimus.

2. Te, pater Maure, petimus,
Nobis deposcas veniam,
Ut nos superna civitas
Perennes cives habeat.

Brev. ms. S. Sophiae Beneventanae saec. 11. Cod. Neapolitan. VI E 43.

159. De sancto Benedicto.

Ad Tertiam.

1. Benedicto quod psallemus,
Et quod tibi iubilemus,
Donare nobis deprecor,
Aeterne rerum conditor.

2. Quem formavit et creavit,
Gubernavit, confortavit,
Ut sancte possit vivere,
Splendor paternae gloriae.

3. Benedicte, pater pie,
Lucerna caelestis viae,
Te laudo, pastor inclite,
Iam lucis orto sidere.

4. Ut per istum te laudemus
Et devote adoremus,
Largire divinitus
Nunc sancte nobis spiritus.

5. Iste sanctus te laudavit
Incessanter et amavit,
Doctor fuit egregius,
Rector potens, verax Deus.

6. Hic fervebat caritate
Et fulgebat castitate,
Nec erat in corde livor
Rerum Deus, tenax vigor.

7. In pastorem te creavit
Monachorum et donavit
Inclitum collegium
Deus, creator omnium.

8. Ut Christus, per te placatus,
Nobis mitis sit et gratus,
Poscimus suffragium
Te lucis ante terminum.

9. Qui te laudant, non falluntur,
Sed libro vitae inscribuntur,
Servi tui, servi Dei,
Pater, recordare mei.

10. Gloria in perpetuum
Sit creatori omnium,
Qui det per tua merita
Beata nobis gaudia.

Antiph. ms. S. Coronae saec. 13. Cod Pragen. XII C 7 a. add. saec. 14. in. — Str. 9 vielleicht unecht. 10, 4 Nobis beata.

160. De sancto Bernardo.

1. Fit paradisi ianua
Patens Dei clementia,
Dum Bernardi praesentia
Petit caeli palatia.

2. Doctor morum sanctissime,
Bernarde beatissime,
Dulces natos non deseras,
Quos exemplo genueras.

3. Cum simus hic carnaliter,
Hostes impugnant graviter,
Fer tua prece iugiter
Opem misericorditer.

4. Et quos in hoc exilio
Acris vexat afflictio,
Tua sancta precatio
Firmet et consolacio.

5. Per huius sancti merita,
Christe, remitte debita
Et post vitae curricula
Des nobis alma gaudia.

6. Honor, virtus et gloria,
Salus, honor, potentia
Patri, nato, paraclito
Sit per aeterna saecula.

Collect. ms. Vadstenense saec. 15. Cod. Upsalen. C. 23. — 2, 4 extemplo. — Mel.: Fit porta Christi pervia.

161. De sancto Bernardo.

1. Almi Bernardi canimus
Praeconium dulcissimum
Abbatisque eximii,
Laetantur omnes monachi.

2. Adulatur huic daemon
Per luxurias capere,
Sed evigilans Bernardus
Sternit huius fallaciam.

3. Deditus hic vigiliis
Comedebat quam rarius,
Potum assumens ex aquis
Paupertatis in vestibus.

4. Clam portabat cilicium
Eligiturque pontifex,
Dignitatem hanc renuens
Curavit daemoniacam.

5. Si inquiris miracula,
Innumera reperies,
Atque centum sexaginta
Construxit monasteria.

6. Huic innatus calamus
Composuit volumina
Multos divosque tractatus,
Egregius praedicator.

7. Consumptis vitae diebus
Tria docet observanda:
Caritas et humilitas,
Omnibus patientia.

Brev. ms. Ambrosianum saec. 15. Cod. Borgian. M II, 20. — 3, 4 Paupertas. — Doxol.: Gloria tibi, Domine.

162. De s. Bernardo Menthono.

In 2. Vesperis.

1. Pange, lingua, festum nardus
Semper odorifera
Sanctus nobis det Bernardus
Et pigmenti munera,
Cuius labor nunquam tardus
Ad virtutum opera.

2. Hic confessor, procreatus
Nobili prosapia,
Augustensi decoratus
Fuit in ecclesia
Et archidiaconatus
Rexit hic officia.

3. Se macerans vigiliis,
Contectus cilicio.
Semper instat iciuniis,
Nec deest oratio.
Sanctus usus absinthiis
Est omni convivio.

4. Hinc Bernardi proferamus
Virtutum prodigia:
Domum fecit caritatis
Montis Iovis in via,
In qua cuncta dantur gratis,
Nec quaeruntur praemia.

5. Dedit caeco lumen clarum
Et sterili filium.
Pestem perdit locustarum
Et potenter vitium
Homo Dei usurarum
Misit in exsilium.

6. O Bernarde, sacerdotum
Honor, virtus, gloria,
Plebem omnem, clerum totum,
Mentes, manus, labia
Ad reddendum Deo votum
Tua iuvet gratia.

Brev. Gebennense imp. Annessiaci 1556 (nicht 1546!). — 2, 6 Rexit in officio. — 4, 1 Hunc. — 5, 5 usurarium.

163. De sancta Bertha.

Ad Vesperas.

1. Te, Christe, nostra cantica
Deprecantur dulcisona,
Ut sanctae Berthae meritis
Misericors sis miseris.

2. Tu sanctam Bertham proprio
Sponsasti tibi annulo,
Astrinxistique osculo
Mentem eius castissimo.

3. Tu es corona virginum
Salus atque fidelium,
Remunerator omnium
Bonorum semper actuum.

4. Sit tibi, Christe, gloria,
Honor, magnificentia
Cum patre et sancto spiritu
Per infinita saecula.

Collect. ms. S. Columbae Senonen. saec. 12. Cod. Vatican. Reg. 755. saec. 12. — Abschrift von Rev. H. M. Bannister.

164. De sancta Bertha.

Ad Laudes.

1. O sancta Bertha inclita,
Regis aeterni filia,
Precatibus assiduis
Salutem ferto miseris,

2. Tecum ut ad caelestia
Perveniamus gaudia,
Quae mereris sanctissima
Sine fine manentia.

3. Te hodie spiritibus
Christus iunxit caelestibus,
Pro nostris iam erratibus
Deum ora quantocius.

4. Sit tibi, Christe, gloria,
Honor, magnificentia
Cum patre et sancto spiritu
Per infinita saecula.

Collect. ms. S. Columbae Senonen. saec. 12. Cod. Vatican. Reg. 755. saec. 12. — Abschrift von Rev. H. M. Bannister.

165. De sancta Bertha.

In 1. Vesperis.

1. Decus futurum gloriae
Iubar micat ecclesiae,
Claris orta natalibus
Et sanctis Bertha testibus.

2. Coniuncta matrimonio
Gumberti nunc clarissimo,
Sed non fecunda partubus
Deo sacravit actibus.

3. Dehinc contemnens fecunda
Mortalis aevi gaudia
Pium convertit coniugem,
Sectantem vitam caelibem.

4. Fundans sacrum coenobium
Greges ditavit virginum,
Fit ipsa mater omnibus
Praeestque militantibus.

5. O mater splendidissima,
Potens virtutum gratia,
Post carnis huius exitum
Concede vitae praemium.

Officium ss. Tresani, Gumberti et s. Berthae imp. Rhemis 1557. — 2, 4 Lies vacavit? — Doxol.: Gloria tibi, Domine.

166. De sancto Bertivino.

1. Martyrium Bertivini
Carens elucidio
Tam remoti quam vicini
Sciant hoc iudicio;
Praeteriri sive sini
Non debet silentio.

2. Martyr iste et levita
Meduanae flumine
Nave transit in accita
Duce navis nemine;
Est mors eius multis scita
Caeli viso lumine.

3. Nequitiae famulorum
Bacchatur invidia,
Vas divinum plenum morum
Mactat horum furia,
Quod in choro angelorum
Laetatur cum gloria.

4. Iste Ioseph in cisterna
Clausus infidelibus
Lucet ut lux in laterna,
Nam Deum operibus
Invocabat Christi verna,
Vernat cum martyribus.

5. Angelica revelatur
Voce in Normannia
Et a rupe aportatur
Matre sancti praevia,
Venatori restauratur
Cerva, fit ecclesia.

6. Claudis gressum, mutis famen,
Sensum energuminis,
Caecis visum, sublevamen,
Et opem palpaminis
Confert, reddit sanctum flamen
Sancti prece numinis.

7. Sit laus summae trinitati,
Virtus et imperium,
Huius sancti quae beati
Det nobis consortium
Et tabem tergat peccati
Per eius martyrium.

Passion. ms. Montis S. Michaelis saec. 15. Cod. Abrincen. 167 (71) add. saec. 15.

167. De sancta Birgitta.

1. Caeli perornat gaudia,
Causam praestat laetitiae
Birgitta, rosa fulgida,
Pax et decus Osgotiae.

2. Beata pauper spiritu,
Palmas extendens pauperi,
Laeto vultus intuitu
Manum porrexit inopi.

3. Soluto matrimonio,
Postquam vir mundo moritur,
Devoto cordis osculo
Christum sponsum amplectitur.

4. Sponsus dilectam suscitat,
Veni, vocans, ad Libanum;
Surgit amica, properat
Regalem petens thalamum.

5. Montes petit aromatum
Haec affluens deliciis,
Donis plena charismatum
Vitam servat a vitiis.

6. Iesu, nostra redemptio,
Fac nos in regnis caelicis
Huius patronae merito
Sanctorum frui gaudiis.

Diurn. et hymn. ms. Benedict. Suecic. saec. 15. Cod. Upsalen. C 477. A. — Collect. ms. Brigittin. saec. 15. Cod. Vindobonen. 282. B. — Brev. ms. Pragense saec. 15. Cod. Capit. Pragen. O 83. C. — Brev. Strengnense imp. Holmiae 1495. D. — Brev. Arosiense imp. Basileae 1513 E. — 1, 1 perornant AB. — 1, 4 Sueciae B: ecclesiae C. — 2, 3 vultu C. — 3, 1 Soluta C. — 4, 3 Regale C. — 5, 3 plena aromatum A. — Verfasser: Birgerus Gregorii. — Vgl. Klemming I, 13.

168. De sancto Blasio.

In Laudibus.

1. Dies sollemnis agitur,
In quo sanctus ingreditur
Caelestia palatia
Blasius cum laetitia.

2. Blasius, gemma praesulis,
Claris clarens miraculis,
Contemplator caelestium
Mundi contempsit gaudium.

3. Regem colit caelestium,
Cultum damnat gentilium.
Per divinum praesidium
Aegris praebet remedium.

4. Princeps dolet, irascitur,
Blasius poenis subditur,
Eculeo suspenditur,
Pectinibus discerpitur.

5. Per tanti patris merita,
Tam praeclara, tam inclita,
Nos ad superna praemia
Christi perducat gratia.

6. Deo patri sit gloria,
Qui moderatur omnia,
Eiusque soli genito
Cum spiritu paraclito.

Brev. Lemovicense imp. Lemovicis 1495. — 4, 1 docet. — 5, 2 praeclara tam allata. — 6, 3 soli filio.

169. De sancto Blasio.

In 2. Vesperis.

1. Ave, gloriose
Martyr, pretiose,
Blasi, cultor legis
Christi, summi regis.

2. Ave, miris signis
Fulgens, laude dignis,
Fervens caritate,
Vernans pietate.

3. Ave, miles bone,
Constans in agone,
Qui non superaris
Poenis nec mutaris.

4. Ave, vir incasse
Eculeum passe
Et pectines feros
Tamquam fortis heros.

5. Ave, victor fortis,
Nullum genus mortis
Pati timuisti
Pro nomine Christi.

6. Ave, praesul pie,
Esto nobis viae
Dux atque lucerna
Ad regna superna.

7. Sit laus Deo patri.

Brev. Lemovicense imp. Lemovicis 1495.

170. De sancto Blasio.

1. Laudes de sancto Blasio,
Martyre ac episcopo,
Magno canamus gaudio
Caeli terraeque domino.

2. Antro Argei sedulus
Orabat Dei famulus,
Cuius orationibus
Suus sanatur populus.

3. Ad pedes tanti praesulis
Iactabant cum blanditiis
Orabantque continue
Et hinc athletae martyres.

4. Pro suo nato mulier
Sanctum orans suppliciter,
Spina infixa gutture
Exit signante praesule.

5. Sue pro suo paupera
Sanctum adorans vidua,
Reddidit lupus subito
Sanum ex sancti merito.

6. Agricolaus talia
Audiens mirabilia
Iussit, tyrannus perfidus,
Sanctum caedi cum fustibus.

7. Ille mitis et innocens
Tam graves ictus sufferens
Post carceris ludibria
Ducitur ad patibula.

8. In ligno pendens graviter
Et laniatur acriter,
Dextra munitus Domini,
Poenas vicit martyrii.

9. Septem beatae feminae,
Sancti perunctae sanguine,
Conductae ad martyrium,
Sancti petunt refugium.

10. Adiutae tanto martyre
Patris sancti munimine
Sic exeunt de carcere,
Ut nix de caelo candidae.

11. Blasius cum opprobrio
Lacu iactatur medio,
Signavit lacum athleta,
Stetit ut aqua arida.

12. Mira pro suo milite
Deus facit cotidie,
Gentes, quae illum celebrant,
Ab omni malo liberat.

13. Gloria tibi, Domine.

Brev. ms. Ambrosianum saec. 15. Cod. Borgian. M II. 20. A. — Brev. Ambrosianum imp. 1487. B. — 2, 4 suis B. — 3, 2 Agrestes ferae sedulis. B. — 3, 3 Iactabant cum blanditiis B. — 3, 4 Et hoc athletae martyris. B. — 4, 4 signati B. — 5, 1 paupere A. — 7, 2 gravesque B. — 8, 2 Ac. B. — 8, 4 Penuas B. — 10, 2 sancto B. — 11, 2 iactatus. B. — 12, 3 Gentem, quae illum celebrat B. — 13, 1 fehlt B.

171. De s. Bonaventura.

Ad Vesperas.

1. *Iam lucis orto sidere*
In aula cardinalium
Chori psallant et citharae,
Christe, redemptor omnium.

2. *Nunc sancte nobis spiritus*
Bonaventuram Domini
Esse monstrasti caelitus
Ad cenam agri providi.

3. *Rector potens, verax Deus,*
Qui sedes in triclinio,
Hunc sublimasti dignius
In caelesti collegio.

4. *Rerum Deus, tenax vigor,*
Quem tu replesti gratia,
Iam possidet triumphator
Aeterna Christi munera.

5. *Te lucis ante terminum*
Rogamus, ut nos dirigas
Tecum in regno luminum,
O lux, beata trinitas.

Officium s. Crucis et amarissimae passionis D. N. Iesu Christi imp. Mediolani 1492.

172. De sancto Bonaventura.

Ad Nocturnum.

1. Lauda Deum, plebs fidelis,
Cum suavi carmine,
Cum quo regnat cardinalis
De minorum ordine,
Vir excellens et subtilis
In sacro dictamine.

2. Timens Deum, simplex, rectus,
Ab ipsis cunabulis
Atque Deo consecratus
Adhuc membris parvulis,
Ab aeterno deputatus
Caeli tabernaculis.

3. Si quis mundi cruciatus
Evitare satagit,
Hunc beatum deprecatus
Mox optata recipit
Et a malo liberatus
Vitam quietam peragit.

4. Quare omnes inclinati
Effundamus supplices
Vota divae maiestati,
Ut post caeli turbines
Cum hoc sancto coronati
Illi simus comites.

Officium s. Crucis et amarissimae passionis D. N. Iesu Christi imp. Mediolani 1492.

173. De sancto Bonaventura.

Ad Laudes.

1. Gaude, frater, qui minorum
Sanctam servas regulam,
Comes tibi nam laborum
Per hanc gressus semitam,
Primi tenet angelorum
Magnam cohors gloriam.

2. Seraphicus doctor verus,
Sancto plenus flamine,
Praedicator et praeclarus
Sparso verbi semine
Fructum metit iam securus
De perenni germine.

3. Cardinalis iste fuit
Tantae sapientiae,
In quo Deus habitavit
Dono suae gratiae,
Quod aequalem non invenit
Eius sanctimoniae.

4. Hic vir prudens et pudicus,
Bonaventura nomine,
Totus bonus et sincerus
In sanctorum agmine,
Caelo gaudet Deo carus
Miro fulgens lumine.

5. De quo decus et gloria
Patri sit et filio
Atque pleno clementia
Laus amori medio,
Nobis quoque sit gratia
Eius patrocinio.

Officium s. Crucis et amarissimae passionis D. N. Iesu Christi imp. Mediolani (per Antonium Zarotum Parmensem) 1492. — 1, ẽ scheint verderbt.

174. De sancto Botuido.

Ad Vesperas.

1. Gaude, caelestis civitas,
Grata depromens cantica,
Botuidi clara sanctitas
Laude lucet magnifica.

2. Laetetur Sudermannia
Tale producens lilium,
Congratuletur Anglia
Tantum baptizans filium.

3. Verba David ne effluant,
Cordi curavit tradere:
Divitiae si affluant,
Nolite cor adponere.

4. Iob sancti memor operum
Sectatur innocentiam.
Tobiae, patris pauperum,
Secutus est clementiam.

5. Post impios non abiit
Nec adpetit terrestria,
Sed onus leve subiit
Regna petens caelestia.

6. O fortitudo martyrum,
Christe, Botuidi precibus
Optatum nobis bravium
Concedas in caelestibus.

Brev. Stregnense imp. Holmiae 1495. — Vgl. Klemming I. 50 sq.: Acta SS. Iul. VII. 634. — Verfasser dieses und der beiden folgenden Hymnen Birgerus Gregorii, archiep. Upsalen.

175. De sancto Botuido.

Ad Nocturnum.

1. Haec est dies, quam Dominus
Sollennem, plenam iubilo
Constituit fidelibus,
Summo colendam studio.

2. Pugnabant more solito
Mundus, caro, daemonia,
Sed destruit hoc subito
Virtutum sanctimonia.

3. Carnem devicit castitas
Ad caelos mentem erigens.
Hostem fugat humilitas
In viam pacis dirigens.

4. Mundi calcat astutiam
Invicta sancti pietas.
Magnam praestant audaciam
Spes firma, fides, caritas.

5. O fortitudo martyrum.

Breviarium Stregnense imp. Holmiae 1495. — Vgl. Klemming I. 52.

176. De sancto Botuido.

Ad Laudes.

1. Botuidi laudes colere
Devotis decet mentibus,
Qui suae precis munere
Nos servet a nocentibus.

2. Corpus artat ieiuniis,
Ut cornua non erigat,
Christi vacat obsequiis,
Ne vanitates hauriat.

3. Sanctum reddit amabilem
Cunctis vitae sobrietas,
Pudicum, castum, stabilem
Potus cibique parcitas.

4. Qui martyrem magnanimum
Felicem post victoriam
Ad verum vexit gaudium,
Ipsi canamus gloriam.

5. O fortitudo martyrum.

Brev. Stregnense imp. Holmiae 1495. — Vgl. Klemming I, 58; Acta SS. Iulii VII, 635.

177. De ss. Brigida et Maura VV. et MM.

In 1. Vesperis.

1. Exsultet caeli curia,
Laetetur et ecclesia
Celebrando sollemnia
Virginum cum laetitia.

2. Maritorum consortia
Respuentes et praedia
Erogantes Christi pia
Secutae sunt vestigia.

3. Activam vitam Brigida,
Contemplativamque Maura
Duxerunt veluti Martha
Et eius soror Maria.

4. Harum virginum precibus
Mundemur a criminibus
Salvatoris clementia,
Cuius fruuntur gloria.

Brev. Belvacense imp. Parisiis 1548. — Vgl. den Hymnus gleichen Anfangs Anal. XIX, 160.

178. De sancto Brinnolpho.

Ad Vesperas.

1. Tu, parens, nato debita
Laudum persolve cantica,
Cuius praeclara merita
Depromunt haec sollemnia.

2. Brinnolphus clarus sanguine
Consuevit ab infantia
Divini verbi semine
Sua replere studia.

3. Velut beryllus annulum
Ornat suam ecclesiam,
Per pastoralem baculum
Gregem ducens ad patriam.

4. Sicut oliva pullulans
In pietatis opere
Crevit, virtute rutilans
Ut caelum suo sidere.

5. Sit tibi laus, o trinitas,
Pro tui servi gloria
Duc nos per rectas semitas
Ad verae lucis gaudia.

Brev. Scarense imp. Norimbergae 1498. — Vgl. Klemming I, 62 u. f.

179. De sancto Brinnolpho.

Ad Nocturnum.

1. Noctis iam cedat otium,
Sit mens divinis dedita,
Surgat chorus fidelium
Laudans Dei magnalia.

2. Vir sanctus se diluculo
Deo maturum tradidit
Et puro mentis oculo
Divinas laudes edidit.

3. Doctrinarum eloquia
Nubes ut imbres protulit,
Quibus divina gratia
Multorum sordes abluit.

4. Pastoris hic officium
Diligenter exercuit,
Per mentis desiderium
Soli Deo complacuit.

5. Sit tibi laus, o trinitas.

Brev. Scarense imp. Norimbergae 1498. — Vgl. Klemming I, 64.

180. De sancto Brinnolpho.

Ad Laudes.

1. Aurora lucis rutilat
Dans terris rorem caelicum,
Quando Brinnolphus vigilat
Super gregem dominicum.

2. Sed caeci suo scelere
Praeclari viri merita
Non potuerunt cerniere,
Stant ergo sic abscondita,

3. Donec ex visionibus
Tanta datur audacia
Birgittae iam poscentibus
Deum pro sua gratia.

4. Surgunt nova miracula
Lumenque latens panditur,
A diversorum macula
Morborum plebs eripitur.

5. Sit tibi laus, o trinitas.

Brev. Scarense imp. Norimbergae 1498. — Vgl. Klemming I, 69.

181. De sancto Brioco.

1. Festus Dei fidelibus
Dies relucet annuus,
Confessor in quo nobilis
Polum Briocius subit.

2. Qui sanctitate praeditus,
Virtutum signis inclitus,
Inter choros sublimium
Felix refulget praesulum.

3. Huius beati merita
Produntur per miracula,
Quibus fugantur daemones,
Redduntur aegri sospites.

4. Hunc ergo votis omnibus
Petamus atque laudibus.
Tanti patroni consonum
Vocis resultet organum.

5. Precamur, ut liberrimus,
Iam perfruens caelestibus,
Nos a culparum nexibus
Solvat beatis precibus.

6. Laus, virtus atque gloria
Sit trinitati maxima,
Cuius reguntur omnia
Nutu benigno saecula.

Pass. ms Mortaniense saec. 12. Cod. Rotomagen. 1394 (U 119).

182. De sancto Calimero.

1. Fidelis vitam martyris
Hymnis narremus debitis,
Laudemus quoque gloriam
Regis excelsi nominis.

2. Romam petivit editus
Graecorum puer partibus,
Vitam spernens erroneam
Cultor Dei Calimerus.

3. Ad quam degens cum gaudio
Monitus a Telesphoro,
Urbis Romanae praeside,
Sanctorum fit in numero.

4. Sequens qui vitam praesulis
Dei tutus praesidiis
Urbem coepit deserere,
Ut fidem praestet aliis.

5. Sicut optabat iugiter,
Urbem liquit, ut creditur,
Quem doneis [!] deseruit,
Mediolanum tetigit.

6. Ob quem surgit episcopus
Castritianus strenuus
Huius urbis ac recipit,
Quem successorem meruit.

7. Damnato post Calimero
Principis ore turgido
Christi penes oracula
Captus recepit extremum.

8. Heu, vix reservans animas
Pro viri contumelia,
Redemit quos in lavacrum,
Sumpsit mersus in puteum.

9. Gloria tibi, Domine.

Brev. ms. Ambrosianum saec. 15. Cod. Borgian. M. II, 20. — 5, 2 reliquit.

183. De sancto Catervo.

Ad Vesperas.

1. Catervus, vir egregius,
Hodie cum laetitia
Adeptus est superius
Aeterna Christi munera.

2. Almi huius praeconia
Canamus claris vocibus,
Et de eius militia
Exsultet caelum laudibus.

3. Turba sanctorum iubilet
In hac die laetissima
Ac dulci voce nuntiet
Beata nobis gaudia.

4. Et nos cum illis merita
Huius viri sanctissime
Tibi cantemus inclita,
Deus magnae potentiae.

5. Rite quia sic voluit
Tibi servire, Domine,
Toto corde, ut debuit,
Summae Deus clementiae,

6. Vana caduca renuit
Et terrenorum omnium,
Fidem servare voluit,
Deus, tuorum militum.

7. Vita vivit in gloria,
In qua gaudet cum iubilo
Et tenet tua praemia,
Iesu, nostra redemptio.

8. Sic nostros gressus dirige,
Caterve, miles Domini,
Ut valeamus currere
Ad cenam agni providi.

Collect. ms. Constant. Caietani saec. 17. Cod. Alexandrin. 96 (II).

184. De sancto Catervo.

Ad Nocturnum.

1. Magno Catervi gaudio
Recolamus sollemnia,
De cuius patrocinio
Speramus caeli gaudia.

2. Hic est miles egregius,
Qui virtutum insignia
Portat vir potentissimus,
Indutus Christi galea.

3. Loricam eum Dominus
Fidei verae induit
Et vivam spem altissimus
Virtutis ei contulit.

4. Fert clipeum in brachio
Caritatis dominicae,
Quo pugnavit in proelio
Vitiorum mirifice.

5. Sic nos adversus vitia,
Caterve pater, instrue,
Ut mereamur gloria
Frui caelestis patriae.

Collect. ms. Constant. Caietani saec. 17. Cod. Alexandrin. 96 (II). — 3, 4 ei coluit.

185. De sancto Catervo.

Ad Laudes.

1. In triumphanti gloria
Cum honore militiae
Catervus in victoria
Hic decoratur hodie.

2. Quem susceperunt angeli
Hymnum novum altissimo
Cantantes et archangeli
Cum sanctorum collegio.

3. De tanto viro nobili
Videntes mirabilia
Mirantur cives caelici,
Canunt eius magnalia.

4. Et si in caeli patria
Dotatur tantis gaudiis,
Cur ipsius miracula
Non canimus in populis?

5. Canamus ergo pariter
Caelorum laudes debitas
Et persolvamus iugiter
Ei horas continuas.

6. Sit laus tibi, Domine,
Honor [sit] atque gloria,
Et nos precantes suscipe
In Catervi consortia.

Collect. Constant. Caietani saec. 17. Cod. Alexandrin. 96 (II). — 4, 3 Cur eius.

186. De sancta Christina.

In 1. Vesperis.

1. Virginis proli facie decora,
Pulchrior fide caritate iuncta,
Clara triumphat martyr in excelsis,
Sancta Christina.

2. Nomine sancto virgo nominata,
Iucunditatis oleo peruncta,
Tramite recto currit in odorem
Sponsi trahentis.

3. Idola patris frangit et egenis
Aurea donat figurata, Christo
Nomine voto vertit in salutem
Pretia mortis.

4. Censuit pater cultui deorum
Fore sacrandam nimio decore,
Sed voce Christum praedicat et colit
Mente devota.

5. Non poena mortis, non vitae praesentis
Oblectamenta singula promissa
Fide fundatam supra firmam petram
Vellere possunt.

6. Veste nudata, numero bis seno
Caesa lictorum, donec lapsa manus
Cedit iniqui, provocat insultans
Laeta tyrannum.

7. Gloria laudis sit aeterno patri,
Genitae proli, flamini sacrato,
Sit pax et salus nobis interventu
Virginis almae.

Pontif. ms. Paulanorum saec. 15. Cod. Vatic. Ottob. 502.

187. De sancta Christina.

Ad Matutinum.

1. Pondere ferri gravius onusta,
Alapis tunsa, ungulis arata,
Carne decisa polluit aspectum
Genita patris.

2. Igne succenso rotis elevatur
Oleo fuso, flamma sed erumpens
Turbae profanae plurimos exstinxit
Virgine salva.

3. Saxo praegrandi collo alligatam
Lymphis iniectam pelagi, non mersam
Agmina regit caelica cum summo
Principe Christo.

4. Gurgite solum caelitus adducta
Sistitur patri lavacro renata,
Sacro quam parens iugulare parat
Morte praeventus.

5. Urnae candenti multo cum liquore
Iudex succendens praecipit immergi,
Non laesa virgo iubilans in laudem
Christi prorumpit.

6. Tonsa malone trahitur ad fanum
Corpore nuda, orat, et Apollo
Ruit, et iudex moritur, et credunt
Milia terna.

7. Gloria laudis sit aeterno patri,
Genitae proli flamini sacrato,
Sit pax et salus nobis interventu
Virginis almae.

Pontif. ms. Paulanorum saec. 15. Cod. Vatican. Ottobon. 502.

188. De sancta Christina.

Ad Laudes.

1. Iussu tyranni Tertii caminum
Subit incensum, rorida, non usta,
Christo decantans, angelis adiuncta,
Quinque diebus.

2. Ira serpentum virgini mitescit,
Sed incantantem saeviens occidit,
Quem virgo clemens suscitat et prudens,
Fortis et lenis.

3. Lacte fluente mammis amputatis,
Linguae praecisae partem, non amittens
Fandi virtutem, iacit in tyrannum
Oculo vulso.

4. Annum beata peragens bissenum,
Fixa sagittis, copulata Christo
Sponso regnanti regnat in aeternum
Sponsa triumphans.

5. Suscipe munus pauperis oblatum,
Perfice vota digne postulata,
Scelera munda, redde sanctitati
Te venerantes.

6. Pelle languores, hostes et feroces,
Tristia cuncta, dona sanitatem,
Gaudia caeli tribue, precamur
Famuli tui.

7. Gloria laudis sit aeterno patri,
Genitae proli flamini sacrato,
Sit pax et salus nobis interventu
Virginis almae.

Pontif. ms. Paulanorum saec. 15. Cod. Vatic. Ottobon. 502. — Die beiden Hymnen sind in der Hs. noch von den folgenden rhythmischen Antiphonen begleitet:

Ad Magnificat:

Quae pertulisti vincula,
Virgas, ungues et alapas
Et ignem cum naufragio,
Nos ultimo iudicio
Fove, virgo Christina.

Ad Benedictus.

Fornacem, angues superat
Et plurima martyria,
Virum a morte suscitat
Christina virgo pia,
Quae iuncta caeli thalamo
Regnanti Dei filio
Nos adiuvet in via.

189. De s. Cirino.

1. Exsultet plebs fidelium
Festum colendo annuum
Sancti Cirini martyris,
Fidelis gregis praesulis.

2. Qui, cum in pueritia
Legis secutus studia,
Virtutis summae gratia
Fit praesul in ecclesia.

3. Cumque doceret idola
Nil esse voce patula,
A gente captus subdola
Arta submissus clausula.

4. Hic Christi testimonio
Molae suppressus vinculo
Intruditur in fluvio
Amantii iudicio.

5. Tunc in Dei praesentia
Palmam tenens in dextera,
Corona splendens aurea,
Caelesti saeptus gloria.

6. Plebis ergo, sanctissime,
Astantis preces suscipe,
Te flectens regis genibus,
Ut parcat peccatoribus.

7. Patri Deo sit gloria
Filioque victoria
Cum sancto sit spiramine
Cuncto subtracto tempore.

Collect. ms. Constantini Caietani saec. 17. Cod. Alexandrin. 95 (III) saec. 17.

190. De beata Columba.

Ad Vesperas.

1. Urbs Reatina gaudeat
Pro Columbae praeconio,
Quae nunc in caelis iubilat
Coniuncta Dei filio.

2. Infans haec virgo solita
Erat lac semel sugere
Die, quo nostra crimina
Christus detersit sanguine.

3. Adulta carnem subicit
Ciliciis, inedia,
Habitum tandem suscipit
Sacrum de paenitentia.

4. Praedicatorum inclitum
Ducem virgo consequitur,
Divum patrem Dominicum,
Qui caelo nobis labitur.

5. Tu esto nostrum gaudium,
Qui es futurus praemium,
Sit nostra in te gloria
Per cuncta semper saecula.

6. Gloria tibi, Domine,
Qui scandis super sidera,
Cum patre et sancto spiritu
In sempiterna saecula.

Collect. ms. saec. 16. [et 17.] Cod. Vatican. 6278. – Aus einer Supplik des Fr. Seraphinus Raetius O. P., Prior in Perugia, an Gregor XIII. vom Jahre 1583.

191. De beata Columba.

Ad Nocturnum.

1. Ioanna Orbito gloriae,
Tiferno sit Margarita,
Toti demum Hetruriae
Decus Agnes Politia.

2. At Augustae Perusiae
Splendori semper maximo
Erit Columba et curiae
Supercaelesti gaudio.

3. Haec virgo saepe rapitur
Ab sensibus in aethera,
Eam Christus adloquitur
Et sua donat gratia.

4. Quod hostis vafer invidens
Multas tendit insidias,
Sed Christi virgo sapiens
Eius eludit magias.

5. Tu esto nostrum gaudium.

Collect. ms. saec. 16. [et 17]. Cod. Vatican. 6278. — Der Hymnus zur Nokturn im Gegensatz zu den beiden anderen augenscheinlich Produkt des Humanismus.

192. De beata Columba.

Ad Laudes.

1. Columbae nunc simplicitas
Proferatur in medium,
Cuius praecelsa sanctitas
Nobis praestet subsidium.

2. Dum hic columba degeret,
Nidum in Christi pectore
Fecit, ut se protegeret
Ab omni prorsus scelere.

3. In Deo saepe volitans
Mente petebat sidera
Et sic in petra meditans
Caeli gustabat munera.

4. Hodie tandem sitiens
Ad fontem vivum patriae
Et ima cuncta deserens
Ad regnum ivit gloriae.

5. Tu esto nostrum gaudium.

Collect. ms. saec. 16. [et 17]. Cod. Vatican. 6278.

193. De sancto Columbano.

1. Athleta Christi Columba
ipsius et hostia,
Bobio mire constructo
recedens a saeculo,
Quam beate vivat caelo,
signis pandit populo.

2. Assit semper christiano
pius contubernio
Orans praesertim pro caro
sibimet Luxovio,
Ut illius instituto
floreat perpetuo.

3. Gloria et honor Deo etc.

Lect. ms. Luxoviense saec. 11. et 13. Cod. Vesolan. 1. add. saec. 12. ex.

194. De sancto Criscentino.

Ad Vesp. et Noct.

1. Criscentini militia
Mundi devicit vitia,
Noxas abstersit scelerum
Conditor alme siderum.

2. Legem divinam meditans,
Hostes cunctos suppeditans,
Hunc illustravit caelitus
A patre unigenitus.

3. Edictum princeps protulit,
Quod Criscentinus propulit
Proiectis libaminibus,
Exsultet caelum laudibus.

4. Christum fatetur libere
Corde, ore et opere,
Pro te suffert martyrium,
Christe, redemptor omnium.

5. Criscentinus, martyr Dei,
Calens fervore fidei.
Decus accepit bravii,
Summi largitor praemii.

6. Narrat eius magnalia
Urbinensis ecclesia.
Ipsum laudemus cantico
Ex more docti mystico.

7. Deum videt in iubilo
Abiecto carnis nubilo,
Cum mutant mundi aspera
Aeterna Christi munera.

8. Ex Maximiani rabie
Effuso pro te sanguine
Transit ad te cum gaudio,
Iesu, nostra redemptio.

9. Rex, pater, sancte spiritus,
Rogamus, praestes caelitus
Post mundi huius tristia
Beata nobis gaudia.

Offic. ms. S. Criscentini saec. 15. ex. Cod. Vatican. Urbin. 1750.

195. De sancto Criscentino.

Ad Laudes.

1. Pangamus nunc, carissimi,
Dona, fratres laetissimi,
Aeterna Christi sumpsimus,
Laudemus hunc velocius.

2. Criscentine, tis precibus
Salvari cum fidelibus,
Qui tuo urbem corpore
Dignam facis summopere.

3. Gaude, praeclara civitas,
Sit tibi immensa caritas,
Te regit huius largitas,
Gaudet superna claritas.

4. Languentum omni morbulo
Et aegrotanti perfido
Membra sanat, iam foetidum
Expellit, dat diluculum.

5. Nobis tu, Deus, subveni,
Precibus huius adveni
Nostris clemens pectoribus,
Ferre nos in caelestibus.

Offic. ms. S. Criscentini saec. 15. ex. Cod. Vatican. Urbin. 1750. — 2, 4 Dignam fecisti summopere.

196. De sancto David.

Ad Vesperas.

1. Gaude, devota Suecia,
Reducens ad memoriam
Cum omni diligentia
David fecundam gratiam.

2. Tempus adulescentiae
Clara ducens sub indole
Supernae sapientiae
Fontem bibit benevole.

3. Hunc Anglia progenuit
Claris ortum parentibus,
Qui veritatem docuit
Suecos dignis virtutibus.

4. Felicem in Snewryngia
Concludens vitae terminum,
Adduxit multa milia
Credentium in Dominum.

5. Gloria sit ingenito
Honor et unigenito,
Virtus summa paraclito
Pro tanti patris merito.

Brev. Arosiense imp. Basileae 1513. — Vgl. Klemming I, 78 u. f.

197. De sancto David.

Ad Nocturnum.

1. Tener ligni vermiculus
Nativo manens oppido,
Tres hostes stravit parvulus
Impulsu mentis rapido.

2. Delicias, divitias
Et hostis artes varias
Ieiuniis, inediis
Vicit et precum proeliis.

3. Congaudeat ecclesia
Recensens tirocinia,
Nam armis certat niveis,
Clarus in Christi cuneis.

4. Opes ut spinae sauciant,
Negotia cor laniant
Nec patiuntur libere,
Quae sursum sunt, exquirere.

5. Ad fidem nobis praevius
Sis in tutela socius,
Ut salvi Christi gratia
Vitemus haec contagia.

6. Praestet pater ingenitus
Et suus unigenitus,
Confirmet hoc paraclitus,
Par utriusque spiritus.

Brev. Arosiense imp. Basileae 1513. — Vgl. Klemming I, 79 u. f.

198. De sancto David.

Ad Laudes.

1. Exsultet caelum laudibus
Resultet et devotio
Suenorum votis, vocibus
Pro tanti patris gaudio.

2. Hic simplex, rectus, humilis
Et martyr desiderio,
Doctrina praeamabilis
Carensque carnis vitio.

3. Caecis lumen, claudis gressus
Et surdis aures aperit,
Vadit liber vinclis pressus,
Diffracta membra conserit.

4. Vi oppressis hic tutelae
Et, si plura requiritis,
Quot sunt morbi, tot medelae
In sancti David meritis.

5. Ergo, pater, cum sic possis
A Christo tanta petere,
Carne pressis, poena fessis
Tuum levamen ingere.

6. Ut sanati et levati
Tuis sacratis precibus
Iucundemur et laetemur
Largis Dei muneribus.

7. Praestet pater ingenitus.

Brev. Arosiense imp. Basileae 1513. — Vgl. Klemmig I, 85 u. f.

199. De sancto Deodato Ep.

Ad Vesperas.

1. Dignus summo in laudibus
Deo datus egregius
Dux gratibus hymnificis
Deo detur in modulis.

2. Erumpant montes gaudia
Et vallis nostra cantica,
Ecce, qui noster fuerat,
Ereptum Christus vendicat.

3. Ore salutem praedicans,
Ortum doloris refutans
Orabat sequi Dominum,
Odisse monet zabulum.

4. Dictus Niverni pontifex,
Decus ipsius multiplex,
Dans animae proficuum
Decrevit pati eremum.

5. Auctus momentis casuum
Aptat gaudere unicum,
Amplificatus Domino
Artatur vitae taedio.

6. Tempus pastor accelerat,
Terror letalis superat,
Tibi corde faventibus
Totis succurras nisibus.

7. Uitae repertor omnium,
Ueni praestans solacium,
Uota reddentes largius
Uitam precamur caelitus.

8. Sit cum patre et filio
Spiritui paraclito
Sanctitatis potentia
Sempiterna per saecula.

Brev. ms. Tullense saec. 14. Cod. Spinalien. 233 (116). A. — Brev. Tullense imp. Parisiis (Sutor) 1510. B. — Brev. Tullense imp. Parisiis (Higman) 1511. C. — Brev. Tullense imp. Mussiponti 1595. D. — 1, 1 Dignus supremis laudibus D. — 3, 1 praedicat A. — 3, 2 amputans D. — 4, 4 Deserta quaerit montium D. — 6, 3 canentibus D. — 6, 4 Succurras totis ABCD; gegen das Akrostichon. — 7, 1 reparator BCD. — 8, 1 Sic B.

200. De ss. Dionysio, Rustico, Eleutherio.

Ad Matutinum.

1. Exsultet plebs in canticis
Francigena cum gaudio
Verbis, psalmis hymnidicis
Martyri Dionysio.

2. Refulgens Dionysius
Omnimoda scientia
Solis pandit subtilius
Eclipsim et mysteria.

3. Paulo docente credidit,
Archipraesul efficitur,
Romam tendens se subdidit,
In Galliam dirigitur.

4. Multis pollens miraculis
Dogma fidei praedicat,
Per quod conversis populis
Via salutis emicat.

5. Et lucis orto sidere
Pius martyr educitur
Ad certamen de carcere
Tortoribusque traditur.

6. Exuitur et caeditur,
In ardenti craticula
Carbonibus exuritur,
Ignis non laedit facula.

7. Feras truces, incendia
Furni, crucis patibulum
Tormentaque fert alia
Et carceris ergastulum.

8. Dum celebrat in carcere,
Sibi Christus apparuit
Corpusque suum munere
Divino sibi tribuit.

9. Expositus lictoribus
Torquetur multifarie
Cum duobus consortibus
Passionis et gloriae.

10. O martyres gloriosi,
Sentiamus vos dulciter
Nos infirmi, vitiosi
Patronos aeternaliter.

11. Sit laus sanctae trinitati,
Ut sanctus Dionysius,
Rusticus, Eleutherius
Servierunt unitati.

Brev. S. Barnardi de Romanis imp. in Romanis 1518. — 3, 1 creditur.

201. De ss. Dionysio, Rustico, Eleutherio.

In Laudibus.

1. Laudemus dignos laudibus,
Condignos Christi pugiles,
Ut semper nostris precibus
Intenti sint et vigiles.

2. In fidei constantia
Permanentes viriliter
Tres socii supplicia
Sustinent aequanimiter.

3. Muniti Christi gratia
Patiuntur benigniter,
Perficiunt martyria
Armati fide fortiter.

4. Et pro quibus petierit
Beatus Dionysius,
Impetrabit, ut asserit
Benignus Dei filius.

5. Ergo tua benignitas,
Puritas et dilectio,
Pie martyr, et caritas
Nos ditent tuo gremio.

6. Deus, rerum perfectio,
Quo sanctus Dionysius
Coronatur martyrio,
Nobis esto propitius.

7. Tu, qui hunc per martyrium
Adeptus es ad gloriam
Cum sociis, des gaudium
Nobis et caeli patriam.

8. Trinitati sit gloria
Supernorumque coetibus,
Nobisque detur venia
Trium martyrum precibus.

Brev. S. Barnardi de Romanis imp. in Romanis 1518.

202. De sancto Dominico.

In 2. Vesperis.

1. Ave, Dominice,
Rutilans lucerna,
Dux praedicatorum,
Caelestis pincerna.

2. Sumens nostrum ave,
Pia mente fusum,
Tolle vae damnosum,
Dona cor suave.

3. Solve prece tua
Vincla pravitatis,
Nos coniunge Christo
Voto pietatis.

4. Monstra te esse patrem,
Fove tuam prolem,
Ut clare cernamus
Iustitiae solem.

5. Virgo gloriose,
Confer puritatem
Corporis et mentis
Ac sobrietatem.

6. Vitae nos conforma
Gratiae caelestis,
Ut Iesu fruamur
Tecum pari forma.

7. Sit laus Deo patri,
Summum Christo decus,
Spiritui sancto
Trinus honor unus.

Hymn. ms. S. Petri Mart. Utinen. saec 16. Cod. Civitat. Utinen s. n.

203. De sancto Domnio.

Ad Vesperas.

1. Armoniae fidibus Domino
Carmina pangite melliflua,
Organa tangite melodica.
Ecce, dies celebris rutilat,

2. Dulcisonis iubilanda modis.
Qua ad Dominum properat Domnius,
Ut bravium referat caeleste,
Sanguine quod sibi quaesierat.

3. Aethera transmeat ad polica,
Agmina iam videt angelica,
Gaudia cum quibus almifica
Perpetuo meritis habeat.

4. Martyrio dedit articulos,
Curriculos sprevit aureolos,
Omnia carnis et illicita
Funditus expulit ut vacua.

5. Pyrgica verba philosophica
Ventilat, astruit et reputat,
Disputat, inicit atque probat,
Arte politus apostolica.

6. Abdita scripta theologica,
Physica protulit armario,
Pinguis et in ratione procax
Incipit et trutinans memorat.

7. Rhetoricam, Ciceronis opus,
Primitus obicit ut potius,
Hinc reserans tibi templa, Deus,
Ad species generale genus.

8. Inde parat nois argolicum
Dans laqueum sibi syllogicum,
Ut triplicet deitatis opus,
Quo viget ecclesiale decus.

9. Spiritus ancipiti gladio
Domnius armiger haud timidus
Platonicos revocat gemitus,
Proterit horrificos strepitus.

10. In deitate gradus varios
Non reserans minus haud nimios,
Nam deitatis honor parilis
Semper adest, fuit et fuerit.

11. Unde sophistica dicta fugat,
Perfida contudit et iaculat,
Pyrgus at inde nihil valuit,
Namque perire magis placuit.

12. Sancte pater, pie pastor ovans
Ierusalem polis, aetheream
Attribue famulis patriam,
Caelica gaudia quo teneant.

13. Gloria multiplicata patri,
Laus sit et Emanuel Domino,
Spiritui decus atque sacro,
Qui modo id, quod erat, Deus est.

Brev. ms. Romanae Curiae anni 1318. Cod. Vatican. 6069. add. saec. $^{14}/_{15}$. — 1, 2 Multisonis: falsche Initiale, gegen das Akrostichon. — 5, 1 Pirgica. — 11, 2 cum tundit. — 13, 3 Spirituique. — 13, 4 Quimo nos id quod in est decus est. — Akrostichon: Adam Parisius.

204. De sancto Domnio.

Ad Laudes.

1. Aurorae fulgur radiat,
Iubar Phoebi iam rutilat,
Cum dies festus emicat
Clara reducens gaudia.

2. Dignanter psallat hodie
Plebs tota regi gloriae,
Qui Domnium in aethere
Stolis ornat victoriae.

3. Athleta venerabilis,
Deo multum amabilis,
Largire tuis famulis
Bonis gaudere caelicis.

4. Magna sit laus patri Deo,
Potestas unigenito,
Summa virtus paraclito
In tempore perpetuo.

Brev. ms. Romanae Curiae anni 1318. Cod. Vatican. 6069. add. saec. $^{14}/_{15}$. — Akrostichon: Adam. — Cfr. Anal. Hymn. XXII, Nr. 140.

205. De sancto Domnio.

In 2. Vesperis.

1. Laudes eximias dignaque proelia,
Vexillum strenui militis excitat
Pangere, psallere, cum petat auream
Fuso sanguine lauream.

2. Almo lorificans pectora spiritu
Athletam fidei tegmine muniit,
Dextra lanceola fulgida praeclua
Spei viribus adiuvat.

3. Vadit praevalidus terror in hostibus,
Nam celsus meritis praeminet omnibus,
Quem Christi pietas firmiter innovat,
Ne miles suus excidat.

4. Regis summopere munia praebuit,
Hostiles acies undique terruit,
Cuius praesidio pervolat integer
Centenos simul ordines.

5. Eventus varii non timet exitus,
Nam cum Maurilius verbera acrius
Cordis saevitia praeparat, aggerat,
Durat, spernit et incitat.

6. Nam tendit superos visere caelicos,
Percurrens stadium fortiter anxium,
Turbat sacrilegum, respuit idolum,
Vir damnat pius impium.

7. Tolli Maurilius imperat acrius,
At Christi famulus sic petit horrida
Ac si delicias carceris abdita
Pro sola Iesu gloria.

8. Instaurans iterum proelia contumax
Sanctum Caesar eo carcere liberat,
Promittens onera, ut colat idola,
Sed martyr fugit, aurea.

9. Vernans stellivomo pastor in aethere,
Votivas preculas sedulus accipe,
Quas fundunt famuli suppliciter tibi,
Fac nos scandere sidera.

10. Sublimi Domino gloria, laus, honor,
Qui sanctos pugiles laureat, elevat,
Hostem dum superat roscido sanguine,
Regnans trinitas unica.

Brev. ms. Rom. Curiae anni 1318. Cod. Vatic. 6069. add. saec. $^{14}/_{15}$. — 2, 2 Adlevam fidei. — 2, 3 Dextera. — 4, 4 Centeno. — 7, 1 arius. — 7, 3 carceris obsita. — 8, 3 honera. — 8, 4 aurea zu onera zu ziehen. — 10, 3 roscidie. — 10, 4 unicas. — Akrostichon: Laurentius.

206. De ss. Septem Dormientibus.

1. Mirum Dei praeconium
Canite, omnes populi,
De septem dormientibus,
Quorum festa celebramus.

2. Iubens Decius idolis
Universos immolare,
Assunt septem Christiani
In Ephesi civitate.

3. Maximianus et Malchus,
Martianus, Iohannes,
Dionysius, Serapion,
Constantinus similiter.

4. Hi vendunt patrimonia,
Distribuunt pauperibus,
Observantes ieiunia
Vacant orationibus.

5. Accusantur imperio,
Diis nolle immolare
Confectoque consilio
Latent in monte Aelion.

6. Exin rabiens Decius
Iubet praedictos inquiri,
Malchus minister nuntiat
Haec medici formam sequens.

7. Panis refecti per cibum
Plorant simulque condolent,
Sicut Deo complacuit,
In ecclesia dormiunt.

8. Os speluncae obstruitur,
Obstructa diu permanet.
Rediens Malchus ad urbem
Miratur esse mutatam.

9. Theodosio nuntiant
Advenisse Christianum,
Mira Dei pronuntians
Sanctis Dei congaudens.

Brev. ms. Ambrosianum saec. 15. Cod. Borgian. M II 20. — Doxol.: Gloria tibi, Domine.

207. De sancta Dorothea.

1. Dorotheae collaudemus
Virtutum insignia,
Cordis ei praesentemus
Et oris obsequia,
Ut spe certa respiremus
Per eius subsidia.

2. Fulta fide Dorothea
Iudicem Fabricium
Non formidat, sed in ea
Firmatur eloquium,
Insultante gente rea
Non horret supplicium.

3. Verbis blandis tunc conatur
Virginem seducere,
Nec promissis superatur
Nec terretur verbere,
Compeditur, obserratur
Taetro clausa carcere.

4. Vas liquoris aestuantis
Athleta ingreditur,
Sed virtute hanc amantis
Fervore non laeditur,
Post haec plagis tot et tantis
Claro vultu caeditur.

5. Caro sancta laceratur,
Fluit unda sanguinis,
In mamillis concrematur,
Furit ira praesidis,
Fuste caesa decollatur,
Iungitur mox caelicis.

6. Dorothea, sponsa Christi,
Pro sponso humiliter
Quae tormenta pertulisti,
Petimus suppliciter,
Tutrix sis a clade tristi
Hic et aeternaliter.

7. Gloria sit, Iesu bone,
Tibi nunc et iugiter,
Qui certantes in agone
Adiuvas fideliter
Et mercedem das coronae
Vincenti viriliter.

Brev. ms. S. Floriani saec. 12. [et 14]. Cod. Florian. XI, 384. add. saec. 15. — Brev. ms. S. Floriani saec. 13. Cod. Florian. XI, 477. add. saec. 14. B. — Brev. ms. S. Floriani saec. 14. Cod. Florian. XI, 316. C. — Brev. ms. S. Floriani saec. 15. Cod. Florian. XI, 402. D. — 2, 1 Multa fide ABCD; vgl. aber den Katharinenhymnus Katharinae collaudemus. — 2, 4 Famatur BCD. — 2, 5 Insultantes gentes A. — 3, 5 Expeditur A. — 3, 6 Retro clausa ABCD. — 6, 6 et fehlt. — Mit dem Anfange Fulta fide (2, 1) auch in Orat. ms. S. Petri Salisburgen. saec. 15. Cod. Petrin. a IV, 39; alle Strophen in direkte Anrede versetzt. Vgl. auch Anal. XXXIII, 73.

208. De sancto Drausio.

1. Exsultet iam fidelium
Devota plebs astantium,
Laudes Christo canentium
Per patris huius meritum.

2. Ave, pater sanctissime,
Salve, pastor dignissime,
Et gregem tuum protege
Ab hostili certamine.

3. Audi voces clamantium
Et te praesul rogantium
Precesque, Drausi, suscipe
Et, quae precamur, annue.

4. Oramus, Deus omnium,
Assume nos per Drausium
Orantes te per filium
Conregnantem per saeculum.

Brev. Coenobii S. Mariae Suessionensis imp. Parisiis 1533. — 4, 2 nos fehlt. — 4, 4 per saecula.

209. De sancto Dunstano.

Salve, sancta dies, celebri dignissima laude,
Qua, Dunstane pater, caelica scandis ovans.
Quem transitivae nactum primordia vitae
Gratia caelestis imbuit, excoluit.
Aeger divino medicamine consolidatus
Cum tenui virga castra maligna fugas.
Angelico ductu templi super ardua scandens
Undique firmatum tendis in ecclesiam.
Caelorum cives audis tibi coniubilantes
Et pacem patriae discis adesse tuae.
Vox sonat e superis, quae te de pace quietis
Edredi regis edocet, exhilarat.
Daemon in effigie vulpis contritus et ursi
Subdolus insidias tendit ubique tibi.

15. Per citharae cantum praenoscis, quid sit agendum.
Unde repente locum deseris atque habitum.
Spiritibus sanctis sociatus acumine mentis
Kyrie eleison eos coniubilare probas.
Ad templum noctu Domini genetricis euntem
20. Obvia cum sociis excipit ipsa parens.
Praecedunt binae versus modulando puellae,
Dulcis amor Christi personat ore pio:
Primus ad ima ruit magna de luce superbus,
Sic homo, cum tumuit, primus ad ima ruit.
25. Mox te spirituum sanctorum visitat ordo
Teque suum vocitans suadit adire Deum.
Iam vitae metas inducit corporis aetas.
Laetus et angelicis insereris cuneis,
Conduntur terris artus et spiritus astris.
30. Quo tibi pro meritis gloria perpes erit.
Tam sacer antistes, Christi reverende coheres,
Coniunctus superis auxiliare tuis.
Quod parit in nobis terreni fervor amoris,
Per te detergat castus amor, Domine.
35. Sic quoque vivamus, ut Christo complaceamus,
Qui nos aeterna muneret in patria
Et faciat secum felices omne per aevum
Vivere, quo luctus non erit aut gemitus.
Quod pater et natus, quod nobis spiritus almus
40. Conferat, ipse, quod est, semper ubique manens.

Collect. ms. Cantuariense saec. 12. Cod. Coll. Corp. Christi Cantabrigen. 371. — Als Refrain nach jedem Distichon abwechselnd V. 1 und 2. — Abschrift von Rev. H. M. Bannister.

210. De sancta Elisabeth.

Ad Noct. et Laudes.

1. Elisabeth praeconia
Clerus depromat hodie.
Ut nobis donet praemia
Splendor paternae gloriae.

2. Legem divinam meditans
Noxas abstersit scelerum.
Vana cuncta suppeditans,
Conditor alme siderum.

3. In cuius nunc memoria
Abiectis pompis vilibus
Iucundetur ecclesia.
Exsultet caelum laudibus.

4. Zelo magno concaluit.
Haec speculum munditiae
Placere tibi studuit,
Magnae Deus potentiae.

5. Abiecto carnis nubilo
Commutat mundi aspera,
Magna cernit in iubilo
Aeterna Christi munera.

6. Beata Dei famula
Donis repletur spiritus,
Quam coronat in saecula
A patre unigenitus.

7. Ex Aegypti voragine
Transit ad te cum gaudio,
Servivit tibi, Domine
Iesu, nostra redemptio.

8. Trino Deo et simplici
Laus, honor, virtus, gloria,
Prece praestet multiplici
Beata nobis gaudia.

Hymn. ms. S. Petri Mart. Utinen. saec. 16. Cod. Civit. Utinen. s. n. — Vor 5, 1 „Divisio ad Laudes.“ — Mel.: Novum sidus emicuit.

211. De sancto Emigdio.

Ad Vesperas.

1. Athletae Christi Migdii
Nostri patris eximii,
Festum canamus, socii,
Clerus, plebes et populi.

2. Germaniae provincia
Gente natus ex inclita
Doctrinis liberalibus
Fulsit et spiritalibus.

3. Gentilium vesania
Pulsus venit Italiam,
Mediolanum petiit
Functus sacris mysteriis.

4. Hinc pulsus Romam petiit,
Ubi tot signis claruit,
Quod velut solis radiis
Urbem implevit gaudiis.

5. Divini verbi flumine
Baptizans multitudinem,
Sed Tiberis in medium
Aras submersit daemonum.

6. Inde venit ad Esculum,
Ut salvet eius populum,
Quem acquisivit Domino
Suo sancto martyrio.

7. Laus, honor, virtus, gloria
Deo patri et filio,
Sancto simul paraclito
In saeculorum saecula.

Brev. ms. Romanae Curiae saec. 15. Cod. Vatican. 6255. A. — Officium sanctissimi Martyris Migdii, episcopi Asculani metropolitani etc. imp. Anconae (Bernardinus Gueraldus) 1522. B. — 1, 1 Emigdii A. — 2, 1 Germania A. — 6, 1 venit Esculium A; Asculum, am Rande B. — 6, 2 Quo salvet B.

212. De sancto Emigdio.

Ad Matutinum.

1. Adplaudat ora Gallica,
Qua sancta stirps producitur,
Exsultetque Germania,
Ubi origo promitur.

2. Praesertim pange, Esculum,
Patre dotatum Migdio
Autori vota praesulum
In eius laudis studio.

3. Hinc zelo flagrans Domini
Paterna spernit praedia,
Praesul effectus numini
Sacra reddit compendia.

4. Salutis vere medicus
Unda baptismi ulcera
Sermoneque mirificus
Curat morborum genera.

5. Dogmatizantis populum
Huius caput exciditur,
In birro fert ad tumulum
Illud, qui caelo ducitur.

6. Aedem, urbem et moenia
Sic, pater Migdi, visita,
Ut pulsa hinc ignavia
Concrescant Christo merita.

7. Praestet hoc nati genitor,
Hoc genitoris genitus
Ac par utrique conditor
Paraclitus hoc spiritus.

Brev. ms. Romanae Curiae saec. 15. Cod. Vatican. 6255. A. — Officium S. Migdii imp. Anconae 1522. B. — 1, 2 sanctus A: sancto B. — 1, 3 Germanica B. — 2, 2 pague A. — 2, 2 Emigdio A. — 3, 3 redit A. — 5, 3 Inbiro fertur A. — 6, 2 Emigdi. — 6, 4 Candescant Christi A. — 7, 1 haec A; hoc nobis genitor B. — 7, 3 Ac pariterque A. — 7, 4 Et paraclitus hic.

213. De sancto Emigdio.

Ad Laudes.

1. Aeternae regi gloriae
Psalle, chorus fidelium,
Qui Migdio militiae
Se ipsum dat stipendium.

2. Hinc miles Christi praevius
Magnis fulget prodigiis,
Sic eius micat radius
Miris mundo suffragiis.

3. Daemonia in idolis
Eius succendunt merita
Succensisque a credulis
Christi coluntur monita.

4. Rupem rumpi, qua profluit
Unda aquae irrigua,
Qui Moysi promeruit,
Sequi iubet indicia.

5. Hic natos naufragii
Nota baptismi diluit,
Dum fluvio Polymii
Natam renatam induit.

6. Offert se demum iuvenem,
Aureolam dum praevidet,
Pro Christo fundens sanguinem
Aeterna dona possidet.

7. Praesta, pater, cum filio
Consolatorque spiritus,
A criminum contagio
Nos hic emundet funditus.

Brev. ms. Romanae Curiae saec. 15. Cod. Vatican. 6255. A. — Officium S. Migdii imp. Anconae 1522. B. — 1, 2 Psallat B. — 3, 3 Succensusque B. — 3, 4 colunt A. — 4, 1 Cupem rupi A. — 4, 2 aqua AB. — 5, 1 fehlt eine Silbe AB. — 5, 2 baptismo AB. — 6, 2 providet A. — 7, 1 Per te pater.

214. De sancto Emmeramo.

1. Hymnus te decet, Domine,
In hoc saeculum labile
Qui pro salute hominum
Tuum misisti filium.

2. Hic imaginem coici
Induit natus virgini,
Quo mortales invalidi
Caelestes possint fieri.

3. Unde sanctorum numerus,
Tibi soli notissimus,
Fortiter exterioris
Calcat vitia hominis.

4. Quem Emmeramus inclitus,
Cuius festa percolimus,
Redegit in servitium
Ad sancta formans animum.

5. Hic dereliquit patriam,
Quam dicunt Aquitaniam,
Prius ibi oviculas
Tui pascens adavidas.

6. Exin migrans in Noricam
Virque fortem provinciam
Eius te dante incolas
Fecit esse christicolas.

7. Tum fidelis ut famulus,
Qui sibi erat creditus,
Thesaurum ad dominicum
Auctum reportans scrinium.

8. Pro alterius crimine
Secabatur durissime
Sicque effuso sanguine
In sinu sedit Abrahae.

9. Nunc precamur, piissime
Creator rerum Domine,
Nostras eius oramine
Digneris noxas tergere.

10. Laus tibi, pater optime,
Una cum sancto pneumate,
Ac tuo unigenito
Gloria sit perpetuo.

Collect. ms. Emmeramense saec. 11. Clm. Monacen. 14870. — „Item alius [hymnus] de sancto Emmeramo rithmice modulandus", — Verfasser dieses Hymnus ist wohl Arnold von Vohburg. Dagegen ist der metrische Hymnus Christe cui iustos hominum favores nicht, wie Anal. XXIII, 169 nach Cheval. 2851 angegeben wurde, von Arnold, sondern, wie dieser ausdrücklich angibt, von Meginfred von Magdeburg. — Auch der Hymnus Meginfreds steht von der Hand Arnolds in Clm. 14870 ohne Abweichung von dem l. c. mitgeteilten Texte.

215. De sancto Erasmo.

1. Cunctorum plasmator, rerum causator,
Tu lenis martyrum dolorem dirum,
Dans ad caeli gyrum gaudium mirum.

2. Erasmum tu fulcis, solaris, dulcis;
Portentis et signis martyr insignis,
Miles maior dignis nec non benignis.

3. Anastasii natum, canis morsu stratum,
Dans vitae pristinae, sunt ubi minae,
Tu regnanti fine gaudens hinc sine.

4. Eius dicas mira, plebs, cordis lyra,
Fervens non afficit oleum, dicit
Ollae, sed nec icit, conspectu vicit.

5. Artuarii visus aspersus, divisus
Fuit, hunc suscitat, ad vitam citat,
Qui miris ditat, suos invitat.

6. Oris atque mentis salutem petentis
Dum necessaria mors instat pia,
Cedit hinc furia hostium quia.

7. Ergo uni trino iubilum bino,
Praestet, ne nos naevum ad latus laevum
Locet, fugans saevum salvet in aevum.

Brev. ms. Pataviense saec. 15. Cod. Vindobonen. 1843. — Der Korrekturen waren so viele nötig, dafs es am einfachsten ist, den entstellten Text der Hs. folgen zu lassen:

1. Cunctorum plasmatorum rerum futurtu legis martyrum dolorum dirum dans ad caeli gyrum gaudium mirum.

2. Erasmum tu wleis solaris et dulcis portentes et signis martyr insignis miles maior dignis nec non benignis.

3. Anastasii natum carnis morte stratum dans vitae pristinae sunt verbi minae tu regnanti sine gaudens hinc sine.

4. Eius Dei mira plebs cordis lyra fervens non afficit cum ut dicit ollae sed nec icit hunc suscitat conspectu vicit.

5. Artuarii visis asperus dy visus fuit hunc suscitat ad vitam citat qui minas dicas suos et multos.

6. Oris atque mentis salutem petentes dum necessaria mors inquam pia cedit hunc furia hostium quia.

7. Ergo vinterne iubilo vino praestent in saeculum ne nos ad lenum locans fugens senum salvet in aevum.

216. De sancto Erico.

Ad Vesperas.

1. Adest dies laetitiae.
Fulget Erici gloria,
Rex et patronus Sueciae
Caeli petit palatia.

2. Quem vernantem virtutibus
Sublimat sceptro regio
Plebs laeta cum principibus
Concordi desiderio.

3. Maceratur ieiuniis
Sacrum sancti corpusculum,
Velaturque ciliciis
Hoc Christi tabernaculum.

4. Ministros rex magnificus
Cultus Dei multiplicat
Ut Salomon pacificus
Et templa reaedificat.

5. Scuto munitus fidei
Tela repellens hostium
Ad regnum Dei provehi
Meretur per martyrium.

6. Per huius sancti merita,
Iesu, redemptor omnium,
Dimitte nobis debita
Et da perenne gaudium.

Legend. ms. Laurentii Odonis Lincopen. saec. 14/15. Cod. Dresden. A 182. A. — Ant. et hymn. ms. Scarense saec. 14. [et 15]. Cod. Upsalen. C 422. B. — Brev. Upsalense imp. Holmiae 1496. C. — Brev. Arosiense imp. Basileae 1513. D. — Brev. Lundense imp. Parisis 1517. E. — Vgl. Klemming I. 91 u. f.

217. De sancto Erico.

Ad Nocturnum.

1. Hymnum novae laetitiae
Nova deposcunt gaudia,
Martyr Ericus hodie
Nova potitur gloria.

2. Hic ut Elias impiam
Exponens se certamini
Expugnat idolatriam,
Zelans pro lege Domini.

3. Ecclesiam catholicam
Dilatat gentem Finnonum
Rex ad fidem dominicam
Trahens a cultu daemonum.

4. Agnellus innocentiae
Dum sustinet martyrium,
Deo placentis hostiae
Consummat sacrificium.

5. Sancti sacrato sanguine
Sua contingens lumina
Diu privata lumine
Illuminatur femina.

6. Per huius sancti merita
Iesu, redemptor omnium,
Dimitte nobis debita
Et da perenne gaudium.

Legend. ms. Laurentii Odonis Lincopen. saec. 14/15. Cod. Dresden. A 182. A. — Ant. et hymn. ms. Scarense saec. 14. [et 15]. Cod. Upsalen. C 422. B. — Brev. Upsalense imp. Holmiae 1496. C. — Brev. Arosiense imp. Basileae 1513. D. — Brev. Lundense imp. Parisiis 1517. E. — Vgl. Klemming I, 92 u. f.

218. De sancto Erico.

Ad Laudes.

1. Laudes ad laudes iungite,
Nec desit laus in laudibus
Pro novo Christi milite
Caeli coniuncto civibus.

2. Obsidetur ab hostibus
Ascensionis tempore
Sanctus Ericus laudibus
Dei vacans summopere.

3. Crucem sibi dominicam
Rex imprimens salubriter
Vadit contra maleficam
Catervam magnanimiter.

4. Novus David viriliter
Agens, dum mundo moritur,
Sanctam Sion feliciter
Regnaturus ingreditur.

5. Victor regnans in aethere,
Magnis fulgens miraculis,
Miro virtutum munere
Multis succurrit populis.

6. Per huius sancti merita,
Iesu, redemptor omnium,
Dimitte nobis debita
Et da perenne gaudium.

Legend. ms. Laurentii Odonis Lincopen. saec. 14/15. Cod. Dresden. A 182. A. — Ant. et hymn. ms. Scarense saec. 14. [et 15.]. Cod. Upsalen. C. 422. B. — Brev. Upsalense imp. Holmiae 1496. C. — Brev. Arosiense imp. Basileae 1513. D. — Brev. Lundense imp. Parisiis 1517. E. — Vgl. Klemming I, 98 u. f.

219. De sancto Escillo.

Ad Vesperas.

1. Iam dies adest celebris.
Nova resultant cantica,
Quia fugatis tenebris
Regnat fides catholica.

2. Gaude, parens Britannia,
De tantae prolis munere,
Exsulta magis, Suecia,
De novo lucis sidere.

3. Eskillus signis emicat
Ritus confutans gentium,
Christum auctorem praedicat
Et salvatorem omnium.

4. Verbis, exemplis claruit
Saluti studens omnium,
Tandem mortem sustinuit
Migrans felix ad gaudium.

5. Tibi sit laus et gloria,
Corona triuphantium,
Nos Eskilli prece pia
Duc ad caeli palatium.

Legend. ms. Laurentii Odonis Lincopen. saec. 14/15. Cod. Dresden. A 182 A. — Ant. et hymn. ms. Scarense saec. 14. [et 15.]. Cod. Upsalen. C 422. B. — Brev. Strengnense imp. Holmiae 1495. C. — 3, 3 actorem B. — 5, 1 Sit tibi A. — Vgl. Klemming I. 104 u. f. — Verfasser dieses und der drei folgenden Hymnen Brynolphus I Scarensis.

220. De sancto Escillo.

Ad Nocturnum.

1. Eskilli pro victoria
Gaude, mater ecclesia,
Christi suffulta gratia
Devota fac tripudia.

2. Pius, devotus, humilis,
Vivendi formam praebuit,
In lege Dei docilis,
Verbis, exemplis claruit.

3. In fide luxit omnibus
Per signa, per prodigia,
Mundum calcans sub pedibus
Manum misit ad fortia.

4. Mors corporis contemnitur,
Dum Christi mors attenditur,
Vincit ergo, dum vincitur,
Magis vincit, cum moritur.

5. Tibi sit laus et gloria.

Brev. Stregnense imp. Holmiae 1495. — Vgl. Klemming I, 105 u. f.

221. De sancto Escillo.

Ad Nocturnum.

1. Ad laudem sancti praesulis
Et venerandi martyris
Totis psallamus viribus
Hunc invocantes precibus.

2. Eskillus, praesul inclitus,
Diebus atque noctibus
Flexis oravit genibus
Pro perfidis gentilibus.

3. Instruxit Sudermanniam,
Ut sperneret perfidiam,
Et per Christi clementiam
Bapsismi dedit gratiam.

4. Cum praedicaret filium
Mariae unigenitum,
Conversa est ad Dominum
Magna turba gentilium.

5. Tibi sit laus et gloria.

Legend. ms. Laurentii Odonis Lincopen. saec. 14/15. Cod. Dresden. A 182. A. — Ant. et hymn. ms. Scarense saec. 14. [et 15.]. Cod. Upsalen. B 422. B — Brev. Stregnense imp. Holmiae 1495 C. — 2, 3 und 4 umgestellt B. — 4, 1 Dum BC. — 5, 1 Sit tibi A. — Der Hymnus steht „ad Laudes“ BC.

222. De sancto Escillo.

Ad Laudes.

1. Summi praecepta Domini
Contempserunt malevoli
Et necem suo praesuli
Paraverunt increduli.

2. Percussus est lapidibus
Eskillus sicut Stephanus
Et sic pro occisoribus
Deum orat humillimus.

3. Indulge, ait, insciis,
Pater, dimitte vitia,
Christe, emundes crimina
Collata indulgentia.

4. Dei martyr egregie,
Pro nobis Deum postula,
Ut hunc queamus colere
In sempiterna saecula.

5. Tibi sit laus et gloria.

Legend. ms. Laurentii Odonis Lincopen. saec. 14/15. Cod. Dresden. A. 182. A. — Ant. et hymn. ms. Scarense saec. 14. [et 15.]. Cod. Upsalen. C 422. B. — Brev. Strengnense imp. Holmiae 1495. C. — 1, 3 Necemque A; sancto praesuli B. — 2, 1 Percussus cum lapidibus A. — 2, 3 Et fehlt A. — 2. 4 rogat A; humilius C. — 3, 1 ait vitiis C. — Doxol. fehlt A. — Vgl. Klemming I, 115 u. f.

223. De sancto Euchario Tullensi.

1. Alma mater ecclesia
Sollemnizet in gaudio,
Totaque Lothoringia
Digne psallat Euchario.

2. Hic ex clara progenie
Claram traxit originem,
Imitatus cottidie
Parentum sanctitudinem.

3. Hic illustrem Eliphium
Fratrem germanum habuit,
Qui per fidei radium
In urbe Leuca claruit.

4. Hi duo clari moribus
Cum sorore Libaria,
Susanna, Menna plebibus
Dati sunt in solacia.

5. Ipsorum pater Baccius,
Mater Lientrudis dicitur,
Quorum proles uberius
Deo devota noscitur.

6. Sanctum tamen Eucharium
Ac virtutum opificem
Urbs Grandis et confinium
Habuit in pontificem.

7. Iulianus apostata
Sacrum caput Eucharii
Sacra contemnens dogmata
Truncavit ictu gladii.

8. Sic necavit Eliphium
Ac sororem Libariam;
Non evadens iudicium
Hos transmisit ad gloriam.

9. Patri, nato, paraclito
Laus, honor, virtus, gloria,
Qui nos sanctorum merito
Perducat ad caelestia.

Brev. Tullense imp. Parisiis (Rad. Sutor) 1510. A. — Brev. Tullense imp Parisiis (Higman) 1511. B. — Brev. Tullense imp. Mussiponti 1595. C. — 3. 4 Leucha AC. — 4, 4 solacio A. — 9, 4 Perducit ABC.

224. De sancto Eunufrio.

Ad Nocturnum.

1. Anachoritae colimus
Eunufrii sollemnia
Eiusque vitae pangimus
Virtutes et praeconia.

2. Beata caeli gaudia
Hoste calcato fortiter
Iam possidet in patria
Cum angelis perenniter.

3. Caelesti regi famulans,
Spretis mundi deliciis
Caduca cuncta superans,
Fultus Dei subsidiis.

4. Decorem Dei diligens
Domus et locum gloriae,
Pauper, caelebs, oboediens
Coenobitarum serie.

5. Etate puer docilis
In lege Dei meditans,
Virtute sed mirabilis
Antra deserti flagitans.

6. Fructu fecundo praeditus,
Baptistae Christi similis,
Heliae compar inclitus,
Vir vitae venerabilis.

7. Gloriam laudis inclito
Patri prolique genitae
Canamus et paraclito
In eius sancto milite.

Pontific. ms. Paulanorum saec. 15. Cod. Vatican. Ottob. 502.

225. De sancto Eunufrio.

Ad Laudes.

1. Heremitarum speculum,
Eunufrium in nemore
Praesidium angelicum
Tutatur omni tempore.

2. Inopia praedivitem
Dono divinae gratiae
Reddit et leti praesidem
Sternit cum sordis acie.

3. Karni virtute sedula
Deserti cultor obviat
Parva monstrata cellula,
In qua Deo deserviat.

4. Latex e fonte pervio
Arentem siti reficit,
Non temeti contagio
Cupido sanctum inficit.

5. Mellis ut in dulcedine
Depellitur esuries,
Herbarum vivit germine
Lustro peracto sexies.

6. Nudus capillo tegitur,
Taeter, iucultus, horridus,
Sed spiritu decernitur
Pulcher, clarus et splendidus.

7. Gloriam laudis inclito.

Pontif. ms. Paulanorum saec. 15. Cod. Vatican. Ottobon. 502. — 3, 1 Karo. — 3, 2 oviat. — 5, 3 Herbarum viri.

226. De sancto Eunufrio.

In 2. Vesperis.

1. O decus sanctimoniae,
Bis terno lustro pasceris,
Panis emissi fragmine
Datore grati muneris.

2. Per diem certum sumitur
Christus sacramentaliter,
Miro modo sed colitur
A sancto viro iugiter.

3. Quando collega cernitur,
Panis defertur integer,
Caeli ministro sumitur
Pia cum laude pariter.

4. Reddens beatum spiritum
Fulgenti vultu cernitur
Orans, ad eius obitum
Mirus odor exoritur.

5. Sanctorum inter agmina
Christo duce cum laudibus
Velut columba candida
Transfertur caeli civibus.

6. Te tumulatum novimus
Leone per Pamphnutium;
Christum, te prece petimus,
Da iudicem propitium

7. Venturum et tis memores
Ab omni malo liberes
Et praepares in patria
Beata nobis gaudia.

8. Xristo nato sit gloria,
Summo patri cum flamine
Sancto, nobisque venia
Detur in sui nomine.

Pontif. ms. Paulanorum saec. 15. Cod. Vatican. Ottob. 502.

227. De ss. Euphemia, Thecla, Dorothea, Erasma.

Ad Nocturnum.

1. Virginum Christo celebrare festum
Cordibus rectis satis est honestum,
Quas dies praesens decorans sacrata
Duxit ad astra.

2. Spiritu fretae Domini sorores
Praesidis nullos trepidant furores,
Sed Deo sponso sociare student
Caelibem vitam.

3. Praesul has sanctus monet Hermacoras,
Patruas castas vocat ad coronas,
Unde laetanter subeunt flagella
Mente quieta.

4. Ungulae, virgae, manicae, catenae,
Laminae, restes, genus omne poenae,
Torquet athletas tibi consonantes,
Rex pie, laudes.

5. Praeses ut vidit vacue minari,
Iussit his tandem caput amputari,
Quas pater saevus ferit ense stricto
Daemone plenus.

6. Virgines lotas roseo cruore,
Praemio comptas duplicis coronae,
Suscipit sponsus, speciosus agnus,
Immaculatus.

7. Ergo quae caeli subiistis arcem,
Regis aeterni thalamo locatae,
Omnium nostrum super astra ferte
Vota precesque.

8. Gloria patri genitaeque proli
Et tibi, compar utriusque semper
Spiritus alme, Deus unus omni
Tempore saecli.

Hymn. ms. S. Petri Mart. Utinen. sacc. 16. Cod. Civitat. Utinen. s. n. — 1, 1 Virginis. — 3, 2 Patruos. — 4, 1 Anglie virgae. — 4, 2 Laminae peste. — 5, 1 Praeses ut iussit.

228. De sancto Eustachio.

In 1. Vesperis.

1. Adplaudat plebs fidelium,
Dei collaudet filium,
Qui beatum Eustachium
Vocat ad caeli solium.

2. Dolet amore filiis
Spoliatus eximiis,
Martyr subit exsilium
Solum relinquens proprium.

3. Demum volente Domino
Functus honore pristino
Gaudet uxore propria
Reperta cum prosapia.

4. Regem laudat caelestium,
Cultum damnat gentilium,
Vir et sponsa cum filiis
Exponuntur suppliciis.

5. Aeterni Dei filius
Assit nobis propitius,
Nos Eustachii precibus
Defendat a nocentibus.

6. Deo patri sit gloria,
Qui moderatur omnia,
Eiusque soli genito
Cum spiritu paraclito.

Brev. Lemovicense imp. Lemovicis 1495. — 1, 3 Eustochium.

229. De sancto Eustachio.

In Laudibus.

1. Eustachii collaudemus
Virtutum praeconium,
Cordis ei praesentemus
Et oris obsequium,
Ut ad eius penetremus
Beatum consortium.

2. Christi servus baptizatur
Cum uxore propria,
Nec ab eo separatur
Inclita prosapia,
Deum laudat, detestatur
Simulacra noxia.

3. Imperator agitatur
Doloris aculeo,
Martyr cum suis damnatur
Bove clausus aereo,
Ut fervore consumatur,
Exponitur igneo.

4. Christum supplex deprecatur
Postulans auxilium,
Ros descendit, suffocatur
Subiectum incendium,
Stat illaesus, concrematur,
Consummat martyrium.

5. Martyr pie, pietatis
Mira vernans gratia,
Post tantae calamitatis
Praesentis dispendia
Ad supernae claritatis
Nos ducas palatia.

6. Sit laus summo genitori,
Perenni ingenito,
Una Christo redemptori,
Patris unigenito,
Par decus consolatori,
Inclito paraclito.

Brev. Lemovicense imp. Lemovicis 1495.

230. sancto Eustachio.

1. Palma canentes martyris
Egregii Eustachii
Oremus illum seduli,
Ut intercedat pro nobis.

2. Qui gliscens cervum capere,
Quem cursitans secutus est,
Venator praeda facta est,
Nam Christi reti captus est.

3. Mox decoravit nobilem
Domum baptismi munere
Et omnia derelinquens
Natos cum coniuge defert.

4. Quos Placidus rapi videns
Leonis ac lupi ore,
Cupit submergi flumine.
Nam coniunx rapta nautis est.

5. Romani dux exercitus
Orbatus colit hortulum,
Ubi suis militibus
Cicatrix fecit cognitum.

6. Coactus Romam rediens
Invenit raptam coniugem
Simul cum suis filiis,
Quos Deus morte eripuit.

7. Quos conditos christicolas
Adriani ira pessima
Iussit mori in aereo
Bove ardente nimium.

Brev. ms. Civitatense saec. 15. Cod. Archiep. Utin. Oct. 10. A. — Brev. ms. Civitatense anni 1476. Cod. Civitat. LXXIV (28) B. — Antiph. ms. Civitatense saec. 15. Cod. Civitaten. XLIV. C. — 1, 1 Palma ovantes A. — 3, 3 Et fehlt A. — 4, 1 Placida AB.

231. De sancta Eustella.

In 1. Vesperis.

1. Pangere cantica laetitae
Martyris annua Xantonicae
Nos celebris monet ista dies,
Xantona virginis est requies.

2. Regibus edita Xantonicis
Diluit ethnica nata sacris
Crimen aquis, Deus ut statuit
Praesul et Eutropius docuit.

3. Hanc pulit impius urbe parens,
Iesus adest cito compatiens,
Quamque suam probat esse, suus
Sacrat apostolus Eutropius.

4. Dum Sodomis pater ipse manet
Mentis et abdita virgo tenet,
Eutropii comes assidua
Postulat, infidus ut sapiat.

5. Rex cupit anxius, ut redeat,
Vile tumens pater hanc revocat,
Dumque fide manet in dubia,
Eutropium ferus ense necat.

6. Virtus honor sit et imperium,
Christe redemptor, et obsequium
Grata tibi tua Xantonia
Praestet et officiosa canat.

Brev. Xantonense imp. Pictavii 1542.

232. De sancta Eustella.

In Laudibus.

1. En, orta stella Xantones
In orbe lucidat duces,
Diu fuit recondita
Puella, martyr inclita.

2. Virum pudica nesciens
Deo dicata continet
Et idolis renuntians
Regis minas nihil pavet.

3. Eustella vi neci datur,
Et ense rex pater necat,
Digna Deo sic laetatur
Virgo, proles Xantonica.

4. Parentis odit errores,
Fidem probat credentium,
Patris mores fugit leves,
Opes amat fidelium.

5. Honor, salus, potentia
Iesu sit atque gloria,
Qui famulis reluceat
Eustellae per suffragia.

Brev. Xantonense imp. Pictavii 1524.

233. De sancto Evurtio.

Ad Vesperas.

1. Gratuletur ecclesia
Laudans Christi clementiam,
Evurtii sollemnia
Colat agens melodiam.

2. Urbem Romanam exiens
Directus est ad Galliam,
Aurelianis veniens
Praesul fit hic per gratiam.

3. Ad beatum Evurtium
Currit turba gentilium
Et ad baptismum properat,
Ut sic errores deserat.

4. Trium dierum spatio
Baptizat septem milia
Paganorum cum gaudio
Relicta idolatria.

5. Praesul fundat basilicam,
In qua manum dominicam
Vidit sanctus Baudelius,
Dum sacraret Evurtius.

6. Globis ignis furentibus,
Cunctis adhuc currentibus,
Opem plenus virtutibus
Urbi dedit et civibus.

7. Ergo Deo sit gloria,
Quem precemur, ut venia
Nobis data in patria
Aeterna donet praemia.

Offic. ms. S. Evurtii Aurelian. saec. 15. Cod. Vatican. Reg. 623.

234. De sancto Evurtio.

Ad Matutinum.

1. Patris aeterni genitum
Poscamus atque spiritum,
Paraclitum ut hodie
Nobis munus det gratiae.

2. Sanctus praesul Evurtius
Hic prudens et egregius,
Castus vixit et sobrius.
Semper crescens in melius.

3. Aurum invenit positum
In terra et absconditum
Vir sanctus Dei munere,
Dum coepit terram fodere.

4. Qua inventa pecunia
Praesul carens malitia
Augusto misit omnia
Uti volens iustitia.

5. Pie pater et humilis,
Naturae memor fragilis,
Conventum tuum sustine
In huius vitae turbine.

6. Ergo Deo sit gloria,
Quem precemur, ut venia
Nobis data in patria
Aeterna donet praemia.

Offic. ms. S. Evurtii Aurelianen. saec. 15. Cod. Vatican. Reg. 623.

235. De sancto Evurtio.

Ad Laudes.

1. Evurtii sollemnia
Orbe florent sancti diva.
Aurelianis floride
Sollemnizantur abunde.

2. Evurtius mox gratia
Pontifex Dei gloria
Constitutus clementia
Praedixit hinc prodigia.

3. Ignis ingens urbe coepit,
Plebs nobilis fere saevit,
Praesul orans, cedit flamma,
Exstinguitur prorsus cauma.

4. Gratulatur cum gaudio
Praesentatis eloquio
Annos temporis spatio
Post fratribus quadraginta.

5. Mori die dominica
Anianum prophetica
Praesulem, voce caelica
Sic coruscant miracula.

6. Corpus eius decentius
A Stephani ecclesia
Cum referretur brevius,
Grandis oritur pluvia.

7. Baiulos neque tetigit,
Ferentibus lux refulsit,
Post transitum perpetuis
Decoratur miraculis.

8. Ergo Deo sit gloria,
Quem precemur, ut venia
Nobis data in patria
Aeterna donet praemia.

Offic. ms. S. Evurtii Aurelian. saec. 15. Cod. Vatican. Reg. 623. — 3, 3 sedit.

236. In Translatione s. Evurtii.

Ad Vesperas.

1. *Conditor alme siderum,*
Laus et honor sacerdotum,
Emunda sordes scelerum
Per praesulis antidotum.

2. *Qui condolens interitu*
Perire Aurelianos
Suo grato intuitu
Evurtium misit ad nos.

3. *Vergente mundi vespere*
Evurtius eligitur
Et clausis culpae carcere
Aurelianis mittitur.

4. *Cuius forti poeentia*
Elementa oboediunt,
Et verba sapientiae
Infideles erudiunt.

5. *Te beprecamur, hagie,*
Ut nos a malis liberes,
Et virtutis egregiae
Propina fructus uberes.

6. Patri, proli ac flamini
Sit laus et iubilatio,
Qui nos sanctorum agmini
Coniungat cum Evurtio.

Offic. ms. S. Evurtii Aurelianen. saec. 15. Cod. Vatican. Reg. 623 — 3, 3 clausit. — Die gesperrten Verse aus dem Hymnus Conditor alme siderum.

237. De sancto Evurtio.

Ad Nocturnam.

1. Pange, lingua, gloriosi
Evurtii merita,
Hominis tam virtuosi
In morte et in vita,
Cuius actus feriosi
Gesta probant inclita.

2. Nobis datum in pastorem
Veneremur supplices,
Requiramus protectorem
Contra hostis obices
Et habeamus ductorem,
Ubi manent felices.

3. In supremo vitae fine
Praedicavit fratribus,
Ut observent legem plene
Cum aliis fidelibus,
Ut fructu aeternae cenae
Pascantur cum ovibus.

4. Verbum vitae praedicavit
Cum exemplis ceteris
Ac subditos confortavit
Verbo, vita, literis,
Ac devotos collocavit
Cum civibus superis.

5. Tantum ergo pontificem
Honoremus amantes,
Qui supra caeli verticem
Videt sanctos laetantes
Ac omnium artificem
Sine fine laudantes.

6. Patri, nato, procedenti,
Trinitati eminenti
Honor cum laude decenti
Sit et benedictio,
Qui nos in regno fulgenti
Locet cum Evurtio.

Offic. ms. S. Evurtii Aurelianen. saec. 15. Cod. Vatican. Reg. 623. — 1, 5 feriori.

238. De sancto Evurtio.

Ad Laudes.

1. Iesu, salvator saeculi,
Sublimasti Evurtium
Dignitate miraculi
Pro salute credentium.

2. Successor Desiniani
Fuit sanctus Evurtius,
Qui virtutes Aniani
Publicavit apertius.

3. Nam per ipsius media
Fraenantur homicidia,
Et repelluntur odia,
Accumulantur gaudia.

4. Ignis vorans urbem vastat,
Sed dum sanctus Evurtius
In oratione perstat,
Exstinguitur velocius.

5. Vixit in episcopio
Lustris quatuor integris,
Sed semper affectu pio
Moribus medetur aegris.

6. Decora sit laudatio
Deo atque Evurtio.
Et hymnorum servitio
Servetur nostra contio.

Offic. ms. S. Evurtii Aurelianen. saec. 15. Cod. Vatic. Regin. 623. — 3, 2 repellantur. — 4, 4 Exstinguntur. — 5, 1 Dixit.

239. De ss. Fide, Spe et Caritate.

Ad Vesp. et Noct.

1. Christe, decus, honor, virtus
atque sponsus virginum,
Preces, votum atque hymnum
suscipe clementius.
Quem decantat famulorum
coetus tibi cernuus.

2. In hac die, qua sanctarum
celebramus virginum
Fidei, Spei, Caritatis
insigne martyrium
Et Sophiae matris harum
pretiosum obitum.

3. Harum formam Adrianus
non valens eximiam
Provocare, ut Dianam
adorent spurcissimam,
Igni, ferro mox funesta
delevit saevitia.

4. Praesta, Christe, quod sit nobis
gloriosa genetrix
Puellarum, quae resplendent
nomine et meritis,
Oratrix apud te pia
pro reatu criminis.

5. Impetretque sancta Fides
fidem invictissimam,
Sancta Spes vitae aeternae
spem gaudenter tribuat,
Geminamque caritatem
ferat sancta Caritas.

6. Praesta, pater, praesta, fili,
praesta, sancte spiritus,
Quod precamur harum nobis
per sanctarum meritum,
Cui laus est et potestas
per aeterna saecula.

Brev. ms. Cadurcense saec. 14. Cod. Voravien. 77 [157].

240. De ss. Fide, Spe et Caritate.

Ad Laudes.

1. Trine Deus atque une,
laudes tibi pangimus,
Qui sub typo trinitatis
in virtutum trivio
Fidem, Spem et Caritatem
ordinasti virgines.

2. Harum mater consequenter
dicta Sapientia,
Laeta mater ex proventu
felix trinae sobolis,
Quae virtutes gerunt mente,
quas gerunt in nomine.

3. Felix dies, quae germanas
has in lucem protulit,
Felix terra, quae tantarum
renitet pignoribus,
Felix chorus angelorum
fulgens his lampadibus.

4. Vos precamur, almae Christi
virgines et martyres,
Cum parente, quae vos digna
fuit tales gignere,
Ut oretis apud Deum
pro nostris sceleribus.

5. Sit laus omni creatori,
qui vos tales edidit,
Decus soli, decus poli
et decus mortalium
Nunc et semper et in cunctis
saeculorum saeculis.

Brev. ms. Cadurcense saec. 14. Cod. Voravien. 77 [157].

241. In translatione s. Fidis.

1. O quam laeta dies emicat ista,
Agennis nec erit tristior ulla,
In qua virgo Fides martyr et ipsa
Servis plena suis gaudia praestat.

2. Nobis tam salubris nulla refluit,
Quam translata Fides virgo sacravit,
Cum nostras voluit visere Conchas,
Sedem quasque sibi deligit ipsa.

3. Iota rite die carmine laudes
Conchacensis ei contio cantet,
Ut, quae praesto manet corpore praesens,
Nobis auxilio non sit et absens.

4. Supra quam valeat lingua profari,
Praeclari meriti maxima martyr,
Nostrae percipias cantica laudis,
Per te spem gerimus posse iuvari.

5. Quam pulchra facie virgo fuisti,
Tu plus pulchra fide sed nituisti,
Inter caelicolas unde refulges,
Multos despiciens inferiores.

6. Ardens perpetui regis amore,
Multis virginibus visa praeesse,
Sponso celsithrono basia figis
Amplexumque tenes, quem coluisti.

7. Duc nos respiciens arce polorum.
Vultum verte tuum, virgo, serenum
Dignerisque tuum visere templum,
Corpus, quod proprium continet almum.

8. Ex hoc, virgo, loco noxia pellas,
Hunc et perpetuo munere serva,
Ut secura quies nocte dieque
Nos semper foveat, poscimus et te.

9. Praepollens meritis martyr ubique,
Te pronis petimus mentibus, ecce,
Ut te pro famulis subveniente
Possit nostra Deo vita placere.

10. O virgo rutilans laude perenni,
Sponsi valde potens munere Christi,
Da virtute tua prospera cuncta
Oratuque tuo crimina purga.

11. Virtus subsidium sit tua forte,
Si quos auxilio constat egere,
Illos et validis viribus auge,
Ne sese doleant succubuisse.

12. Solamen miseris sis quoque firmum,
Quos sors dura premit mole malorum,
Tristis quosque tenet sollicitudo,
Adversis laqueis eripe, virgo.

13. Adiutrix tua sit dextera praesens,
Praestans, quae bona sunt, aspera pulsans,
Conservans placidos frange rebelles
Et tutata pios confere sontes.

14. Attendisse velis vota tuorum,
Ipsis quidquid inest, tolle nocivum,
Mentis pelle metus, gaudia praebe,
Pestis possit eos nulla nocere.

15. Si nos, quam satis est, deseris ultra,
Non spes auxilii nos habet ulla;
Ut nos respicias, ergo precamur,
Magnum namque tuum posse fatemur.

16. Sanctus vix aliquid praevalet ullus,
Non implere valet quod tua virtus,
Excepta Domini matre Maria
Est tam virgo potens cognita nulla.

17. Quos gaudere facis, virgo perennis,
Translatu proprii corporis almi,
Viventes et in hoc protege saeclo
Post et nos tribuas vivere caelo.

18. Illustris suboles, inclita Fides,
Cum Christo tibi sit gloria perpes,
Nostri cura tibi sit specialis;
Ergo coetus Amen personet omnis.

Passionale ms. Conchense saec. 11 ex. Cod. Selestadien. 95 (1187). — 12, 2 Quo. — 16, 3 Exspectat Domini mater. — 17, 4 nos fehlt. — 18, 3 sit fehlt. — Überschrift „Versus de eadem translatione."

242. De sancta Fide.

1. Mare, fons, ostium, portus, asylum,
Corona martyrum, factor bonorum,
A te bona fluunt, ad te recurrunt.

2. Virgo, flos virginum, Fides, sanctarum,
Mercans consortium passa piorum,
Sponso prompta locum intrat sapientum.

3. Gaudet laetitia lux hodierna,
Mundi per climata signis ornata,
Poscunt plebis vota iustis profutura.

4. Preces, sponsa Christi, horum exaudi,
Pondus quos proprii premit delicti,
Fac, ut sint soluti laudentque redempti.

5. Sit laus Deo patri patris et proli
Sanctoque spiritui, compari in omni,
Potestate Dei per tempora saecli.

Hymn. ms. Sangallense saec. 15. Cod. Sangallen. 16. — 4, 1 huius exaudi.

243. De sancta Fortunata.

Ad Vesperas.

1. Fortunata amabilis
Et virgo Christi nobilis
Reliquit mundi terminos,
Conscendit caelos arduos.

2. A sua pueritia
Sequens Christi vestigia
Renuntiatis omnibus
Resplendet in caelestibus.

3. Non dilexit terrestria
Nec blandimenta mollia,
Sed pergens ad supplicia
Pro Christo horribilia.

4. Ut mereretur ingredi
Thalamum regis, avidi
Non timuit tyrannidem
Adversam et immanidem.

5. Carceratur, custoditur,
Decalvatur, sic trahitur,
Fitque ad ignominia
Pro cultus verecundia.

6. Facto Christo precamine
Angelico iuvamine
Alba veste induitur,
Corpus sic cooperitur.

7. Cunctisque admirantibus
Donatur serrae dentibus,
Virgo Christi iuvencula
Remansit sine macula.

8. Bestiarum datur unguibus,
Ut devoretur dentibus,
Inclinatis cervicibus
Tradit se Dei nutibus.

9. Sententiatur denique,
Ut abscindatur capite,
Virgoque flectit genua,
Penetrat caeli limina.

10. Sic virgo Christi inclita,
Sequens Christi vestigia,
Tormenta terribilia
Portavit multa milia.

11. O virgo Christi nobilis,
Esto nostra advocatrix
Apud Deum altissimum,
Quo ducat nos ad bravium.

12. Sit Deo patri gloria,
Sit filio victoria,
Honor sit sancto flamini
Per saecula laudabili.

Offic. ms. 88. Fortunatae et Gaudiosi saec. 16. Cod. Vatic. Regin. 1794. A. — Offic. S. Fortunatae virginis et S. Gaudiosi episcopi et confessoris. Imp. Neapoli (apud Cacchium et socios) 1568. B. — Statt 2. 4 in A folgende drei Zeilen:

Caelestis mansionibus
Introiensque fulgida
Resplendes sicut sidera.

4. 4 Minantem, mugitum dantem A. — 5. 3 Fit ei ignominia B. — 5. 4 Ad caelorum scrutinia. B. — 6. 1 Christi AB; precamina A. — 6. 4 Eius corpus sic tegitur B. — 8. 1 Datur bestiarum A. — 9. 2 absindatur A. — 9. 3 flecti A. — (Str. 10 fehlt B.) — 10. 2 Sequi A. — 10. 4 Portavi A. — 11. 2 Sis pro nobis immobilis B. — 11. 4 Qui B; ducat nos te bravium A. —

244. De sancta Fortunata.

Ad Matutinum.

1. Virginis sacrae Fortunatae festa
Mente devota celebremus omnes,
Inclitos eius simul ac triumphos
Rite canamus.

2. Haec Dei legem meditando semper,
Hic via matris fugiendo cultus
Iudicis saevi meruit feroces
Vincere poenas.

3. Ferream serram superavit audax,
Carceris caecas tenebras famemque
Atque per talos tenebrata pendens
Pectore forti.

4. Bestiae saevae rabie remota
Membra sacrata laniare mutant,
Sed cito pronae pedibus beatis
Oscula praebent.

5. Regna spondendo placite polorum
Ethnicos multos tenebris ligatos
Gratiam Christi fideique lucem
Cernere fecit.

6. Post triumphatos varios agones
Fratribus ternis celebrando virgo
Sanguinem fundens penetravit alma
Celsa polorum.

7. Unde devoti, nimium beata,
Quae Christum potes precibus precare,
Cuncta quo nobis famulis relaxet
Crimina clemens,

8. Quo tuis sanctis meritis redempti
Nullus ex nobis pereat fidelis,
Sed Dei regnum mereamur omnes
Scandere laeti.

9. Gloria patri resonemus omnes
Et tibi, Christe, genite superne,
Cum quibus sanctus simul et creator
Spiritus regnat.

Offic. ms. ss. Fortunatae et Gaudiosi saec. 16. Cod. Vatican. Regin. 1794. A. — Offic. ss. Fortunatae et Gaudiosi imp. Neapoli 1568. B. — 1, 1 fortunata festa AB; der Eigenname stört an dieser Stelle das sonst beobachtete Metrum. — 2, 2 Haec. B. — 3, 3 tales B. 4, 2 mitant A. — 6, 1 varias A. — 7, 2 Quibus Christum AB; potes fehlt A. — 7, 3 Cunctaque AB; relaxat A. — 9, 1 patri genitaeque proli A. — 9, 2 Et tibi compar A; das weitere fehlt A.

245. De sancta Fortunata.

Ad Laudes.

1. Fortunata, florens gratia,
Forma facta humilium.
Sortis consors sublimium,
Iesu corona virginum.

2. Qui pascis inter lilia,
Carnem mundumque conterens,
Hostes malignos proterens
Lauream victor meruit.

3. Quocumque pergunt, virgines
Fugantque extra daemones,
Dignae sunt ad caelestia
Hae pervenire gaudia.

4. Qui Fortunatae erogat
Devotionis gloriam.
Mereatur conscendere
Ad caeli vere ardua.

5. Quae flores florum prodiit
Principi huius saeculi.
Digne precetur Dominum
Pro nostris facinoribus.

6. Trino Deo et simplici
Laus, honor, virtus, gloria,
Qui Fortunatam condidit,
Ducat nos ad magnalia.

Offic. ms. ss. Fortunatae et Gaudiosi saec. 16. Cod. Vatican. Regin. 1794. A. — Offic. ss. Fortunatae et Gaudiosi imp. Neapoli 1568. B. — 1, 1 der Eigenname stört hier den Rhythmus wie im vorigen Hymnus das Metrum. — 2, 3 praeteriens B. — 2, 4 Auream victor AB. — 3, 2 Fugant quae B. 3, 4 I pervenire B; Pervenire ad A. — 4, 4 vera B. — 5, 1 augenscheinlich verderbt. — 6, 1 Deo et humili AB.

246. De sancto Francisco.

Ad Horas.

1. Memento nostri iugiter,
Francisce, pater inclite,
Fac nos |temet| veraciter
Tuo sectari tramite.

2. Pro tuis ora filiis,
Ut crucifixo placeant,
Precum tuarum studiis
Vitam aeternam habeant

3. Patrem, natum, paraclitum
Laudent, adorent omnia,
Per huius sancti meritum
Salvi simus in gloria.

Horar. ms. Franciscanum saec. 15. Cod. Vatic. Regin. 165. — Die übrigen Hymnen und rhythmischen Antiphonen etc. dieses Stundengebetes sind dem gewöhnlichen Franziskus-Officium entlehnt. Das Invitatorium lautet: Regem Christum, qui Franciscum Ornavit donis insignum [!, Venite adoremus.

247. De sancto Fulgentio.

Ad. Vesp. et Noct.

1. Fulgenti, martyr inclite,
Salve, laude dignissime,
Eximiorum operum
Es tu consors caelestium.

2. Beatam vitam nactus es,
Dum eras in hoc saeculo,
Contemplativam scilicet,
Activam et similiter.

3. Apostolorum principis
In aula subdiaconus
Tu consecratus crederis
Condignis tuis meritis.

4. Utriculensis ecclesiae
Clero volente et populo
Sumpsisti sacram infulam;
Ipsis assis indigenis.

5. Missus de caelo veniens
Multa passurum indicat
A perfido te Totila
Confortatque ad praemia.

6. Tu nempe munus impii
Sprevistique supplicia,
Sponderat qui ferociter,
Ut Christum tu desereres.

7. Sit Christo Iesu gloria
In saeculorum saecula,
Qui facit tanti martyris
Gaudere nos reliquiis.

Brev. ms. Franciscan. Otriculen. saec. 14. in. Cod. Vatican. 10000. add. saec. $^{14}/_{15}$.

248. De sancto Fulgentio.

Ad Laudes.

1. Tunc poni te in foveam
Fecit per Gothos impios
Caesum cum duris fustibus,
Mandans, ne panem duceres.

2. Columba nimis candida
De caelo venit subito,
Occultans locum stantibus,
Caelitus est quo positus.

3. Non videtur, vox auditur,
Stans martyr intra foveam
Oransque sibi tribui
Vitae perennis gloriam.

4. Cum illa vix evanuit,
Visi fuerunt angeli
Ferentes suam animam
Ad aulam veri luminis.

5. O martyr beatissime,
Nunc nostras [preces] suscipe,
Pro nobis Deum rogita,
Quod parcat nobis crimina.

6. Deus pater piissime,
Te deprecamur supplices,
Fulgentii quod precibus
Purgemur a criminibus.

Brev. ms. Franciscan. Otriculen. saec. 14. in. Cod. Vatican. 10000. add. saec. $^{14}/_{15}$. — 5, 4 Lies: Quod purget nostra crimina?

249. De sancto Galectorio.

Ad Vesp. et Laud.

1. Virtus patens prodigiis
Luce coruscat clarius,
Christum sequens vestigiis
Beatus Galectorius.

2. Praesul et pater patriae,
Miles, athleta strenuus,
Lascurrensis ecclesiae
Patronus et praecipuus.

3. Vitam morte promeruit,
Quae mortis nescit terminum,
Vita, doctrina splenduit
Lucens in luce luminum.

4. Patri, nato, spiritui
Sancto decus et gloria;
Per hunc sint nostro coetui
Vitae perennis praemia.

Brev. Lascurrense imp. Lascurris 1541 (reimp 1891) — 2, 4 ut praecipuus.

250. De sancto Galectorio.

Ad Nocturnum.

1. In caelestis aerario
Regni gemma reconditur
Praesulum, qui martyrio
Clarus poenis non vincitur.

2. Beatus Galectorius
Gotorum spreto robore
Pugnat pro fide fortius
Burdigalensi littore.

3. Consummatus feliciter
Morte sed victis hostibus
Iacet venerabiliter
Lascurris dignis laudibus.

4. Patri, nato, spiritui
Sancto decus et gloria,
Per hunc sint nostro coetui
Vitae perennis praemia.

Brev. Lascurrense imp. Lascurris 1541 (reimp. 1891).

251. De sancto Galgano.

Ad Vesperas.

1. Plaudat chorus angelorum,
Resultet terra gaudiis,
Dum ditatur beatorum
Galganus sanctus praemiis.

2. Nobilium ex genere
Galganus mundo claruit,
Quem suo Deus munere
Salutis iter docuit.

3. Archangelus apparuit
Sibi prius per somnium,
Se sequatur admonuit
Ad locum solitarium.

4. Format crucem ensem figens,
Vocem audit, sistat pedem,
Locum colat non recedens,
Ubi sanctam vidit aedem.

5. Imitator praecursoris
Herbis, aqua potu sumpta
Se pascebat certis horis,
Sic mundana sprevit cuncta.

6. Deus, creator omnium,
Sancti Galgani precibus
Da sempiternum gaudium
Sua festa colentibus.

Offic. ms. Visitat. BMV. S. Galgani, saec. 16, Cod. Senen. F VI 22.

252. De sancto Gaudioso.

Ad Vesperas.

1. Supernae lucis claritas
Novum collegam recipit,
Irradiata veritas
A diro taetro redimit.

2. In noctem nempe saeculi
Plenus fulsit virtutibus
Clarus director populi
Velut caelum sideribus.

3. Cum corpus eius teritur,
Lymphis ponit edulium,
Lumen e caelo funditur
Illustrans orbis saeculum.

4. Hic regulat flagitium
Perfidae gentis proelium,
Templo tollit supplicium
Peractis ad exsilium.

5. Quo repletus deifice
Plebi profert salvifica,
Ubique fatur authentice
Dei praeco mirifica.

6. Dum patitur dispendium,
Datur sollerti studio,
Christus eius ingenium
Suo perfudit radio.

7. Trinitatis imperio
Laudes solvamus modulo,
Utriusque paraclito
Munus canamus iubilo.

Offic. ms. ss. Fortunatae et Gaudiosi saec. 16. Cod. Vatican. Reg. 1794. A. — Offic. ss. Fortunatae et Gaudiosi imp. Neapoli 1568. B, — 1, 4 redime B. — 4, 2 Pro fide.

253. De sancto Gaudioso.

Ad Nocturnum.

1. Iesu lux vera rutilat,
Lucis candoris plenius,
Se Gaudiosus similat
Veraeque lucis filius.

2. Nam iubar summi sideris
Semper gessit in facie,
Dum calcat thronum agminis,
Fide pollet in acie.

3. Pestem mortis exterminat
Fulgore sapientiae,
Sed pacis dono cumulat
Reos per cultum gratiae.

4. Aestum ardoris temperat
Stillans rorem munditiae,
Carnem mundumque macerat,
Pro vita innocentiae.

5. Hic mente sursum habitat
Quam angelis parificat,
Luxu iacentes increpat,
Nos spiritu laetificat.

6. Ergo tu, pater praedite,
Procura tibi subditis,
In patria iam inclite,
Nos suffragare meritis.

7. Caelorum frangit hostia
Nitens decoris baculo,
Ut per ipsius merita
Crucis salvemur baiulo.

Offic. ms. ss. Fortunatae et Gaudiosi saec. 16. Cod. Vatican. Reg. 1794. A. — Offic. ss. Fortunatae et Gaudiosi imp. Neapoli 1568. B. — 2, 4 polle B. — 3, 4 Eos per A. — 4, 3 Carne A ; mundoque B. — 4, 4 vitae innocentiae AB.

254. De sancto Gaudioso.

Ad Laudes.

1. Iam sidus caeli radiat
Manens in hoc ergastulo,
Nutu divino properat
Id vocitante populo.

2. En, gratuletur cuneus
Tanto fulcitus praesule,
Dum sublimatur caelitus
Superno micante numine.

3. Nudo tellure carpitur
Servans carnis munditiam,
Mundus subactus labitur
Tenens altam clementiam.

4. Antra deserti petiit
Sustentans penalitatem,
Bella concussa abstulit
Demonstrans hilaritatem.

5. Multis clarens miraculis
Spiratos resuscitavit,
Caelum procuret parvulis,
Qui devios reparavit.

6. Te deprecante iugiter
Tuis detur sororibus
Hostem calcare fortiter
Et cum suis ultoribus.

7. Laus, honor, virtus, gloria
Trinitati mirificae.
Quae cunctis exstat praevia,
Sit pro tanto pontifice.

Offic. ms. ss. Fortunatae et Gaudiosi saec. 16. Cod. Vatican. Reg. 1794. A. — Offic. ms. ss. Fortunatae et Gaudiosi imp. Neapoli 1568. B. — 2, 1 gratuletur cunctus B. — 2, 2 Tanto fulgente praesule B. — 5, 4 reperavit A; recuperavit B. — 6, 2 Die Officien sind für ein Nonnenkloster bestimmt. —

255. De sancta Gebetrude.

1. Christe, verbum patris omnipotentis,
Perpes flos virginum virgine natum
Manens perpetuum suscipe votum.

2. Sancta Gebetrudis, clemens sis nobis,
Ora nos eripi poenis Averni
Et tecum perfrui gaudiis caeli.

3. Sit laus trinitati, laus unitati,
Splendida gloria, maiestas una,
Iuge imperium omne per aevum.

Brev. ms. Romarici Montis saec. 16. Cod. Spinalien. 164 (77) A. — Hymn. ms. Romarici Montis saec. 15. Cod. Spinalien. 194 (86) B. — Lesarten keine. — 1, 2 natum schützt der Reim.

256. De sancta Gebetrude.

1. Exsultet plebs fidelium
Et imploret auxilium
Summi paterni numinis
Festum colendo virginis.

2. Psallat chorus in iubilo,
Preces fundat in nubilo
Recolamus et inclita
Virginis sacrae merita.

3. Haec sponso fuit obvia
Mundi contemnens gaudia,
Oleum secum detulit
Christo ardendo obtulit.

4. Ob hoc, sponso gratissima,
Virgo excellentissima
Laetatur in caelestibus,
Laetis iuncta agminibus.

5. O Gebetrudis domina,
Posce nobis solamina,
Ut mereamur scandere
Apud sponsum in aethere.

6. Sit Deo patri praemium,
Laus, honor et imperium,
Una cum unigenito
Et spiritu paraclito.

Brev. ms. Romarici Montis saec. 16. Cod. Spinalien. 164 (77).

257. De sancto Gendulfo.

1. Iesu, sanctorum praemium,
Perpes corona praesulum,
Aurem tuam clementius
Nostris impende vocibus.

2. Sancti Gendulfi, quaesumus,
Piis placare precibus,
Ut aegra nostri corporis
Curet medela salubri.

3. Aufer a nobis noxia,
Quibus crescunt peccamina,
Triumphum praebe scelerum
Et de triumpho praemium.

4. Victrici nostra tempora
Cinge corona laurea,
Ut sis victor in milite,
Qui es princeps in principe.

5. Tibi sit, Christe, gloria,
Qui, quod est simplex, triplicas,
Simplas et idem pariter,
Quod solum esse permanet.

Lect. ms. s. Trinitatis de Moriniaco saec. 12. Cod. Vatic. Regin. 529.

258. De sancto Gendulfo.

Ad Laudes.

1. Inter caelicolas aetheris omnes
Qui summae renites lampadis instar,
Nostra, beate, nubila pelle.

2. Et quem clara capit regia caeli,
Hortamur precibus flectere nostris.
Nos tua tecum gratia sistat.

3. Et quem nulla tenent vincula mortis,
Sed captiva cubant et pede pressa.
Munera posce maxima vitae.

4. Sit virtus parilis lausque perennis
Patri cum genito flamine necnon.
Est cui trinum nomen et unum.

Lect. ms. s. Trinitatis de Moriniaco saec. 12. Cod. Vatican. Reg. 529 — 1, 2 retines.

259. De sancta Genovefa.

1. En, dies splendet veneranda nobis,
Qua poli celsam penetravit arcem
Munda delictis Genovefa virgo
Corpore spreto.

2. Commorans in quo decadas per octo
Propter infirmos fidei calore
Multa congessit populi sub ore
Signa venusta.

3. Mortuos mortis revocans ab ore
Reddidit vitae tribuente Christo.
Mortis auctorem superavit ipsum
Qua ratione.

4. Cruribus claudos pedibusque suris
Sic reformavit fugiente morbo,
Pristinum quirent iter ut subire
More valentum.

5. Debilis visu pariterque dextra,
Huius ut vidit faciem virentem,
In suam sospes remeavit aedem
Cuncta patrando.

6. Spiritus nequam penetravit et quem
Eius oratu precibusque dignis
Liber effectus referebat odas
Altitonanti.

7. Febre correptos variaque peste,
E quibus possunt numerare mille,
In statum priscum revocavit ipsa
Corde sereno.

8. De quibus nullus typhus hanc adivit,
Ut superbiret patris instar Adae
Angeli necnon satanae docentis
Omnia prava.

9. Sed suos tantum maceravit artus,
Vix ut hanc vitam gereret caducam,
Mens ut exstaret humilis sub ipsis
Actibus almis.

10. Post suam mortem meritum per eius
Turba languentes recreata fulsit,
Dum sui tumbam tetigit sepulcri
Mente fideli.

11. Calculo tritus moriensque quidam
Vectus est illuc aliorum ulnis,
Ad domum sanus propriam redivit
Tripudiando.

12. Quisquis advenit patiens immundos
Spiritus illuc fuit et moratus,
Vidimus, sospes rediit quod inde
Daemoniacus.

13. Virgo quapropter petimus pudica,
Ut tuis nobis precibus salutem
A Deo poscas tribui perennem,
Cui placuisti.

14. Insuper rectae fidei vigorem
Perpetis necnon caritatis imbrem
Ac simul spei tribuat valorem,
Posce tonantem.

15. Ulla ne nobis queat impedire
Caeca convolvens tenebras potestas
Ignis aeterni sibi deputatas
Orbis ab ortu.

16. Angelus nobis potius sed assit
Splendidus, monstrans habitata, sancti
Quae suis factis meruere dignis
In paradiso.

17. Patris aeterni fabricantis aethram
Eius et nati redimentis orbem,
Spiritus sancti celebretur una
Gloria perpes.

Pass. ms. S. Eligii Noviomen. saec. ^{10} 11. Cod. Sangenovefian. 3013 (Hl VIII° 2.) — 4, 1 clodos. — 6, 1 et quam. — 7, 1 correctos variaque pestis. — 8, 1 typus. — 10, 1 mortem suam. — 12, 1 immundo. — Verfasser des Hymnus Vitus Felix decanus. Es folgen nämlich auf denselben die Verse:

Virginis angelicae cernis, lector, Genovefae
Virtutes, Vitus Felix levita piavit
Nobilitate illic fulgens et honore decanus,
Cernere qui sacram iugiter sublimibus ardet etc.

Vgl. Saintyves, PMB. Vie de sainte Geneviève, Paris 1846, p. CXXIX.; Kohler, Ch. Étude critique sur la vie de sainte Geneviève (Bibl. de l'École des chartes fasc. 48).

260. De sancta Genovefa.

1. In praeclara Genovefae
Virginis celebritate
Apostolica resultet
Omni laude ecclesia.

2. Sincera cordis in ara
Litet grata libamina
Atque voce hymnidica
Concrepet carmina dictis.

3. Inter ignitos lapides
Aeterni diadematis
Gemma Dei Genovefa
In aethereis adnexa.

4. Perennis ovans gloriae
Fulget lampade coruscans,
Virgineis iuncta choris
Aurea possidet astra.

5. In terrisque innumeris
Praenitescit prodigiis,
Quam excoluit Gallia
Immensam sui gloriam.

6. Quam vero stella caelestis
Climatibus occiduis
Eoo veniens praesul
Reperit olim Germanus.

7. Cuius illustris praevius
Nutu divino effectus
Ac enormis paranymphus
Ornamentis sponsalibus.

8. Sacri nummismatis Christo
Regi nupsit sidereo,
Instruens sponsi thalamo
Excubare praecipuo.

9. Quae primo flore virtutum
Fructum protulit luminis,
Quod in propriae amissum
Salute revexit matris.

10. Urbem protexit hostibus
Parisiacam precibus,
Quondam transscendens terrea
Regna petivit beata.

11. Averni claustra deducta
Virgo permansit illaesa,
Ubi gaudia iustorum
Poenam vidit et malorum.

12. Et regressa a superis
Domus pudici pectoris
Valde tremenda nonnullis
Prodidit occulta cordis.

13. Post quadriennem puerum,
Quem puteus absorbuit,
A taetrae mortis ereptum
Vinculo matri reddidit.

14. Cuius munimine fulti
Mereamur eius sponsi
Cum lampadibus virtutum
Penetrare cubiculum.

15. Unde laus patri aeterno
Una cum eius filio
Et spiritu paraclito
In saeculorum saecula.

Pass. ms. S. Eligii Noviomen. saec. $^{10}/_{11}$. Cod. Sangenovofan. 3013 (Hl VIII° 2). — 1, 1 Genovefa. — 6, 3 Eo oveniens. — 9, 1 virtutum flore. — 13, 3 sq. vinculo ereptum. — 15, 3 Sit spiritui paraclito. — Aufschrift: Hymnus eiusdem. — Vgl. Saintyves l. c. p. CXLI.

261. De sancta Genovefa.

1. En, nobis species splendida vernans
Festum, quod colitur, innuit almum
Melos in iubilo promere cantum
Almae pro meritis nunc Genovefae.

2. Haec primaeva manens alma puella
Monstrant pontifices quis Lupus alter
Germanus Domini sponsat honore,
Quam praesul Villicus postque sacravit.

3. Sistens per decadas corporis octo
Defunctis valuit reddere vitam,
Infirmis pariter sancta salutem
Cunctis et populis signa venusta.

4. Auctorem superans mortis et ipsa
Auctorem sequitur omnibus horis
Christum, quem venerans nocte dieque
Servit semper ovans virgo sacrata.

5. Nos hymnis simul et laudibus almis,
Psalmis hymnidicis hanc honoremus,
Quo sancta prece nos abluat omnes
Et mundos faciat sistere Christo.

6. Christo doxa, patri pneumate cumque,
Cui constat honor imperiumque,
Unus qui Deus est cuncta gubernans,
Regnans ac moderans saecula cuncta.

Pass. ms. S. Eligii Noviomen. saec. $^{10}/_{11}$. Cod. Sangenovefan. 3013 (Hl. VIII 2). — 2, 4 Vilicus. — 3, 3 salute. — 4, 3 Spm quem. — Cfr. Saintyves l. c. CXLI.

262. De s. Georgio Suellensi.

1. Ave, praesul Suellensis,
Deum semper diligens,
Habens linguam, bone, ensis
Viam Dei edocens.
Propter quod es cum immensis
Regnum Dei possidens.

2. Tu in mundo docuisti
Dominum diligere,
Per opera demonstrasti
Ad caelos ascendere
Semperque invigilasti
Languidis occurrere.

3. O felix pontifex noster,
Angelorum concivis.
Qui semper fuisti pater
Succurrensque miseris,
Quem portavit tua mater
Sanctum semper in ulnis.

4. Pastorali insignitus
Huius sedis baculo.
Gregem pasce, quo fulcitus
Es, caelesti pabulo,
Placa Deum non oblitus
Providere populo.

5. Laus, virtus et honor Deo
Sit patri ingenito,
Flamine et Nazaraeo,
Patris unigenito,
Qui dat pacem cum tropaeo
Georgio inclito.

Apodix sanctitatis s. Georgii Suellensis episcopi auct. Fr. Dima Serpi Calaritano O. Min. impr. Romae 1609. — Er teilt leider nur ein Bruchstück des Officiums mit: „ex ipso originali in archivo s. metropolitanae ecclesiae Calaritanae recondito extractum"; dasselbe sei gleich nach dem Tode des Heiligen (1117) in der ganzen Diöcese in Gebrauch gewesen. — Das Officium zeigt rhythmische Teile:

Ad Magnificat in I. Vesp.:

Hodie Georgius
Pontifex Suellensis,
Confessor egregius.
Laetatur in excelsis
Et ibi superius
Dominum exaltat
Et corde interius
Deum magnificat.

263. De sancto Georgio.

Ad Nocturnum.

1. Georgii militia
Latii vicit vitia
Regis succurrens filiae.
Splendor paternae gloriae.

2. Efficitur Georgius
Praedicator egregius,
Quem illustravit caelitus
A patre unigenitus.

3. Opes magnas distribuens,
Mortem pro Deo sitiens,
Pro te complet martyrium,
Christe, redemptor omnium.

4. Regi aeterno militans,
Hostes cunctos suppeditans,
Sic pugnat invictissime,
Caeli Deus sanctissime.

5. Georgii virtutibus
Piis ac sanctis precibus
Nos solvat nexu criminis
Consors paterni luminis

6. In eius nunc praeconia
Linguam solvat ecclesia,
Et a sanctis spiritibus
Exsultet caelum laudibus.

7. Vincens tormenta omnia
Transit ad caeli gaudia,
Commutant mundi aspera
Aeterna Christi munera.

8. Sunt sancti Dei humiles,
Ut perducantur habiles,
Non superbi nec invidi,
Ad cenam agni providi.

9. Quaesumus, auctor omnium,
Per martyris suffragium
Sis in paschali gaudio,
Iesu, nostra redemptio.

10. Gloria tibi, Domine,
Qui surrexisti libere,
Rogamus, praestes praemia
Beata nobis gaudia.

Hymn. ms. S. Petri Mart. Utinen. saec. 16. Cod. Civit. Utinen. s. n. — 1, 3 sucarens. — 6, 2 Lingua. — 7, 3 Commutat.

264. De sancto Georgio.

Ad Processionem.

Salve, festa dies, toto venerabilis aevo,
Qua pugil Anglorum migrat ab orbe polo.
Ecce, patent orbi sollemnia festa Georgi,
Martyris insignis militiaque potens.
Virgo reservatur, ingens draco morte necatur
Martyris eximii praesidioque Dei.
Rex, regina, domus sua sacro fonte levantur
Inque Deum credunt milia quinque virum.
O pugil Anglorum, pugna cum forma virorum,
Prospiciens famulis semper adesto tuis.
Henricus quintus, rex Anglus, et Anglia tota
Regnet pace Dei gaudia pacis habens.
Anglis Francisque pax perpes detur ubique,
Martyris in iubilo laus tibi, Christe, Deo.
Gloria sit patri prolique spirituique
Lausque, Maria, tibi sit pugilique tuo.
Astus Francorum sopito, beate Georgi,
Ne noceant Anglis neve nocere velint.
Laudibus immensis iubilant tibi Londonienses,
Tu cum matre Dei subveniatis eis.
Pace reformentur Angli Francique, ut in aevum
Alterutris maneat intemeratus amor.

Process. ms. Londinense ann. 1413—1422. Cod. Oxonien. Lat. Lit. e 7. — Abschrift von Rev. H. M. Bannister.

265. De s. Gertrude Nivellensi.

In 1. Vesperis.

1. *Assunt festa iubilaea*
In Gertrudis gaudia,
Tota psallat ecclesia
Devota laudum dragmata.

2. *Cuius sacra praecordia*
Dei invisit gratia,
Ut esset Deo sponsula
Thori virilis nescia.

3. *Cui luna, sol et omnia*
Deserviunt per tempora.
Perfusa caeli gratia
Semper virtuti dedita.

4. *Exsultet caeli regio*
Et mundialis machina.
Abyssus atque maria
Laudent Deum per saecula.

5. *Patri summo cum filio,*
Spiramini quoque sacro
Sit sempiterna gloria
Et in virtute solida.

Officium triplex Gertrudis, divae virginis, imp. Coloniae 1513. — 1, 2 fehlt eine Silbe; vielleicht ist der Name Gertrudis an Stelle eines längeren getreten. — 3, 1 luna fehlt. — 5, 2 sacro fehlt.

266. De s. Gertrude Nivellensi.

Ad Laudes.

1. *Iesu, corona virginum,*
Tete Gertrudis coluit
Virgo manens perenniter.
Quo tibi sic complacuit.

2. *Qui pascis inter lilia,*
Saeptus choreis virginum,
Quibus Gertrudis inclita
Canendum promit canticum.

3. *Quocumque pergis, virgines*
Sequuntur famulamine,
Inter quas assit petenti
Gertrudis consolamine.

4. *Laus tibi, Christe, iugiter,*
Patri cum sancto flamine,
Solare nos perenniter
Gertrudis deprecamine.

Officium triplex Gertrudis, divae virginis, imp. Coloniae 1513. — 1, 3 manens iugiter. — 4, 2 Patre.

267. In Translatione s. Gertrudis Nivellensis.

In 1. Vesperis.

1. Plaude, mater ecclesia,
Sanctae Gertrudis hodie
Recensentur sollemnia,
Adest dies laetitiae.

2. Haec annis adhuc tenera
Mente senili claruit,
Toto corde christifera
Soli se solam praebuit.

3. Matris parens imperio
Sacrum velamen accipit,
Ardenti desiderio
Christum pro sponso suscipit.

4. Conservans sine macula
Virginitatis lilium
Perfert amoris iacula
Missa per Dei filium.

5. Igne caelesti fervida
Sursum tendebat iugiter,
Donis septenis gravida
Mundum calcabat fortiter.

6. Haec puritatis lilium,
Flos vernans pudicitiae,
Pietatis sacrarium,
Tutamen erat patriae.

7. Hinc revelata facie
Sponsum cernit in gloria
Ac in sanctorum acie
Veste dotatur regia.

8. Collaudat coetus virginum
In virginis sollemnio,
Tibi paratur gaudium
Virginali consortio.

9. Orans sponsum fideliter
Interno mentis gaudio,
Nunc regnat aeternaliter
Coniuncta Dei filio.

10. Post agnum sponsum cursitat
Cum ceteris virginibus
Hymnosque dulces personat
Nunc fruens in caelestibus.

11. Ergo, fideles, currite
Ad virginis sollemnia,
Melos suave promite
Regnanti super omnia.

12. Trino Deo et simplici
Laus, honor, virtus, gloria,
Qui nos dono septemplici
Ditet in caeli curia.

Officium triplex Gertrudis, divae virginis, imp. Coloniae 1513. — 2, 1 Hic annis. — 4, 3 Profert. — 9, 2 Interni. — 12, 3 Quae nos.

268. De s. Gerardo Potentino.

Ad Nocturnum.

1. Concinat plebs fidelium
Sancti Gerardi gaudium,
Qui pater est concivium
Potentinorum omnium.

2. Cuius lustrata corpore
Laetatur non incongrue,
In sanctorum laetitia
Quia gaudet in patria.

3. Receptor fuit pauperum,
Sicut patet in tabula,
Ut usque nunc permaneat,
Cuncta clamat Potentia.

4. Et candela dum arderet
Super cadit tobaleam,
Non est laesa nec combusta
Sed permansit integra.

5. Mira sunt, quae referuntur
Praeter illa, quae scribuntur,
Quae et quanta largiuntur
Infirmis beneficia.

6. Confessoris huius merito
Laus patri sit ingenito,
Gloria unigenito,
Virtus summa paraclito.

Cod. Arch. Vatic. X, 89. — 2, 3 Iam sanctorum est laetitia. — 4, 2 eadit zobaleam. — 5, 3 relargiuntur. — 6, 1 Eine Silbe zu viel; verändert aus Martyris huius merito?

269. De s. Gerardo Potentino.

Ad Laudes.

1. Gaude, felix Potentia,
Sub tanto duce militans,
Virtutis opulentia
Plene cunctis irradians.

2. Plenus misericordia,
Fervidus amicitia,
Refulsit in ecclesia,
Refulget nunc in patria.

3. Sic colendus hominibus
Propter Dei charismata
Censetur et honoribus
Dignus confutans schismata.

4. Ad eum cor convertite,
Ut interpellat Dominum,
Et a malo avertite,
Ut praebeat auxilium.

5. Hic ad caeli palatium
Assumptus est feliciter,
Ubi habet solacium,
Quod nobis optat iugiter.

6. Honor sit alto Domino,
Patri, nato, paraclito,
In cuius iam consortio
Hic fruitur solacio.

Cod. Arch. Vatic. X 89. — 5, 2 Quod pronobis.

270. De s. Gerardo Potentino.

In 2. Vesperis.

1. Pacis cultor, hostis ultor,
Gerardus, Dei gratia
Quem decorat, quem honorat
Aeterna caeli gloria.

2. Vitae forma, morum norma
Praebet ducatum populis,
Minat gregem dux ad regem,
Consors paternae gloriae.

3. Caecis visus, clausis gressus
Per hunc datur mirifice,
Surdus audit, mutus fandit,
Magnae Deus potentiae.

4. Aqua vinum, dum divinum
Crucis praefert signaculum,
Fit tam bonum, tam decorum,
Conditor alme siderum.

5. Nautis portus huius ortus
Praebetur in naufragio,
Cedit planctus, fiunt cantus,
Iesu, nostra redemptio.

6. Deum unum atque trinum
Laudemus cum laetitia,
Qui paravit ac donavit
Beata nobis gaudia.

Cod. Arch. Vatic. X. 89. — 3, 4 Magnus Dei potentiae. — Die vier Hymnen auf Gerardus von Potenza siehe auch Acta SS. Oct. XIII, 470 sq. aus Campi, Historia di Piacenza I, 382. sqq.

271. De s. Germano Autisiodorensi.

1. Sanctorum meritis inclita gaudia
Pangamus, socii, vocum concordia,
Nam gliscit animus promere laudibus
Iustorum vitam praesulum.

2. Inter quos floruit vir stirpe nobilis,
Germanus pontifex, vitae laudabilis,
Nam fastum respuens terreni culminis
Mutavit statum corporis.

3. Hic postquam apicem conscendit ordinis,
Se pavit hordeo cum potu laticis
Gustando primitus paululum cineris,
Naturae memor fragilis.

4. Huius cilicio corpus affligitur,
Orat assidue, fletu perfunditur
Iacens in cinere, vix somnus capitur,
Sic vivens fere moritur.

5. Hic est, qui mortuos vitae restituit,
Iste per oleum mare compescuit,
Sepulto praesuli verba conseruit
Et claustris vinctos eruit.

6. Per istum mortuus absolvit mortuum,
Cui sese Dominus dedit viaticum,
Hic nobis veniam poscat peccaminum
Post huius vitae transitum.

Brev. Atrebatense imp. Atrebati 1595.

272. De s. Germano Autisiodorensi.

Ad Vesp. et Noct.

1. Germanus, praesul inclitus,
Nostris aspiret precibus,
Ut in caelesti patria
Digna mercemur gaudia.

2. Beatus vir egregius,
Summis pollens virtutibus,
Corpus domans ieiuniis,
Novis utens prodigiis.

3. Nam condolens miseriis
Quorundam fabri operis
Struem erexit lapidum
Dando crucis signaculum.

4. Mediolanum veniens,
Aedem sacram ingrediens,
Daemonis voce patuit,
Qui servos Dei latuit,

5. Regem privans imperio,
Servum ditans dominio
Stupentibus astantibus
Nihil fari valentibus.

6. Defuncti corpus socii
Suo paruit nutui,
Malens frui caelestibus
Quam huius vitae fluctibus.

7. Precemur mente sedula
Omnes Germani merita,
Ut sibi famulantibus
Peroret in caelestibus.

8. Honor, decus, imperium
Sit creatori omnium,
Nobisque det perpetua
Almi Germani gaudia.

Brev. ms. Cavense anni 1308. Cod. Casanaten. C III, 2 (1575). — 2, 2 Summus.

273. De s. Germano Autisiodorensi.

Ad Laudes.

1. Ad Germani sollemnia
Pangat Christi praeconia
Devota plebs fidelium
Viribus totis cordium.

2. Laetetur fratrum gremium
Magnificando Dominum
In Germani oraculo
Dicti Autisiodoro.

3. Plaudant devote clerici,
Diversi sexus laici,
Summi regis mirifica
Et eius servi opera.

4. Contulit se Britanniam,
Lustravit totam Franciam,
Doctrinae suae famina
Corde pellunt peccamina.

5. Caecis visum restituit,
Clenicis gressum reddidit,
Nequam spiritus effugans
Et mortuos resuscitans.

6. Clausit hic vitae terminum
Plenus virtutis operum
Ravennae territorio
Orans et psallens Domino.

7. Transfertur ad caelestia
Sanctorum fretus gloria,
Ut nos a mundi casibus
Eximat suis precibus.

8. Honor, decus, imperium
Sit creatori omnium,
Nobisque det perpetua
Almi Germani gaudia.

Brev. ms. Cavense anni 1308. Cod. Casanaten. C III, 2 (1575).

274. De sancto Godehardo.

Ad Nocturnum.

1. Ascendat ad te, Domine,
Votiva laus ecclesiae
Praesentis gaudio festi
Iubilantis hymnum tibi.

2. Instat enim sacra dies,
Qua Gothehardus pontifex
Carne solutus gaudia
Migravit ad caelestia.

3. Qui te quaerens, te diligens,
Te toto corde sitiens,
Te largiente pluribus
Enituit virtutibus.

4. Per eius namque meritum
Adepti sunt remedium
Oppressi varia peste
In anima vel corpore.

5. Sit ergo tibi gloria,
Laus et magnificentia,
Decus, honor, imperium
Nunc et per omne saeculum.

Collect. ms. Millestadiense saec. 12. Cod. Graecen. 1449. — Nach der Vita Godehardi des Wolfherius. Ob von diesem?

275. De sancto Godehardo.

Ad Laudes.

1. In laude regis omnium
Et Gothehardi praesulis
Totis medullis cordium
Insistat haec plebs muniis.

2. Laetare, mater Altaha,
Profectu talis filii,
Laetare, Baioaria,
Tanti patroni gloria.

3. O Gotheharde, caelitus
Electe Dei pontifex,
Intende clemens laudibus,
Quas annuatim promimus.

4. Honor, potestas, gloria
Deo patri cum filio,
Paraclito sit pneumati
Per saeculorum saecula.

Collect. ms. Millestadiense saec. 12. Cod. Graecen. 1449. — 4, 2 Dei patri. — Vgl. Anal. XII, 192 und XXIII, 278.

276. In festo sancti Goerici.

Ad Vesperas.

1. Assunt Goerici
Festa celebria,
Iubilet felici
Mundus laetitia.

2. Goericus genus
Sanctum, stirps regia,
Sanctitate plenus
Erat et gratia.

3. Fit itaque primo
Natalis patriae
Comes, dux, ultimo
Rex Aquitaniae.

4. Quartus emerito
Gradus reservatur,
Ascendit merito,
Pontifex creatur.

5. Eius ecclesia
Meritis insignis
Repletur gloria,
Decoratur signis.

6. Omnis ingrediens
Optatis fruitur,
Et lucem nesciens
Ignis extinguitur.

7. Daemones fugiunt,
Vincula solvuntur,
Claudi resiliunt
Mutique loquuntur.

8. Sit laus Deo patri,
Summo Christo decus,
Spiritui sancto
Tribus honor unus.

Brev. ms. Romarici Montis saec. 16. Cod. Spinalien. 164 77). A. — Brev. Tullense imp. Parisiis 1510. B. — Brev. Tullense imp. Parisiis 1511. C. — 3, 1 prima BC. — 6, 1 regrediens A. — 8, 4 Trinus honor BC.

277. De sanĉto Gregorio.

1. Summae sedis antistitis,
Deus alme, Gregorii
Festum colentes per orbem
Meritis eius protege.

2. Sacra cuius eloquia
Vitae ferentis pascua
Lac potum donant parvulis,
Cibum ministrant validis.

3. Ut erecti non ruere,
Lapsi addiscant surgere,
Haereticorum haereses
Divo secantur cuspide.

4. Anglorum quoque populis
Hic adfuit [incredulis],
Quos licto cultu daemonum
Convertit ad altissimum.

5. De cuius sacro transitu
Chorus laetatur omnium
Angelorum et hominum
Summo Deo placentium.

6. Iam pontifex egregie,
Pro nobis Deum ingiter
Exora sacris precibus,
Ut nobis parcat omnibus.

7. Aeterno patri gloria
Simulque eius genito,
Sancto quoque spiritui
Sit saeculorum saeculis.

Hymn. ms. Bobbiense saec. 11. Cod. Vatican. 5776. — 2, 2 ferentes. — 3, 2 Ut irate non ruere. — 4, 3 Quos lito cultu. — Cfr. Mai Nova bibl. Pat. I, II, 202.

278. De sancto Gregorio.

1. Splendido sacra gratulans amore
Plebs tibi festa celebrat, Gregori
Sancte, qui summo rutilas honore
Regis in aula.

2. Tu pius pastor populique rector
Huius et nostrae patriae patronus,
Hic tuis praebe famulis favorem,
Signifer alme.

3. Pelle clementer cumulum piacli,
Mortis et morbi stimulum recide,
Ne sibi Christi subigat clientes
Daemonis ira.

4. Praesul insignis, fragiles tuere,
Tu geras nostrae fidei tutelam,
Ut Deo dignam iugiter queamus
Pangere vitam.

5. Vota psallentum, petimus ovantes,
Inćliti regis referas ad aures,
Praestet ut nobis placidus amoenae
Gaudia vitae.

6. Laus Deo patri parilique proli
Et tibi sancte studio perenni
Spiritus nostro resonet ab ore
Omne per aevum.

Hymn. ms. Romarici Montis saec. 15. Cod. Spinalien. 194 (86).

279. De sancto Hadelino.

Virtutum Dominus, regum sine tempore primus,
Conregnare suum sibi donavit Hathelinum.
Hinc latae laudes, hinc organa, cantica, voces
Astantes mulcent et lumina clara relucent.
5. Tu, pater, assistis caeli concentibus illis
Exaudire potens, quibus est ad sancta fides mens,
Et nos psallentes vitamque tuam recolentes.
Quaesumus, ut merces sit nobis gratia perpes.
Cuncta Deo cantent, benedicant hunc et adorent,
10. Cui sic angelicus merito placuit Hathelinus.
Omnimodis iustus, pius est in pace sepultus
Vivit et emeritus caelis dignus Hathelinus,
Sanans languentes et salvans iusta petentes.
Affore dignetur cunctis ut propitietur.

Collect. ms. S. Heriberti Tuitiensis saec. 12. Cod. Londinen. Add. 27 680 (mit Neumen.). — Abschrift von Rev. H. M. Bannister.

280. De sancta Hedwige.

Ad Vesperas.

1. Gaude, felix Polonia,
Coruscans claro sidere,
Ubi clarent praeconia
Advigis Dei munere.

2. Adest dies laetitiae,
Quo rosa delectabilis
Offertur regi gloriae,
Advigis sancta, nobilis.

3. Puella stirpe regia
Claro duci Poloniae
Copulatur egregia,
Fit sponsa regi gloriae.

4. Trino Deo sit gloria,
Qui Advigem glorificat,
Qui nobis donet praemia,
Quos festum hoc laetificat.

Collect. ms. Constantini Caietani saec. 17. Cod. Alexandrin. 95.

281. De sancta Hedwige.

Ad Nocturnum.

1. Crebris pollet Polonia
Ducis suae miraculis,
Cuius praeco praeconia
Christi monstrat prodigiis.

2. Rotae pressum vertigine,
Necatum horribiliter
Vitae reddit callicine
Semota mirabiliter.

3. Trino Deo sit gloria.

Collect. ms. Constantini Caietani saec. 17. Cod. Alexandrin. 95.

282. De sancta Hedwige.

Ad Laudes.

1. Laudémus cum laetitia
Summi regis clementiam,
Qui procul pellit vitia,
Infundit et dat gratiam.

2. Advigis, admirabile
Religionis speculum,
Opus egit laudabile
Vitans mortale saeculum.

3. Trino Deo sit gloria.

Collect. ms. Constantini Caietani saec. 17. Cod. Alexandrin. 95.

283. De sancta Helena.

1. Gaude, mater ecclesia,
Fulget dies egregius
Helenae, sanctae reginae,
Almae crucis inventricis.

2. Adiit Ierosolymas
Helena crucem quaerere,
Congregans Iudaeos fari,
Ubi latet lignum crucis.

3. Comperitur Iudas, frater
Protomartyris Stephani.
Secreto patris monitu
Invite locum demonstrans.

4. Iudas orabat Dominum
Demonstrare sibi locum;
Egrediens aromatum
Fumus, Iudas laetus stupet.

5. Accipiens fossorium,
Viginti passus fodiens,
Tres cruces ibi comperit,
Sed ignorant, quae sit sancta.

6. En, iuvenis tunc mortuus
Ferebatur in grabato,
Gradatim cruce posita
Sub diva resurgit statim.

7. Ecce, daemon in aere
Clamabatque continue:
Per Iudam Iesus passus est
Et nunc Iuda mundus lucet.

8. Calvariae construitur
Tunc insignis ecclesia,
Iudasque tunc baptizatur,
Nominatur Cyriacus.

9. De clavis dolens regina
Requiritque Cyriacum,
Sed dum orasset Dominum,
Claves reperit illico.

Brev. ms. Ambrosianum saec. 15. Cod. Borgian. M II, 20. — 1, 3 regiae. — Doxol.: Gloria tibi, Domine.

284. De sancta Helena.

Ad Nocturnam.

1. In caelesti rosario
Rosa plantatur nobilis,
Cuius ardenti studio
Crux habetur dominica.

2. Beata Dei Helena,
Postquam recepit nuntios,
Iudaea tunc incredula
Tradi iubet incendio.

3. Iudaei tunc perterriti
Timore magno et horribili,
Quae sibi Iudas dixerat,
Manifestaverunt omnia.

4. Tunc Iudas facti conscius
Solus in lacu ponitur,
Tandem tactus divinitus
Totum pandit in publicum.

5. Praesta, pater, per filium,
Praesta per almum spiritum,
Ut per huius suffragia
Aeternum dones praemium.

Offic. ms. saec. 16. Cod. Vatican. 6286.

285. De sancta Helena.

Ad Laudes.

1. Electa Dei famula
Locum pergens Calvariae,
Orando cum fiducia
Locus movetur iugiter.

2. Fumus prodit aromatum,
Et cruces tres inveniunt,
Per mortui miraculum
Crux Christi dignoscitur.

3. Clavi quaeruntur postmodum,
Quos freno ponunt Caesaris,
Completur vaticinium,
Quod Zacharias protulit.

4. Precamur corde intimo,
Fidelis Christi Helena,
Ut in omni angustia
Subvenias et protegas.

5. Praesta, pater, per filium.

Offic. ms. saec. 16. Cod. Vatican. 6286. — 2, 1 promit. — 2, 4 fehlt eine Silbe. — 3, 2 Quos freno ponuntur.

286. De sancta Helena.

1. Ut Deus sit propitius
Ipsum vere colentibus,
Helena eius famula
Orando interveniat.

2. Haec verbo multos docuit
Viam demonstrans fidei
Ex Hebraeorum populo
Christo favente Domino.

3. E quibus unus claruit
Iudas, praesul egregius,
Helenae sanctis studiis
Sacratam crucem repperit.

4. Quae erat multo tempore
Latens loco Calvariae,
Arbor decora, fulgida,
Ornata regis purpura.

5. Haec gemmis crucem optimis,
Thecis ornavit aureis,
De templo movens idolum
Templum condit mirificum.

6. Laetentur ergo socii
Helenae festo dediti,
Ut nobis caeli principem
Efficiat placabilem.

7. Funde preces assidue
Pro his, quos cernis iugiter
Tuis instare laudibus,
Servans ab hostis cladibus.

8. Laudes patri cum genito
Spirituique inclito
Reddamus voce sedula
In sempiterna saecula.

Brev. ms. Civitatense saec. 15. Cod. Archiep. Utin. Oct. 10. A — Brev. ms. Civitatense anni 1476. Cod. Civitaten. LXXIV (28 B. — 5, 4 condens B.

287. De s. Helena Suecica.

Ad Vesp. et Noct.

1. Felix parens Westgotia,
Gaudens plaude, multiplica
Pro tuae prolis gloria
Devota laudum cantica.

2. Helena martyr hodie
Carnis abiecto pondere
Caelestis aulam curiae
Scandit de mundi carcere.

3. Claris orta parentibus
Nobilitatem generis
Bonis ornare moribus
Coepit ab annis teneris.

4. Post maritale vinculum
Deo se totam dedicans
Salutis fit spectaculum,
Exemplis, signis emicans.

5. Deus, creator omnium,
Te poscimus terrigenae,
Ut nos ad caeli gaudium
Prece perducas Helenae.

Legend. ms. Laurentii Odonis Lincopen. saec. $^{14}/_{15}$. Cod. Dresden. A 182. A. — Ant. et hymn. ms. Scarense saec. 14. [et 15]. Cod. Upsalen. C 422. B. — Collect. ms. Vadstenense saec. 15. Cod. Upsalen. C 23. C. — Brev. Scarense imp. Norimbergae 1498. D. — Varianten: keine. — Cfr. Klemming I, 116. — Verfasser Brynolphus I. Scarensis. Dieser Hymnus steht in D mit dem Anfange Felix parens Hungaria auch auf Elisabeth. — Sonstige Änderungen: 2, 1 Elisabeth in hac die. — Vgl. Klemming III, 71.

288. De s. Helena Suecica.

Ad Laudes.

1. Adest triumphus nobilis,
Dies redit laetitiae,
Qua martyr venerabilis
Ascendit thronum gloriae.

2. Thesaurizavit avide
Thesauros in caelestibus,
Dum opes suas provide
Dispersit dans pauperibus.

3. Ieiunans, orans, operans
Carnem domat ac afficit,
Caelestia desiderans
Cum Deo mentem reficit.

4. Signa fecit insignia,
Surdis auditum tribuit,
Mundans leprae contagia
Caecis visum restituit.

5. Deus, creator omnium.

Legend. ms. Laurentii Odonis Lincopen. saec. $^{14}/_{15}$. Cod. Dresden. A 182. A. — Ant. et hymn. ms. Scarense saec. 14. [et 15]. Cod. Upsalen. C 422. B. — Collect. ms. Vadstenense saec. 15. Cod. Upsalen C 23. C. — Brev. Scarense imp. Norimbergae 1498. D. — 3, 2 domans ad afficit C. — 4, 4 Caesis A. — Vgl. Klemming I, 122. — Verfasser: Brynolphus I. Scarensis. Dieser Hymnus kommt in D mit dem Anfange: Dies est venerabilis auch auf Elisabeth vor. Sonstige Änderungen: 1, 2 Et iucundae laetitiae. — 1, 3 Elisabeth qua nobilis. — 4, 2 sq. fehlen; dafür nach 4, 4 Caeli perfusa gratia | Defunctis vitam tribuit. — Vgl. Klemming III, 72.

289. De s. Henrico Upsalensi.

Ad Vesperas.

1. Assunt festa celebria,
Pater Henricus hodie
Migrans ad caeli gaudia
Vestitur stola gloriae.

2. Fulgorem dans ut lucifer
Praesul iste mirificus,
Negotiator frugifer,
Doctor et praeco deicus.

3. Ecclesiam catholicam
Fundat in terra Finnorum,
Fidem spargens dominicam
Semoto cultu daemonum.

4. Ferox in sanctum irruit
Occidendo crudeliter
Homicida, quem monuit
Paenitere salubriter.

5. Eius nobis suffragio,
Iesu, da culpae veniam
Et in caeli palatio
Perenniter laetitiam.

Ant. et hymn. ms. Scarense saec. [14. et] 15. Cod. Upsalen. C 422. A. — Brev. Lincopense imp. Norimbergae 1493. B. — Vgl. Klemming I, 126 u. f.

290. De s. Henrico Upsalensi.

Ad Nocturnum.

1. Christi miles magnificus,
Mundo dans nova gaudia,
Henricus, civis caelicus,
Mira praefulget gratia.

2. Spernens mundum cultor Dei
Labores et pericula
Dilatatorque fidei
Perpessus fuit sedula.

3. O venerande pontifex
Triumphans per martyrium,
Nobis sis pius opifex
Ad te trahens in gaudium.

4. Civem caelestis curiae
Collaudemus perenniter
Patronumque Finlandiae
Prece placemus iugiter.

5. Eius nobis suffragio.

Ant. et hymn. ms. Scarense saec. [14. et] 15. Cod. Upsalen. C 422. A. — Brev. Lincopense imp. Norimbergae 1493. B. — 2, 2 per pericula B. — Vgl. Kleming I, 127 u. f.

291. De s. Henrico Upsalensi.

Ad Laudes.

1. Exsulta, Sion filia,
Piis ostensa meritis
Signa depromens varia,
Laudes palmamque militis.

2. Birretum mordet impium
Occisorem pontificis,
Per anxium supplicium
Carne privatur verticis.

3. Quem glacies dat populum
In se repertum colere,
Submersum reddit annulum
Aequor in piscis viscere.

4. Caecis, claudis, debilibus
Salus datur et gratia
Larga sua poscentibus
Devote beneficia.

5. Verae vitis in palmite
Dum tot florent insignia,
Laeti fratres, concinite
In laudibus et edia.

6. Eius nobis suffragio,
Iesu, da culpae veniam
Et in caeli palatio
Perenniter laetitiam.

Ant. et hymn. ms. Scarense saec. [14. et] 15. Cod. Upsalen. C 422. A. — Brev. Lincopense imp. Nurembergae 1493. B. — 2, 3 Per aurium supplicium A. — Vgl. Klemming I, 133 u. f.

292. In Translatione s. Henrici.

Ad Vesperas.

1. Gaude, coetus fidelium,
Nova per haec sollemnia,
Sanctus Henricus bravium
Sumens petit caelestia.

2. Virtute vitae caelicus
Doctrinae praepollentia
Praesul effectus deicus
Mira praefulsit gratia.

3. Upsaliae primatiam
Relinquens terram Finnonum
Adivit per instantiam
Docens cultores daemonum.

4. Verbo, vitae virtutibus
Tesaurizat fideliter,
Fide constans et moribus
Fructum metit perenniter.

5. Velut David intrepidus
Manum misit ad fortia
Et ut Elias fervidus
Pugnavit pro iustitia.

6. Huius nobis precatibus,
Iesu, da perpes gaudium,
Quo tecum in caelestibus
Gaudet coetus fidelium.

Klemming I, 135. — Dieser und die folgenden beiden Hymnen waren in Stockholm in der von Klemming bezeichneten Quelle nicht auffindbar. Ich vermag daher nur Klemmings Text wiederzugeben. — 4, 2 Thesaurizat fortiter (K).

293. In Translatione s. Henrici.

Ad Nocturnum.

1. Dies sollennis promicat,
Virtutum post frequentiam
Martyr Henricus emicat
Caeli venustans curiam.

2. Talentum sibi creditum
Augens, dum terram circuit,
Insultum per incognitum
Perversorum occubuit.

3. Virtutum iubar modio
Prodivit et ex latebris,
Veri vitis in radio
Palmes patescit celebris.

4. Effuso namque sanguine
Fons glacie mox scatuit,
Manans in stagni flumine
Morbos diversos abluit.

5. Birretum sacri praesulis
Suum retorsit aemulum,
Corvus in veris modulis
Cum membro pandit annulum.

6. Huius nobis precatibus,
Iesu, da perpes gaudium,
Quo tecum in caelestibus
Gaudet coetus fidelium.

Klemming I, 136 u. f. — Vgl. das zu Nr. 292 Bemerkte.

294. In Translatione s. Henrici.

Ad Laudes.

1. Hymnum novum concinite
Laeto deductum cantico
Athleta pro antistite
Regno vernante caelico.

2. Effracti vasis balsamum
Tam late spirat dulciter,
Quod vix per linguae calamum
Dici potest plenariter.

3. Vitae redduntur mortui,
Visu privati lumini,
Claudi donati gressui,
Muti linguae laxamini.

4. Portum salutis propere
Largire se poscentibus
Miro virtutum munere
Cunctis favet debilibus.

5. Nos, pie pater, respice
Tuis instantes laudibus
Vivoque fonte refice
Tuis largitionibus.

6. Huius nobis precatibus,
Iesu, da perpes gaudium,
Quo tecum in caelestibus
Gaudet coetus fidelium.

Klemming I, 137 u. f. — Vgl. die Bemerkung zu Nr. 292.

295. In sollemni Commemoratione ss. Hermelandi et Baldi.

1. Clara sanctorum merita,
Sacris quorum pignoribus
Aula praesens est praedita,
Dignis colamus laudibus.

2. Assunt nobis dotaria
Crucis Christi particulae,
Lac zona cum eximia
Beatae Christi gerulae.

3. Vestimenti particula
Christi, quod est purpureum,
Est et, ab imaginula
Quod emanavit, oleum.

4. Petrae de Christi tumulo
Eiusque pars sudarii,
Sunt et in laudum cumulo
Sanctorum artus varii.

5. Hermelandi praecipue
Baldique sancti corpora
Assunt hic, ut assidue
Nostra purgent facinora.

6. Innocentum, Georgii,
Radegundis eximiae,
Sixti, Cosmae, Vincentii
Nobis assunt reliquiae.

7. Dens Machuti pontificis
Magdalenae cum ossibus
Eiusque pili verticis
His iuncti sunt magnalibus.

8. Qui tot donorum schemate
Nos honorat in stadio,
Cum utriusque pneumate
Sit laus patri cum filio.

Brev. Lochense imp. Turonibus 1536.

296. De sancta Hermelinde.

1. Nobis ascendat propere
Aurora lucis praevia,
Nos creatori psallere
Creata monent omnia.

2. Da merum Christi gaudium,
Absterge cuncta vitia,
Qui das Hermlindi praemium
Quaterna paenitentia.

3. Quae castitate floruit
Parens oboedientia
Atque desertum coluit
In mira abstinentia.

4. Sepultam a caeligenis,
Fruentem caeli gloria,
Laudari a terrigenis
Diversa dant insignia.

5. Sit laus trinae unitati,
Honor, virtus, victoria,
Omnis faex cedat peccati
Hermlindis precum gratia.

Orat. ms. Carth. Colonien. saec. 15. Cod. Colonien. 28. — 2, 3 Hermelindi. — 5, 4 Hermelindis.

297. De sancto Hidulpho.

Ad Vesperas.

1. Hymnorum Domino carmina digniter
Concordi iubilo contio personet,
Huius cum revehit temporis orbita
Hidulphi meritis annua gaudia.

2. Hic primum placuit summus episcopus,
Ad cultum Domini pro grege fervidus;
Postquam rite diu moribus inclitis
Urbem Trevericam rexit et extulit,

3. Ardenti studio pastor ad ultimum
Desertum petere censuit optimum,
Quo mundi fugiens respuit omnia,
Totus, Christe, tibi viva fit hostia.

4. Iam felix frueris sideribus poli,
Ad nos respicias, praesul amabilis,
Ac per te laqueos ordo monasticus
Evadat, propriis qui ruit actibus.

5. Olim sollicitus pro grege credito
Orabas Dominum tempore congruo,
Nunc autem facie ad faciem vides,
Nobis ut veniam, poscimus, impetres.

6. Astantes releva multiplici prece,
Pondus quos scelerum adgravat undique,
Iunctis discipulis atque sodalibus
Christum posce tibi pro famulantibus.

7. Hoc praestet genitor cum genito Deus
Ambobus similis atque paraclitus,
Cui laus est et honor parque potentia
Trino nominibus, quo regit omnia.

Offic. ms. S. Hidulphi saec. 15. Cod. Spinalien. 82 (130). — Die Hs. stammt nicht aus dem Jahre 1562, welche Zahl von späterer Hand einer der Initialen (fol. 1b) eingezeichnet wurde.

298. De sancto Hieronymo.

Ad Matutinum.

1. Magne pater, doctor orbis,
Beate Ieronime,
Lux refulgens, leo fortis,
Virorum sanctissime,
Nos in vias tuae sortis,
Te precamur, dirige.

2. Te collaudat plebs fidelis,
Miratur insignia,
Et triumphas nunc in caelis
Cum sanctis in gloria,
Expavescunt te in terris
Hostes et daemonia.

3. Tu es norma paenitendi,
Quam sequuntur humiles,
Sacras leges das vivendi
Et Deo placabiles,
Actus vere diligendi
Deum praebes utiles.

4. Tua probat Augustinus
Scripta, pater inclitus,
Post hanc lucem visitatus
A te, post haec caelitus.
Ut amborum fiam servus,
Te precor humilius.

5. Regem regum deprecemur
Iubilantes vocibus:
Ut in caelis collocemur
Cum fraternis civibus,
Advocatus nobis detur
Beatus Ieronimus.

Brev. Arelatense imp. Arelati 1501.

299. De s. Hugone Lincolniense.

Ad Processionem.

Salve, festa dies, toto venerabilis aevo,
Qua pater almus Hugo caelica regna subit.
Hic titulos morum varios scandens et honorum,
Corpore dum viguit, sidus in orbe fuit,
5. Canonicus primum, monachus post ac eremita,
Bis prior et demum pontificatur ita.

Marmora, virtutes, personae, materiae tres,
Hisque Deo templa praeparat ipse tria.
Mira salus pueri prius est ostensa parenti,
Suffocat hunc ferrum, fert Hugo praesidium.
Daemones hic arcet, furiosis commoda praebet,
Atque fluens oleum glorificavit eum.
Prandia postposuit, regum dum funera condit,
Talibus officiis institit ipse piis.
Ipsius ex merito felix Lincolnia sistit,
Quam voluit tumulo nobilitare suo.
Gaudeat, ecclesia, quae tanto praesule floret,
Quo patre Carthusia praedita laeta foret.
O pater egregie, nostras has suscipe voces
Terrificoque die nos super astra loces.

Process. ms. Lincolniense saec. 15. Cod. Vatican. Ottob. 308. — Auf diesen Hymnus folgt noch ein Responsor.: „in introitu chori", vielleicht einem Reimofficium entnommen:

Diem festum celebrantes
sollemni laetitia
Salvatoris prosequamur
laudibus magnalia,
Qui Hugonem insignivit
multiformi gratia.

V. Pontificum baculus,
monachorum norma, scholarum
Consultor, regum
malleus Hugo fuit.

300. De sancto Hyacintho.

Ad Vesperas.

1. Vocibus caelum resonat canoris,
Caelitum sacras, Hyacinthe, sedes
Dum petis bino redimitus alma
Tempora serto.

2. Sedibus, sancte, superis locatum
Angeli laudant, caput astra cingunt,
Ora, frons, pectus rutilis coruscant
Plena hyacinthis.

3. Ecce, bis seno proprior lapillo
Factus es divum lapis amethysto,
Flammulas mittens rubeas amoris
Cordis ab igne.

4. Hinc tuos tellus oculis triumphos
Aspicit laetis precibusque mixtis
Cantibus fixo sequitur minantes
Lumine currens.

5. Sit patri, nato simul utriusque
Flamini splendor datus ex Hyacintho,
Cuius aeternum chorus angelorum
Numen adorat.

Ant. ms. S. Katharinae Divoduren. saec. 14. Cod. Vatican. s. n. (ol. 122 bis). add. saec. ^{15}16. — Mel.: Ut queant laxis.

301. De sancto Hyacintho.

Ad Matutinum.

1. Assunt Hyacinthina festa sollemnia,
Sonet nunc pristina laus in ecclesia,
Exsultet gaudiis laeta Polonia,
Dives caeli divitiis.

2. Est amoenissimus Hyacinthus hortulus,
Est lucidissimus et gratus oculus,
Totus est floridus ut sponsi lectulus,
Suavis, mitis, candidus.

3. Flos iure postulat fulciri floribus,
Languens dum exsulat amoris raptibus,
Stipari cupiens malorum fructibus
Caelum [corde] suspiciens.

4. Virgo sanctissima magno cum agmine
Ad caeli intima ingenti lumine
Deducit concinens caelesti carmine
Iam collem turis obtinens.

5. Te, trina deitas unaque, colimus,
Ut culpas abditas dimittas, petimus,
Coronas gratiae nos omnes poscimus,
Quas fert Hyacinthus gloriae.

Ant. ms. S. Katharinae Divoduren. saec. 14. Cod. Vatican. s. n. (ol. 122 bis). add. saec. ^{15}16. — 2, 2 oculis. — 4, 1 sanctissime. — Mel.: Sacris sollemniis.

302. De sancto Hyacintho.

Ad Laudes.

1. Lucem reddit absconditam,
Lucem claudit qui manibus,
Iacinthum, gemmam inclitam,
Profert praedicatoribus.

2. Toga vestitus candida
Fulget doctrinae radiis,
Virginitate nitida
Crebris splendet prodigiis.

3. Morbis succurrit hominum
Mille vitae periculis,
Procellas calcat fluminum
Semper potens miraculis.

4. Damna restaurat grandinis
Caecisque reddit lumina,
Virtute Christi nominis
Inferni fugat agmina.

5. Vicinum cernens exitum
Pacem suadet mutuam,
Caelo commendans spiritum
Lucem intrat perpetuam.

6. Maria, mater gratiae,
Mater misericordiae,
Tu nos ab hoste protege
Et hora mortis suscipe.

7. Uni trinoque Domino
Sit sempiterna gloria,
Qui lucem sine termino
Iacintho dat in patria.

Ant. ms. S. Katharinae Divoduren. saec. 14. Cod. Vatican. s. n. (ol. 122 bis). add. saec. $^{15}/_{16}$. — Mel.: Verbum supernum.

303. De sancto Hyacintho.

Ad Vesperas.

1. In hoc Iacinthi iubilo
Laetis canamus vocibus
Deumque pulso nubilo
Puris colamus mentibus.

2. Dux et pater Dominicus
Hunc veste sacra induit,
Cunctisque mox apparuit
Vir factus apostolicus.

3. Patrem secutus filius
Patris refulget moribus,
Ducis secutus tramitem
Mundi triumphat principem.

4. Hunc virgo visit inclita,
Solatur et dat gaudia,
Miraculorum gloria
Christi coruscat gratia.

5. Tibi, Deus, sit gloria
In sempiterna saecula
Et nos Iacinthi precibus
Adiunge caeli civibus.

Hymn. ms. S. Petri Mart. Utinen. saec. 16. Cod. Civit. Utinen. s. n.

304. De sancto Hyacintho.

Ad Nocturnum.

1. Christi fidelis nuntius
Dum praedicator mittitur,
Praeco salutis caelicus
Late per orbem funditur.

2. Ubique verbi semina
Rectique spargit lumina,
Fluunt ab ore faculae,
Vitae coruscant regulae.

3. Rectas salutis semitas
Dignosque mores edocet
Verboque tangens animas
Ad paenitendum commovet.

4. Ab hoste praedas eripit,
Dum dura mollit pectora
Caeloque dignos efficit,
Dum frangit hostis robora.

5. Tibi, Deus, sit gloria.

Hymn. ms. S. Petri Mart. Utinen. saec. 16. Cod. Civit. Utinen. s. n. —

305. De sancto Hyacintho.

Ad Laudes.

1. Vox pura laudet exitum
Et cor Iacinthi meritum,
Corusca lustrat agmina
Bina decorus laurea.

2. Hunc vita clara indicat,
Diversa signa intonant,
Secreta, quae hic noverat,
Totum per orbem praedicat.

3. Ventis et undis imperat,
Fluctus tumentes edomat,
Aquae stupescunt fluminum
Iterque praebent solidum.

4. Vitae resurgunt mortui,
Claudique dantur gressui,
Caecis patescunt lumina,
Fantur Dei magnalia.

5. Tibi, Deus, sit gloria.

Hymn. ms. S. Petri Mart. Utinen. saec. 16. Cod. Civit. Utinen. s. n.

306. De sancto Hyacintho.

Ad I. Vesperas.

1. Laudibus celsis veneremur omnes
Festa, quae nobis tulit haec iucunda
Qua dies mirum redolens lacintus
Spirat odorem.

2. Inde Iacintus merito vocaris,
Floribus praestas, quod et alta menti
Clarior gemmis residet virili
Inclita virtus.

3. Ordinem prudens animo calenti
Praedicatorum sitiens adisti,
Hinc comes nostri teneris ab annis
Progenitoris.

4. Hunc virum, tanto comitem parenti,
Pontifex summus fluitantis orbis
Inter electos modo collocatum
Mire beavit.

5. Gratias summas habeamus omnes
Et Deo soli pariterque trino,
Donet ut nobis precibus Iacinti
Scandere caelum.

Miss. Cracoviense imp. Cracoviae 1545. — 2, 2 praestes. — Im Officium des Heiligen.

307. De sancto Hyacintho.

Ad Matutinum.

1. Gaude, mater ecclesia,
Tanto lustrata sidere,
Sed tu magis, Polonia,
De tanti patris munere.

2. Praedicatorum ordinis
Fulsit hic pater inclitus
Professor sacri numinis,
Primaevi patris socius.

3. Sub Augustini regula
Sectatus patrem optimum
Mente profecit sedula
Norma virtutum omnium.

4. Hunc Ivo Romam contulit,
Ubi pater Dominicus
Habitum suum induit
Remittens eum patribus.

5. Sit patri, nato, flamini
Honor, virtus et gloria,
Qui nos Iacinto supplici
Aeterna donet patria.

Miss. Cracoviense imp. Cracoviae 1545.

308. De sancto Hyacintho.

Ad Laudes.

1. Aeterni regis maximus
Confessor novus floruit,
Et praeco caeli caelicus
Mundo patenter patuit.

2. Hunc vita clara indicat,
Signa diversa intonant.
Secreta, quae hic noverat,
Magnum fuisse praedicant.

3. Caeci recepto lumine,
Claudi redacti gressui,
Dum vitae dantur mortui,
Fantur Dei magnalia.

4. Mirandis his prodigiis
Iacintus vivens claruit
Et aliis quam plurimis
Post mortem plus resplenduit.

5. Agamus Christo gloriam
Pro tanti sancti moribus,
Qui nos ad caeli curiam
Conducat eius precibus.

Miss. Cracoviense imp. Cracoviae 1545. — Zu den Str. 2 und 3 vgl. Nr. 305, Str. 2 und 4.

309. De s. Iacobo Maiore.

1. Exsultet caelum laudibus,
Nam Iacobus apostolus
Ferens palmam victoriae
Adivit regem gloriae.

2. Hic in Iudaea praedicat,
Hermagoras hunc insultat,
Falsa profari Iacobum
Demandat per discipulum.

3. Philetus verbis saeviens,
Sed Christi virtutem cernens,
Quae fiebant per apostolum,
Mox immutavit animum:

4. Pater beatissime,
Salva me tua prece,
Festina me baptizare
Et fac me Christum credere.

5. Iosias tunc incredulus,
Cum aegrum sanat Iacobus,
Prostravit se apostolo
Sic exclamans in bivio:

6. Miserere, miserator,
Quia vere sum peccator,
Recipe me paenitentem,
Vestigiis inhaerentem.

7. Ob hoc Herodes impius
Et Abiathar saevissimus
Necant sanctum morte dira,
Sic vehitur ad gaudia.

8. Laus patri sit ingenito
Eiusque unigenito,
Laus sit sancto spiritui
Trino Deo et simplici.

Brev. ms. Pragense saec. 15. Cod. Capit. Pragen. O 83. — 2, 2 Hinc et magos insultat. — 3, 2 virtutem tunc cernens. — 5, 4 exclamant. — 6, 4 Tuis vestigiis.

310. De s. Iacobo Maiore.

Ad Vesperas.

1. Caeli regem collaudemus,
Qui fidem Christi tenemus
Et Iacobi sollemnia
Colamus natalitia.

2. Apostolus hic nobilis
Deo fuit amabilis,
Ortus Christi prosapia
Plenusque Dei gratia.

3. Per Iudaeam praedicavit,
Fidem Christi dilatavit
Faciendo prodigia
Et signa in Samaria.

4. Hunc Philetus admiratur,
De Christo dum loquebatur,
Vera probando omnia
Per vera testimonia.

5. Virtutem sancti Iacobi
Philetus fert Hermogeni,
Qui repletus invidia
Non credidit malitia.

6. Philetum stringit funibus,
Sed Iacobi virtutibus
Solvit vincla stringentia,
Sic solvat nostra vitia.

7. Iacobe, pro nobis ora
Iesum Christum in hac hora,
Nostra fugando crimina
Nos ducas ad caelestia.

8. Patri ac unigenito
Cum spiritui paraclito
Sit laus semper et gloria
Per saecla venientia.

Brev. Elnense imp. Perpiniani 1500. — 5, 1 Viriutem. — 6, 2 Lies Iacobus? — 6, 4 solvit. — 7, 4 duc ad.

311. De sancto Iacobo Maiore.

Ad Matutinum.

1. Psallat Christi ecclesia
Hymnos et laudes Iacobi
Et colat natalitia
Huius sancti apostoli.

2. Qui devicit daemonia
Missa arte Hermogenis
Et fregit maleficia
Arta artibus magicis.

3. Ad Iacobi imperia
Hermogenes deducitur,
Sed daemonum malitia
Magus laedens non laeditur.

4. Virtus divina obvia,
Vertitur auctor criminum,
Intrans in eum gratia
Docet, ut noscat Dominum.

5. Ne alerent incendia,
Aqua damnant hoc suadente
Zabernas et cistargia
Plena libris artis pravae.

6. Sic in Christi militia
Vincit vera humilitas,
Submittitur superbia,
Hoc probat Christi veritas.

7. Nobis concessa venia
Nostrorum semper criminum
Nos collocet in gloria
Christus, salvator omnium.

8. Sit laus patri et gloria
Eiusque sacro filio
Cum spiritu, qui est pia
Virtus atque dilectio.

Brev. Elnense imp. Perpiniani 1500. — 5, 2 hoc suade. — 5, 3 citargia. — 7, 1 Nobis concessa.

312. De sancto Iacobo Maiore.

Ad Laudes.

1. Colant cuncti choro iuncti
Iacobi natalitia
Et compuncti Christo laeti
Psallant laudum praeconia.

2. Iste sanctus manet tantis
Decoratus miraculis,
Noster cantus nequit tantis
Demonstrare oraculis.

3. Mutus fatur, mors fugatur
Virtute sancti Iacobi,
Visus datur, enervatur
Potentia diaboli.

4. Sanctos stringit et affligit
Herodiana rabies,
Inde scidit et occidit
Iacobum inter acies.

5. Multi orant et implorant
Suis delictis Iacobum.
Hunc honorant et laborant
Salvari per apostolum.

6. Hunc habere gaudet vere
Hispaniaque translatum,
Det sedere et gaudere
Nobis inter principatum.

7. Sancte Dei apostole,
Ora pro nobis Dominum,
Ut caeleste nobis per te
Donet sacrum palatium.

8. Sit patri atque filio
Cum spiritu paraclito,
Trinitati, unitati
Honorque sit perpetuo.

Brev. Elnense imp. Perpiniani 1500. — 4, 3 Inde cidit. — 5, 2 delectis.

313. De sancto Iacobo Maiore.

In Laudibus.

1. Iacobe, Christi famule,
Nostros clamores suscipe
Et tuis sacris precibus
Munda nos culpis omnibus.

2. Ut luce spiritalium
Resplendentes charismatum
In corde simus sobrii,
In carne semper liberi.

3. Tuoque nos precamine
Fac caeli summa scandere,
Quo valeamus cernere
Iesum, Iacobe, adnue.

4. Praesta, pater piissime,
Patrique compar unice,
Cum spiritu paraclito
Regnans per omne saeculum.

Brev. Xantonense imp. Pictavii 1542.

314. De ss. Iacobo et Philippo.

1. Gaude, mater ecclesia,
Quae duo colis lumina,
Sanctorum bina gaudia
Mittis ad caeli limina.

2. O beata candelabra
In poli sita culmine,
Peccati nosti tenebram
Vestro purgate lumine.

3. Olivae binae unicae
Pietatis et gratiae,
Iungatis nos angelicae
Sorti caelestis curiae.

4. O clara luminaria
In firmamento posita,
Ut sol, luna micantia,
Vestra nos iuvent merita.

5. Quaesumus, auctor omnium,
In hoc paschali gaudio
Ad caeli ducat gaudium
Nos horum intercessio.

6. Gloria tibi, Domine,
Qui surrexisti a mortuis,
Pro tuo passos nomine
Ditas aeternis praemiis.

Hymn. ms. S. Petri Mart. Utinen. saec. 16. Cod. Civit. Utinen. s. n. — 1, 4 lumina. — Mel: Magnae dies laetitiae.

315. De ss. Innocentibus.

1. Bethlehem tellus emicat,
Caelum resultans intonat,
Pollet decus ecclesiae
Infantum vernans sanguine.

2. In morte Christum praedicant,
In vita quod nequiverant,
Sunt martyres per gratiam
Non ulla propter merita.

3. Vivunt, regnant feliciter,
Laudant Deum concorditer
Clamant piisque fletibus
Necdum valentes vocibus.

4. Prius triumphant sanguine,
Quam detur illis vivere,
Scandunt caeli fastigia
Et nova cantant cantica.

5. Gloria tibi, Domine.

Ant. et hymn. ms. Scarense saec. [14. et] 15. Cod. Upsalen. C 422. A. — Brev. Roschildense imp. Parisiis 1517. B. — 1, 4 Infantum servans sanguinem B. — 3, 3 piis cum fletibus B. — 4, 1 Primo triumphant B. — 4, 2 Quo detur B. — 4, 4 cantent B. — Vgl Klemming III, 77.

316. De sancto Iudoco.

1. Ad laudes regis incliti
Pangamus hymnum socii
Festaque sancti Iudoci
Mente colamus supplici.

2. Qui patre rege genitus,
A summo Deo deditus,
Contempto flore arido
Voto fervebat florido.

3. Regnum namque Britanniae
A fratre iussus regere
Hoc spreto solitariae
Vitae se coepit tradere.

4. Virtutum per insignia
Tendens ad summa merita
Abiecta carnis sarcina
Ad Deum redit anima.

5. Omnes enim precamur te,
Nobis sis clemens, Iudoce,
Ut te colentes devote
Tecum vivamus aethere.

6. Gloria tibi, Domine,
Gloria, unigenite.
Una cum sancto spiritu
In sempiterna saecula.

Orat. ms. Campense anni 1462. Cod. Darmstadien. 521. — 6, 3 sq. fehlen; ergänzt nach Anal. IV, Nr. 184.

317. De sancto Iohanne Baptista.

Ad Completorium.

1. Baptista Christi inclite,
Qui Christum prodis indice,
Nos miserando respice
Culpasque nostras ablue.

Brev. ms. Bisuntinum saec. 14. Cod. Vesolen. 18. A. — Brev. Bisuntinum imp. 1531. B. — Doxol: Deo patri sit gloria. etc.

318. In Nativitate s. Iohannis Bapt.

Ad Vesperas.

1. Gaudeat caeli triumphator coetus,
Orbis exsultet laudesque depromat,
Namque praelustris natus est Iohannes.
Vates et infans.

2. Concinat melos angelorum chorus
Ceterum omnes caelicique cives.
Vultu benigno gratulentur tibi,
Nate formose.

3. Iamiam natalis celebris illuxit,
Dies optatus militis insignis,
Cuius in ortu iucundantur orbis
Almi penates.

4. Felix o puer, ablactatus nondum,
Iam qui collega superum effectus
Hodie sacras vagis inter ulnas
Matris excelsi.

5. O mirum ingens arcanumque munus
Caelitus lapsum, nutu namque divo
Reserat regem celebris in alvo
Miles accubans!

6. Stupet hic mundus siletque natura,
Quod luce carens abortivo puer
Cernat invisum innotumque noscat,
Colat, adoret.

7. Solus erutus legibus naturae
Donoque fretus numinis charisma
Nactus est adhuc septiforme sacri
Lucis inexpers.

8. Iubar emisit rutilans lux vera,
Hic namque solis sideris ad instar
Praeit aeterni ortum sicque regem
Praeco caelestem.

9. Ortus est infans angelorum consors,
Sono laetetur carmine cum dulci
Turma fidelis, blandiatur tibi,
Parvule pulcher.

10. Iubilet omnis synodus in ortu
Parvuli, quo lux magni praecursoris
Nemini dedit exitum maiori
Omne per solum.

11. Non lux, sed lumen eratque lucerna,
Corda perlustrans nubilosa, velut
Radius micans lucens et ignitus
Flaminis igne.

12. Da, sancte pater, baptista Iohannes,
Mentibus nostris fontem veri boni
Ingeri, quoque anhelantes iunge
Gratiae tuae.

13. Suscipe, precor, gratiose comes,
Vota precantum et nefanda nostrum
Precibus tuis deleantur cuncta
Crimina gratis.

14. Tibi, rex Christe, decus et potestas,
Honor et virtus sitque patri, cum quo
Semper et sancto flamine per cuncta
Saecula regnans.

Cant. ms. Franciscan. saec. 15. Cod. Marcian. It. IX 145. — 3, 2 optate. — 13, 4 Verbigena gratis. — Dieser und die folgenden, derselben Hs. entnommenen Hymnen rühren von einem Franziskanerdichter her: „Sequentes laudes vel hymnos seu sequentias ad honorem gloriosissimi Iohannis Baptistae composuit quidam frater minorum devotus eiusdem.“

319. In Nativitate s. Iohannis Bapt.

Ad Nocturnum.

1. Plaudat nunc sacra suboles et omnis,
Longa permensus mobilis qui aevi
Lustra deflebat reditus optati
Christi Messiae.

2. Angelus, sancti paranymphus nati,
Hunc qui praeconem cecinitque regis
Fore prophetam, gaudium rependat,
Quod repromisit.

3. Hic puer omni praeditus virtute,
Belliger uti animosus gigas,
Iter aggressus hispidum tutavit
Posteris cunctum.

4. Ut mitis praeco vocem se fatetur,
Verbi vox, inquam, cuius verba vitae
Sonus eructat aditumque pandit
Aetheris alti.

5. Vox, cuius cantus pabula propinat
Grata salutis, virtutis et vitae,
Pascua novae reserat amoena
Legis aeternae.

6. Hucque, huc omnes desides invitat,
Clamat peccantes, debiles impellit.
Fontis ad aquas sitibundos vocat
Gratis immensi.

7. Vox, pulchre cuius tonus introduxit
Praevium mundo luminis opaco,
Iubar aeterni pepulit et taetras
Nubes erroris.

8. Vox nempe, cuius harmonia norat
Intima caeli penetrare celsi,
Cuius est clavis ianuae caelestis
Lingua fidelis.

9. Vox namque, cuius melos demulcescit
Turbam lugubrem, cum lucis efulsit
Radius, taetri abditam ingenti
Carceris antro.

10. Vox, cuius vigor fidei decreta
Sanxit et legis, cuius est origo
Pervius ordo, finis atque norma
Cunctae virtutis.

11. Porrige robur, pugil et protector
Fortis in bello, turbae fatiscenti,
Fidei nostrae clipeus et ensis,
Haereses sterne.

12. Auge nunc, quaeso, regimen sollerti,
Desidis fuga latebras erroris,
Omnibus assis pietate gratis,
Perpes alumnus.

13. Tibi, rex Christe, decus et potestas,
Honor et virtus sitque patri, cum quo
Semper et sancto flamine per cuncta
Saecula regnans.

Cant. ms. Franciscan. saec. 15. Cod. Marcian. It. IX 145. — „Sequitur in eiusdem beati Iohannis Baptistae sollemnitate ad Nocturnum hymnus et cantatur in tono Virginis proles.“

320. In Nativitate s. Iohannis B.

Ad Laudes.

1. O decus patrum, baptista, que princeps
Trinique nexus, angelorum agalma,
Vitae dux, splendor, redemptoris nostri
Inclite praeco!

2. O sator virgo, o benigne pater,
Tibi ter triplex ierarchia pandit
Laudes hymnosque harmonia pari
Neumate dulci.

3. O miles alme gloriosae prolis,
Gaudium mundi, pater pietatis,
Unica nostrum spes atque dulcedo,
Arbiter legum.

4. Tu stupor fortis, fidei athleta,
Anachoreta mirae sanctitatis,
Tu robur mentis, dulcis amor urens
Pectora nostra.

5. Tu pavor orbis, dirigens auriga,
Deviis callis, miseris asylum.
Exsistis tandem anchora periclis
Naufragi saecli.

6. Tu caeli sidus, praefulgens aurora,
Gemma coruscans speculumque lucis,
Rectis es via, ferula caducis,
Lucifer caecis.

7. Angelis es par, mediator Christi,
Domini testis, sanctitatis forma,
Schola virtutum, venia precantum
Normaque morum.

8. Vinculum mundi stabilisque nexus,
Celebris thori mutuique forma,
Candens amoris methodus es fidis.
Gaudium maestis.

9. Centum lascivis debita relaxans
Terque quaterque castitatis loris
Mox voluptatis aestuantis dire
Frena conectis.

10. Protege, quaeso, gregem sauciatum
Dentibus saevis protervorum lupum,
Clade prostratum ingluviemque dele
Ensibus pacis.

11. Quaesumus clemens cernui Iohannes,
Semper exsistas supplicum interpres,
Ubi nunc felix gloria perenni
Sedes excelsus.

12. Salve, mi pater, orthodoxe, sancte,
Salve, iam vectus thronos in sublimes,
Eia, nunc ora, spiritus ut illuc
Scandere queat.

13. Tibi, rex Christe, decus et potestas,
Honor et virtus sitque patri, cum quo
Semper et sancto flamine per cuncta
Saecula regnans.

Cant. ms. Franciscan. saec. 15. Cod. Marcian. It. IX 145. — 1, 2 angelorum alga; da auch 10, 3 Elision eintritt und angelorum alga keinen Sinn zuläßt, habe ich agalma vermutet. — 5, 2 Devios calle. — „Sequitur ad laudes eiusdem festi hymnus et cantatur in tono Ut queant laxis."

321. In Decollatione s. Iohannis B.

Ad Vesperas.

1. Exsultet orbis pariterque polus
Astriger, almi militis depromat
Exitus, acta martyris baptistae,
Sancti Iohannis.

2. Laetus in laudes chorus angelorum
Tonet amoene resonans in astris,
Seriem sacrae passionis pandat
Incliti vatis.

3. Hic nam praelustris Christi protomartyr
Exstat; o felix ortus et occasus,
Quo tellus gaudet gaudentque caelorum
Turbae felices!

4. Arguit regis facinus Iohannes
Sanctus, invitat salutis ad iter,
Stolidum nescit monitis parere
Nequam adulter.

5. Quidnam, quod furit impudicus heros?
Inscius suae consortis et ultro
Aditum parat necis atque sui
Arbiter impos.

6. Improba fraudes mox virago gignit,
Fallax imago, cuius ira saevit,
Fremit et dolo proditque nefandum
Scelus in sanctum.

7. Iam virus viro suasit quae quondam
Spargit et ultrix, meminit livoris
Natae letalis, suadet scelesti
Callida pellex.

8. Iniquitatem peperit, quae parit
Virtuti parca pietatis parcam,
Tumet insanis uxor, immo fera,
Praeda Plutonis.

9. Aestuat regis facibus libido,
Inque vorago crapula turgescit,
Surgitque duplex Veneris et meri
Ignis scintilla.

10. Cum petit belva effrenata caput
Sacrum, Herodes periurus insanit,
Sed amor vincit lubricus Herodem
Namque dementem.

11. Prodit libido, temere cum iurat
Et, quod iuravit, perperamque iubet
Impleri, grave scelus, heu, migrat
Ense cruentus.

12. Tibi, rex Christe, decus et potestas,
Honor et virtus sitque patri, cum quo
Semper et sancto flamine per cuncta
Saecula regnans.

Cant. ms. Franciscan. saec. 15. Cod. Marcian. It. IX 145. — 6, 2 saevis. — „In nomine Domini Iesu Christi Amen. Incipit alius novus hymnus ad honorem decollationis beati Iohannis Baptistae in eodem metro et ab eodem fratre compositus. Et canitur in tono Aures ad nostras.

322. In Decollatione s. Iohannis B.

Ad Nocturnum.

1. O gemma nitens, rosei candoris
Lux, sic foedavit rabies Herodis,
Ut molem sacri corporis invadat
Praedo crudelis.

2. Hactenus furens lactantes infecit
Alter Herodes, impius et alter
Nunc sacrum fundit sanguinem fidelis
Christi praeconis.

3. Quid namque, nequam iudex, immo reus,
Properas regnum temerare? numquid
Foret pudori profanare templum,
Censor infelix?

4. Plebis occisor, ultio reposcit,
Arguit causa, vincula te manent,
Carcer accusat, cruor attestatur
Sacer effusus.

5. Improbus furor et funesta lues
Vinclis alligant, qui ligata solvit;
Flebilis error, heu, quam dolose
Patitur insons!

6. Fit cibus caedes, sanguis fitque potus,
Turget et alvus feritate tali,
Quo mensa caput gluviosus edax
Petat insontis.

7. Sanctum nec audax veritus est iudex,
Impius pium perdidit, sed vatem
Struma tyranni, iustus sicque tulit
Crimen iniqui.

8. Haud timet effrons carnifex et amens,
Agile scindit furibunda guttur
Frameam manu vibrans atque liquens
Gelidos artus.

9. Occidit saecli iubar, et coruscus
Splendor polorum pallet et nigrescit,
Lactea Phoebe clipsatur, et sidus
Squalet opacum.

10. Iam silet verbum verbi voxque tacet
Altitonantis praeviique sonus,
Tubae clangentis iubilus sordescit,
Lyrae caelestis.

11. Tibi, rex Christe, decus et potestas,
Honor et virtus sitque patri, cum quo
Semper et sancto flamine per cuncta
Saecula regnans.

Cant. ms. Franciscan. saec. 15. Cod. Marcian. It. IX 145. — 4, 1 hinter ultio „vel talio“. — „In tono: Iste confessor.“

323. In Decollatione s. Iohannis B.

Ad Laudes.

1. Perge iam, pater, visiturus perge
Turbam lugubrem et quem prodidisti,
Nobis ostende patribus et illis
Christi triumphum.

2. Propera, praeco, percunctatus diu,
Praevius belli nuntia tropaeum
Specu ploratus et solare plebis
Taetro degentis.

3. Iterum sonet tuba praecursoris,
Revehat verbum virtutemque verbi
Terat et clara vox clamantis omnes
Threnorum manes.

4. Ceterum laetus avidis decantet
Gaudium captis: belliger invictus
Palmam laturus pacis appropinquat,
Foribus adest.

5. Pangat nunc hymnos laetabunda proles,
Quae quondam diu latitans in antro
Lucis inexpers elogos deflebat
Christo potenti.

6. Tu namque fervens crucifer salutis
Tutus et hermes, belliger qui quondam
Factus es lucis caritatis et vexillifer impar.

7. Hactenus iste, ceu qui praeivit
Lucifer ortum micans et occasum
Solis aeterni, hesperus post illum
Sidera scandit.

8. O miles alme, sedulo paternas
Aures inclina precibus benigne
Supplicis tui mentis et affectum
Respice, quaeso.

9. Suscipe, pater, anhelantis vota
Sacer alumni, strenue triumphans
Princeps, athleta, tramite labentes
Dirige recto.

10. Custos et rector, dux et via, portus
Nostrae salutis, gaudium et amor,
Vinculum pacis, spes et vita, salus,
Sancte Iohannes.

11. Memor exsistas laudes qui tuorum
Supplicum tibi iugiter depromunt
Voce sonora cernuoque poscunt
Te, pater pie.

12. Tibi, rex Christe, decus et potestas,
Honor et virtus sitque patri, cum quo
Semper et sancto flamine per cuncta
Saecula regnas.

Cant. ms. Franciscan. saec. 15. Cod. Marcian. It. IX, 145. — 6, 2 ermes. — „Sequitur de eodem hymnus ad laudes. Et cantatur in tono Virginis proles.“

324. De s. Iohanne Bridlingtoniensi.

1. Alma mater ecclesia
Congratuletur filio,
Quem divina clementia
Caeli iunxit collegio.

2. Hunc senescente saeculo
Contra noxas remedium
Iohannem dedit populo
Iesus, salvator omnium.

3. Indutus stola fragili
Fragilitatem exuit
Et eius menti stabili
Charisma Christus influit.

4. Expers peccati scrupuli
Columna fit ecclesiae
Sicque de luto figuli
Formatur in vas gloriae.

5. Parent ipsius precibus
Morbi, mare, daemonia
Quem unxit prae consortibus
Spiritus sancti gratia.

6. Precamur, sancta trinitas,
Ut nos a morte triplici
Conservet tua bonitas
Iohannis prece supplici.

Orat. ms. Carthus. Colonien. saec. 15. Cod. Colonien. 28. — 2, 1 Nunc. — 6, 3 sua bonitas. — „De sancto Iohanne, priore regularium 10. Oct.“

325. De s. Iohanne Evang.

1. Iohannes, virgo, dilecte a Domino,
Verbi superni a patre progeniti
Gratiam nobis deprecare miseris,
Ut tuis semper sublevemur meritis.

2. Cuius exivit sonus in fines terrae,
Evangelista, deitatis symmista,
Oratu tuo obtine, reatibus
Nostris ignoscat ut summa clementia.

3. Sit tibi, Iesu, benedicte Domine,
Gloria, virtus, honor et imperium
Una cum patre sanctoque paraclito,
Cum quibus regnas Deus ante saecula.

Diurn. et hymn. ms. Benedict. Suecic. saec. 15. Cod. Upsalen. C 477. — 2, 2 divinitatis. — Die erste Str. dieses Hymnus kommt auch in dem Hymnus Andrea Christi sanctorum mitissime vor, gehört aber demselben nicht ursprünglich an.

326. De s. Iohanne Evang.

Ad Matutinum.

1. Sublimem tui gloriam
Volentes pie pangere,
Iohannes, Dei gratiam
Optamus tuo munere.

2. Tu multum es laudabilis
Coetu cunctarum gentium.
Es nam sobrinus nobilis
Iesu, factoris omnium.

3. Liquisti patrem, retia
Et navim maris fluctibus,
Sequens Iesu vestigia,
Vocantis te, in omnibus.

4. Electus tu a Domino
In aevum virgo permanes,
Nam nuptiarum termino
Tu sine sponsa remanes.

5. Vidisti Iesu faciem
In sacri montis culmine
Non fide, sed per speciem,
Vestitam divo lumine.

6. Prae cunctis te discipulis
Valde dilexit Dominus
Et eius semper oculis
Te respicit nunc comminus.

7. Iairi Iesus filiam
Resurgere dum voluit,
Ibi tuam praesentiam
Te diligens adhibuit.

8. Sic zelus Dei ferveat
Nostris, Iohannes, intimis,
Quod nobis semper libeat
Nostris favere proximis.

9. Et Iesu dulcis pietas
Spem nobis sic adaugeat,
Ut nulla nos tepiditas
A cultu Dei retrahat.

10. Patri, nato, paraclito
Semper reddamus gloriam,
Sancti Iohannis merito
Intremus caeli curiam.

Officium novum beati Iohannis imp. Bononiae 1525.

327. De s. Iohanne Evang.

Ad Laudes.

1. O gratia quam maxima,
Quam tibi Iesus dulciter
In cena fecit ultima
Te amans tam suaviter.

2. Secreta nam caelestia
Tibi monstravit trinitas,
Quae nulli fecit pervia,
Quos habuit antiquitas.

3. Cum supra Iesu pectore
Recubuisti lacrimans,
De falsi Iudae scelere
Cum grandi poena cogitans,

4. Iesus quam dulce basium
Infixit tuis labiis,
Deplorans, heu, nimium
Iam se daturus impiis.

5. In horto patri supplicans,
Ut calix a se transeat,
Iesus dixit, ut vigilans
Mens tua secum maneat.

6. Dum fugiunt discipuli,
Iohannes, Iesum sequeris,
Dum captum trahunt famuli,
In morte tu non deseris.

7. Ore dixisti quaerulo
Mariae: Iudas trucibus
Nunc Iesum dedit osculo
Pharisaeorum manibus.

8. Quam sibi valde condolens
Ducis ad crucem filii,
Omni virtute redolens
Quem blasphemabant impii.

9. Scutum impenetrabile
Nos fidei sic muniat,
Daemonium terribile,
Iohannes, ne percutiat.

10. Patri, nato, paraclito
Semper reddamus gloriam,
Sancti Iohannis merito
Intremus caeli curiam.

Officium novum beati Iohannis imp. Bononiae 1525.

328. De s. Iohanne Evang.

Ad Primam.

1. Ploratus, heu, largiter
Cernens matrem cum filio
In passione graviter
Diro pungi supplicio,

2. Vexisti semimortuam
Ah! matrem quantis lacrimis,
Quam tu credebas mortuam
Poenis nati gravissimis.

3. In cruce Dei filius
Matrem pendens adloquitur:
Hic, ecce, tuus filius
Pro me tibi conceditur.

4. Sicque sepulto filio
Curam matris in omnibus
Egisti sine vitio,
Dum vixit cum mortalibus.

5. Mundemus cor sollicite,
Iohannes, tuis precibus,
Quo Deum nos explicite
Cernamus in caelestibus.

6. Et fortis patientia
Amore Iesu toleret
Cuncta nobis contraria
Et tolerando superet.

7. Patri, nato, paraclito.

Officium novum beati Iohannis imp. Bononiae 1525. — 2, 1 Rexisti.

329. De s. Iohanne Evang.

Ad Tertiam.

1. Praecurris tu ad tumulum
Petrum, cum resurrectio
Iesu foret per angelum
Discussa, tunc cum gaudio

2. Eductis limbo patribus
Iesus ornatus gloria
Iam superatis hostibus
Surrexit die tertia.

3. Tunc oscularis dulciter
Eius sacrata stigmata,
Qui tibi sufflans leniter
Magna dedit charismata.

4. In mare de discipulis
Unus ex septem retia
Mittens agnoscis oculis,
Surrexit qui cum gloria.

5. Amara Iesu passio
Nostram, Iohannes, animam
Sic cruciet absinthio,
Quod Christo reddat intimam

6. Et dulcis amor virginis
Cor nostrum sic transfodiat,
Quod zelo sui numinis
Semper languere faciat.

7. Patri, nato, paraclito.

Officium novum beati Iohannis imp. Bononiae 1525.

330. De s. Iohanne Evang.

Ad Sextam.

1. Cum patribus et angelis
Scandentem grandi gloria
Cernis, Iohannes, oculis
Iesum caeli sublimia.

2. In te, dum mentis oculos
In caelum tenes, spiritus
Descendit, qui apostolos
Sanctificavit caelitus.

3. Cum mater nato spiritum
Sine dolore iubilans
Restituit, est creditum,
Quod praesens eras lacrimans.

4. Cadaver sacratissimum
Cuius dedisti tumulo
Hymnum canens dulcissimum
Ore dolore tremulo.

5. Tu ad Electam dirigis
Ad Gavum et ecclesias
Tabellas, quibus colligis
Mentes a Christo devias.

6. Plenum veneno calicem
Dum potas, nihil nocuit
Ob fidem Iesu simplicem,
Quae semper cunctis profuit.

7. Iussu maligni hominis
Intrasti fervens oleum
Pro laude Iesu nominis,
Quod tu sensisti roseum.

8. Pro tui Iesu nomine
Tractus in Patmos insula,
A Deo, non ab homine
Discis ventura saecula.

9. Iohannes, semper humiles
In actibus et sensibus
Simus et boni pugiles
Pro Christo cum daemonibus.

10. Patri, nato, paraclito
Semper reddamus gloriam.
Sancti Iohannis merito
Intremus caeli curiam.

Officium novum beati Iohannis imp. Bononiae 1525. — 5, 4 Mente.

331. De s. Iohanne Evang.

Ad Nonam.

1. Reversus ab exsilio
In Ephesum ingrederis,
Ubi cum magno gaudio
A populo reciperis,

2. Dum clamat: sit a numine,
Qui vitam praestat homini,
Benedictus, in nomine
Qui venit, ecce, Domini.

3. Tunc Drusianam suscitas
Pulsatus piis precibus
Fidelium, nam caritas
Eius subvenit omnibus.

4. Cratonem cum discipulis
Trahis a cultu daemonum,
Qui gemmas coram populis
Plausu fregerunt hominum.

5. Sic nostrum cor contritio,
Iohannes, dure torqueat,
Quod cuncta facta vitio
Nobis deflere libeat.

6. Servemus pure regulam,
Statuta patrum omnium,
Et mentem nostram quaerulam
Non faciat daemonium.

7. Patri, nato, paraclito.

Officium novum beati Iohanis imp. Bononiae 1525.

332. De s. Iohanne Evang.

Ad Vesperas.

1. Divina generatio
Per te nobis innotuit
Et Iesu praedicatio,
Qui nulli unquam nocuit.

2. Quod erat in principio
Verbum et verbum dulciter
Apud Deum, eloquio
Scribis tuo veraciter.

3. O perquam magna caritas
In tuo dulci pectore
Ardebat, quam antiquitas
Audivit nullo tempore.

4. Cum requirens depositum,
Iohannes, ab antistite,
Intelligens depertitum
Diu flevisti concite.

5. Et tunc festinus insequens
Equo carum discipulum,
Clamabas ista prosequens:
Quid fugis istum vetulum?

6. Redi, fili dulcissime,
Ad me, qui tibi spondeo
Pati velle gravissime
Pro naevo tui felleo.

7. Ut nos servemus animam,
Iohannes, in caelestia,
Frangamus vitam pessimam
Et eius desideria.

8. Cum cogerit necessitas
Reddendi Deo debitum,
Tunc Christo tua caritas
Nostrum commendet spiritum.

9. Patri, nato, paraclito.

Officium novum beati Iohannis imp. Bononiae 1525.

333. De s. Iohanne Evang.

Ad Completorium.

1. Iohannes, ad caelestia
Volens te Iesus ducere,
Cum nulla te molestia
Vitam fecit perficere.

2. Nam tumulum ingrediens
Vivus dedisti spiritum,
De quo manna scaturiens
Tuum testatur meritum.

3. Contemplas caeli curia
Vestitus iuxta virginem
Secundae stolae gloria
Summi patris imaginem.

4. Ob doctoratus praemium
Cum gloria martyrii
Et virginale lilium
Te laudant Dei filii.

5. Iohannes, semper cupimus
Accepta tibi facere,
Sic servos tuos petimus
Velis pie recipere.

6. Cor tibi, corpus, animam
Et cunctas vires corporis
Damus pandentes intimam
Dilectionem pectoris.

7. Nostrum tibi servitium
Sic te delectet iugiter,
Ut tuum patrocinium
Experiamur dulciter.

8. Patri, nato, paraclito
Semper reddamus gloriam,
Sancti Iohannis merito
Intremus caeli curiam.

Officium novum beati Iohannis imp. Bononiae 1525.

334. De sancto Iohanne Reomaensi.

Ad Vesperas.

1. Sacra dies infunditur
Iohannis, viri incliti,
Triumphis, signis, meritis
Confessorum praecipui.

2. Hic probus ab infantia
Deserti petit abdita;
Anguem virosum perimit
Et principatur monachis.

3. Fugantur saevi daemones,
Muto loquela redditur;
Quem mors raptabat citima,
Sacra reformant munia.

4. Oppressos fame valida
Plena refovet gratia,
Cum vacuantur horrea
Frugum meretur copia.

5. Iam candidatus senio
Evocatur a Domino,
Fine beato transiens
Super laetatur aethera.

6. O pater divinissime,
Tuos conserva filios,
Quos nunc grataris proprios,
Concives posce caelicos.

7. Cum quo nos, summa deitas,
In trinitate unitas,
Tua captet aeternitas
Et habeat infinitas.

Vita ms. S. Iohannis Reomaen. saec. 10. Cod. Meten. 195. — Abschrift von P. E. Rivière.

335. De s. Iohanne Spoletino.

Ad Vesperas.

1. Collaetetur ecclesia
Laudans principem gloriae,
Beneventana patria
Magis exsultet hodie.

2. De Spoleti provincia
Sanctus Iohannes micuit,
Quem sempiterna gloria,
Caelestis vita decuit.

3. In Apicii finibus,
Non longius a Samnia,
Exemplis et virtutibus
Fulsit eius praesentia.

4. Ibi caecos illuminat,
Leprosis fit obsequio
Et daemons eliminat
Ab hominum consortio.

5. Multis fulgens miraculis
Vocatus est a saeculo,
Caeli coniunctus vernulis
Vivit in pace sedula.

6. Eius nos iuvent merita.
Sua festa qui colimus,
Ut nobis fiat praestita
Caeli vita, quam cupimus.

7. O monachorum gloria,
Eremitarum gaudium,
Quem Spoletina patria
Produxit quasi lilium,

8. Sancte Iohannes, gratia
Reple corda fidelium,
Quae post haec transitoria
Caeleste gustent gaudium.

9. Per saecula sit omnia
Deo laus summae gloriae,
Qui vexit ad caelestia
Sanctum Iohannem hodie.

Collect. ms. Constantini Caietani saec. $^{16}/_{17}$. Cod. Alexandrin. 94. — „Ex Antiphonario collegiatae ecclesiae terrae Apicii anni 1337."

336. De s. Iohanne Spoletino.

Ad Laudes.

1. Laudemus Christum Dominum,
Qui nobis suum famulum
Concessit per suam gratiam,
Ut salvet istam patriam.

2. Venite, omnes populi,
Laudare nomen Domini,
Ut donet nobis gaudium,
Quis suum dedit famulum.

3. Gaude, castrum Apicii,
De tanto dono Domini,
Glorificate Dominum,
Qui salvat istum populum.

4. Iesu Christe piissime,
Rogamus te, sanctissime,
Ut huius almi gratia
Nobis remittas debita.

5. Gloria tibi, Domine,
Iesu, salvator omnium,
Cum patre et sancto spiritu
In sempiterna saecula.

Collect. ms. Caietani Constant. saec. $^{16}/_{17}$. Cod. Alexandrin. 94. — 1, 3 Eine Silbe zuviel; lies: Dedit per suum? — 2, 4 Quem suum dedit famulum. — „Ex Antiph. collegiatae ecclesiae terrae Apicii anni 1337."

337. De sancto Ioseph.

Ad Vesperas.

1. Ut collaudare gentes catervatim
Queant supremi Ioseph generosi
Miras virtutes patriarchae, Deus,
Largire vota.

2. Quem de regali stirpe procreatum
Praedestinavit pater aeternalis,
Ut tantae stirpis unicus virgini
Desponsaretur.

3. Dum cognovisset sponsam concepisse.
Stupescebat, cum unde nesciebat,
Virginem castam nolle traducere
Tunc cogitabat.

4. Et confortatur angelo dicente:
Noli timere, Ioseph, fili David.
Natum in ea beatum efficit
Spiritus sanctus.

5. Hinc Ioseph laetus coniugem accepit
Et famulatur intactam praeservans
Ac curam gessit praebuitque victus
Necessaria.

6. Cum iuxta regis Augusti edictum
Describeretur universus orbis,
Sponsae praegnantis impleti sunt dies.
Parit Bethlehem.

7. Ioseph collatum est ex hoc regalis
Sacerdotii veri signaculum,
Cum in praesaepe tractans et adorans
Iesum obtulit.

8. Gloria patri, summo genitori,
Gloria nato, pio redemptori,
Flamini sancto, nexui utrius,
Honor aequalis.

Diurn. ms. et hymn. Benedictin. Succic. saec. 15. Cod. Upsalen. C 477. A. — Brev Rigense imp. s. l. 1513. B. — 2, 3 stirpis unitas A. — 3, 1 Cum B. — 5, 1 Hinc laetus Joseph B. — 6, 3 impletae A. Für diesen und die zwei folgenden Hymnen vgl. H. v. Bruiningk in Mitteil. aus d. livländ. Geschichte. XIX, S. 239 ff.

338. De sancto Ioseph.

Ad Nocturnum.

1. Multaque mira hinc fidei nostrae
Sunt patefacta Ioseph mysteria,
Et de futuris in Christo complendis
Plene docetur.

2. Crudelitatem sentiens Herodis
Natum cum matre ducit in Aegyptum
Et more patris toto infantiae
Pavit decursu.

3. Infantem Iesum tractavit manibus,
Gestavit ulnis, suaves amplexus
Praebuit illi, ob id praecipue
Sollemnizandus.

4. Et cum defunctus esset rex tyrannus,
Iesum reduxit iubente angelo
In terram Iuda, Archelaum timens
Vadit Nazareth.

5. Non solum Dei mater suo sponso,
Sed, cui genu inclinatur omne,
Mandatis suis oboedit quam prompte
Et comitatur.

6. Gloria patri, summo creatori,
Gloria nato, pio redemptori,
Flamini sancto, nexui utrius,
Honor aequalis.

Diurn. et hymn. ms. Benedict. Suecic. saec. 15. Cod. Upsalen. C 477. A. — Brev. Rigense imp. s. l. 1513. B.

339. De sancto Ioseph.

Ad Laudes.

1. Hunc de profundo corde deitatis
Praedestinavit Deus, exaltavit
Prae cunctis scribis, regibus, prophetis
Ritus veteris.

2. Ceteri namque reges et prophetae
Christum venturum simul praedicabant,
Quem Ioseph iustus osculatur pio
Osculo oris.

3. Iam figuratus Ioseph patriarchae,
Qui vinctos regis carcere servavit,
Hic redimentem captos universos
Cura tutavit.

4. Ille coniectat somniorum verba,
Egenti vendit populo frumenta,
Fidem observat regi, stupri nefas
Inire spernens.

5. Isti patescunt divinorum sensus
Mysteriorum, fontem panis vitae
Propinat orbi, castitatem puram
Deo devovit.

6. Gloria patri, summo genitori,
Gloria nato, pio redemptori,
Flamini sancto, nexui utrius,
Honor aequalis.

Diurn. et hymn. ms. Benedictin. Suecic. saec. 15. Cod. Upsalen. C 477. A. — Brev. Rigense imp. s. l. 1513 B. — 2, 2 praedicaverunt A. — 5, 4 devotam A.

340. De sancta Iuliana.

1. Exorta prole nobili
Iuliana, flos virginum,
Vicit hoc orbe mobili
Minas feraces hominum.

2. Sponso Iesu fideliter
Soli placere cupiens,
Sprevit terrenum fortiter
Poenas crudeles patiens.

3. Exspoliata caeditur
Virgis a sex militibus,
Capillis post appenditur.
Ut immolet daemonibus.

4. Virgo manens impavida
Traditur diro carceri,
Luce tamen perfulgida
Illuminatur celeri.

5. Ubi deceptor astitit
Vultum gerens angelicum
Fraudisque plenum praestitit
Consilium domesticum.

6. Orationis lumine
Docta cepit daemonium.
Catenarum ligamine
Iecit in sterquilinium.

7. Haec gloriosa facie
Ponitur rota ferrea,
Sed angelorum acie
Frangitur sicut cerea.

8. Videntes haec pontifices
Baptizari se faciunt.
Saevientes carnifices
In virginem insaniunt.

9. Trahentes ad interitum
Igni martyr proicitur,
Sed gaudens tradit spiritum,
Dum caput ense caeditur.

10. Honor, virtus et gloria
Sit Christo, sponso virginum,
Qui nos ad caeli gaudia
Ducat post vitae terminum.

Offic. ms. S. Galgani saec. 16. Cod. Senen. F VI, 22. — 9, 3 tradidit. — Nach Str. 5. Divisio.

341. De sancto Iuliano.

1. Solvimus magno superoque regi
Ora concordes iubilo canoris
Semper et Christum rogitamus omnes
Cunctipotentem.

2. Qui summi patris veniens potentis
Se dedit nobis tibi de superno
Corporis vires validas ministrans,
O Iuliane.

3. Furia saevi premeris tyranni,
Firmus in atris monitu fidelis
Stringeris Christo, triduo retentus
Carcere taetro.

4. Aspidum diros colubrique morsus
Turbidas spernens maris et procellas,
Sarcinam tecum superare mundi
Posce labantis.

5. Spiritum reddens pretium beati
Muneris, caeli stabilem coronam,
Gliscis ac vilem pedibus premendo
Caelica pandis.

6. Nos eius saltem meritis benigne
Poscimus, Christe, lavacro renati,
Ut tuo donet populo salutem
Omne per aevum.

7. Sit Deo patri genitoque proli,
Spiritui sancto decus et potestas,
Qui Deus vivit sine fine regnans
Trinus et unus.

Brev. ms. Civitatense anni 1476. Cod. Civitat. LXXIV. (28). — 3, 1 Dura nimis saevi premeris. — 3, 3 Stringes.

342. De sancto Iuliano.

In Laudibus.

1. Te, Iuliane, canimus
Festumque diem colimus
Et vota pia solvimus
Melosque laeti pangimus.

2. Tu laureatus sanguine
Caeli fulges in culmine,
Coniunctus choro martyrum,
Sanctissime christicolum.

3. Tu vires hostis impii
Fretus virtute Domini
Poenasque carnis superans
Polum petis tripudians.

4. Nunc adunatus angelis
Tuis faveto famulis,
Quo tecum parte fulgida
Laeti sumamus praemia.

5. Laus sit parenti Domino,
Laudes canamus unico,
Laus sit amborum flamini
In saecula laudabili.

Passion. ms. Gemmeticense saec. $11^{1}/_{2}$. Cod. Rotomagen. 1396 (U 135).

343. De s. Iuliano Cenomannensi.

In 1. Vesperis.

1. Ut tuis dignas meritis camenas
Concinat praesens, Iuliane, coetus.
Expia nostros precibus reatus,
Inclite praesul.

2. Stirpe Romana generosus alma
In Iesu cena puer adfuisti,
Te docet Petrus documenta sacris
Actibus explens.

3. A Deo missus Cenomannis almae
Surculos primus fidei propagas,
Roborant fontis scatebrae suborti
Dogma salutis.

4. Principis limen subiens ademptum
Reddis admota cruce lumen orbo,
Diluit princeps hominis vetusti
Gurgite naevum.

5. Plebis adiunctae procerumque turmae
Fonte detergunt maculas renati,
Error abscedit fideique iacta
Semina surgunt.

6. Summa, te totus veneratur orbis,
Trinitas rectrix opifexque rerum,
Supplices audi pia concrepantes
Carmina laudum.

Brev. Dolense imp. s. l. 1519.

344. De s. Iuliano Cenomannensi.

Ad Matutinum.

1. Nube subducta sceleris paterni
Lucis aeternae iubar emicare
Nuntias Christum, dubiosque firmant
Signa secuta.

2. Auribus surdi bibulis sonoras
Hauriunt voces solidisque claudi
Cursitant plantis, erebi ministros
Iussibus arces.

3. Turgidis leprae maculosa squamis
Membra restauras, labra clausa solvis,
Integrum visus redeunt ad usum
Lumine capti.

4. Tres truci mortis iaculo peremptos
Redditos vitae revocas ad auras,
His Iesum fassis fera perfidorum
Corda domantur.

5. Sic bases firmans fidei profanos
Irritas cultus, teris idolorum
Fana, caelorum Domino dicatas
Erigis aras.

6. Summa te totus veneretur orbis
Trinitas rectrix opifexque rerum,
Supplices audi pia concrepantes
Carmina laudum.

Brev. Dolense imp. s. l. 1519.

345. De sancto Iuliano.

1. Iuliani nunc martyris
Unicus filius patris
Quae gesserit miraculis,
Hymnis cantemus debitis.

2. Requisitus a parente,
Coniugii formam sequi
Mente recusans invida
Deum die nocte orat.

3. Hic Deum vidit in somnis
Consolantem prae copula:
Accipias, en, virginem,
Quam intactam mihi serves.

4. Segregabo ipse vestram
A carnis vobis semitam,
Ero tecum cubiculo,
Viriliter age coepta.

5. Unica virgo quaeritur,
Basilissae coniungitur,
Adest thoro Dei chorus,
Liliis, rosis amoenus.

6. Facto noctis silentio
Loquitur virgo virginem:
Unde hi miri odores
Sunt hic nobis propitii?

7. Fine carens principio
Odor adest hic caelicus,
Quaerens nos Deo dicari,
Quod concordes mox voverunt.

8. Psallebat hinc Dei chorus,
Plaudebant hinc virgines:
Nunc, nunc coronas meruit
Pia horum coniunctio.

9. Hinc diva fit divisio.
Monasteria dedicant
Et diversa sollicitant,
Lumen vitae multis ferunt.

10. Basilissa, virgo felix
Ac terreni loci satur,
Migrat optata Domino
Iuliani vitam maerens.

11. Tunc adventans asperrima,
Vae, Martiani rabies
Omnes indicit idolis
Entes sub se adorare.

12. Multitudo copiosa,
Sequipeda Iuliani,
Concrematur persubito
Iussa regis despiciens.

13. Iubet tyrannus martyrem
Sanctum grave fustigari,
Pincerna primus feriens
Oculi lumen amisit.

14. Orationis ambitu
Pulverisantur idola,
Pincernae lumen rediit,
Deo martyr efficitur.

15. Dehinc Martiani natus
Celsius, ecce, unicus
Iuliani discipulus
Fit cum matre et aliis.

16. Et baptizatur Celsius
Atque mater similiter,
Orantes cum Iuliano.
Idolorum ruit templum.

17. Et dempta cute capitis
Saevis traditur bestiis.
Gladii palmam referens
Nunc regnat in caelestibus.

Brev. ms. Ambrosianum saec. 15. Borgian. M II. 20. — Doxol.: Gloria tibi, Domine etc.

346. De ss. Iuliano et Basilissa.

In 1. Vesperis.

1. Germinantes ut lilium
Cum candidato cuneo
Sancti mercantur praemium
Vitae cruore roseo.

2. In nuptiali foedere
Morem servant virgineum,
In huius vitae carcere
Fulgent ut sidus aureum.

3. Mentem servant angelicam
Tecti carnis velamine
Vitamque apostolicam
In sanctorum regimine.

4. Iulianus est nomine
Cum Basilissa virgine,
Quorum tropaea pangimus
Dum in hac vita degimus.

5. Dum mortem diram pertulit
Candidatum collegium,
Aurum, tus, murram protulit
Acceptum sacrificium.

6. Gloria tibi, Domine,
Manifestato sidere,
Qui fortes in certamine
Coronasti in aethere.

Brev. Elnense imp .Perpiniani (Rosenbach) 1500. — 1, 2 cureo. — 2, 4 Fulget. — 3, 2 Tectis. — 4, 3 tropaeo. — 4, 4 in hanc vitam. — 5, 3 tus mirando pertulit. — 6, 2 Manifestator.

347. De ss. Iuliano et Basilissa.

Ad Matutinum.

1. Triumphali memoria
Gratulatur ecclesia,
Liliali fragrantia
Suspirat ad caelestia.

2. Iulianus et comites,
Praeclara caeli sidera,
Mundi transscendunt limites
Laetati super aethera.

3. Gloria tibi, Domine,
Manifestato sidere,
Qui fortes in certamine
Coronasti in aethere.

Brev. Elnense imp. Perpiniani (Rosenbach) 1500. — 3, 2 Manifestator.

348. De ss. Iuliano et Basilissa.

Ad Laudes.

1. Praelati sancti ordinis
Subiectis sic perficiunt,
Quod laureati agminis
Coheredes sufficiunt.

2. Perferentes supplicia
Coruscant per prodigia,
Consummantur in gratia,
Coronantur in gloria.

3. Cum mortem diram pertulit
Candidatum collegium,
Aurum, tus, murram obtulit
Acceptum sacrificium.

4. Gloria tibi, Domine,
Manifestato sidere,
Qui fortes in certamine
Coronasti in aethere.

Brev. Elnense imp. Perpiniani 1500. — 2. 2 per fehlt. — 3. 2 Canditum. — 4, 2 Manifestator.

349. De sancto Iusto Puero.

In 1. Vesperis.

1. Regem laudemus supernum,
Qui Iustum, mitem puerum
Novennem, per martyrium
Ad caeli duxit solium.

2. Patre Iustino genitus
Iustus, matre Felicia,
Edocetur divinitus,
Qua patruus sit patria.

3. Iustinianus mansitat
Ambianis, hic clamitat;
Audit, gaudet, egreditur
Iustinus, Iustum sequitur.

4. Ad dictam urbem veniunt,
Collecti sunt hospitio
Lupi, Lupum conveniunt
Super fratris exsilio.

5. Iustinianus igitur
A Lupo gratis redditur,
Quem Iustus iuste liberat,
Ignotum quia noverat.

6. Hos Belvacensis regio
Ternos regressos recipit
In pulchro fontis spatio;
Paganus iram concipit.

7. Cum fratre pater latitat,
In fide Iustus militat,
Pro qua caput huic caeditur
Et caesum patri loquitur:

8. Me matri pater deferas
Sepulcro corpus tradito,
In terra corpus deseras,
Caput matri da, rogito.

9. Sepulcro corpus traditur,
Et caput matri geritur
Ad summi regis gloriam,
Qui Iusto dat victoriam.

10. Sit laus, honor et gloria
Patri, nato, spiritui
Sancto, cuius clementia
Cives regnant in patria.

Brev. Silvanectense imp. Parisiis 1521. — 8. 1 deferas pater.

350. De sancto Iusto Puero.

Ad Matutinum.

1. Noster chorus hymnum canat
Christo, regi gloriae,
Qui nos lavat, qui nos sanat
Ex morbo tristitiae,
De quo vita, salus manat
In vallem miseriae.

2. Adest Iusti dies festus,
Quo gaudet ecclesia,
Quem Iustinus, vir honestus,
Gignit de Felicia,
Cuius pios ornat gestus
Novennis infantia.

3. Iustini Iustinianus
Frater exsul patria,
Ambianis quod sit sanus
Lupo dans obsequia,
Iustus narrat mente canus
Dei per indicia.

4. Pater audit, gaudet, vadit
Eius fratrem quaerere,
Hanc in viam sese tradit
Pater, Iustus propere,
Urbis dictae civem adit
Lupum pater prospere.

5. Frater fratrem non cognoscit,
Sed a Iusto noscitur,
Quem per flamen sanctum noscit,
Quo plene perfunditur,
Frater reddi fratrem poscit,
Aere gratis redditur.

6. Revertuntur, Belvacensis
Illos silva recipit,
Sed paganis praeostensis
Specu fratres eripit,
Caput Iusti truncat ensis,
Iustum Deus suscipit.

7. Iusti caput patri fatur
In miro miraculo:
Caput matri deferatur,
Corpus detur tumulo;
Paret ille, corpus datur
Belvacensi loculo.

8. Laus et honor patri detur,
Honor et laus genito,
Laus et honor cumuletur
Flamini paraclito,
A quo nobis condonetur
Vita Iusti merito.

Brev. Silvanectense imp. Parisiis 1521. — 2, 4 de falacia.

351. In ss. Iusti et Clementis.

1. Laudes ecclesia canit catholica
Sanctorum annua colens sollemnia,
Iusti atque Clementis
Dies refulsit celebris.

2. Hi sunt duo viri misericordiae,
Quorum iustitiae sunt in memoria
Nec in oblivionem
Unquam erunt per saecula.

3. Hi duae olivae florent fructiferae
In domo Domini ut cedri Libani
Et duo candelabra
Ante Deum lucentia.

4. Prostrato aequore navigant prospere
Doctores fidei praeconesque Dei
Pellentes Arianae
Falsum dogma perfidiae.

5. Turbae catholicae panem dant gratiae
Fugatis hostibus, pulsis serpentibus,
Ad momenti spatium
Caelo reddebant spiritum.

6. Sanctorum precibus in te credentibus,
Iesu Christe, tuis concede famulis
Temporale commodum
Et aeternum subsidium.

7. In hoc sollemnio patri ingenito
Eiusque filio sit et paraclito
Decus et imperium
Et nunc et in perpetuum.

Brev. ad morem Severiani Collegii Erphordiensis imp. Maguntiae 1518.

352. De ss. Iusto et Clemente.

1. Felicis alma gloriae
Festa praefulgent hodie,
Qua confessores incliti
Probantur caelo praediti.

2. Iustus et Clemens nomine,
Sacro repleti flamine,
Nam iusta per vestigia
Micant horum prodigia.

3. Nunc Vulterrana gaudeas,
Cum tales patres habeas,
Gens vota dignis laudibus
Persolve confessoribus.

4. A Vandalorum gentibus
Te protexere panibus,
Quod erat esca civium,
Fit dura pestis hostium.

5. Cum hostes pane feriunt,
Virtute cives muniunt
Et meritis potentibus
Tuentur a serpentibus.

6. Succurrunt energumenis
Favore celsi numinis
Obsessis de corporibus
Exterritis daemonibus.

7. Testantur haec Italiae,
Praesertim plebes Tusciae,
Petentes horum limina
Morbos ponunt et crimina.

8. Nunc confessores unici
Favete plebi supplici,
Quae vos pro suo modulo
Honorat in hoc saeculo.

9. Laudetur Dei gloria,
Maiestas et victoria,
Substantialis unitas
Et personalis trinitas.

Offic. ms. S. Galgani saec. 16. Cod. Senen. F VI 22.

353. De ss. Iusto et Clemente.

Ad Tertiam.

1. *Veni, creator spiritus,*
Mentes tuorum visita,
Ut digne sanctis merita
Colamus data caelitus.

2. *Qui paracletus diceris,*
Fuisti nexus foederis
Fratrum Iusti et Clementis
Chordis oris, votis mentis.

3. *Tu septiformis munere*
Virtutum signis, opere
Hos ditans, Dei digitus,
Fratres, divinus spiritus.

4. *Accendunt lumen sensibus,*
Populum ab haeresibus
Eripiunt, ab hostibus
Simulque duplis cladibus.

5. *Hostem* antiquum eminus
A loco pellunt protinus,
In quo degentes laudibus
Vacant, micant virtutibus.

6. *Per te,* ignis et caritas,
Mansit vera fraternitas,
In istis semper socia
Caeloque par in gloria.

7. Sit laus patri cum filio,
Qui nobis hoc exsilio
Dare dignetur caelitus
Charisma sancti spiritus.

Offic. ms. S. Galgani saec. 16. Cod. Senen. F VI 22.

354. De sancta Katharina.

Ad Tertiam.

1. Ave, gemma claritatis
ad instar carbunculi,
Ave, rosa paradisi
more flagrans balsami,
Katherina, virgo felix,
gloriosa meritis.

2. Ave, virgo Deo grata
in caelesti culmine,
Ab angelis exaltata
in Sinai vertice,
Cuius membra sacro rorant
olei liquamine.

3. Ave, virgo speciosa
clarior sideribus,
Cuius vultum ac decorem
concupivit Dominus,
Funde preces creatori
pro tuis supplicibus.

4. Gloria et honor Deo
usquequo altissimo,
Una patri filioque,
inclito paraclito,
Cui laus est et potestas
per aeterna saecula.

Antiph. ms. S. Coronae saec. 13. Cod. Pragen. XII C 7 a. add. saec. 14. A. — Hymn. ms. S. Coronae saec. 14. in. Cod. Pragen. I G 17 add. saec. 14. B. — Mel.: Pange lingua.

355. De sancta Katharina.

1. Cantet chorus fidelium
Laudes sacratae virgini,
Deo dicatae martyri,
Stirpe regali genitae.

2. Aula resultet iubilans
Superna sanctam continens,
Coetus sacrarum virginum
Candentes sicut lilium.

3. Te, o superne conditor,
Corde precamur supplici,
Ut Caterinae meritis
Nos caeli iungas gaudiis.

4. Exsulta, caelum, laudibus
Cum sanctorum agminibus,
Ad vos conscendit iubilans
Haec virgo illustrissima.

5. Rege, fove ac protege
Tuos devotos famulos,
Virgo serena, nobilis,
Ab hostium insidiis.

6. Invenit unam nobilem
Margaritam mirabilem,
Cuncta terrena respuit
Hoc solum tenens pretium.

7. Nobis assit precantibus
Spiritus sancti gratia,
Nosque ad caelos dirigat
Per Caterinae merita.

8. Ascendant voces supplicum
Ad thronum patris gloriae,
Ut mereamur consequi
Aeterna Christi munera.

9. Gloria tibi, Domine.

Brev. ms. Cisterciense anni 1483. Cod. Vatican. Cappon. 119. — 4, 3 conscendit hodie iubilans. — 7, 3 a caelos.

356. De sancta Katharina.

Ad Vesperas.

1. Dona caelestis patriae si iuncta
Inter mortales cernere delectat,
Oculos leva, fige cor, mortalis,
In Katharinam.

2. Felix, en, virgo regia de stirpe
Regias domos, regem genitorem
Possidet more regio nutrita,
Regi iungenda.

3. Lacte cum pio dogmata piorum
Avide bibit cumque lacte potat
Sophiae Christi dulcia praecepta,
Mens unde vivat.

4. Lumina fulgent facie decora,
Praebet et vultus lilia cum rosis
Et ostro nives animato calent
Pectore sparsae.

5. Pudor, venustas, castitas in toto
Corpore vigent, dumque transit alma,
Flores misisse potuit putari
Tellus eunti.

6. Ipsa caducae docta caelo vitae
Dona contempsit pulchriora malens
Reddere sponso munera, quae nusquam
Termino parcent.

7. Unde cum saeva surgit a tyranno
Rabies contra, potuit invicta
Rotas ac ferrum vincere, sic necem
Tenera temnit.

8. Eia, nunc virgo sociata sponso,
Quem revelata facie tueris,
Ipsi nos tuis precibus commenda
Omnipotenti.

9. Omnipotenti gloriam canamus,
Qui trinus regnat, sempiternus, unus,
Quique fideles recreare solo
Valet obtutu.

Collect. ms. Constant. Caietani saec. 17. Cod. Alexandrin. 96 (I).

357. De sancta Katharina.

Ad Nocturnum.

1. Nocte silenti, conditor,
Tibi surgentes canimus,
Qui Katharinae virgini
Sermonis confers gratiam.

2. Te canimus, te quaerimus,
Aeterna caeli gloria,
Qui virginis praecordia
Replesti sapientia.

3. Illa resistens Caesari
Eius terret ferociam,
Illa vicit philosophos
Illo visa mirabilis.

4. Hinc noctis ignorantiam
Nostris repellat mentibus,
Ut sic victores hostium
Eius reddamur merito.

5. Honor, decus, imperium
Patri, nato, paraclito,
Qui regnis in caelestibus
Mentes beatas reficit.

Collect. ms. Constant. Caietani saec. 17. Cod. Alexandrin. 96 (I).

358. De sancta Katharina.

Ad Laudes.

1. O decus Alexandriae,
Flos, Katharina, virginum,
Cuius cor Christus possidet
Sua praebens charismata.

2. Si mundum vincis inclita,
Si fortes mundi superas,
Quid mirum? tecum permanet
Supernae virtus gratiae.

3. Hinc caelos, terras intuens
Trinum datorem praedicas,
Unum datorem praemii,
Unum trinumque Dominum.

4. Nostri memento, quaesumus,
Nostri reatus conscia,
Tuis adiuti precibus
Christi probemur famuli.

5. Honor, decus, imperium.

Collect. ms. Constant. Caietani, saec. 17. Cod. Alexandrin. 96 (I).

359. De s. Katharina Senensi.

Ad Vesperas.

1. Virgo dilecti nova sponsa Christi,
Annuat nostris Katharina votis,
Ut suae laeto resonemus ore
Carmina laudis.

2. Rite psallentes Domino quotannis
Gloriam sacrae canimus sororis,
Quae togam sumpsit viridi sub aevo
Religionis.

3. Respuens vani decus omne mundi
Praedicatorum documenta patris
Sponte suscepit, redimita flore
Virginitatis.

4. Atterens duris sua membra flagris
Flevit humanos miserata lapsos
Aspero ferri strophio pudicos
Cincta per artus.

5. Nulla multorum spatio dierum
Corporis sumens alimenta vixit,
Sacra quam tantum cibus angelorum
Hostia pavit.

6. Sit Deus caeli residens in arce,
Trinus et simplex benedictus ille,
Qui potens totum stabili gubernat
Ordine mundum.

Antiph. ms. S. Katharinae Divoduren. saec. 14. Cod. Vatican. s. n. (ol. 122 bis). add. saec. 15. — 4, 3 tropeo pudicos.

360. De s. Katharina Senensi.

Ad Matutinum.

1. Virgo prudentum comitata coetum
Obviam sponso veniens parata
Noctis horrendas repulit tenebras
Lampade pura.

2. Illi fulgentem nitidis lapillis
Annulum miri tribuit decoris
Virgini dicens: tibi trado sancti
Pignus amoris.

3. Inde sub multis meruit figuris
Saepius vultum Domini videre,
Iam sibi vitae dare pollicentis
Gaudia vera.

4. Mota fragrantis stimulo caloris
Mentis excessu rapitur frequenti,
Fixa dum sacris tenet ille membris
Vulnera Christi.

5. Nam piae mortis memor et cruoris
Pertulit dirae monimenta poenae,
Quae sibi pulchrae fuit et perennis
Causa coronae.

6. Sit Deus caeli residens in arce,
Trinus et simplex benedictus ille,
Qui potens totum stabili gubernat
Ordine mundum.

Antiph. ms. S. Katharinae Divoduren. saec. 14. Cod. Vatican. s. n. (ol. 22 bis).

361. De s. Katharina Senensi.

Ad Laudes.

1. Sponsa caelestis generosa regis
Scandit aeternos thalamos quietis,
Quam poli divae celebrant camoenae
Laudibus amplis.

2. Aucta virtutum meritis suarum
Fulget immensis Katharina signis,
Dum graves morbos fugat orta mundo
Stella salubris.

3. Saepe civiles cohibens furores
Servat a magnis populos periclis,
Recta componens Italas per urbes
Foedera pacis.

4. Virgo divini studiosa verbi,
Spiritu martyr Domino dicata,
Clara portentis genus omne laudis
Attigit ista.

5. Unde ter felix quater et beata
In sinu sponsi requievit almi,
Inter illustres animas relata
Lux nova caeli.

6. Sit Deus caeli residens in arce,
Trinus et simplex benedictus ille,
Qui potens totum stabili gubernat
Ordine mundum.

Antiph. ms. S. Katharinae Divoduren. saec. 14. Cod. Vatican. s. n. (ol. 122 bis). add. saec. 15. — 3, 3 Itala. — Mel. dieses und der beiden vorhergehenden Hymnen: Ut queant laxis.

362. De s. Katharina Suecica.

1. Gaude, decus Osgotiae,
Sanctae Birgittae filia,
Patrona esto Sueciae
Caeli tenens fastigia.

2. Haec in aetate tenera
Gustabat Dei munera.
Amplexans pia opera
Fide transscendit sidera.

3. Sanctum suum propositum
Perornat cum virtutibus,
Ut gratum reddat spiritum.
Conformat se caelestibus.

4. Haec honestatis speculum,
Paravit domicilium
Christo, contemnens saeculum
Carnaleque contagium.

5. Dono fuit scientiae
Dotata conversatio,
Domumque conscientiae
Pura servat confessio.

6. Patri, nato, paraclito
Sint honor, virtus, gloria
Et Katherinae merito
Nobis aeterna gaudia.

Brev. ms. Gnadenbergense saec. 15. Cod. Holmien. s. n.

363. De sancta Kineburga.

1. Kyneburgam laude plenam
Veneremur hodie,
Collaudemus, praedicemus
In hac donum gratiae,
Qua virescunt, reviviscunt
Defuncti a funere.

2. Ergo crede, in hac aede
Si devotus fueris,
Sanus eris, consequeris,
Quod iuste petieris,
Ora sane sero, mane
Peste pro, qua premeris.

3. Firma fides impetrabit
Morbi convalentiam,
Intus, foris dum servabit
Homo conscientiam,
Puram hic adnihilabit
Hostis fraudulentiam.

4. Fides vera effugabit
Omnes fraudes daemonum,
Fractas vires solidabit
Et virtutes hominum,
Languentes quosque firmabit
Fideique meritum.

Collect. ms. Llantoniense saec. 13. Cod. Coll. Corp. Christi Oxonien. 59. — 1, 5 vilescunt. — Abschrift von Rev. H. M. Bannister.

364. De sancta Kineburga.

Ad Processionem.

Salve, festa dies, toto venerabilis aevo,
Qua Kyneburga pia migrat ab hac patria.
Moribus interius similis fuit illa supernis,
In terris vitam duxerat angelicam.
Iungitur optatis concivibus ipsa beatis
Gaudia perpetua plaudit adesse sua.
Regnum terrenum genitura parabat amoenum,
Sprevit ut obscoenum coniugium iuvenum.
Dilexit Christum, mundum despexerat istum,
Carnis delicias, eius amicitias.
Virgineos mores observavit meliores
Felle carens, humilis prona, tacens stabilis.
Casta manens, pura, nec erat carnis sibi cura,
Ut Christo placuit, vivere sic studuit.

Sanguine praeclara, generosa, Deo quoque cara,
Saxonicae prolis, magnificae subolis.
Pro zelo Christi procul advena, virgo, fuisti,
Celans progeniem germinis et seriem.
Te servam faciens humilem regalia vitas,
Tutior ut fugiens sit tua virginitas.
Servula pistoris famularis in omnibus horis
Arte, sed uxoris est tua vita foris.
In fontem iacitur corpus sed sic reperitur,
De fundo loquitur corpus et extrahitur.
Concurrunt turbae populi de qualibet urbe,
Quod quisquis patitur, solvitur, eripitur.
Virgine pro pura fiunt miracula plura,
In prece quod petitur, hoc pia prosequitur.
Subsistunt sani iuvenes, pueri, veterani.
Haec sunt dona Dei; laus referatur ei.

Offic. ms. S. Kineburgae saec. 15. Cod. Londinen. Lansd. 387. — Abschrift von Rev. H. M. Bannister.

365. In Translatione s. Kineburgae.

Ad Processionem.

Salve, festa dies, toto venerabilis aevo,
Qua Kineburga suo tollitur ex tumulo.
Consilio sanus praesul metropolitanus
Transferri docuit, sicut eam decuit.
Digne translata sursum sunt ossa locata,
Ne premat illa solum, dum tenet ipsa polum.
Assistunt proceres, dominus, dux, miles et heres,
Praelati veteres adveniunt celeres.
Burgenses multi magno sunt agmine fulti,
Et doctor cleri praedicat hoc fieri.
Claustralis, surge, cane tu laudes Kineburgae,
Fratres cum paribus stent tribus ordinibus.
Concinat in turbis processio plebis et urbis
Cantica virginea, virgo praeoptat ea.
Aegri sanantur, miracula iam renovantur,
Omnia laetitiae signa sonent hodie.
Infirmi quique muti, claudi reliquique
Sani prosiliunt, vota Deo faciunt.
Virgo, tuae laudi sistentes, quaesumus, audi,
Sit pax omnino, gloria, laus Domino.

Offic. ms. S. Kineburgae saec. 15. Cod. Londinen. Lansd. 387. — Abschrift von Rev. H. M. Bannister.

366. De sancto Laurentio.

1. Extingue, martyr, grandia
Discriminum incendia,
Ut puros nos siderea
Receptent sursum gaudia.

2. Ergo te, martyr, supplices
Precamur, ut nos visites
Nosque Iesu concilies,
Ut simus ipsi compotes.

3. Cui proli sanctissimo
Cum patre laus ingenito
Sit ab utroque parili
Honorque fuso flamini.

Brev. ms. Senonense saec. 14. Cod. Vatic. Reg. 153. A. — Brev. Senonense imp. s. l. et a. B. — 3, 2 Cum prole laus B.

367. De sancto Laurentio.

1. Pange, lingua, gloriosi
proelium Laurentii,
Hac die qui mundum vicit
sub Decio Caesare
Et destruxit morte mortem
missus in craticula.

2. Qui dum esset in tormentis
positus craticulae,
Exclamabat magna voce
non motus supplicio:
Non ardorem mihi prunae
dant, sed refrigerium.

3. Tunc spectabant admirantes
impii Laurentium,
Cuius carnes devastabant
invocantis Dominum
Ignis vorax, carbo vivus
imperio Caesaris.

4. Quem cum vidit, dixit [illi]
beatus Laurentius:
Pars haec satis est assata,
subverti fac aliam
Et manduca partem illam;
tunc emisit spiritum.

5. Quem beatus vir Iustinus
sanctus et Hippolytus
Acceperunt et in agro
Verano sepeliunt,
Romae via Tiburtina,
Cyriacae praedio.

6. Qui nunc iacet ecclesia
dicta suo nomine
Extra muros civitatis
in cista marmorea
Et, ut dicunt Romae, cessit
sancto protomartyri.

7. Ergo, martyr gloriose,
deprecare Dominum
Pro nobis peccatoribus,
ut nos tuis precibus
Ascendere mereamur
ad caeli palatium.

8. Quod praestare nobis pater
dignetur et filius
Et procedens ab utroque
paraclitus spiritus,
Quibus laus et potestas
per aeterna saecula.

Diurn. ms. Senonense saec. 14. Cod. Vatican. Reg. 182.

368. De sancto Leone.

Ad Vesperas.

1. Leo, papa Romanorum.
Gemma episcoporum,
Gentium pastor cunctarum,
Speculum sacerdotum,
Sis intercessor pro nobis
Ad Deum miserrimis.

2. Ave, papa mitissime,
Ave, splendidissime,
Ave, Domini athleta,
Confessorum agmina
Qui inter sanctorum sacra
Fulgens ut sol et luna.

3. O cunctorum flos praesulum,
Mitis pastor ovium,
Peccatorum consolator,
Plebium praedicator,
Verae fidei omnibus
Ora pro cultoribus.

4. Inclite papa, populo
Preces funde pro cuncto,
Ut tua petitione
Nos aeternus pontifex
Expiatos a peccatis
Iungat coetibus almis.

5. Cunctarum urbium, Roma,
Ut sol lucidissima,
Quae doctrina es ornata
Tanti principis sacra
Et fecunditate talis
Es repleta corporis.

6. Exsultate, astra poli,
Laetare, domna caeli,
Archangelorumque chori,
Cum sanctis laetamini
De tanta iucunditate
Animae sanctissimae.

7. Gloriam patri vocibus
Melodis personemus,
Gloriam Christo canamus,
Gloriam paraclito,
Qui trinus et unus Deus
Exstat ante saecula.

Brev. ms. Romarici Montis saec. 16. Cod. Spinalien. 164 (77). A. — Hymnar. ms. Romarici Montis saec. 15. Cod. Spinalien. 194 (86). B. — 5, 2 sol felicissima A. — 5, 4 Principis tanti B. — 6, 3 que fehlt B. — 7, 1 Gloria B. — 7, 4 paracleto A.

369. De sancto Leucio.

Ad Vesperas.

1. Optata dies advenit
Exsultans in deliciis,
Qua patriarcha Leucius
Laetus migrat ad Dominum.

2. Hic clarus vitae meritis
Refulgens et miraculis,
Pulsis procul erroribus
Plebem lavat baptismate.

3. Praecepta Christi praedicans
Et sanctitate radians
Medelam confert languidis,
Functos ad vitam revocat.

4. Gaude, Brundusia polis,
Tantis ornata titulis,
Sed clarior eximium
Patronum habens Leucium.

5. Gloria tibi, Domine.

Officia ss. Patronorum ecclesiae Brundusinae imp. Romae 1583.

370. De sancto Leucio.

Ad Laudes.

1. In matutinis laudibus
Deum precemur sedulo,
Ut nos ad caeli gloriam
Per sancti ducat merita.

2. In Brundusina claruit
Urbe confessor Domini,
In hac relinquens terrea
Migravit ad caelestia.

3. Ob hoc celebrat annua
Devota plebs sollemnia;
Tu, Christe, nobis annue
Huius sequi vestigia.

4. Precemur ergo supplices
Patrem perennis gloriae,
Ut huius sancti merita
Nobis impetrent veniam.

5. Gloria tibi, Domine.

Officia ss. Patronorum ecclesiae Brundusinae imp. Romae 1583.

371. De sancta Lucia.

1. Lux, ecce, lustrat aurea,
Lucet Luciae laurea,
Laudantes laeto carmine
Laetemur loti crimine.

2. Mundanis munda micuit,
Mundare matrem meruit
Mercans non mundis mercibus
Mundans malis et motibus.

3. Commutans cum caelestibus,
Quod congruit coniugibus,
Contempsit carens carie
Causas civilis curiae.

4. Sicut fide non frangitur,
Sic tracta funе figitur,
Quanto funis sit fortior,
Fit fide fulta fixior.

5. Poenas parans plus patitur,
Dum pia perit, per[fo]ditur,
Puella passa gladio
Psallit perenni gaudio.

6. Patri, proli, paraclito,
Cuius divino digito
Vicit virgo, sit gloria,
Nobis secum sint gaudia.

Offic. ms. S. Luciae saec. $^{14}/_{15}$. Cod. Avenionen. 117. — Abschrift von Mr. Labande.

372. De sancta Lucia.

1. Dies datur, quae lustratur,
Luciae martyrio
Quo laetatur, nam locatur
Caelesti collegio,
Qua dotatur, decoratur
Syracusa mansio.

2. In hac orta nec non torta
Fuit virgo nobilis
Matrem curans et coniurans
Ne tradatur nubilis,
Sponsum nolens, Christum colens
Sua donat dapsilis.

3. His distractis sponsi pactis
Trahitur ad curiam,
Ad quam ducta nec seducta
Damnat idolatriam
Laudans Christum et per ipsum
Solam sequens latriam.

4. Tracta multis, ut adultis
Detur ludis turpibus,
Non veretur nec movetur
Iunctis bobus pluribus,
Tunc fit ignis, sed haec signis
Tutatur caelestibus.

5. Sic subridens et deridens
Furentem Paschasium.
Inconcussa stans, percussa
Per infixum gladium,
Consolatur, quos hortatur
Ad perenne praemium.

6. Honor iste tibi, Christe,
Cum patre, cum flamine,
Quo puella sic tenella
Vicit hoc certamine,
Qua laetemur, ut locemur
Nos in eius agmine.

Offic. ms. S. Luciae saec. $^{14}/_{15}$. Cod. Avenionen. 117. — Abschrift von Mr. Labande.

373. De sancto Machuto.

1. Benedicite Dominum,
Gubernatorem omnium,
Qui novum dedit famulum,
Machutum, ducem Britonum.

2. Sanctus Machu egregius
In die Paschae est natus
Cum eo triginta tribus
Simulque natis penitus.

3. Fueruntque eruditi
Delhtici quoque domini,
In una die periti,
In elementis edocti.

4. Sanctus Machlous inprimo
Habuit virtutem de Christo,
Frigorem nunquam habuit,
Pallium a se ciecit.

5. Hic quadam die perrexit,
Ad litus maris pervenit
Et illic ludens dormuit,
Cum quo insula ascendit.

6. Hic belvam immanissimam
Palpavit ut agniculam,
In die Paschae super quam
Sollenni cantavit missam.

7. Ibi quaerebat insulam,
Quam semper vocamus Inman,
Non reperiensque illam
Revertens venit patriam.

8. Didascalum hic audivit,
Evangelio qui dixit:
Vitam aeternam habebit,
Patriam qui reliquerit.

9. Sanctus Machu hoc audiens,
Patriam suam relinquens,
Ad Colinum perveniens,
Paratam navem intuens.

10. Quae habebat instrumenta,
Velum extensum in ea,
Hominibus at vacua,
Christus sedebat in ea.

11. Ancoramque qui tenebat,
Illos quoque invitabat
Navigare per maria
Transmarinorum patria.

12. In illam cito intravit
Et ventus validus venit,
Velum quoque adimplevit,
Et navis mare sulcavit.

13. O ecclesiae lux magna
Et sacerdotum gloria,
Dum gregi praestas pabula,
Cordi pandis mysteria.

14. Hic venit ad civitatem
Aletis intrans gaudentem,
In qua multis virtutibus
Ostendit se hominibus.

15. Curavit quoque leprosos,
Curvos erexit sanatos,
Resuscitavit mortuos,
Qui inde vixerunt sanos.

16. Rex caelorum altissimus,
Solus excelsus Dominus,
Non clauditur temporibus
Permanens semper aeternus.

17. Qui et vocavit optimum
Machutum suum famulum,
Sanctum atque mirificum,
Doctorem quoque perfectum.

18. Verus hic evangelicus
Athleta Dei optimus
Contempta mundi gloria
Centena sumpsit praemia.

19. Audite omnes fulgida
Sancti Machutis opera
Episcopi praecipua,
Magna et principalia.

20. Coram Deo dignissima,
Hominibus placentia,
Diffamata per tempora
Huius mundi novissima.

21. Quem copulasti, Domine,
Angelorum in ordine,
Benedictus a Domino,
Deo deorum superno.

22. Chaleuxomen Dominum
Omnipotentem, supernum,
Ut mereamur fulgidum
Intrare habitaculum.

23. Ibi permanet gaudium
In lumine viventium,
Sanctus, sanctus dicentium,
Sanctus Deus virtutium.

24. Hymnum Machutis beati,
Viri in cunctis optimi,
Decantate, presbyteri
Eius et plures magistri.

25. Magni quoque et pusilli
In memoria animi
Uti virtute meriti
Patris vestris salvemini.

26. Rogamus Christum Dominum,
Regem, rectorem omnium.
Nobis ut praestet solidum
In hoc mundo auxilium,

27. Nostri patris per meritum
Machutis validissimum,
Ut mereamur gaudium
Possidere angelicum.

28. Haec est feria sollennis,
In qua sacerdos nobilis,
Sanctus Machlou egregius
Caelos conscendit arduos.

29. Et nos armore debite
Debemus laudes dicere
Machuti nostro auctori,
In sceptro poli manenti.

30. Cuius beatis precibus
Mundemur a sceleribus,
Ut consequamur praemia
Eius colentes merita.

31. Praeferimus te laudibus
Et postulamus precibus,
Ut piis nos suffragiis
Liberes a piaculis.

32. Gloria praeclarissimo
Christoque regi optimo
Et patri perfectissimo,
Spiritui quoque sancto.

33. Gloria perenni Deo
Unctoque Jesu Domino,
Almo quoque paraclito
In saecula saeculorum.

Passion. ms. incertae orig. saec. [12. et] 10. Cod. Londinen. Reg. 13 A X. — 5, 1 prorexit. — 23, 1 Chaleuxomen, offenbar mifsverstandene griechische Form von *εὔχομαι* und *καλέω* (oder *καλός*?). — Der Hymnus ist vielleicht ein Konglomerat aus zwei oder mehreren Hymnen. Mit Str. 19, vielleicht auch mit Str. 24 scheint ein neues Lied zu beginnen. Auffallen mufs auch die doppelte Doxologie am Schlusse. — Abschrift von Rev. H. M. Bannister.

374. De sancto Magnobodo.

In 1. Vesperis.

1. Voce te sanctum Dominum benigna
Plebs creatorem fragilis precatur,
Ne suos unquam scelerum rubigo
Denigret actus,

2. Ut tibi laudes meritas rependat
Hac die, qua te tribuente noster
Gloria praesul meruit locari
Perpete caeli.

3. Iste dum vita viguit caduca,
Pauperes pavit, miseros refovit
Et reos vinclis macieque tritos
Carcere solvit.

4. Debiles firmum tenuere gressum,
Palpebrae lumen repetunt ablatum,
Et novus surdas sonitus per aures
Verba ministrat.

5. Ignibus lentis febrium gravatos
Liberat membris, paralysis exit,
Morbido fluxu tenuata ventris
Viscera sanat.

6. Sancte confessor pretiose, qui tot
Corpori curas adhibere laeso
Nosceris, tabes precibus sacratis
Ablue mentis.

7. Ut frui tecum mereamur omnes
Gloria cunctis posita beatis,
Qua Deus iusti praemium laboris
Reddit amoenum.

8. Sit tibi, celsi moderator orbis,
Laus, honor, virtus simul et potestas,
Qui supra caeli resides cacumen
Trinus et unus.

Brev. Andegavense imp. Parisiis 1551.

375. De sancto Magnobodo.

Ad Matutinum.

1. Nunc noster hymnum concinat
Chorus sonoro carmine,
Dum praesulis Magnobodi
Festum celebrat annuum.

2. Miranda plane caelitus
Donantur isti munera,
Quae iam superna gratia
In carne monstrant praeditum.

3. Orante sancto callidus
Propellitur de corpore
Hostis, daturque mentibus
Et sensibus tranquillitas

4. Adversa linquit littora
Navis ducente nemine
Undasque sulcans fluminis
Agmen capit cum praesule.

5. Nummus datus pauperibus
Pluri subauctus numero
Crescit refectis singulis
Mirantibus clientulis.

6. Hunc deprecemur supplices,
Ut nos pio munimine
Servet ab imminentibus
Hostis dolosi fraudibus.

7. Ne sorbeat nos aspera
Mundi procella, protegat
Nostram ratem, ne pirata
Secum trahat per devia.

8. Summo Deo sit gloria,
Qui nos mereri gaudia
Det in supernis sedibus
In sempiterna saecula.

Brev. Andegavense imp. Parisiis 1551.

376. De sancto Magnobodo.

Ad Laudes.

1. Castis referre mentibus
Laudes decet Magnobodi,
Quem plurimis virtutibus
Deus decorum reddidit.

2. Sacro docente spiritu
Cavet veneni pocula
Et morte foeda profugus
Tabescit auctor criminis.

3. Lumen legenti fulgidum
Ab aemulis extinguitur,
Sed spiritali lumine,
Quod ceperat, concluditur.

4. Exsangue corpus parvuli,
Tritum iacens in platea,
Precante sancto praesule
Vivus reformat spiritus.

5. O beate Magnobode,
Te supplicantes protege.
Ut vana mundi respuant
Et recta semper appetant.

6. Ut cum dies advenerit
Cunctis statuta populis,
Carnem resumat spiritus
Omni solutus crimine.

7. Summo Deo sit gloria,
Qui nos mereri gaudia
Det in supernis sedibus,
In sempiterna saecula.

Brev. Andegavense imp. Parisiis 1551.

377. De s. Marcellino Ebredunensi.

In I. Vesperis.

1. Natus in summis Marcellinus oris
Africae quondam pervenit ad Alpes.
Ubi sublimis urbs nunc Ebredunum
Condita iacet.

2. Huic cum Domnino Vincentius iunctus
Fugarunt illinc daemonum culturam,
Orbe qui toto tenebant captivas
Hominum mentes.

3. Hi templum urbi primum condiderunt,
Quod Vercellensis Eusebius praesul
Et Valentinus pastor Aemilanus
Consecraverunt.

4. Per hos antistes primus Ebreduni
Datus est, quamvis renitens omnino,
Sed pius nostro consulens errori
Praesulem gessit.

5. Hinc Deum summum rogitemus omnes,
Ut Marcellini precibus adiutos
Praestet nos tandem gaudia superni
Visere caeli.

6. Laus Deo patri genitoque, simul
Spiritui sancto sit honor perennis,
Qui poli summa residet in aula
Trinus et unus.

Brev. Ebredunense imp. Lugduni 1520.

378. De s. Marcellino Ebredunensi.

Ad Matutinum.

1. Noctis aeternae tenebris eductos
Nos Marcellinus, praesul Ebreduni,
Traxit, dum nostros patres ab errore
Solvit antiquo.

2. Qui dum gentilis conviva ferocis
Foret cuiusdam, ad fidem convertit
Hunc, dum contriti calicis fissuras
Videt uniri.

3. Huius obtentu corporis obsessi
Membra relinquit daemonum pressura,
Quod Marcellino capitis laesuram
Ferox tulisset.

4. Rivus omisso nativo decursu
Cedit tumescens populo credenti,
Pastor dum crucis sublime vexillum
Promeret dextra.

5. Tota mox uno clauditur ovili
Ebredunensis plebs dicata Christo
Preceque iugi se pastoris almi
Gaudet tueri.

6. Demus nunc omnes Domino precatus,
Ut maris huius fluctibus eiecti
Possimus tandem contingere laeti
Portum salutis.

7. Laus Deo patri genitoque, simul
Spiritui sancto sit honor perennis,
Qui poli summa residet in aula
Trinus et unus.

Brev. Ebredunense imp. Lugduni 1520.

379. De s. Marcellino Ebredunensi.

In Laudibus.

1. Laudibus diem veneremur illum,
Quo Marcellinus nexibus solutis
Corporis inter meruit concives
Vivere caeli.

2. Morbis oppressos variis oblitos
Vidimus nunquam, sacrum qui ad eius
Prona concurrunt Dominum precando
Tumulum mente.

3. Urbem obsessam hostes derelinquunt
Cruce vibrata caelo perterriti,
Quod preces fusae templo Marcellini
Obtinuerunt.

4. Oleum manans huius tumba viri
Mortuos fere et aridas manus,
Urbem infectam constat sanitati
Restituisse.

5. Criminum forte plebis Ebreduni
Feruntur causa incognita multis
Tempore longo praesulis divini
Ossa fuisse.

6. Sed tandem nostris inventa diebus
Summa cum laude veneremur illa,
Ut Deus nostros miseratus omnes
Pellat reatus.

7. Laus Deo patri genitoque, simul
Spiritui sancto sit honor perennis,
Qui poli summa residet in aula
Trinus et unus.

Brev. Ebredunense imp. Lugduni 1520.

380. De sancto Marciano.

Ad Vesperum.

1. Audi, praesul Marciane,
Martyr invictissime,
Quas in tua promunt laude
Voces tui vernulae.

2. Truces minas despexisti
Tamquam vana nubila,
Praeparatus ad tormenta
Quaelibet crudelia.

3. Dant candentes massas ferri
Per spatia laterum
Ac perusta caro flagrans
Odor ut aromatum.

4. Stant ministri vulnerati
Massis ex urentibus
Neque laedunt Marcianum,
Urere quem cupiunt.

5. Tunc iratus praeses furens
Iussit satellitibus
Huius caput obtruncari
Non in urbis moenibus.

6. Sic, beate Marciane,
Martyr atque pontifex,
Vitam donans temporalem,
Ad perennem transiens.

7. Summo patri demus laudes
Pariter et filio,
Ab utroque procedenti
Spiritu paraclito.

Hymn. ms. Bobiense saec. 11. Cod. Vatic. 5776. — Cfr. Mai Nova bibl. Patr. I II, 203.

381. De sancto Marciano.

Ad Laudes.

1. Aurora clara rutilat,
Annua festa reparat,
Cum Marcianus pontifex
Aulam polorum possidet.

2. In hac die devotius
Felix festum recolimus,
In qua caelorum civibus
Est perpes factus socius.

3. Precamur ergo subditi
Lucis suggeras lumini,
Ut sublevemur nitidi,
Quo meruisti transvehi.

4. Laudes patri altissimo
Sitque parili filio
Ac utriusque flamini,
Ambobus semper simili.

Hymnar. ms. Bobiense saec. 11. Cod. Vatic. 5776. — 3, 4 Quod meruisti faver. — 4, 1 altissimi. — Cfr. Mai, Nova bibl. Pater I II, 204.

382. De sancta Margareta.

1. Theodosii filia
Sprevit contemptibilia
Et passa transitoria
Est pro perenni gloria.

2. Haec Margareta nomine,
Divino gaudens omine,
Deserviens munditiae
Amatrix pudicitiae.

3. Olybrius vult recipi,
Haec negat cavens decipi,
Ad Christum cursu celeri
Currens repugnat sceleri.

4. Ad finem ab initio
Est constans in supplicio,
Migravit ab exsilio
Coniuncta Dei filio.

5. In passionis transitu
Plebs adest multa gemitu,
Tyrannus adest fremitu,
Adest Christus in exitu.

6. Uni trinoque gloria,
Qui vita, spes, victoria,
Cui laus sit hac die cula,
Honor per cuncta saecula.

Diurn. et hymn. ms. Benedictin. Suecic. saec. 15. Cod. Upsalen. C 477. — 2, 1 Hic. — Cfr. Klemming III, 116. woselbst das Lied irrig als Sequenz, die Quelle fälschlich als Missale bezeichnet wird.

383. De sancta Margareta.

1. Exsultet vox ecclesiae
Sion congaudens filiae
Agnique tympanistriae,
Margaritae, quam hodie
Desponsavit rex gloriae.

2. O casta generatio,
Tali gaude consortio,
En, quam felix est portio
Ubi perpes fruitio
Erit sine divortio.

3. Margareta, sponsa Dei,
Flos decoris virginei,
Non te artus sanguinei
Nec tormenta eculei
Privarunt via fidei.

4. Olybrius te virginem
Ob formae pulchritudinem
Sperans habere coniugem,
Sed spretus fudit sanguinem
Retrudens te in carcerem.

5. Draco te tunc absorbuit,
Sed cor fide nil tepuit,
Mox cruce facta crepuit
Et sic rufo occubuit.
Sponsam sponsus eripuit.

6. Daemon post haec conqueritur,
Dum caput eius teritur;
A te quod minus laeditur,
Orat miser, dum caeditur,
Sic a te victus creditur.

7. Eia, felix victoria
Et digne meritoria,
Qua peccatorum scoria
Divincitur et gloria
Calcatur transitoria.

8. Tyrannus coepit furere
Fidem nitens obruere,
Face te iussit urere,
Cruor non cessat fluere
Fidem nisus astruere.

9. Demum cruentus properat
Tortor, ut mortem inferat,
Aquam poenalem praeparat,
Sed, dum nec sic te superat,
Te decollari imperat.

10. Virorum quinque milia
Haec cernunt mirabilia,
Mox abnegant sculptilia,
Et sic Christi familia
Fert tormenta similia.

11. Virtutum vas eximium,
Nunc cum catervis virginum
Roga pro nobis Dominum,
Ut post hunc carnis terminum
Veniam donet criminum.

12. Sit laus patri cum filio,
Sancto simul paraclito,
Qui te de hoc exsilio
Ceu rosam fultam lilio
Caelesti vexit solio.

Antiph. ms. S. Coronae saec. 13. Cod. Pragen. XII C 7a. add. saec. 14 A. — Hymn. ms. Sanctae Coronae saec. 14. Cod Pragen. I G 17. add. saec. 15. B. — 1, 5 Sibi desponsat rex AB. — 3, 3 te armis sanguinei A. — 4, 5 der Reim ist unrein. — 6, 5 Et sic a te victus AB. — 8, 3 Faci, radiert B; ursprünglich wohl Facie statt Face. — 10, 5 Suffert tormenta similia AB. — 10, 2 der Reim an dieser Stelle unrein. — 10, 4 Seu rosam B. — Vor Str. 7 Divisio.

384. De sancta Margareta.

1. Gaudio summo virgines
Vestras ornate lampades,
Ut Margaritae speculo
Regnum intretis caelicum.

2. In quo refulget merito
Ipsa virgo clarissima,
Quae mundi pompas renuens
Sacravit se martyrio.

3. Rapacitas Olybrii,
Antiocheni praesidis,
Huius amore saeviens
Furit in eam acriter.

4. Ast adamanti similis
Preces et minas irridens
Suspenditur in aere,
Dilaniatur graviter.

5. Reclusam post in carcere
Draco crudelis devorat,
Quem signum Christi dirimit,
Quod ipsa martyr perfecit.

6. Dehinc martyr sanctissima
Hostem prostratum detinens,
Cur tot et tanta scelera
Commiserit, interrogat.

7. Ut belfis responsum dedit,
Ipsum abysso tradidit,
Ustione post caeditur
Acre suspensa corpore.

8. Saevi tyranni mandato
Iugulatur prudens virgo,
Caelorum regi supplicans
Pro ipsam venerantibus.

9. Gloria tibi, Domine.

Brev. ms. Ambrosianum saec. 15. Cod. Borgian. M II 20. — 2, 3 pumpas. — 3, 3 sceviens. — 6, 2 Hostes prostratos. — 7, 1 belfis für belva oder belbus? — Das Akrostichon nennt als Verfasser Girardus.

385. De sancta Margareta.

In 1. Vesperis.

1. Dies sollemnis agitur,
In quo dives ingreditur
Margareta palatia
Caelica cum laetitia.

2. Regem colit caelestium,
Cultum damnat gentilium,
Ducem spernit Olimbrium
Et vanum mundi gaudium.

3. Princeps dolet, irascitur,
Crine nuda suspenditur,
Virgo virgis conciditur,
Ungulis caro carpitur.

4. Demum carceri traditur,
Ore draconis clauditur,
Per crucem draco scinditur,
Sana martyr egreditur.

5. Deo patri sit gloria,
Qui moderatur omnia,
Eiusque soli genito
Cum spiritu paraclito.

Brev. Lemovicense imp. Lemovicis 1495. — Vgl. den Hymnus gleichen Anfangs auf den hl. Blasius Anal. XXIII, 88.

386. De sancta Margareta.

Ad Laudes.

1. Margaretae collaudemus
Virginus praeconium,
Gloriosum recitemus
Martyris martyrium
Ut ad eius penetremus
Praeclarum consortium.

2. Regem colit supernorum
Virgo, Dei filium,
Aeternorum gaudiorum
Conferentem praemium,
Cultum spernit idolorum,
Contemnit Olimbrium.

3. Poenas subit carcerales
Et tormentum varium.
Feras vincit noxiales
Per Christi subsidium.
Post dolores temporales
Caeli scandit atrium.

4. Sit laus summo genitori,
Regi regum omnium,
Una Christo redemptori,
Salvatori gentium,
Flamini consolatori
Par decus, imperium.

Brev. Lemovicense imp. Lemovicis 1495. — 4. 2 regnum omnium.

387. De sancta Margareta.

Ad Vesperas.

1. Grates reddamus Domino,
Fratres, corde et animo
Qui sponsis sui filii
Decus dat sui praemii.

2. Assunt namque sollemnia
Quo beata Margareta
Cruoris unda effusa
Poli conscendit ardua.

3. Quae clara exstitit stirpe,
Magis sed virginitate,
Decens et pulchra facie,
Sancta sed pulchrior fide.

4. Quam sponsus et rex caelestis
Primo flore inventutis,
In quo maneret, iucundum
Sibi consecravit templum.

5. Haec virgo pro sacra fide
Sub Olybrio praeside
Iesu confidens diversis
Extorquetur suppliciis.

6. Ignibus quibus traditur,
Sospes ex his eripitur,
Feroces ferae mansuescunt
Dira collaque submittunt.

7. Constans persistens in fide
Tormenta devicit quaeque
Et voce persecutorem
Libera confundit vilem.

8. Demum gladio confossa
Carnea relinquens claustra
Iungitur choro caelesti
Suoque sponso perenni.

9. Huius obtentu, Domine,
Facinora nostra terge,
Possimus ut evadere
Poenas aeternas gehennae.

10. Et adipisci praemium
Caelestis regni fulgidum,
Quo tua martyr et sponsa
Gaudet cum te Margareta.

11. Praesta, trinitas beata,
Cuncta quae regis creata,
Et cui exstitit grata
Sancta virgo Margareta.

Hymn. ms. S. Petri Mart. Utinen. saec. 16. Cod. Civit. Utinen. s. n. — 1, 3 sponsus. — 4, 3 manet. — 5, 2 Sub fehlt. — 8, 3 Iugiter choro. — 10, 1 Ut adipisci.

388. De s. Maria Aegyptiaca.

1. Canimus laudum pia vota, Christe,
Eius quae vitam meruit pudicam,
Ante culparum fecibus pollutam
Reddere tibi.

2. Aegyptus quondam vera monstra tulit,
Gentium diis maculata multis,
Protulit tandem eremi cultricem
Nobis Mariam.

3. Pressit algoris duriter et artus
Aestus et famis beatam rigore,
Multos per annos habitans in silvis
Casta fidelis.

4. Abluit sordes maculas peccati
Lacrymis cordis penitus abstergens,
Usquequo Dei semitas decurrens
Scandit ad astra.

5. Sit trinitati decus, honor, virtus,
Cuius clementi bonitate reis
Gratiam praestat veniamque donans
Efficit iustos.

Officia ms. Toletana saec. 17. Cod. Vatic. Ottob. 702.

389. De sancta Maria Aegyptiaca.

In 1. Vesperis.

1. Summe redemptor omnium,
Honor, virtus fidelium,
Aegyptiacae precibus
Adesto nostri vocibus.

2. Nam in huius praeconia
Praesens plaudit ecclesia,
Quam supernorum curia
Veneratur cum gloria.

3. Haec mundi vana respuit
Et delicta, quae coluit,
Dum Aegyptum deseruit
Sionque sanctam adiit.

4. Ibi defiens innumera,
Quae perpetrarat, scelera
Iordanis undas petiit,
Desertum non abhorruit.

5. Quis resonare vocibus,
Quis valeat carminibus
Assultus crebros daemonum
Mariam infestantium.

6. Totam se Deo voverat.
Aestus sitimque spreverat,
Herbis famem compescuit,
Arena thorum praebuit.

7. Sic devota caelestibus
Sub Sozimae conspectibus
Orans pacem ecclesiae
Elevabatur aere.

8. Tali signans indicio
Se dignam Dei solio.
Cuius corde et animo
Flagrabat desiderio.

Brev. Lemovicense imp. Lemovicis 1495.

390. De s. Maria Aegyptiaca.

In 2. Vesperis.

1. Gaudens omnis fidelium
Pronuntiet ecclesia
Peccatricis praeconium
Mariae cum laetitia.

2. Aegyptum habens patriam
Derelictis parentibus
Pervenit Alexandriam
Obscenis vacans actibus.

3. Festinans ad sollemnium
Sanctae crucis quam propere
Ter intrandi dispendium
Suo tulit pro scelere.

4. Templi sedens in atrio
Flet, gemit ad memoriam
Reducens cum susprio
Passam carnis luxuriam.

5. Intemeratae virginis
Se vertens ad imaginem
Scelus fatetur criminis,
Orans beatam virginem.

6. Mox completo precamine
Ecclesiam ingreditur,
Fidem habens in virgine
Plus repulsam non patitur.

7. Quaesumus, auctor omnium,
Ut Mariae suffragio
Des supernorum civium
Nobis frui consortio.

8. Gloria, tibi, Domine,
Qui surrexisti a mortuis,
Cum patre et sancto spiritu
In sempiterna saecula.

Brev. Atrebatense imp. Atrebati 1505. — Zu dem Officium Anal XVIII. Nr. 36.

391. De s. Maria Magdalena.

1. Spes famulorum, Christe, tuorum,
Summi parentis unica proles,
Annue votis, suscipe laudes,
Quas in hac die festa Mariae
Plebs recolendo fert tibi concors.

2. Haec Magdalene rite vocatur,
Dum monitorem atque doctorem,
Luminis fontem, vitia linquens,
Gratiam quaerens, pedibus haerens,
Dogmata bibens te speculatur.

3. Ante peccata, post theorema.
Haec amplectendo prima dilecta,
Post diligendo est expiata,
Nam tua dona merita nostra
Nunquam praecedunt, sed comitantur.

4. Quare, resurgens tu primo tali
Apparuisti, ut declarares,
Quia non iustis sed suscitatis
Et emundatis munera tuae
Serenitatis maxime praebes.

5. Rogemus ergo nos peccatores,
Ut, qui peccatis purgatam sanctam
Civibus tuis associasti,
Precibus eius nos quoque naevis
Lotis des fontem visere purum.

6. Gloria patri, inclitae proli,
Amborum quoque pneumati sancto,
Qui trinus unus vivit et regnat,
Sapiens idem, potens et bonus
Per infinita saecula Deus.

Brev. ms. Secoviense saec. $^{11}/_{12}$. Cod. Graecen. 770. — 4, 1 Qua resurgens. — 6, 3 Qui tres.

392. De s. Maria Magdalena.

1. Deus, qui quosvis eligis,
Qui clemens lapsos erigis,
Ut peccatricem Mariam
Salva nos dando veniam.

2. O peccatricem nobilem,
Deo concupiscibilem,
O ream famosissimam
Sed Christo dilectissimam.

3. Septem Iesus daemonia
Eiecit de te, Maria,
Vera verbi discipula
Attendis hoc benevola.

4. Plorans inter convivia
Rigas Christi vestigia,
Tergis capillis sedula,
Ungis, subiungis oscula.

5. Istis placatus hostiis
Magister et obsequiis
Remittit tibi crimina
Multa, magna, diutina.

6. Curata Iesum sequeris,
Christum sublatum quereris
Et ex ardoris cumulo
Ipsum quaeris in tumulo.

7. Mane cum essent tenebrae,
Lumen vidisti celebre,
Dominum tuis oculis,
Quod nuntias discipulis.

8. Hinc maesta dicis: Domine;
Hic te vocat ex nomine,
Audita voce Domini
Laeta respondes: Rabboni.

9. Iesus Mariae precibus
Resuscita nos, quaesumus,
A peccatis mortiferis
Ut Lazarum ab inferis.

10. Pater per unigenitum
Da spiritum paraclitum
Et post felicem obitum
Da nobis ad te transitum.

Hymn. ms. S. Mariae Magdalenae Claustroneburgen. saec. $^{14/15}$. Cod. Claustroneoburgen. 996. A. — Hymn. ms. S. Mariae Magdalenae Claustroneoburgen. 999. B. — Hymn. ms. S. Mariae Magdalenae Claustroneoburgen. anni 1336. Cod. Claustroneoburgen. 1000. C. — Brev. ms. Claustroneoburgense saec. 14. in. Cod. Claustroneoburgen. 1200. D. — Hymn. ms. S. Mariae Magdalenae Claustroneoburgen. saec. $^{13/14}$. Cod. Claustroneoburgen. 1001. E. — 4, 4 Ungis subiungis B. — 5, 2 fehlt A. — 7, 3 suis oculis ABCD. —

393. De s. Maria Magdalena.

1. Magnum salutis gaudium
Hoc clarum praebet speculum
Exempli paenitentiae,
Dilectae Christi Mariae.

2. Cantemus omnes dulciter,
Quia misericorditer
Florem respexit aridum
Iesus, flos floris virginum.

3. Rore caeli perfunditur,
Dum pes Christi perungitur,
Culpa deletur clanculo
Devotionis osculo.

4. Peccator hoc considerat
Et invidendo murmurat,
Dicens prophetam nescium
Praestare beneficium.

5. Exsultent cives caelici,
Omnes chori hymnidici,
Laudantes Deum iubilant
In hoc festo, quod celebrant.

6. Mariae festum agitur
Magdalenae, quod colitur
Ab omnibus fidelibus
Devotis semper laudibus.

7. In pace cum dimittitur,
Voce divina dicitur:
Fides tua te salvam fecit,
Quae Deum me esse credidit.

8. Sis nobis tu propitia
Nunc excusando vitia,
Peccando quae commisimus,
Ora pro nobis, quaesumus.

9. Sit laus patri altissimo
Honorque eius filio
Cum spiritu paraclito
In sempiterna saecula.

Brev. ms. Altovadense anni 1583. Cod. Altovaden. VI. — 2, 4 Iesus florens virginum. — 4, 2 Et invidens murmurat. — 7, 3 sq. je eine Silbe zu viel. — Nach Str. 4 Divisio; vielleicht ursprünglich zwei Hymnen.

394. De s. Maria Magdalena.

Ad. Vesp. et Laudes.

1. Magnum salutis gaudium
Laetetur omne saeculum,
Iesus redemptor gentium,
Sanavit orbem languidum.

2. Sex ante Paschae ferias
Advenit in Bethaniam,
Ubi pie post triduum
Resuscitavit Lazarum.

3. Nardi Maria pistici
Sumpsit libram mox optimi,
Unxit beatos Domini
Pedes rigando lacrimis.

4. Fervens amore valido
Fletus profluxit oculo,
Cui datur a Domino
Peccatorum nemissio.

5. Hinc pharisaeus murmurat,
Qui peccatricem noverat,
Christo mente detraxerat,
Cuius posse non viderat.

6. Cui respondens Dominus
Convicit eum comminus
Ex obligatis debita
Duobus ad imparia.

7. Nos ergo Christum iudicem
Amemus, verum indicem,
Nostrae salutis obviam
Ferentes paenitentiam.

8. Haec enim unxit Dominum
Exalabastro cordium,
Dum profluxit contritio,
Tergitque satiofactio.

9. Honor, decus, imperium
Sit trinitati unicae,
Patri, nato, paraclito
Per infinita saecula.

Hymn. ms. S. Coronae saec. 14. in. Cod. Pragen. I G 17. add. saec. 14. — 7, 2 iudicem. — Nach Str. 3. Divisio.

2 a. Praedicator optime,
Contra morbos animae
Dic, qualis sis opere.

2 b. In labore saepius,
In aestu frequentius
Vinctus et in carcere.

3 a. O lux apostolica,
Adhuc nobis indica
De tuis excessibus.

3 b. Raptus in paradisum
Humanum vincens visum
Fruebar caelestibus.

4 a. Ora tuis precibus
Sicut olim fletibus
Pro sanctis viventibus;

4 b. Flecte tua genua
Ad patrem, ut venia
Detur paenitentibus.

5 a. Da post vitae terminum
Angelorum Dominum
Sine fine cernere;

5 b. Da virtute flaminis
Non gravari infimis,
Sed superna quaerere.

Grad. ms. Monasteriense saec. 15. (Privatbesitz). A. — Miss. Monasteriense imp. Coloniae 1489. B. — 1 a, 2 ist vielleicht zu lesen: Tis colentes. — 5 b, 1 virtute spiritus, wahrscheinlich eine ähnliche Korrektur wie bei dem mifsverstandenen „Tis“ in 1 a, 2. — Es sei ausdrücklich bemerkt, dafs weder A noch B in 3 b, 3 die falsche Lesart „Fruebaris„ haben, wie nach Misset-Weale (Anal. Lit. I, p. 225) zu glauben ist.

266. De sancto Paulo.

1 a. Laetabundus
Paulum laudet omnis clerus,
Alleluia,

1 b. Quem convertit
Cunctorum regum rex verus,
Res miranda.

2 a. Mundo Christus oritur,
Verus vera nascitur
Sol de stella;

2 b. Sole nox expellitur,
Paulo lux infunditur
Semper clara.

3 a. Paulus mores instruit
Ac errores destruit
Pari forma;

3 b. Lux doctrinae celebris
Pauli nullis tenebris
Fit corrupta.

4 a. Populos illuminat,
Tenebras eliminat
Valle nostra.

4 b. Verbum patris praedicat,
Id, quod passum indicat
Carne sumpta.

Cantion. ms. incert. orig. saec. 14. Cod. Florentin. Conv. sup. II. I. 212. — Mit Melodie, natürlich Laetabundus. — Leider fehlen die zwei Schlufsstrophen infolge einer Lücke in der Handschrift. — Abschrift von Rev. H. M. Bannister.

267. De sancto Peregrino.

1 a. Gaude, plebs Autrica,
Quam fraus inimica
Quondam sub antiqua
[Vinxit] idolatria;

1 b. Solve tuo patri
Laudes, cuius atri
A vinclis barathri
Solveris industria.

2 a. Nos quoque singuli
Canamus seduli
Praesenti praesuli
Canticum laetitiae,

2 b. Cuius praesentia
Conferens gaudia
Spes et laetitia
Praesentis ecclesiae.

3 a. Gaudet urbs Romana
Partu tantae prolis,
Qua deorum fana
Cadunt cum idolis;

3 b. Magis Autricana
Diu tenta dolis,
Qua relinquens vana
Iuncta Christicolis.

4 a. Hunc Sixtus destinat
Ad partes Galliae,
Quem lux illuminat
Caelestis gratiae,

4 b. Granumque seminat
Verbo prudentiae,
Daemonis terminat
Fraudes nequitiae.

5 a. Diebus singulis,
Christum dum praedicat,
Poenis non modulis
Afflictus dimicat.

5 b. Lictor in vinculis
Martyrem implicat
Tandemque praesulis
In caput vindicat.

6 a. O Peregrine,
Martyr benigne,
Servis in fine
Impetrato veniam,

6 b. Prece decora
Iudicem ora,
Nobis implora
Verae lucis copiam.

Miss. ms. S. Dionysii saec. 14. Cod. Parisin. 1107. — 1 a, 1 Autrita. — 3 b, 1 Atritana. — 3 b, 2 tanta. — 5 b, 1 Litor. — 6 b, 2 Iudicis ora. — Melodie: Ave Maris stella, | Mellis caeli cella (Anal. Hymn. IX, Nr. 88).

268. De sancto Petro.

1 a. Pasce, Petre, oves Christi,
Quas in cura suscepisti,
Nam a Christo didicisti,
Quod sis pastor ovium.

1 b. Tu es petra fundamenti,
Tu columna firmamenti,
Firma robur nostrae menti
Tuum per subsidium.

2 a. Claves caeli, Petre, geris,
Regnum Christi promereris,
Dum de Christo confiteris,
Quod sit Dei filius.

2 b. Plenitudo potestatum
Tibi datur, et est ratum,
Quidquid ligas, est ligatum
Dei vinclo firmius.

399. De s. Maria Magdalena.

Ad Laudes.

1. Ad pedes Christi residens
Et verbum vitae audiens
Maria cordis intima
Indulcat Christi gratia.

2. Audit dicentem Dominum:
Unum est necessarium,
Elegit partem sobrie,
Quam non quibit amittere.

3. Deus, Mariae precibus
Nos exorna virtutibus,
Ut valeamus fieri
Partis illius socii.

Collect. ms. Gemmeticense saec. 10. in. Cod. Rotomagen. 26 (A 292) add. saec. 12.

400. De s. Maria Magdalena.

Ad Primam.

1. Exemplum paenitentiae
Deus volens ostendere
Dedit Mariae veniam
Peccatorum multimodam.

2. Quae fudit nardum pisticum
Super caput sanctissimum,
Odor unde nectareus
Statim fragravit omnibus.

3. Per cuius magnum meritum,
Christe, salvator omnium,
Fac, sit in nostris mentibus
Unctio sancti spiritus.

Collect. ms. Gemmeticense saec. 10. in. Cod. Rotomagen. 26 (A 292) add. saec. 12.

401. De s. Maria Magdalena.

Ad Tertiam.

1. Marthae, Mariae fletibus
Mox ut praecepit Dominus,
Surgit a morte Lazarus,
Vivus datur sororibus.

2. Harum precatu, Domine,
Clemens e morte animae
Dignare nos eruere
Reddens vitae perpetuae,

3. Ut Mariae dilectio,
Qua te dilexit animo,
In nobis semper ferveat
Hic et per cuncta saecula.

Collect. ms. Gemmeticense saec. 10. in. Cod. Rotomagen. 26 (A 292 add. saec. 12.

402. De s. Maria Magdalena.

Ad Sextam.

1. Resurgens Dei filius,
Mortis destructor inclitus,
Primo Mariae visibus
Apparuit conspicuus.

2. Discipulis haec nuntia
Prima defert gaudiflua,
Hinc merito apostola
Vocatur in ecclesia.

3. Ergo, Maria, poscimus,
Tuis orationibus
Ut commendes nos Domino,
Cui laus sine termino.

Collectan. ms. Gemmeticense saec. 10. in. Cod. Rotomagen. 26 (A 292.) add. saec. 12. — Von den Hymnen Nr. 398 bis 402 ist in Cheval. Repert. aus eben dieser Quelle nur Nr. 398 verzeichnet, alle übrigen fehlen.

403. De s. Maria Magdalena.

Ad Tertiam.

1. Proles matris ecclesiae,
Mariae festum recole,
De cuius paenitentia
Caelestis gaudet curia.

2. Quae Christum Dei filium
Ita dilexit plurimum,
Ut mereretur omnium
Remissionem scelerum.

3. Martham Iesus sollicitat,
Sed Mariam refocillat,
Elegit Martha congruam,
Maria partem optimam.

4. Hoc unum necessarium
Nobis a patre luminum
Maria dari impetret,
Pro qua nos idem adiuvet.

5. Deo patri sit gloria.

Brev. ms. Romarici Montis saec. 16. Cod. Spinalien. 164 (77).

404. De sancta Marina.

1. Marina, virgo Domino devota,
Laudibus digna, precibus rogamus,
Plebe pro ista preces funde tuas
Tempore omni.

2. Faciem pulchram, pulchriorem fidem,
Patiens multum moribus et vita,
Vitam honestam habuit haec virgo.
Semper beata.

3. Floribus fulget coronata virgo,
Obviam pergens sponso atque sponsae
Oleum secum et vasa portavit
Haec sacra virgo.

4. Cognitus fuit sexus in lavando
Virginis huius, Marinae beatae.
Meritis cuius veniam precamur
Caelitus missam.

5. Virginum sacra, virginum beata
Virgo, quam laudat chorus angelorum.
Laudibus fulgens, meritis in caelis
Pro nobis ora.

6. Marina virgo, Domino assistas,
Clero astanti veniam deposcas,
Populi huius dimissis peccatis
Precibus tuis.

7. Gloria patri, filio triumphus,
Honor assistat spiritui sancto,
Tribus personis, deitati uni
Canimus laudem.

Brev. ms. Civitatense saec. 15. Cod. Archiep. Utinen. Oct. 10. A. — Brev. ms. Civitatense anni 1467. Cod. Civitaten. LXXIV (28) B. — 1. 1 Marinae A.

405. De sancta Martha.

In 1. Vesperis.

1. Exsultet aula caelica
In hac die mirifica,
In qua rex Christus inclitam
Martham coronat hospitam.

2. Haec est Christi loquifera,
Obstetrix et dapifera,
Cuius sancta petitio
Fit fratris resurrectio.

3. Dumque Tarascam perimit,
A peste terram eximit,
Et Tarasconis praedia
Gaudent eius praesentia.

4. Exstinctum amne suscitat,
Dum fidem Christi praedicat,
Avenionis patria
Cessat ab idolatria.

5. Martha prece sollicita
Somno torpentes excita,
Ne hora nos anticipet,
Quo sponsus Christus veniet.

6. Laus sit aeterno solio
Paraclito cum filio,
Qui Mariam glorificat
Marthamque beatificat.

Brev. Grassense imp. Lugduni 1528.

406. De sancta Martha.

Ad Laudes.

1. Lux, ecce, surgit fulgida,
In qua Christi iam hospita
Suis praeclaris meritis
Multis splendet miraculis.

2. Draconem invincibilem
Per leonem vel hominem,
Urso vel ullo gladio,
Suo ligavit cingulo.

3. Ad cuius preces Dominus,
Quem necaverat Rhodanus,
Resuscitavit puerum
Iam mortuum per biduum.

4. O digna magnis meritis,
Cuius Dominus oculis
Sonoris monstrans animam
Partem scandentem aetheram.

5. Exstinxit Satan lumina
Circa aegram deposita,
Quae post vidente hospita
Soror accendit facula.

6. Haec est magna sollemnitas,
Cuius summa celebritas
Cuius Christus funebria
Praesens peregit dextera.

7. Ad cuius tumbam corpora
Sanantur cuncta languida,
Sanitatem recipiunt
Aegri, qui fide veniunt.

8. Flagitemus hanc dominam
In laudibus magnificam,
Ut nos ipsius precibus
Salvemur a criminibus.

9. Gloria patri Domino
Eiusque soli filio,
Regnanti omni saeculo
Cum spiritu paraclito.

Brev ms. Humiliatorum anni 1443. Cod. Vatican. 9217. — 5. 4 ascendit.

407. De sancta Martha.

In Laudibus.

1. Praeclara Dei gaudia
Mundo sonet ecclesia
In Martha, Dei famula,
Pangens caeli miracula.

2. Haec hospitavit Dominum,
Qui suscitavit Lazarum,
Haec suo sancto precatu
Expurget nos a reatu.

3. Quae draconem leoninum
Per auxilium divinum
Vicit suo funiculo
Utens Dei auxilio.

4. O dulcis Christi hospita,
Per tua sancta merita
Ora pro nobis omnibus
Tuum festum colentibus.

5. Concedat simplex unitas,
Praestet una divinitas,
Ut tuae laudis cantica
Nobis sint salutifera.

6. Sit laus paterno lumini
Cum filio vel flamini,
Ut nos per Marthae meritum
Caeli transducat aditum.

Brev. Xantonense impi Pictavii 1542. — 2, 3 Rex suo. — 6, 1 Sit laus patrono. — 6, 3 Ut qui per.

408. De sancto Martino.

1. Martinus meritis compar apostolis,
Praesul magnificus, pontificum decus,
In mundo celebrem consecrat hunc diem,
Qua conscendit ad aethera.

2. Martinus modicus et pauper saeculo
Dives ingreditur regna perennia,
Quamvis ecclesiae pace quiesceret,
Palmam martyrii tenet.

3. Hic Christum media chlamyde texerat,
Tres de morte viros atque resuscitat,
Dum nudis brachiis obtulit hostiam,
Ignis caelitus adfuit.

4. Quanta possideat gaudia perpetim,
Nullum cor penetrat, lingua vel explicat,
Unam namque tenet perpetuo stolam
Praestolatur et alteram.

5. O Martine, Deo praesul amabilis,
Pro nobis Dominum posce piisimum,
Ut mundet miseros, crimine sordidos,
Iustis praemia conferens.

6. Hoc summus genitor, conditor omnium,
Hoc unigenitus filius adnuat
Amborumque simul spiritus omnia
Disponens bene saecula.

Brev. ms. Civitatense saec. 15. Cod. Archiep. Utinen. Oct. 10. A. — Hymn. ms. S. Petri Mart. Utinen. saec. 16. Cod. Civit. Utinen. s. n. B. — Hymn. et Psalt. ms. Civitatense saec. 15. Cod Civitaten. LXXIII. C. — Psalt. et hymn. ms. Civitatense saec. 14. Cod. Civitaten. LXXII. D. — Brev. ms. Civitatense anni 1476. Cod. Civitaten. LXXIV. (28). E. — Sanct ms. Aquilegiense saec. 15. Cod. Labacen. 71. F. — Brev. Aquilegiense imp. Venetiis (de Torresanis) 1496. G. — 3, 1 Sic Christum B. — 4, 2 lingua nec explicat F. — 5, 1 H Martine Deo E; O fehlt BG. — 5, 2 nobis posce Deum pissimum F. — 6, 1 Haec summus A. — 6, 2 annuat filius F.

409. De sancto Martino.

Ad I. Vesperas.

1. Sancti Martini praesulis
Hymnum laeti referimus,
Qui hoc contempsit saeculum
Mercatusque est praemium.

2. Qui in adulescentia
Dei praecepta tenuit
Stipemque largam iugiter
Erogavit pauperibus.

3. Instat doctrina orthodoxa
Digna sortitus praemia,
Pastor verus in populo,
Summus sacerdos rutilans.

4. Crebris quoque ieiuniis
Carnis reppulit vitia,
Saepe docendo populum
Destruxit mundi idola.

5. Magnus exstitit medicus
Infirma sanans corpora,
Devotas solvit animas
Possessas a diabolo.

6. Tanta repletus gratia
Obviam Christo abiit,
Nobisque semper maxima
Ostendit mirabilia.

7. Rogemus ergo, populi,
Confessorem altissimi,
Ut ipse nobis impetret
Pacem et indulgentiam.

Brev. ms. Romarici Montis saec. 16. Cod. Spinalien. 164 (77). A. — Hymnar. ms. Romarici Montis saec. 15. Cod. Spinalien. 194 (86). B. — 1, 3 hoc fehlt AB. — 3, 1 Instans B. — 5, 3 Devotus B. — 6. 3 Nobis cum semper A. — Doxol: Deo patri sit gloria.

410. De ss. Quinque Martyribus.

Ad Vesperas.

1. Proles Francisci germinat
Crucis Christi in stipite,
Flores roseos geminat
Cruore Iesu comite.

2. Uberes fructus protulit
Rigatos Christi flumine,
Qui rorem stirpi contulit
Cum spiritus munimine.

3. Dulcem ut gustet palmitum
Liquoremque fragrantiae,
Mortis Christi se hospitum
Iungat [nunc] redolentiae.

4. Radix de terra sitiens
Hos fusti haerens madidat
Et gladius pertransiens,
Profanus inde trepidat.

5. Ignis flamma supponitur
Capillis horum floridis,
Nec is nec caro uritur
Nec membris fuscat squalidis.

6. Rabiem gentis perfidae
De finibus credentium
Aufer, o Iesu, provide
Ob necem morientium.

7. Familiaeque martyrum,
Pater caelestis gratiae,
Preme hoste[m] atque dirum,
Dextra nos siste acie.

Brev. ms. Franciscanum anni 1492. Clm. Monacen. 23152. — 3, 4 Iungant; es fehlt eine Silbe. — 7, 3 Prime hostem atque chirum.

411. De ss. Quinque Martyribus.

Ad Matutinum.

1. Pangat sanctorum merita
Coetus minorum candidus,
Mente delectat subdita
Excelsa sede splendidus.

2. Partus virtute generat
Stirpem inclitus fulgidam
Nec ab ipso degenerat
Nobilitate floridam.

3. Suavi multi nectare
Christi sitiunt sanguinem,
Rubentem rosae iubare
Gustant Deum et hominem.

4. Tulisse mortis verbera,
Cum uterum egreditur,
Tremunt pontus et aethera,
Dum cruce pallens moritur.

5. Languent dolore nimio.
Rubet vultus ob lacrimas,
Dulci Iesu eximio
Donant corpus et animas.

6. Deficiunt prae taedio
Cruorem mox non fundere
Pro Christi mortis praedio
Contracta corda tundere.

7. Petunt exinde aditus
Paci livore gentium,
Quorum errorem funditus
Eliminant furentium.

8. Trucidantur funiculo
Verberum ictus tolerant,
Figuntur spinae spiculo
Nec eas poenas ponderant.

9. Plectuntur fracto gladio,
Cervicem tendunt propere,
Iubilantes prae gaudio
Iesum sequi prospere.

10. Praestet hoc nobis genitus
Patris caelestis gratiae
Ac utriusque spiritus,
Aeternae iungant gloriae.

Brev. ms. Franciscanum anni 1492. Clm. Monacen. 23152. — 9, 4 fehlt eine Silbe; lies praepropere? oder ergänze sequi iam.

412. De ss. Quinque Martyribus.

In Laudibus.

1. Victrix fides, quam non vides,
Martyres movit quaerere
Mitem esum, dulcem Iesum,
Iam lucis orto sidere.

2. Lux in luce, Iesu, duce
Martyres probas framea.
In te flore et nitore
Lux, ecce, surgit aurea.

3. Reges Christi coram tristi
Alligatisque manibus
Adducuntur, conspuuntur
Somno refectis artubus.

4. Igne diro furit tiro
Mens in te, Iesu, iubila,
Iam candescunt et albescunt
Nox, tenebrae et nubila.

5. Cincti fune importune
Teruntur more scoriae,
Iesu, letum aufer, metum,
Splendor paternae gloriae.

6. Vitam puram et securam
Victorum interemptio
Ferat pacem, auge facem,
Iesu, nostra redemptio.

7. Spina, cruce, mira luce
Lapsos trahe piissime,
Iesu fortis, liber mortis,
Aeterne rex altissime.

8. Videntium, tacentium
More tyrannum adeunt,
Fluit unda, rubet munda,
Vexilla regis prodeunt.

9. Nunc, victores, conductores,
Iram aufferte perfidi
Nos tuendo, inducendo
Ad cenam agni providi.

Brev. ms. Franciscanum anni 1492. Clm. Monacen. 23152.

413. De sancto Matthia.

1. Apostolorum in ordine
Dei sacerdos Matthias
Fide probatur inclita,
Canatur alta gloria.

2. Iudas nefando crimine
Dum Christum iniquis traderet,
Et debita sententia
Est morte raptus pessima,

3. Tunc congregati apostoli
Casum videntes perfidi
De plebe quaerunt undique,
Iudae loco quem subrogent.

4. Orationis impetu
Simul precantur ad Deum,
Qui corda novit omnium,
Daret ministrum congruum.

5. Sistuntur interim duo
Praesente sanctorum choro,
Testes fuerunt qui integri
Iohannis a baptismate.

6. Deinde Christo iudice,
Arbitro mentis intimae,
Apostolatus munere
Sors vera Matthiae exiit.

7. Qui nempe sancti protinus
Iufusione spiritus
Cum ceteris est omnium
Linguis locutus gentium.

8. Hic praedicandi oraculo
Implevit orbis circulum
Et pergit ad caelestia
Christi canens magnalia.

9. Gloria patri ingenito,
Gloria unigenito
Una cum sancto spiritu
In sempiterna saecula.

Legend. ms. Mediolanense saec. 13. Cod. Ambrosian. C 125 inf. — 1, 2 Dei fehlt. — 2, 1 Iudasque. — 5, 3 integram. — 6, 2 mentis interie. — 7, 3 est fehlt.

414. De sancta Mathilde Dissensi.

1. Meritis celsam, praemio beatam
Domini sponsam, spiritalem matrem,
Signis insignem, canimus devoti,
Sanctam Mathildim.

2. Ecclesiarum decor et ornatus
Teneris annis Domino sacratur,
Hostia laudis, pingue holocaustum,
Sancta puella.

3. Herilem prolem unctio magistra
Subdidit cunctis, spiritus libertas
Eminens mundo Domini amore
Dulce servivit.

4. Thorum delicti nesciens migravit,
Nunc quies illi tuta cum supernis,
Quos est hic exsul mente frequentavit,
Corde dilexit.

5. Haustu vinali abstinens beata
Bibit ter vinum caelitus ex aqua,
Daemone mutam purgat, et purgata
Loquitur muta.

6. Illa dum orat, subvenitur aegris,
Reddita salus, virtus manifesta,
Gloriae Christi atque sanctitati
Virginis testes.

7. Laudem, virtutis virus, dum vitaret,
Homines fugit, gloria praecurrens
Virginis sanctae prodidit secretum
Undique praesens.

8. Trinitas sancta semper honoretur,
Gaudium iustis, prece sit iustorum,
Venia nobis, salus universis,
Gloria Deo.

Collect. ms. Diessense saec. 14. in Clm. Monacen. 1076. — Nach der Vita Mathildis von Engelhardus, Abt von Lanchaim, „quodam dictus abbas nunc autem pauper Christi in Lanchaim.“ Dem Leben voraus geht von jüngerer Hand ein Officium in Reimprosa. — 7, 1 Tandem virtutis. — 8, 2 precesit iustorum. — Akrostichon: Mechthilt.

415. De sancto Mauritio.

Ad Laudes.

1. Salve, martyr egregie,
Mauriti, princeps principum,
Salve, victor dignissime,
Cohortis ductor inclite.

2. Salve, testis dulcissime,
Exsuperi piissime,
Salve, comes et legio,
Salvete, cosmi lumina.

3. Oramus, vestris precibus
Culpis mundemur omnibus,
Vincamus piis actibus,
Agni sequamur choreas.

4. Praesta, solus ingenite,
Praesta, Deus tu genite,
Praesta, sacer paraclite,
Et per aeterna saecula.

Hymn. ms. S. Petri Mart. Utinen. saec. 16. Cod. Civit. Utinen. s. n. — 2, 4 Salve cosmi. — 3, 3 Vincamur. —

416. De sancto Mauro.

Ad Laudes.

1. Christe, salvator omnium,
Tuorum vota supplicum
Exaudi nunc propitius
Levitae Mauri precibus.

2. Qui pro amore Domini
Amorem liquit saeculi,
Gaudia rerum fluida
Contempsit tua gratia.

3. Hinc namque sancto pectore
Crucem portat assidue,
In omni actu strenuus,
Locutione inclitus.

4. Cultu vigili pauperum
Caelicum gerens animum,
Maerentibus solacium,
Captivis dat subsidium.

5. Huius Mauri caelibis
Salvantur aegri meritis,
Redintegrantur debiles,
Laetificantur flebiles.

6. Sit Deo patri et filio
Honor et iubilatio
Cum spiritu paraclito
Regnanti poli iubilo.

Psalt. et hym. S. Servuli saec. 15. Cod. Cicogna 1573 (2065). — 5 3 Redintegrantes.

417. De sancto Mauro.

Ad Vesperas.

1. Inter excelsos niveosque coetus,
Qui sacris caelum meritis adornant,
Inclita Maurus pater ante Christum
Luce coruscat.

2. Hic puer parvus Domino sacratus
Et Benedicti patris ore doctus
Gratia Christi duodennis actus
Cavit iniquos.

3. Parcior victús, cilicina vestis,
Lectio psalmi, lacrimae perennes
Auxerant illi meritum reatus
Adnihilantes.

4. Tum suum Christus decorans alumnum
Illius signis bona publicavit,
Namque non paucis precibus salutem
Contulit aegris.

5. Ad patris iussum laticis profundi
Ambulans sicco pede pressit undas
Et crucis signo nova praeparavit
Lumina caeco.

6. Nunc pius nobis veniam precetur
Et sua nostrum prece frangat hostem,
Eius ut caeli pariter queamus
Scandere sedem.

7. Laus et immensum decus atque lumen,
Trinitas rerum, tibi sit, creatrix,
Cuius est simplex deitas gubernans
Saecula cuncta.

Offic. ms. S. Mauri saec. 12. ex. Cod. Petroburgen. F I 27. — Daraus Gillert in Briegers Zeitsch. f. Kirchengesch. IV, 610 u. f. (G). — 1, 1 viveosque G. — 3, 4 Ad nihilantes G. — 4, 1 Cum G. — „Hymnus sancti patris nostri Mauri abbatis" Hs.

418. De sancto Mauro.

Ad Nocturnum.

1. Deus, bonorum praemium,
Lux vera te sequentium,
Iuva colentes annua
Mauri tui sollemnia.

2. Qui more vivens caelico
Sub habitu monastico
Tua repletus gratia
Carnis repressit vitia.

3. Dehinc nitens virtutibus
Et caritatis actibus
Iussu magistri Galliam
Petit relinquens patriam.

4. Ibi struens coenobium
Fit dux tibi placentium,
Quos voce, signis, opere
Iuste docebat vivere.

5. Tunc splenduit miraculis
Factus lucerna saeculis,
Nunc noster in temporibus
Protector exstet, quaesumus.

6. Summo patri ac filio,
Cum spiritu paraclito
Uni Deo, sit gloria
Per saecula perennia.

Offic. ms. S. Mauri saec. 12. ex. Cod. Petroburgen. F I 27. — Daraus Gillert l. c. 611.

419. De sancto Mauro.

Ad Laudes.

1. Iam, Maure summis coetibus
Coniunctus in caelestibus,
In valle fletus positos
Tuos revise subditos.

2. Qui fraude raptum daemonis
Resuscitasti mortuum,
Nos precibus et meritis
A morte salva criminum.

3. De te loquentes perfide,
Duro repletos daemone,
Sanos crucis iuvamine
Non distulisti reddere.

4. Ergo, pater sanctissime,
Tuos sequaces respice,
Hostem repelle pessimum,
Gregem fove monasticum.

5. Tuo precatu iurgia
Pellantur et lascivia,
Christi ministros caritas
Et mentis ornet puritas.

6. Summo patri ac filio,
Cum spiritu paraclito
Uni Deo, sit gloria
Per saecula perennia.

Offic. ms. S. Mauri saec. 12. ex. Cod. Petroburgen. F I 27. — Daraus Gillert l. c. 611 u. f.

420. De sancto Mauro.

In 1. Vesperis.

1. Congratulemur Domino
Sollemni cum tripudio
Diei huius annua
Recolentes sollemnia.

2. In qua exivit hominem
Terrae commendans pulverem
Maurus, confessor inclitus,
Caeli coniunctus civibus.

3. Clausus in carnis carcere
Crucem portavit corpore,
Contriti cordis optima
Est factus iugis victima.

4. Qua praesentem deificam
Monstrabat sibi gratiam,
Bonis clarus operibus
Multis atque virtutibus.

5. Nam caecis, claudis, ceteris
Aegris ac tribus mortuis
Salutis medicamina
Ope donavit caelica.

6. Sodalem traxit aequore,
Fratrem lusum a daemone
Perspexit efficacius
Ac patris viam caelitus.

7. Cuius adiuti precibus
Ac mundi culpis omnibus
Reddamur digni strenue
Dono perennis gloriae.

8. Sit laus, decus et gloria
Regenti cuncta saecula,
Patri Deo cum filio
Et spiritu paraclito.

Offic. ms. S. Mauri. saec. 12. ex. Cod. Petroburgen. memb. lat. F I 27. — Daraus von K. Gillert in Brieger, Zeitsch. f. Kirchengesch. IV. 505 u. f.

421. De sancto Mauro.

Ad Nocturnum.

1. Romanis olim sedibus
Dignis ortus natalibus
Divina providentia
Ut stella fulget splendida,

2. Beati magisterio
Benedicti sanctissimo
Adhaerens multo iustius
Maurus, Christi discipulus.

3. Contracto pede saeculi
Legem servavit Domini,
Terrena pro caelestibus
Lucra mutans mercedibus.

4. Quamvis gradu posterior,
Nullo factus inferior,
Pater dat testimonium
Eius signans propositum.

5. Nam fame, siti nimia
Atque multa vigilia,
Semper tactus cilicio
Ardore Christi nimio

6. Multis orationibus
Cordis mixtis singultibus
Dei sibi propitiam
Exhibebat praesentiam.

7. Brevi factus deicola
Multa signorum gloria
Effulsit pater providus
Gallicis regionibus.

8. Ubi carne deposita
Per patrata miracula
Notum factum est saeculo,
Quod nunc vivat in Domino.

9. Condignis cuius precibus
Trinus et unus Dominus
Det nobis regna caelica,
Cui virtus et gloria.

Offic. ms. S. Mauri saec. 12. ex. Cod. Petroburgen. memb. lat. F I 27. Daraus von Gillert l. c. 606.

422. De sancto Mauro.

Ad Laudes.

1. Laudet chorus fidelium
Regem auctorem omnium,
Perenni cuius gratia
Reis confertur venia.

2. Per quem Maurus sanctissimus,
In spe caelesti positus,
Fictae fraudis ridicula
Praecognovit phantastica.

3. Nam daemon arte pessima
Intrantem templi limina
Sanctum virum exterritat,
Dum mortes gregis indicat.

4. Ausu cuius praecognito
Crucis munitus clipeo
Pestem iniquam reppulit,
Quae mirum sonum intulit.

5. Pro rei certitudine
Sancto flenti pissime
Mox angelus apparuit
Ac ventura non siluit.

6. Esto certus, carissime,
De tuis nullum perdere,
Sed, cum gregem praemiseris,
A Christo coronaberis.

7. Fratres viginti septies
Vitae bis binis sexies
Servatis divo munere
Caelesti dantur patriae.

8. Sic iuxta vaticinium
Functus vice mortalium
Pater virtute clarior
Subsequitur felicior.

9. Quo rex aeternae gloriae
Det nobis semper vivere,
Cui sit omnipotentia,
Honor, virtus et gloria.

Offic. ms. S. Mauri saec. 12. ex. Cod. Petroburgen. memb. lat. F I 27. Daraus Gillert in Briegers Zeitsch. f. Kirchengesch. IV, 607 u. f.

423. De sancto Maximo.

Ad Vesperas.

1. Gratulare, iucundare,
Fidelium devotio,
Veni, die pater, pie,
Magno salutis gaudio.

2. Nos, Maxime sanctissime,
Defende, dator munerum,
Te amavit, te ditavit
Conditor, alme, siderum.

3. Hunc amemus, hunc laudemus
Maximum dignum gratiae,
Quem laudavit et beavit
Summae Deus clementiae.

4. O lucerna, tu pincerna
Christi, reflores gratia
Imitando, demonstrando
Beata nobis gaudia.

5. Diligamus et legamus
Confessorisque opera,
Quae demonstrant et illustrant
Aeterna Christi munera.

6. Precor, ora sine mora,
Maxime, caeli candidi
Ut nos ducas et conducas
Ad cenam agni providi.

Brev. ms. Cavense anni 1308. Cod. Casanaten. C. III 2 (1575). — 6, 1 Precamur ora.

424. De sancto Maximo.

Ad Nocturnum.

1. Nocturnis in vigiliis,
In Maximi sollemniis
Noster chorus invigilet,
Quem cordis voce postulet.

2. Psallamus in natalibus
Doctorisque praeconiis,
In hymnis spiritalibus
Magnis laetemur gaudiis.

3. Maxime, pater inclite,
O confessor magnifice,
Virtute Dei praedite,
Caelo fulges mirifice.

4. O sacerdos sanctissime,
Nobis praesta remedium,
Nunc, Maxime mitissime,
Da nobis semper gaudium.

5. Laus illi detur gloria,
Qui maximo cum gaudio
Assumpsit cum victoria
Hunc in caeli palatio.

Brev. ms. Cavense anni 1308. Cod. Casanaten. C III 2 (1575). — 5, 2 maximi. — Vgl. zu Str. 1 Anal. XXII. Nr. 171.

425. De sancto Maximo.

Ad Laudes.

1. Aurora surgit aurea
In Maximi tripudio,
Et ut columba nivea
Lux lucet eius radio.

2. O pastor admirabilis,
Vir totius prudentiae,
Maxime, tu amabilis
Splendes in caelo gloriae.

3. Hic ut stella matutina
Refulgens caeli gaudio
Verbo vitam et doctrina
Dat hic dignis palatio.

4. Verorum pater pauperum,
Sis adiutor humilium,
Retribuens in posterum
Aeternum his auxilium.

5. Sit trinitati gloria,
Sit honor, sit laus debita,
Nobisque detur venia
Nunc per Maximi merita.

Brev. ms. Cavense anni 1308. Cod. Casanaten. C III 2 (1575).

426. De sancto Memmio.

1. Laetetur urbs sollemniis
Christi sacrati praesulis,
Ex urbe Roma geniti
Summique patris Memmii.

2. Petro iubente Gallias
Adiit hic fanaticas
Et Cathalaunis perfida
Sic expetivit moenia.

3. Illic coetus gentilium
Regem spernebat omnium
Et repellebat dulcia
Divini verbi dogmata.

4. Est Nauda fons in proximo
Urbis dictus vocabulo,
In quo puer, dum decidit,
Funesta mortis pertulit.

5. Huius parentes protinus
Multis currunt cum fletibus
Sanctum rogantes Memmium,
Quod suscitaret mortuum.

6. Confisus hic in Domino
Preces fundit ex intimo,
Ut in salutem civium
Hunc suscitaret mortuum.

7. Divina vis mox adfuit,
Laetusque puer prosilit,
Civesque Cathalaunici
Se sacro dant baptismati.

8. Petunt gaudentes, Memmius
Ut esset urbis maximus,
Sumpsitque culmen cathedrae
Illos replendo lumine.

9. Hic patrator insignium,
Turmis addictus caelitum,
[Deo] ferat suffragia
[Nobisque] poscat praemia.

10. Deo patri sit gloria
Eiusque soli filio
Cum spiritu paraclito
Et nunc et in perpetuum.

Brev. Cathalaunense imp. Virduni 1570.

427. De s. Mercurio.

1. Glorietur Armenia
Tanta prole Mercurio,
Laudat Samnitum patria
Sub eius patrocinio.

2. At tu prae cunctis, Samnia,
Eius freta praesidio
Gaude, laude tripudia
Pro tanto beneficio.

3. Hic ortus in Armenia
Post sacri fontis gratiam,
Qua dicebatur Mansia,
Secutus est militiam.

4. Tunc Decius peremerat,
Quos unda sacra tinxerat,
Philippum, patrem et filium,
Cum regerent imperium.

5. In cuius poena sceleris,
Mercuri, lux Armeniae,
Poenis te dat innumeris
Et omni contumeliae.

6. Scriptura nempe loquitur,
Quod malum, quod non luitur,
Reum trahit ad alia
Divina de iustitia.

7. Et ut scelus acerbius
Reddat infelix Decius
Roma privatum gloria
Ingulat in Caesaria.

8. Qui Roma vel Armenia
Plus te dilexit, Samnia,
Illis adversos subigens,
Te sibi semper eligens.

9. Quos placuit eligere
Te, martyr, semper colere,
Hos et tu semper protege,
Dum terrae sumus incolae.

10. Mercuri, martyr inclite,
Nostros clamores suscipe
Tuis[que] sacris precibus
Munda nos culpis omnibus.

11. Patri, nato, spiritui
Omnes cantemus cernui:
Perennis tibi gloria,
Qui das aeterna praemia.

Collectan. ms. Constant. Caietani saec. 17. Cod. Alexandrin. 96. — 4, 3 Philippus. — 8, 1 Qua.

428. Da sancta Michaele.

1. Archangelorum principi
Devoti cantemus laudem,
Ut sit nobis propitius
Exoremus piis precibus.

2. Cum caeli exercitibus,
Quorum dux est egregius,
Succurrat nobis in omnibus
Nostris necessitatibus.

3. Absolvat suis precibus
Nos a peccatis omnibus,
Ut videamus Dominum
Per Michaelem archangelum.

4. In necessitate ultima
Per suam misericordiam
Succurrat nobis miseris,
Ne ducamur in tenebris.

5. Ne hostis nos decipiat,
Nos potenter eripiat,
Ne cadamus in tartarum
Post solutum mortis debitum.

6. Adventu suo clarissimo
Et fugato diabolo
Praesentet nostras animas
Redemptori laetissimas.

7. Hoc praestet filius virginis,
Qui sedet in throno patris,
Per spiritum paraclitum
Qui regit omne saeculum.

Brev. ms. Romarici Montis saec. 16. | Cod. Spinalien. 164 (77). A. — Hymnar. ms. Romarici Montis. saec. 15. Cod. Spinalien. 194 (86) B. — 2, 1 exercitu AB. — 5, 2 Et nos potenter A. — 7, 2 Sedens in throno B.

429. De sancto Michaele.

Ad Processionem.

Regna poli ianuas, populus, intrate per almas
Currite christicolae, prendite regna poli.
Nuntius hic Domini, cuius intratis in aulam,
Semper videt faciem, nuntius hic Domini.
Offerat ipse preces vestras, pia vota creanti,
Tundite vos pectus, offerat ipse preces.
Dicite cum lacrimis, quidquid culpastis in actis,
„Parce, rogamus, Deus," dicite cum lacrimis,
Moxque vobis tribuet veniam pius ille remissor
Plangentibus miserens datque vobis veniam.

Collect. ms. Laurissanum. saec. 9 et 10. Cod. Vatic. Palat. 833. — „In introitu ecclesiae s. Michaelis."

430. De sancto Michaele.

Ad Horas.

1. O Michael eximie,
Caelestis princeps curiae,
Intende nostris precibus
Cum angelorum coetibus.

2. Ora pro nobis Dominum,
Nos solvat nexu criminum,
Angelica suffragia
Fac nobis salutaria.

3. Laus tibi, rex altissime,
Iesu bone, piissime,
Laus patri et ingenito
Cum spiritu paraclito.

Horar. ms. Franciscan. saec. 15. Cod. Vatican. Reg. 165. A. — Psalt. ms. Benedictin. saec. 15. Cod. Vatican. Ottobon. 2921. B. — 1, 1 O fehlt B. — 2, 2 Salva a nexu B. — 3, 2 fehlt A.

431. De sancto Michaele.

Ad Vesperas.

1. Angelicae militiae
Nos Michaelem hodie
Laudemus et in posterum
Primatem et signiferum.

2. Archangelus est inclitus,
Paradisi praepositus,
Vacat aeterno numini
Ante conspectum Domini.

3. In magno caeli praemio
Cum suo tunc collegio
Victoriam obtinuit,
Per quam superbum corruit.

4. Sic iustis in auxilium,
Dum exeunt exsilium,
Quorum deducit animas
Ad aulas sacratissimas.

5. Praesta, Iesu dulcissime,
Fons amoris plenissime,
Ut Michaelis precibus
Nos salves in caelestibus.

Horar. ms. Franciscan. saec. 15. Cod. Vatican. Reg. 165. A. — Psalt. ms. Benedictin. saec. 15. Cod. Vatican. Ottobon. 2921. B. — 1, 2 Michaelem hos A. — 1, 4 et signifer A. — 2, 1 Angelis militiae est B. — 2, 3 Natat. B. — 3, 2 In suo tunc colilegio A. — 3, 4 Postquam superbum B. — 4, 1 Sic iustus A; Sit iustus B. — 4, 2 exeunt fehlt B. — 5, 4 Salvet A.

432. De ss. Nicasio, Quirino, Scuviculo.

1. Gaude, caelestis regis sponsa Christi,
Per mortem crucis copulata sibi,
Militum Christi plaude pro triumphis
Atque coronis.

2. Ex quibus, alme praesul o Nicasi,
Signis resplendens atque documentis
Sanguine fuso victor astra petis
Martyr herilis.

3. Hostis acerbi ferro trucidati
Tres una fide martyres invicti
Capita vectant ultra vadum amnis:
Laus trinitati!

4. Quam gloriosus Dominus in sanctis,
Quos ita facit rutilare signis!
Oret pro nobis ordo triumphalis,
Clarus in astris.

5. Gloria patri, summo conditori,
Gloria Christo, nostro redemptori,
Gloria tibi, spiritus amborum,
Semper in aevum.

Pass. ms. S. Audoeni Rotomagen. saec. 12. in. Cod. Rotomagen. 1406 Y 414.

433. De sancto Nicolao.

Ad Nocturnum.

1. Gaude, regis sponsa perennis,
Gaude promens cantica laudis,
Cursus solis praesulis almi
Festum mundo fert Nicolai.

2. Qui praeclarum stemma parentum
Ornat factis ex pietatis,
Aurum natas dando patremque
Solvit stupro pauperieque.

3. Caelo lapsa voce tonantis
Christi cessit pastor ovilis;
Orant nautae fluctibus acti,
Mox sedantur procliа ponti.

4. Vulgum pascens esurientum
Mensuris divinitus auctis,
Purgat fucum daemoniorum,
Servat vitae iam ruituros.

5. Salve, praesul, perpetuatim
Cernens flentes ac rogitantes
Totas in te spes et habentes,
Cunctos cunctis tolle dolores.

6. Plebem Christi laetificato,
Morbos, pestes alleviato,
Vinci mundum foedere casto,
Per te nobis gaudia sunto.

7. Qui patri cum pneumate sancto
Par exsistens est homo factus,
Illi grates solvimus omnes
Regnanti per saecula cuncta.

Brev. ms. Emmeramense saec. 15. Clm. Monacen. 14757. A. — Hymn. ms. S. Petri Mart. Utinen. saec. 16. Cod. Civit. Utinen. s. n. B. — 2, 3 dandoque patrem. — 3, 3 Ornant B. — 4, 1 pascis esurientium B. — 4, 3 fugum B. — 4, 4 Servat in te iam B. — 5, 1 perpetua B. — 5, 3 Totas in te spem B. — 6, 1 laetificat B. — 6, 2 Morbo B. — 6, 4 Pro te B. — 7, 3 Illi fehlt B.

434. De sancto Nicolao.

Ad Laudes.

1. Sollemne tempus imminet,
Nostra chorea iubilet
In laude summi iudicis
Et Nicolai praesulis.

2. Congaudet eius gloriae
Caelestis ordo curiae
Talique plaudens compare
Christum frequentat dramate.

3. Huius sequentes gaudia
Dicamus et nos cantica
Pro posse nostro paucula
Votorum vera nuntia.

4. Tu, Christe, nostrum gaudium,
Tu confitentum bravium,
Votis intende supplicum
Donando vitae praemium.

5. Et tu, sacerdos hagie,
Nos, Nicolae, respice
Tibi faventes iubilo
Totoque desiderio.

6. Nostros reatus dilue
Tuo clemens oramine.
Tales iuvans exsistere,
Quales fruamur lumine.

7. In quo manens feliciter
Tu trinitati iugiter
Persolvis laudum cantica
Per saeculorum saecula.

Psalt. et. hymn. ms. Valcidorense saec. $^{11}/_{12}$. Clm. Monacen. 13067. A. — Brev. Emmeramense saec. 15. Clm. Monacen. 14757. B. — Ant. et. hymn. ms. Scarense saec. 14. [et 15]. Cod. Upsalen. C 422. C. — 2, 3 plaudes C. — 3, 1 Cuius C. — 3, 3 nostra B. — 3, 4 vero A; Voto et voce munia B. — 5, 1 aye ABC. — Nach Str. 7 hängt C noch an:

Sit trinitati gloria,
Sit honor, sit laus debita,
Nobisque detur venia
Per Nicolai merita.

Nach Str. 3. Divisio B. — Aus C bei Klemming III, 137.

435. De sancto Nicolao.

1. Alme pater clericorum
Exemplarque laicorum,
Vita fulgens angelorum
Nicolae pontifex.

2. Vox excelsa deitatis
Nuntiavit dignitatis
Tuae atque claritatis
Mentis sancta gaudia.

3. Tres scholares suscitasti
Populumque satiasti
Tuum atque relevasti
Virginum infamiam.

4. Iudaeus est baptizatus,
Qui a te est suscitatus,
Tu prece pia precatus
Cunctis das auxilium.

5. Gloria tibi, trinitas
Et deitatis unitas,
Sit in cuius sollemnitas
Colitur per saecula.

Sequent. et hymn. ms. Carmeli Senen. saec. 14. Cod. Senen. G III, 2.

436. De sancto Nicolao.

Ad Laudes.

1. Aurora surgit aurea
Festa restaurans annua,
Cum Nicolaus arduum
Caeli scandit palatium.

2. Quam gloriose moritur,
Qui moriendo oritur,
Tunc vere vitam invenit,
Cum morte carnis interit.

3. Sancto exutus corpore
Stola vestitur gloriae,
Carnis exit ergastulum,
Caeli intrat palatium.

4. Quanta in summis accipit,
Qui sic imis claruit,
Cuius micant prodigia
Per ampla mundi crimina.

5. Nobis, praesul egregie,
Decus et lux ecclesiae,
Tibi festa colentibus
Sacris succurre precibus.

6. Sit patri laus ingenito,
Sit decus unigenito,
Sit utriusque parili
Maiestas summa flamini.

Brev. ms. Strumense saec. 11. Cod. Laurent. Conv. sup. 524. — Str. 1. 4 und die Doxol. aus dem Benediktushymnus gleichen Anfangs; cfr. Anal. IV, 109.

437. De sancto Nicolao.

R. O venerande amice, Dei Nicolae amator.

Sume, Nicola sacer, devotae munera laudis,
Magna tropaea libens sume, Nicola sacer.
Orgia grata cano populis de praesule magno,
Ut cuncti iubilent, orgia grata cano.
Laudibus, alme, tuis populi laetantur ovantes,
Astra poli plaudant laudibus, alme, tuis.
Euge, benigne puer, altus spiramine sacro
Contemnis mammas, euge, benigne puer.
Fulva talenta iacens famam lupanaris ademis,
Clamque domum remeas fulva talenta iacens.
Plaude, Myrea, polis tanto redimita decore,
Praesule sub magno plaude, Myrea, polis.
Unda furentis aquae lembum quassavit in alto,
Te prohibente silet unda furentis aquae.
Tritica nauta sacer tribuit sub pectore tristi,
Gratulat augendo tritica nauta sacer.
Phalanx iniqua mugit propriis spoliata colonis,
Ima petens Styiae phalanx iniqua mugit.
Torve chelidre, sile, nam nil tua munera prosunt,
Fraus et cuncta patet, torve chelidre, sile.
Quid furis, Eustaci, damnas sine crimine iustos?
Victor adest praesul; quid furis, Eustaci?
O venerande nimis, praebens suffragia cuncta,
Omnibus altor ades, o venerande nimis.
Quis valet, alme Dei, meritas tibi promere laudes,
Currere per cuncta, quis valet, alme Dei?
Iussa tremenda, minas et fastus Caesaris arces
Eparchique simul iussa tremenda, minas.
Caesar et Ablavius narrant sibi mutua visa,
Iussa cito peragunt Caesar et Ablavius.
Gloria, Christe, tibi, sanctos qui mire decoras
Atque nitere facis, gloria, Christe, tibi.
Spiritus astra petit, corpus miracula praebet,
Ossa manant oleum, spiritus astra petit.
Pectora cuncta replet mundus de marmore liquor,
Dum fluit a tumba, pectora cuncta replet.
Cantica digna Deo, socii, pangamus ovantes,
Astra simul resonent cantica digna Deo.
Dulcis amor Domini resonet cum voce canora,
Personet ore pio dulcis amor Domini.

Gloria, summe pater, tibi sit, qui cuncta gubernas,
Sit tibi laus et honor, gloria, summe pater.
Sit tibi, Christe, salus, virtus per saecula cuncta,
Flamine cum sancto sit tibi, Christe, salus.

Passion. ms. saec. 12. Cod. Vatican. 1190. add. saec. 12^{13}. — 1 Summe. — 19 Salve chelydre. — 20 salve chelydre. — 24 alitor.

438. De s. Nicolao Peregrino.

Ad Vesperas.

1. Exsultet caelum laudibus,
Fulget terra virtutibus,
Colit mater ecclesia
Nicolai sollemnia.

2. Castus ab annis teneris
Mundique spretis prosperis,
Pauper factus pro paupere
Christo ditatur aethere.

3. Nocte discedens laribus
Abrahae novus aemulus,
Urbes lustrans agminibus,
Vacans orationibus.

4. In crucis laude iubilat
Mente, quam manu baiulat,
Crucis virtus est gloria,
Laus et eius victoria.

5. Iacob assumens baculum
Iordanis transit loculum,
Tempsit athleta perfidum
Hostem stravit et saeculum.

6. O summi regis signifer,
Nicolae sat celeber,
Preces funde pro populo
Degente in periculo.

7. Praesta, pater ingenite,
Iesu, cum sacro flamine,
Ut Nicolai meritis
Bonis fruamur caelicis.

Brev. ms. Franciscan. saec. 14^{15}. Cod. Alexandrin. 233. — 3, 1 Noctis.

439. De s. Nicolao Peregrino.

Ad Matutinum.

1. Iesu, nostra redemptio,
Amor et vita pauperum,
In Nicolai laudibus
Preces admitte supplicum.

2. Hic manna pastus caelitus,
Corde mitis angelicus,
Dulcis fuit alloquio,
Alacer in obsequio.

3. Solis occasu modice
Se pane cibat, lactice,
Non afficit esuries,
Nec gravavit ingluvies.

4. Ioseph abiecit pallium
Vitae affectans bravium,
Christum sequendum Dominum
Catervas fugat daemonum.

5. Sacro repletus flamine
Ac puerorum agmine
Stipatus mente sedula
Dei fatur magnalia.

6. Hic nudus nudum sequitur,
Eius crucem amplectitur,
Hostem nudus aggreditur,
Caelum dives ingreditur.

7. Praesta, pater ingenite.

Brev. ms. Franciscan. saec. 14/15. Cod. Alexandrin. 233. — 3, 3 latece. — 3, 3 resuriet. — 5, 1 famine.

440. De s. Nicolao Peregrino.

In Laudibus.

1. Iam lucis orto sidere
Patrem laudemus gloriae,
Post Nicolaum pauperem,
Caelestis aulae militem.

2. Hic Gedeonis facula,
Lagena, latens cerea,
Potens beavit patriam
Hostium caedens agmina.

3. Pannis indutus vilibus
Nudis incedit pedibus,
Baptistam sequens actibus
Eliamque virtutibus.

4. Hydrum gestabat aereum,
Figurantem aethereum,
Sanans aegrorum milia
Huius vallis in invia.

5. Novus ascendit incola
Caelum, verus deicola,
Patriarcharum socius
Factus est vir catholicus.

6. Gaudet chorus angelicus
Simul et apostolicus,
Gaudeat chorus martyrum,
Confessorum et virginum.

7. Praesta, pater ingenite.

Brev. Franciscan. saec. 14/15. Cod. Alexandrin. 233. — 2, 2 latens crecea.

441. De sancto Olavo.

Ad Nocturnum.

1. Tardi quidam ad credendum
Nova iura fidei
Christum negant confitendum;
Qui cordis lapidei
Sunt, conspirant ad perdendum
Plantatorem fidei.

2. Multitudo adunatur
Et bellum inducitur,
Iniquitas dominatur,
In regem erigitur,
Leo fortis decollatur,
Et iustus conteritur.

3. Christiani mox caeduntur,
Rex truncatur gladio,
Quorum animae creduntur
Clariores radio,
Sede sacra disponuntur
Victores in stadio.

4. Tortores ad viam vitae
Compellunt oracula:
Veniam petentes ite
Regis ad miracula,
Qua dicatur: Huc venite
Omnes sine macula.

5. Tu confirmes spem tuorum
Fidei constantia,
Vim feramus tormentorum
Pari patientia,
Ut speremus angelorum
Sempiterna gaudia.

6. Sit laus, honor patri Deo
Dilectoque filio,
Sacro flamini cum eo,
Ex cuius imperio
Super martyris tropaeo
Laetetur haec contio.

Ant. et. hymn. ms. Scarense saec. 14. [et 15]. Cod. Upsalen. C 422. A. — Legend. ms. Laurentii Odonis Lincopen. saec. 14/15. Cod. Dresden. A 182. B. — 2, 1 Multitudo invitatur B. — 2, 2 Ad bellum adducitur B. — 2, 4 In rege B. — 3, 6 in proelio A. — 4, 2 miracula A. — 4, 4 oracula A. — 6, 4 Ex eius B. — 6, 6 Laetatur B. — Ad Vesp. steht der Hymnus Anal. XI, Nr. 383, Str. 1—6.

442. De sancto Olavo.

Ad Laudes.

1. Martyr Christi sublevatur,
Ad domum reducitur,
Vulnus aqua mox lavatur,
Sanguis aqua miscitur,
Aqua mixta deportatur
Et foris effunditur.

2. Caecus lapsus casu bono,
Aqua tangit pupulam,
Visum capit aquae dono,
Visus perdit maculam,
Christum laudat dulci sono
Laudis videns faculam.

3. Lingua cuidam amputatur,
Et mutus efficitur,
Opem martyris precatur,
Martyr prece flectitur,
Usus linguae reformatur,
Adulescens loquitur.

4. Morbo mulier contracta
Fulta repit baculo,
Inimici fraus abacta
Fracta perit iaculo,
Sana redit languens facta
Regis ab oraculo.

5. Sacerdotis detruncati
Membris truncus vehitur
Locum regis ad beati,
Truncus ibi ponitur,
Restauratur sanitati
Et sospes regreditur.

6. Ergo Christum imploremus
Opem ferre miseris,
Ut tyrannum superemus
Et ministrum sceleris,
Ut in caelis conregnemus
Reducti ab inferis.

7. Sit laus, honor patri Deo.

Ant. et hymn. ms. Scarense saec. 14. et 15]. Cod. Upsalen. C 422. A. — Legend. ms. Laurentii Odonis Lincopen. saec. 14/15. Cod. Dresden. A 182. B. — 1, 4 miscetur AB. — 4, 2 crepit B. — 4, 3 abaucta B. — 7, 1 Deo patri B. — Vgl. Str. 2, 3 und 5 schon Anal. XI, Nr. 383.

443. De sancto Paride.

Ad Vesperas.

1. Gratulemur concinentes
Laudem Dei filio,
Olim caeci et sedentes
Mortis in exsilio,
Iam renati et videntes
Paridis auxilio.

2. Per quem Deus visitavit
Plebem suam mitius,
Eius enim emundavit
Crimina propitius
Et draconis effugavit
Pestem diram longius.

3. Gaude, felix urbs effecta,
Iam dives et prospera,
Creatoris circumspecta
Admirare opera,
Ne sis vilis et despecta,
Ad salutem propera.

4. De tenebris in splendore
Verae lucis posita
Fastum pone cum errore
Creatori subdita,
Novae legis in ardore
Patrem caeli visita.

5. Laus sit, honor regi Deo
Per immensa tempora,
Nos conducat ut cum eo
Filius ad supera,
Flamen sanctum cum tropaeo
Nostra roret pectora.

Offic. ss. Reparatae, Paridis, Amasii etc. imp. Neapoli 1533.

444. De sancto Paride.

Ad Laudes.

1. O quam mira, Iesu, fuit
Tua pia gratia,
Dum per undas draco fluit
Morbis ad exitia
Et leonis vita ruit
Ursique saevitia.

2. In stuporem sic conversa
Plebs, erroris filia,
Est ad mentem dum reversa,
Spernit mundi vilia
Cernens mira tam diversa
Sternit iam sculptilia.

3. In terrenis dum torquemur
Procellarum fluctibus,
Per te, Paris, roboremur
Votis atque precibus,
Ut cum iustis epulemur
Regnis in caelestibus.

4. Laus sit, honor regi Deo
Per immensa tempora,
Nos conducat ut cum eo
Filius ad supera,
Flamen sanctum cum tropaeo
Nostra roret pectora.

Offic. ss. Reparatae, Paridis, Amasii etc. imp. Neapoli 1533.

445. De sancto Patricio.

Ad Processionem.

Salve, festa dies, toto venerabilis aevo,
Qua fert Patricium Christus ad astra pium.
Sidus praeclarum lumen dat in aethere clarum.
Quod Deus amplificat, mundus eoque micat.
Sidus hoc est Phoebus ipsis lucendo diebus
Clarus et eximius lumine Patricius.
Hic non credentem, quam duxit Hibernia, gentem
Coniunxit fidei per sacra verba Dei.
Hic est vir mirus, quo nescit Hibernia virus;
Praedicat ille Deum, morsque fugit per eum.
Huius in ore, Deus, tua se miracula palant,
Exta furis balant, paenitet ille reus.
Nos prece felici iungas, pater alme Patriti,
Perpetuo soli, qui micat arce poli.

Process. ms. Dublinense saec. ?. Cod. Oxonien. Ralinson Lit. d 4. — 8 Iunxit fidei. — Abschrift von Rev. H. M. Bannister.

446. In Festo Patronarum.

Ad Processionem.

Aurea lux mundi, resplendens gloria caeli,
Nobis sit fautrix virgo Dei genetrix.
Vincula quae solvis vinctae prius omnia carnis,
Clemens exaudi vota tui populi.
Pacis porta Dei stabilis, quia pervia nulli,
Ad caeli sedes has quoque ferto preces.
Rex de qua vitae processit, plena salute,
Dirige sub verbo gaudia nostra tuo.
Filia tu regum, dominatrix caelicolarum,
Nos pressos recrea crimine cum venia.
Cuius ad haec gentis comiteris summa decoris,
Quo tempus nostrum fulgeat innocuum.
Florida concordis Christo laus vincta cohortis,
Pignora Sophiae, nos relevate piae!
Nos quia terrenum scimus superasse tyrannum,
Hinc petimus supero iungite nos solio.
Attala, Perhtsiulindis, Odilia, Spes, Alabidis,
Gesa, Gesta, Fides, cernite nos humiles.
Tertia de binis, gemini cognomen amoris,
Matris cara tuae filia, virgo, fave.
Candida, Iustina, Caecilia, Digna, Columba,
Fautrices propriis este simul famulis.

Virginitate pia praefulgens virgo Maria,
Floribus his populum, sancta, tuere tuum.

Antiph. ms. Argentinen. saec. 12. Cod. Londinen. Add. 23922. — 17 sq. Attala, Äbtissin von St. Stephan in Strafsburg † 741; Perhtsiulindis (Berhesindis oder Berswindis), Mutter der hl. Odilie; Alabidis, Gesa, Gesta mir unauffindbare Heiligennamen? — 19 sq. die hl. Caritas, Schwester von Fides und Spes, erstere besonders zu Schlettstadt verehrt. — Abschrift des Hymnus von Rev. H. M. Bannister.

447. In Festo Patronorum regni Sueciae.

Ad Vesp. et Noct.

1. Lux, ecce, surgit aurea,
Dies salutis oritur,
Regna plaudunt aetherea,
Dum Suecia convertitur.

2. Egressus ad undecimam
Horam pater familias
Ovem quasi novissimam
Videt Sueorum filias.

3. Mittit sollennes nuntios,
Ut revocent incredulos,
Reduxit multos devios
Per verbi sui baiulos.

4. Ovem abductam revocat
Pater misericordiae,
Inter vireta collocat
Caelestis alimoniae.

5. Per patronorum merita,
Deus, creator omnium,
Dimitte nobis debita
Et da perenne gaudium.

6. Laus patri sit ingenito,
Laus nato cum paraclito,
Sit firma pax ecclesiae,
Decus patronis Sueciae.

Brev. Upsalense imp. 1483. Daraus Klemming I, 167 u. f.

448. In festo Patronorum regni Sueciae.

Ad Laudes.

1. Iam adest dies celebris,
Et lux succedit tenebris,
Iam fides idolatriae
Et veritas fallaciae.

2. Sueorum nunc ecclesia,
Gaude, plaude, multiplica
Pro tuae lucis gloria
Devota laudum cantica.

3. Parentes verbo gratiae,
Quos veneraris hodie,
Tibi sunt causa gloriae
Et fidei primitiae.

4. Quam pretiosi martyres,
Quam gloriosi praesules,
Quam venerandae viduae,
Consortes individuae!

5. Dum valle de miseriae
Scandunt ad thronum gloriae,
Causam praestant tristitiae
Tibi relictae filiae.

6. Sed geminatur gaudium,
Nati surgunt pro patribus,
Felix redit martyrium
Succedens confessoribus.

7. Laus patri sit ingenito.

Brev. Upsalense imp. 1483. Daraus Klemming I, 175.

449. In Conversione s. Pauli.

Ad Laudes.

1. Sancte Paule apostole,
Doctor plebis catholicae.
Fave cunctis fidelibus
Festum tuum colentibus.

2. Te Christus, Dei filius,
Vocavit cum terroribus
Teque multorum hominum
Elegit verum medicum.

3. Tu enim sanans languidos.
Caecos, claudos [et] mortuos,
Dasque per orbem gentibus
Verbum salutis omnibus.

4. Nunc ergo nobis, quaesumus,
Succurre peccatoribus
Et post mundi tristitiam
Perennem da laetitiam.

5. Praestet hoc tuis precibus
Trinus et unus Dominus.
Qui regnat Deus omnia
Per saeculorum saecula.

Diurn. ms. Benedict. Bavar. saec. 14. Cod. Altovadeu. X.

450. De sancto Paxentio.

Ad Vesp. et Noct.

1. Fulget celebris dies hominibus,
Quo de tenebris saeculi inclitum
Hostibus victis Christus Paxentium
Vexit ad astra.

2. Hic sanctus, Dei repletus gratia,
Deorum spreta cultura caelica
Appetens terrae tempsit peripsima
Ab infantia.

3. Matrona quidem meritis beati
Huius a lepra rediit saluti,
Mire nam caro, putredo quam texit,
Ut nix refulsit.

4. Patrem, daemonum cultorem, turbavit,
Hostem se Christum fatentem calcavit,
Regem superbum fide superavit
Ac satellitem.

5. Poenarum namque genera beatus
Pro Christo saeva superans gaudia
Sanguine sacro laureatus, poli
Vera conscendit.

6. Iam caelo sacris sanctorum coetibus
Iunctus exsultat, qui, dum terris vixit,
Gaudia totis viribus calcavit
Impia mundi.

7. Quaesumus ergo, Domine, precibus
Huius sereno hos vultu gubernes,
Quos his iucundos interesse facis
Benignus festis.

8. Patri sit decus, honor quoque nato
Salusque sacro sitque spiritui,
Trinus qui Deus et unus per cuncta
Imperat saecla.

Brev. Cluniacense imp. Parisiis 1503. — 3, 3 Mira . . . . quem. — 4, 2 latentem — 8, 2 sit spiritui.

451. De sancto Paxentio.

Ad Nocturnos.

1. Salvatorem collaudemus
Hac nocte gaudiosa,
Qua decore est indutus
Stolaque pretiosa
Martyr eius Paxentius
In caelesti gloria.

2. Paxentius martyr laetus
Iudici praesentatur,
Nec hic fide perturbatur;
Fustibus laceratur,
Sed stat orans et illaesus,
Iudexque confunditur.

3. Nebuloso situs loco,
Sed caelestis immensa
Lux hunc perlustrat subito
Et ut cera liquida
Angelus iubente Deo
Madefecit pondera.

4. Nostros clemens nexus, Christe,
Eius solve precibus,
Nos et hac nocte ab hoste
Et ab imminentibus
Periculis vigilantes
Hic protege caelitus.

5. Salus, honor, virtus quoque
Sit et benedictio
Regnanti in trinitate,
Nos quoque oratio
Huius solis claritate
Perducat cum gaudio.

Brev. Cluniacense imp. Parisiis 1503. — 1, 5 cuius. — 3, 1 situr. — 3, 6 Madeficat.

452. De sancto Paxentio.

Ad Laudes.

1. Lux, ecce, surgit aurea,
Diesque ignescit clara,
In qua martyr Paxentius
Caeli successit civibus.

2. Voce ergo nunc sonora
Laeti Deo praeconia
Iubilemus gloriosa
Huius colentes tropaea.

3. Martyr pius post nimia
Tormentorum supplicia
Sub crudeli ictu ensis
Vitam finivit in terris.

4. Ut columba benedictus
Eius et almus spiritus,
Terrae corpus suum linquens
Caelos petivit congaudens.

5. Doxa patri et filio,
Septiformi paraclito;
Nobis, o martyr inclite,
Salutis opem porrige.

Brev. Cluniacense imp. Parisiis 1503.

453. De sancto Pelino.

Ad Vesperas.

1. Gaude, felix Brundusium,
Tanto ditata praesule,
Quem sanctorum consortio
Iunxit Deus martyrio.

2. Hic castitatis munere,
Doctrinae fulget radiis,
Nec metuens supplicia
Quam plures Christo genuit.

3. Ut novum sidus micuit
Sedem tenens Aproculi
Pelinus, praesul inclitus,
Vitae refulgens meritis.

4. Hostes devicit fortiter
Idola falsa conterens,
Tandem sacratum sanguinem
Fundens tenet caelestia.

5. Laus et perennis gloria
Deo patri et filio,
Sancto simul paraclito
In saeculorum saecula.

Officia ss. patronorum ecclesiae Brundusinae. Ad normam Breviarii Romani restituta. Imp. Romae 1583.

454. De sancto Pelino.

Ad Laudes.

1. Laudemus omnes seduli
Pium auctorem saeculi,
Qui pro bonis aethereis
Pelinum dedit praesulem.

2. Hic excitatur gloria,
Ut sufferat supplicia,
Senem culpas Aproculum,
Qui timet mortis iaculum.

3. Molas frangunt forcipibus
Saevit rota cum dentibus,
Sed per Christi clementiam
Non carpsit penetralia.

4. Tu, pastor, martyr inclite,
Caelesti patrocinio
Ab omni mortis impetu
Tuos defende famulos.

5. Deo patri sit gloria.

Officia ss. patronorum eccl. Brundusinae. Imp. Romae 1583.

455. De s. Petro Martyre.

1. Chorus Dei fidelium
Magno laetetur iubilo,
Quod verae lucis semita
Petri patet martyrio.

2. Qui Veronensi patriae
Mediolanum praetulit
Corpusque suum praestitit
Amore puro fidei.

3. Hic verba Dei nuntians,
Errores movens penitus,
Et veritatem docuit,
Per quem salvatur quilibet.

4. Ora clausit haeretici
Pauli doctrina profluens,
Ex illis quoque plurimos
Ad veram traxit regulam.

5. De quo dolentes haeretici
Aeris collecto cumulo
Petro, qui Cumas ierat,
Parant tortores pessimos.

6. Qui iuxta Medam feriunt
Sacri coronam capitis,
Quem cadens spina sustulit
Fletu dolens assiduo.

7. Cuius pro morte doluit
Mediolani civitas
Eique tota prodiit
Pectus contundens obviam.

8. Ad eius caeci tumulum
Claro recepto lumine
Et claudi rectis gressibus
Pergunt laudantes Dominum.

9. Immundo pressi spiritu
Eius purgantur meritis,
Quorum qui quaerit numerum
Arenae modum flagitat.

10. Reddamus ergo gloriam
Deo patri cum filio
Una cum sancto spiritu,
Qui nobis tantam praestitit.

Brev. ms. Ambrosianum saec. 15. Cod. Borgian. M II, 20. — 2, 2 Mediolano. — 4, 1 Oraque clausit. — 4, 2 perfluens.

456. De s. Philippo Argirione.

Ad 1. Vesperas.

1. Si confessoris tanti meritorum
Laudes velimus pangere sonoras,
Eius canamus gratiae triumphum
Corde contriti.

2. Aureum tamquam sidus inter astra
Micat excelsis sedibus polorum,
Et in terrenis merita resplendent
Sancti Philippi.

3. Cui dum floreret iuvenilis aetas,
Prosperitatem saeculi perhorrens
Gazis errorum opibus parentum
Renuntiavit.

4. Immaculatus Romam proficiscens,
Sacerdotali praeditus honore
Tomo recepto mittitur ad montem
Argirionis.

5. Quo pessimorum reperit catervas
Daemoniorum corpora laedentum,
Quos a cavernis expulit petrarum
Atque fugavit.

6. Excelso regi patri genitoque
Ac radianti spiritui sancto
Gloria consors, laus, virtus quoque,
Honor sit perpes.

Collect. ms. Cardin. de S. Severina anni 1529. Cod. Arch. Vaticani X. 89. — 6, 2 radiantis.

457. De s. Philippo Argirione.

Ad Matutinum.

1. Suam cognovit uxorem,
Quae concepit et peperit
Filium, Dei vigorem,
In quo gratiam repperit.

2. Philippo ei posito
Nomine suo proprio
Anno completo septimo
Tonsum matre reperio.

3. Anno scandens vigesimo
Diaconus est ordinatus,
Maximo desiderio
Romam ire declinatus.

4. Ceteros sibi ordines
Magno cum voto suscepit,
Alios inter milites
Sanctus eum Petrus recepit.

5. Quod is auri perpendebat
Sacris de scriptis pabulum,
Corde sano adimplebat
Cunctumque docet populum.

Collect. ms. Cardin. de S. Severina anni 1529. Cod. Arch. Vaticani X 89. — 4, 4 resedit. — Doxol: Deo patri. — Sind diese Str. nicht Antiphonen eines Officiums, die irrtümlich als Hymnus aufgefafst wurden?

458. De s. Philippo Argirione.

Ad Laudes.

1. Mira, dum vixit, miranda post corpus
Traditum humo agit virtuose,
In tumba eius sanitatem sumunt
Omnes languentes.

2. Quotquot ad eius tumulum accedunt,
Vel asportantur languidi vel laesi,
Omnes curantur ob omni languore,
Quo patiuntur.

3. Ecce, sacerdos, qui in diebus suis
Placuit Deo, inventus est iustus,
Ideo stolam induit eundem
Gloriae suae.

4. Si quos contingit daemone vexatos,
Quos per vim decet adduci ligatos,
Dum ad eiusdem tumbam adpropinquant,
Deliberantur.

5. O gloriose Philippe confessor,
Exaudi preces tibi supplicantum,
Ut aulam tuis meritis possimus
Ingredi caeli.

6. Excelso regi patri genitoque
Ac radianti spiritui sancto
Gloria consors, laus, virtus quoque,
Honor sit perpes.

Collectan. ms. Card. de S. Severina anni 1529. Cod. Arch. Vaticani X 89. — 1, 2 humum. — 3, 3 induit eum. — In dem zugehörigen Officium befinden sich einzelne rhythmische Teile, so die AA 2—4 der 1. Vesper.

459. De ss. Placido et Sigeberto.

1. Iesu, pax nostra et spes mundi unica,
Tu speciale decus das ecclesiae
Sacris sanctorum reliquiis tuorum,
Quos caelo vectos tibi facis patronos.

2. Unde nunc hymnum symphoniae debitum
Martyris sancti in honore Placidi
Et confessoris Sigeberti comparis
Psallat devota tibi, rex, catervula.

3. Iam, martyr Christi, deprecamur cernui
Eius ad thronum nostrum fer obsequium,
Ut peccatorum mereamur nostrorum
Vinclis absolvi et quiete perfrui.

4. Confessor sancte, vota nostra suscipe
Et Dei nostri in conspectu subveni,
Quo pacis dono potiamur sedulo
Et assistamus angelorum laudibus.

5. Athletae bini, cunctum clerum tueri
Velitis omnem et christianitatem,
Post vitae metam in fide stabilitam
Cunctis beate impetrando vivere.

6. Trina maiestas atque simplex unitas,
Concede tuis dignanter hoc famulis,
Cui sit in caelo gratiarum actio,
Honor, laus, doxa per aeterna saecula.

Brev. ms. Curiense saec. 15. Cod. Scotor. Vindobonen. 54. h. 15. — 5, 1 tuere. — 5, 2 vitae meatam.

460. De sancto Prospero.

1. O gloriose pontifex,
Miraculorum opifex,
Implora nobis caelitus
Largiri dona spiritus.

2. Cuius perfusus flamine,
Virtutum clarus munere,
Prosper vocatus nomine,
Prosper fit magis opere.

3. Sequens veram iustitiam
Perfectionis operum
Terrenam opulentiam
Dedit in cibos pauperum.

4. Paternis spretis laribus
Cum pompis saecularibus
Fit imitator sedulus,
Christi verus discipulus.

5. Romae cito applicuit,
Instando, ut proposuit,
Vir sanctus, apostolicus,
Prosper, doctor basilicus.

6. Hunc pontifex per spiritum
Elegit in antistitem
Regii virum inclitum,
Bonorum morum divitem.

7. Sacra fudit eloquia
Per cuncta mundi spatia
Doctorum flos eximius
Ut paradisi fluvius.

8. Omni praestat infirmanti
Sanctus opem se roganti,
Caecis, claudis, surdis, mutis
Sanitati restitutis.

9. Honor, decus, imperium
Sit Deo, regi gloriae,
Qui se suis in praemium
Donat electis patriae.

Offic. ms. S. Galgani saec. 16. Cod. Senen. F VI 22. — 3, 4 cibis. — 5, 2 Instans. — 6, 3 Regi. — 8, 1 in firmitati.

461. In Elevatione beati Quintini.

Ad Matutinum.

1. Post temporum curriculum
Ignorant ommes tumulum,
Per divinum oraculum
Revelandum Eligio.

2. Locum illustrat claritas,
Mira fragrat suavitas,
Fulget virtutum novitas
Signorum testimonio.

3. Dens eductus putredinem
Non educit, sed sanguinem,
Quem ut favi dulcedinem
Sancti servat devotio.

4. Sanctus sanctum mirificat,
Sepulturam aedificat,
Auro gemmisque fabricat,
Cuius ars maior pretio.

5. Lucerna clausa latebris
Extingui nequit tenebris,
Ad hoc nata, quod celebris
Eius fiat productio.

6. Ergo prodit in medium
Sevata super modium,
Dum fervore fidelium
Renovatur translatio.

7. Tu esto nobis gaudium,
Per cuius beneficium
Tamquam rosa vel lilium
Reflorescit in Maio.

Brev. S. Quintini Viromandensis imp. absque [1520].

462. De sancta Radegunde.

1. Christe, cunctorum sator et redemptor,
Siderum, terrae maris atque rector,
Omnium laudes tibi personantum
Solve reatum.

2. Vase qui gemmas fragili recondis,
Viribus fusas animo pudicas
Feminas reddens faciensque claros
Ferre triumphos.

3. Quas et in sexu fragiles videmus
Praerogativas meriti coronas
Incolas regni facit et perennes
Esse superni.

4. Cum quibus regnat Radegundis alma,
Inclitum cuius in honore festum
Mente devota celebrando dignas
Carminis odas

5. Quae suo nobis veniam precatu
Impetret casto comitante coetu
Atque caelestem reticere secum
Postulet arcem.

6. Laus patri summo genitoque vero
Flamini necnon ab utroque fuso,
Sit laus perpes, honor atque virtus
Omne per aevum.

Brev. Xantonense imp. Picta vii 1542. — 1, 3 personam tum. — 4, 4 Statt Carminis odas ist wohl ein Verbum im Sinne von Dicimus, canimus oder dergl. zu lesen.

463. In Festo Reliquiarum Exoniensis Ecclesiae.

Ad Processionem.

Salve, festa dies, toto venerabilis aevo,
Qua datur in caelis gloria digna Deo.
Sint decus ecclesiae, mundi decor et robur urbis
Huius, quos hodie grex canit iste Petri.
Gaudeat Exonia tot sanctos concelebrando
Per quos est votis saepe potita suis.
His favet, ipse Deus, horum meritis et amore
Saepe nociva fugat, dat bona, mira patrat.
Labitur ex turri quidam nec laeditur, alter
Huc manibus repens hinc pede sanus abit.
Et puer et mulier contracti restituuntur
Huc dum muta venit fit veniendo loquens.
Quaedam surda simul et muta sopore soluta
Hic meruit duplam vocis et oris opem.
Debilis et mutus, a sancto Glastoniense
Iussus ut hic vigilet, paret ovansque redit.
Plaudit laeta manu mulier prius arida nervos
Libera curvato cum fit ab ungue vola.
Lumen aqua putei baculo mediante recepit
Caecus ut in Siloë sic operante Deo.
Innumeris aliis hos Christus mirificavit
Signis, quae nequeunt sub brevitate cani
In Domino sanctis, sit in ipsis gloria Christo
Nobis qui det eos semper adesse pios.

Psalt. ms. Exoniense saec. $^{11}/_{12}$. Cod. Londinen. Harl. 863. add saec. 14. — Absch. von Rev. H. N. Bannister.

464. In Translatione ss. Reliquiarum Ecclesiae s. Frambaldi Silvanectensis.

In 1. Vesperis.

1. Sanctorum nobis meritis
Te, Christe, collandantibus
Adesto tuis inclitis
Donans effectum laudibus.

2. Sacerdotes et praesules
Sua servantes corpora
Nos servos servent xesules,
Nostra gubernent tempora.

3. Abbatum sancta caritas
Nobis praestet auxilium,
Reginarumque sanctitas
Votis assit humilium.

4. Multis sanctorum praedita
Membris plaudat ecclesia,
Thesauri sibi credita
Sacri colens insignia.

5. Praesta, beata trinitas,
Per istorum suffragia
Nobis coronas perditas
In sempiterna gloria.

Brev. Silvanectense imp. Parisiis 1521.

465. In Translatione ss. Reliquiarum Ecclesiae S. Frambaldi Silvanectensis.

Ad Laudes.

1. Voces attollat populus
Laudis hac die celebris,
Cuius salutis titulus
Claret in mundi tenebris.

2. Sancti doctrinae lumine
Caecos illustrant populos,
De sparso verbi semine
Plenos metunt manipulos.

3. Hi, dum praesunt hominibus,
Student prodesse singulis,
Verba complent operibus,
Vita claret miraculis.

4. Mundi vanas divitias
Reginae sanctae respuunt
Propter regni delicias,
Quibus in caelis adfluunt.

5. Praesta, beata trinitas,
Per istorum suffragia
Nobis coronas perditas
In sempiterna saecula.

Brev. Silvanectense imp. Parisiis 1521.

466. De sancta Reparata.

Ad Vesperas.

1. In titulos, Reparata, tuos
Personat iste chorus modulos,
Cum tribuit duo serta tibi
Sponsus ovans sociatque sibi.

2. Clara propago, decens facies
Schematis insinuat apices.
Sed fidei pia vita comes
Praecipuas fovet intus opes.

3. Impius error ubique furens,
Caelica spernere sacra iubens
Praecipit et monet, ut varios
Suscipias celebresque deos.

4. Sed tua cedere nescia mens,
Inviolabile robur habens,
Blanda vel aspera quaeque soli
Nil reputat ratione poli.

5. Caederis hinc sacra verba loquens.
Plumbea massa soluta coquens
Esse nequit, quia cunctipotens
Alterat et rapit omne nocens.

6. Gloria sit sine fine patri
Ingenito genitoque pari.
Par quoque gloria spiritui,
Qui patris est amor et geniti.

Offic. SS. Reparatae, Paridis, Amasii etc. imp. Neapoli 1533. — 1, 3 tribuit Domino serta. — 3, 3 praecepit. 6, 3 Parque gloria. — Mel. natürlich: Martyris ecce dies Agathae.

467. De sancta Reparata.

Ad Laudes.

1. Torrida lampas adapta tibi
Poena dolorque fuere cibi,
Improba dextera plaudit ibi,
Anxia vincere victa sibi.

2. Carceris atra libens toleras
Ignivomumque rogum superas,
Dira novacula per tenerum
Ducta caput facit hoc lacerum.

3. Sicque laboris agens studium
Magna virago subit gladium,
Luminis eximii radium
Dante Deo capit in bravium.

4. Fructibus ergo referta bonis
Sidereisque locata thronis
Posce piis veniam precibus
Veraque gaudia supplicibus.

5. Gloria sit sine fine patri etc.

Officia ss. Reparatae, Paridis, Amasii etc. impr. Neapoli 1533. — 1, 4 Ansia. — 2, 4 hoc fehlt. — Mel. wie beim vorhergehenden Hymnus.

468. De sancta Restituta.

1. Pangamus, o carissimi,
Odas beatae virginis
Nunc, Restitutae martyris,
Quae claruit mirifice.

2. Nam sacris suis meritis
Satis Sora resplenduit,
In qua quiescit corpore
Multa fiunt miracula.

3. Ibi per Christi gratiam
Sanantur aegri plurimi,
Purgantur et vexatici,
Malis oppressi variis.

4. Exsultet omnis civitas
Totaque plebs fidelium,
Quod artius optavimus,
Deo iuvante fruimur.

5. Carnillus flumen iubilet
Perfusus tanto sanguine,
Qui caput sacrae virginis
Septem dies retinuit.

6. Quo pontifex Amasius
Per visum hinc admonitus,
Ut properasset ocius
Et caput membris iungeret.

7. Preces fundamus supplices
Nunc martyri eximiae,
Quo mereamur perfrui
Sancta in fine saeculi.

8. Laus sit parenti Domino,
Laudes canamus unico,
Laudes amborum flamini
Per tempora laudabili.

Collect. ms. saec. 17. Cod. Alexandrin. 93. — „Ex ms. Ecclesiae s. Restitutae Soranae."

469. De sancta Restituta.

1. Plaude nunc, Sora, sacra Dei dona,
En, tibi adest celebrandus dies,
In quo beata virgo Restituta
Subiit caelum.

2. Haec orta Romae nobilis matrona
Ethel de patre, Dabia de matre,
Testis effecta asserendo Christo
Fortis et verax.

3. Consulem sprevit impium agacem,
Lampas extinxit, calicem resolvit,
Viduae proli reddidit salutem
Christo iuvante.

4. Convertit multos ab erroris via,
Longius pellit daemonum ruinam,
Propter quod [nos]met rogitemus omnes
Illius preces.

5. Haec plebs misella supplex te appellat.
Propter quod sacris meritis succurre,
Ne suis culpis pereat nefandis,
Quae perpetravit.

6. Quaesumus ergo, gloriosa virgo,
Nostris pro culpis Dominum precare,
Quatenus regnum capiamus tecum
In sempiternum.

Collectan. ms. saec. 17. Cod. Alexandrin. 93. — „Ex ms. eccl. S. Restitutae Soranae.“ — 2, 3 ad verendo Christo. — 5, 3 suis lupis

470. De sancto Roberto.

1. Gaude, sponsa Dei,
mater ecclesia.
Mater sancta spei,
deprome gaudia.

2. Adest namque dies
assunt sollemnia,
In quibus Robertus
coronat gloria

3. Illa, quae sursum est,
quae finis nescia
Finem dat lacrimis,
finit terrestria.

4. O quam laeta dies,
quanta festivitas,
In qua soluta est
sancti captivitas!

5. Cum de exsilio
redit ad patriam,
Dignam pro gratia
recipit gratiam.

6. O sancte Roberte,
concivis superum,
Iter ad patriam
fac nobis prosperum.

7. Laus patri gloriae,
laus eius filio,
Sancto spiritui
sit laus cum cantico.

Collect. ms. Gemblacense saec. 13. Cod. Bruxellen 5527—34. — 6, 1 O fehlt. — 6, 2 Conscius.

471. De sancto Roberto.

Tempore paschali.

1. Chorus novae Ierusalem
Novam meli dulcedinem
Promat colens cum sobriis
Robertum festi gaudiis.

2. Qui mundum velut [carcerem]
Abhorrens solitudinem
Elegit, ut libentius
Christi vacaret laudibus.

3. Ibi se Deo dedicans,
[Ieiuniis] carnem domans,
[Mansit] mundus a vitiis,
Miris repletur gratiis.

4. Fortuna nulla vincitur,
Nullius bonis utitur,
Cum afflictis afficitur,
Nec a laetis discernitur.

5. In caritate fervidus
Cunctis exsistis proximus,
Ope, verbo, virtutibus
Gratis succurrens opibus.

6. Huius, o Christe, precibus,
Protegamur ab hostibus,
Inter festa paschalia
Quem transfers ad caelestia.

7. Ipsum precemur supplices,
Ut devotos et humiles
Propulso mentis vitio
Servet nos in coenobio.

8. Per saecla metae nescia
Patri supremo gloria,
Honorque sit cum filio
Et spiritu paraclito.

Brev. ms. Casae Dei (?) saec. $^{14}/_{15}$. Cod. Vesolan. 14. — 1, 2 Mellis. — 4, 2 uritur. — Die Melodie des Hymnus ist jedenfalls die des Osterhymnus gleichen Anfangs.

472. De sancto Roberto.

1. Inter claras margaritas
Radiantes meritis,
Quae decore multiformi
Pingunt caeli regiam,

2. Collocatae feriatim
Per distinctos ordines
Circa thronum creatoris,
Cuius mira species,

3. Stola candens immortali
Stat Roberti spiritus,
Meritorum dignitate
Iunctus confessoribus.

4. Pretioso redimitus
Frontem diademate,
Quod paravit illi Christus
Praemium iustitiae.

5. O quam felix sors sanctorum,
Finis omnis nescia,
Nec labori nec dolori
Cuilibet obnoxia!

6. Quam beatus vitae status
Lumen verum cernere,
Quodque amas diligendo
Iam non ultra quaerere.

7. Hanc ad sortem pertingamus
Eius sanctis precibus,
Cuius celebramus festa
Debitis cum laudibus.

8. Patri filioque sancto
Laus sit atque gloria
Flaminique coaequali
Per aeterna saecula.

Brev. ms. Casae Dei (?) saec. ^{14} 15. Cod. Vesolan. 14.

473. De sancto Romarico.

1. Ave, Romarice,
Dux, Dei amice,
Honor monachorum,
Gemma confessorum.

2. Ora summum regem,
Ut hunc salvet gregem,
Et in tuo festo
Nostri memor esto.

3. Eras principalis
Ac aulae regalis,
Post anachorita,
Sacra plenus vita.

4. Deo consecrasti
Multumque ditasti
Nobilissimarum
Locum puellarum.

5. Quas in laude Christi
[Tu] constituisti,
Ut per melodiam
Cantent psalmis [piam].

6. Has Romae pastori
Regnique rectori
Tradis edocendas
Atque defendendas.

7. Sit laus creatori,
Sit laus redemptori
Atque tibi, flamen,
Utriusque. Amen.

Hymn. ms. Romarici Montis saec. 15. Cod. Spinalien. 194 (86) add. saec. 16. ex.

474. De sancto Sebastiano.

1. Gratulare, ecclesia,
Nova ferens gaudia,
Lumen fulget de tenebris
Sebastiani martyris.

2. Prudens, verax erat, iustus,
Pater paratus omnibus,
Carus Deo, hominibus,
Verissimus Dei cultor.

3. Hic accusatur impio
Subito imperatori
Famulari Christo Iesu
Mundi pompam despiciens.

4. Iubet Diocletianus
Sebastianum ligari
Velut signum sagittandus
In medio campi statim.

5. Hinc inde volant sagittae,
Asperrime sagittatur,
Corpus sagittis florescit,
Ut mortuus relinquitur.

6. Furens Diocletianus
Sanctum non esse mortuum,
Denuo quem fustigari
Sic praecipit, ut periret.

7. In cloaca proicitur,
Ut abscondatur mortuus,
At visio fit Lucinae,
Sebastianum tumulet.

8. Facto noctis silentio
Lucina sanctum conservat,
Ecclesias sancto condit
Opes relinquens Domino.

9. Gloria tibi, Domine.

Brev. ms. Ambrosianum saec. 15. Cod. Borgian. M II 20. — 1, 2 fehlt eine Silbe; lies ferendo oder sollemnia? — 2, 2 patratus. — 3, 4 pumpam.

475. De ss. Secundiano, Marcelliano, Veriano.

In 1. Vesperis.

1. Inter coronas martyrum
Fulgent tropaea militum,
Fortem dato qui sanguine
Vicere iniquum zabulon.

2. Secundianus sophicus,
Marcellianus physicus
Ac Verianus nobilis
Instar eorum claruit.

3. Fulsere in urbe Roma
Sub principali chlamyde
Dedentes neci plurimos
Christicolas poenaliter.

4. Quos intuentes fortiter
Christi mori pro gloria,
Non digna credunt vulnera
Suscepta tanta gratia.

5. Hinc iam fides suboritur,
Baptisma sacrum subeunt,
Fiunt et ipsi martyres
Cervice caesa duriter.

6. Horum recondens corpora
Servavit olim Italia,
Quos nunc habendo Gallia
Fovet, honorat, excolit.

7. Vos o precamur supplices,
Sancti Dei rectissimi,
Nostri reatus vincula
Vestro precatu solvite.

8. Laudemus omnes unicam
Patris natique ac spiritus
In unitate gloriam
Per saeculorum saecula.

Brev. ms. Iotrense saec. 13/14. Cod. Parisin. 750. — 6, 1 recundens.

476. De sancto Senerico.

1. Cunctarum rerum Domino
Sit laus et iubilatio
In Senerici gloria,
Quae data est ex gratia.

2. Senericus iuvenculus
Piis intentus studiis
Spernendo mundi gloriam
Comparavit perpetuam.

3. Levita apostolicis
Ordinatus in sedibus
Stola se sanctimoniae
Ornavit et iustitiae.

4. Confregit hostem viribus,
Quas accebit divinitus,
Regnum se fecit Domino
Regi regum pacifico.

5. Resplenduit virtutibus,
Quas servo dedit Dominus
Languores curans corporum
Medensque morbos mentium.

6. Precatu cuius adiuva
Omnipotens nos trinitas,
Pater, fili, paraclite,
Regnans aeterno tempore.

Passion. ms. saec. [9. 10.] 11. Cod. Parisin. 5574.

477. De sancto Senerico.

1. Senericus, hic advena
Veniens ex Italia,
Exemplis alter Abraham
Sprevit parentes, patriam.

2. Fulsit in nostras tenebras
Illustrandas per Dominum
Ut lampas clara iubare
Verbo, factis et opere.

3. Succurrit paenitentibus
Praesens se deprecantibus,
Inflectit pium iudicem
Reatum confitentibus.

4. Precatu cuius adiuva
Omnipotens nos trinitas,
Pater, fili, paraclite,
Regnans aeterno tempore.

Passion. ms. saec. [9. 10.] 11. Cod. Parisin. 5574.

478. De sancto Severo.

1. Iste confessor, nobis intercessor
Caelitus datus, columba monstratus,
Sic est sociatus praesul hic beatus
Sanctus Severus.

2. Hic quondam nere more muliebri
Novit, carpere lanam et texere.
Hic monochordum plus quam decachordum
Tangere suevit.

3. De remo Petrum, de lana Severum,
Ambos de thoro, quos praefecit choro,
Deus vocavit et eis donavit
Esse pastores.

4. Convivis suis, o Severe, tuis
Esto placatus, nostrorum reatus
Precibus dele, fer opem medelae
Nobis sanandis.

5. Virtute sana doce nos et vana
Mundi spernere, Deo adhaerere
Nunc et in aevum, ut vitemus naevum
Ipso praestante.

Brev. ms. Halberstadense saec. 15. Cod. Wernigeroden. Za 42. A. — Brev. Basileense imp. Basileae 1498. B. — 4, 1 Cum convivis A.

479. De sancto Severo.

Ad Vesperas.

1. O pontifex sanctissime,
Christi confessor optime,
Succurre nobis miseris
In hac valle miseriae.

2. Nam laudes tibi debitas
Concinimus hoc tempore,
Ut sanctis tuis precibus
Expurgemur a crimine.

3. Severe, pater inclite,
Preces devotas suscipe,
Quod digne sancta merita
Tua possimus promere.

Officium sanctorum patronorum ac protectorum civitatis Parthenope. Impr. Neapoli anno Domini 1525. — Anfang der Doxologie: Gloria tibi Domine | Qui surrexisti.

480. De sancto Sigfrido.

Ad Vesp. et Noct.

1. Sigfridi archipraesulis
Odas solvamus carminis,
Qui Suecis verbo dogmatis
Dona fudit baptismatis.

2. Ut iubar sui luminis
Gemma fundit in tenebris,
Sic doxa Christi numinis
Praesul fulsit hic bilibris.

3. Hic Anglicus natalibus
Est ortus sed nobilibus
Testatur id prosapia
Anglorum regum regia.

4. Hic Anglicus angelicus,
Qui missus nobis caelitus,
Nos iungat suis precibus.
Angelorum apicibus.

5. Laus sit patri ingenito
Honorque unigenito,
Gloria sancto flamini.
Decus Sigfrido praesuli.

Legend ms. Laurentii Odonis Lincopen. saec. ^{14}/$_{15}$. Cod. Dresden. A 182. A. — Ant et hymn. Scarense saec. [14. et] 15. Cod. Upsalen. C 422. B. — Brev. Scarense imp. Norimbergae 1498. C. — 1. 3 Suenis B. Suenis C. — 2. 2 fudit AB. — 2. 3 sancti numinis B. — 2. 4 fulsit in tenebris B. — 4. 2 missus est C. — 5. 1 Laus patri sit B; sit patri sit genito C. — 5. 2 Honor sit B. — Aus C bei Klemming I. 152.

481. De sancto Sigfrido.

Ad Laudes.

1. Ignitus sancto flamine
Et Dei tactus famine
Sigfridus gentem propriam
Postponens adit Sueciam.

2. Illic regem cum populo
Potatum fraudis poculo
Invenit et condoluit.
Quod haec gens deos coluit.

3. Mox unum Deum praedicat
Regi fatur et indicat,
Salvatur, qui crediderit
Baptizatusque fuerit.

4. Rigatus verbo fidei
Olavus fit cultor Dei.
Cor praebens sancto dogmati
Collum subdit baptismati.

5. Sigfridus dictus signifer
Et Dei verus armiger
Hostem stravit nequitiae
Gentem baptizans Sueciae.

6. Laus patri sit ingenito
Honorque unigento.
Gloria sancto flamini,
Decus Sigfrido praesuli.

Legend. ms. Laurentii Odonis Lincopen. saec. ^{14}/$_{15}$. Cod. Dresden. A 182. A. — Ant. et hymn. ms. Scarense saec. [14 et] 15. Cod. Upsalen. C 422. B. — Brev. Scarense imp. Norimbergae 1498. C. — 3. 3 Salvus erit qui crediderit AC. — 4. 3 sacro C. — 4. 4 Collum submittit AC. — Aus C bei Klemming I, 159.

482. De sancto Sigfrido.

Ad Laudes.

1. Laudes atque praeconia
Dulces promit Werendia
Sancto Sigfrido conscia
Concentus et aromata.

2. Ex cuius eloquentia
Irradiatur Suecia,
Tam nobilis praesentia
Vexionis ecclesia.

3. Hinc caeli canit curia
Intermina laetitia,
Hinc personat melodia
Caelesti cum hierarchia.

4. Iam tanti per suffragia
Nos caelibis propitia
Dignos ducat ad gaudia
Vera quoque sotheria.

5. Laus Deo patri sit pia,
Immensa reverentia,
A quo manat clementia,
Sancto Sigfrido gloria.

Legend. ms. Laurentii Odonis Lincopen. saec. 14/15. Cod. Dresden. A 182. A. — Ant. et hymn. ms. Scarense saec. [14. et] 15. Cod. Upsalen. C 422. B. — Brev. Lincopense imp. Norimbergae 1493. C. — 1, 1 et praeconia B. — 1, 2 Warendia A. Verendia A. — 2, 1 eius C. — 2, 4 Wexionensis C. — Str. 3 fehlt AC. — 4, 1 Nam BC. — 4, 2 Nos civibus propitia B. — 4, 4 quoque aetherea AC. — Aus C Klemming I, 160 sq.

483. De ss. Simone et Iuda.

1. Throno sedente principe
Cum venerit discernere,
Qui iudicabunt Israel,
Assunt duo uno germine,

2. Parem gerentes gloriam,
Germana caeli pignora,
Simon beatus cum sacro
Zelote Iuda apostolo.

3. Persiae euntes termino
Duce Varadach bellico
Tunc exeunte ad proelium
Responsa pacis proferunt.

4. Pravam duorum tristium
Sectam magorum destruunt
Ac falsa gesta daemonum
Veraci produnt spiritu.

5. Rursus magique immiserant
Serpentium tot milia,
Ipsos repente vulnerant,
Venena qui produxerant.

6. Ferae malignae tigrides
Perdunt furorem supplices,
Signis quibus fideliter
Gens omnis et rex credidit.

7. Qui cuncta dum perambulant
Calcando fana et idola,
Sic frugescentes inclita
Talenta Christo duplicant.

8. Ambobus uno funere
Mors sancta vitam praebuit,
Et, qua magister evocat,
Pergunt pares ad gloriam.

9. Gloria patri ingenito.

Legend. ms. Mediolanense saec. 13. Cod. Ambrosian. C 125 inf. — 3. 1 Perside (lies: Persidae?). — 8, 1 furore. — 7, 3 frugentes. — 7, 3 sq. und 8. 1 sq. umgestellt.

484. De ss. Simone et Iuda.

1. Exaltetur istud festum
Et coletur tam honestum
Diesque apostolorum
Et martyrium eorum.

2. Hoc est Simonis et Iudae,
Nati ex semine Iudae.
Per eos Christus noscitur
Et vere Deus colitur.

3. Praedicaverunt Syriam
Totam simulque Persidam,
Propter eorum merita
Sic haeresis est irrita.

4. Dezaroen maleficus
Et Arfaxat maledicus,
Qui Persidam foedaverant
Et idolis fundaverant.

5. Veneremur ergo cuncti
In hoc festo nos coniuncti,
Ut cum eis gaudeamus,
Deum patrem habeamus.

6. Hoc praestet summa trinitas
Simulque una deitas,
Quae vivit in perpetuum
Nunc et per omne saeculum.

Hymn. ms. S. Petri Mart. Utinen. saec. 16. Cod. Civitat. Utinen. s. n.

485. De ss. Simone et Iuda.

1. Laudes cuncti concinite
Apostolorum Simonis
Et Iudae, quia coruscant
Horum gesta magnifica.

2. At ingressi regionem
Dum hi fuissent Persides,
Fugos reperiunt magos
Cunctos caecasse idolis.

3. Statim ligantur idola,
Responsa dare vetitant,
Mirantur quoque populi
Cum duce atque praefecto.

4. Tunc Indi in regionem
Persidem atque Medorum
Bellum grave construxerant
Et hos velle occupare.

5. Praenuntiant apostoli
Duci, si Christum agnoscat,
Advenient in crastinum
Legati bona gerentes.

6. Tum sexaginta milia
Hominum demptis parvulis,
Exceptis mulieribus
Ac rex baptismum assumunt.

7. Illuminant ibi caecos,
Surdis praestant auditum,
Gressum donant claudis,
Credentibus dant miran[da].

8. Comminuunt simulacrum
Solis et lunae fulgidum,
Concurrunt tunc pontifices
Templi, necant apostolos.

9. En, miles Christi fidelis,
Abhorrens semper idola,
Martyrii palmam ferens,
Triumphat cum apostolis.

Brev. ms. Ambrosianum saec. 15. Cod. Borgianus M II 20. — 4, 2 et Medorum. — 7, 2 fehlt eine, 7, 3 zwei Silben am Verse.

486. In Inventione S. Stephani.

Ad Nocturnum.

1. Christiana religio
Dum suo coepit saeculo,
Quos sibi ipsa peperit,
Pro se pugnandos obtulit.

2. Quorum primipilarius
Levita fuit Stephanus
Proprio suo sanguine
Docens palmam victoriae.

3. Cuius tunc corpus abditum
Et posteris incognitum,
Quod subito his patuit,
Languenti mundo profuit.

4. Gamaliel ter visio
Luciano presbytero,
Migetio post adfuit,
Hoc dubium innotuit.

5. Septuaginta animas
Tres numero et additas,
Quas tenebat infirmitas,
Invasit statim sanitas.

6. Haec sancta revelatio,
Sacro digna mysterio,
Praesentem facit hanc diem
Per totum mundum celebrem.

7. Inde sancta ecclesia,
Quae constat sine macula.
Pium exoret Dominum,
Nostrum precemur Stephanum.

8. Pro nobis specialiter
Rogemus illum iugiter,
Prout gaudemus meritis,
Foveamur praesidiis.

9. Trino personis Domino,
Usia individuo,
Sicut decet, sit gloria
Nunc et per cuncta saecula.

Antiph. et Lect. ms. S. Stephani Frisingen. saec. 11/12. Clm. Monacen. 21585.

487. In Translatione s. Stephani.

In 1. Vesperis.

1. Gaudet chorus caelestium
Protomartyris gloria,
Psallat turba fidelium
Beata nobis gaudia.

2. Iudaeis Christum praedicat
Mortis non timens aditum,
Primus naturam duplicat,
Deus, tuorum militum.

3. Saulus Iudaeos applicat,
Ut Stephanum lapidibus
Obruant, dum sic dimicat,
Exsultet caelum laudibus.

4. Hunc dum lapidant Iudaei
Pro his orans in aethere
Pium videt natum Dei
Iam lucis orto sidere.

5. Cur, Iudaea, seduceris
Cuius victimae pereunt?
Dum gens misera falleris,
Vexilla regis prodeunt.

6. Castus ut candet Libanus,
Roseus in martyrio,
Pro te succumbit Stephanus,
Iesu, nostra redemptio.

7. Huius ergo nos praecibus
Mole depressos criminum
Supernis iungas civibus,
Iesu, corona virginum.

8. Praestet hoc nati genitor,
Hoc genitoris genitus,
Tu, par utrique conditor,
Veni, creator spiritus.

Brev. Metense imp. Lugduni 1517. — 4, 2 Pro eis orans. — 6, 1 ut cadat.

488. De sancto Sixto.

1. Adest triumphus nobilis
Festumque caeli curiae,
Quo rosa delectabilis
Offertur regi gloriae.

2. Exsultet claro sidere
Fulgens mater ecclesia,
Sixtus martyr in aethere
Nova profudit gaudia.

3. Pius, pudicus, humilis
Christo se totum dedicat,
In lege Dei docilis
Verbis, exemplis praedicat.

4. Sixtus, flos pulchritudinis
Et virtutum sacrarium,
Heres beatitudinis
Trahens post se Laurentium.

5. Roborare cum nititur
Fidem verbi praeconio,
Pro fide tandem caeditur
A paganorum gladio.

6. Detentos a daemonibus
Sanat, morbos languentium,
Curam confert dolentibus,
Magnum salutis gaudium.

7. Summae Deus clementiae,
Tibi sit laus et gloria,
Da post cursum miseriae
Beata nobis gaudia.

Brev. ms. Kimense (? saec. 14. Cod. Vindobonen. 1893. — 4, 4 Trahent post se Laureatum. — Der Hymnus zeigt starke Benutzung der geläufigen Hymnen auf Petrus Martyr.

489. De s. Syro Ticinensi.

Ad Vesperas.

1. Generans lucis filios
Iesus, magister optimus,
Primum misit apostolos,
Quos sequitur discipulus.

2. Syrus praesul hic doctrinam
Diffundit evangelicam,
Per quam normam fert divinam
Et vitam dat angelicam.

3. Armagoras hunc docuit,
Sub Marco qui profecerat,
Nam Marcum tunc instruxerat
Apostolus, qui praefuit.

4. Congratulatur civitas
Suscipiens antistitem
Ac Ticinensis claritas
Laetatur se superstitem.

5. Has preces cum gemitibus
Tu, pater Syre, suscipe,
A diri hostis faucibus
Nos tuum gregem eripe.

Collect. ms. Ticinense (?) saec. 15. Cod. Roman. 1300 (Sessor. 343). A. — Officium Patris Nostri, Sancti Syri, Episcopi Papiensis. Papiae 1564. B; daraus bei Prelini, San Siro primo vescovo e patrono della citta e diocesi di Pavia, Pavia 1880 I, 68. — 1, 2 Iesu. B. — 3, 1 Hermagorae B.

490. De s. Syro Ticinensi.

Ad Nocturnum.

1. En, pullulat ecclesia,
Bonorum mater omnium,
Cum profert ab infantia
Fide tironem optimum.

2. Syrus palmes egreditur
E caelesti plantario,
Novum praesegmen seritur
In Ticinensi oppido.

3. Germen exsurgit nobile
Repletum aromatibus,
Semen firmatur fragile
Devoti patris precibus.

4. Currunt cives collaetantes
Et peregrinae patriae
Ad salutem properantes
Cum ostensore gratiae.

5. Hic sedulus agricola
Cum vomeribus doctrinae
Firmatus est caelicola
Ierosolymae divinae.

6. Sulcabat corda ferrea
Sermone veracissimo,
Claudebat ora terrea
Vigore vivacissimo.

7. Ergo, pater, nos infirmos
Et in mundo deviantes
In patria redde firmos
Cum devotis exclamantes.

Collect. ms. Ticinense (?) saec. 15. Cod. Roman. 1300 (Sessor. 343).

491. De s. Syro Ticinensi.

In Laudibus.

1. Lauda, mater, gratiosum
Te diligentem Dominum,
Tu, Papia, gloriosum
Ac salvatorem omnium.

2. Ornavit viris optimis
Coronam tuae gloriae
Praeposuitque ceteris
Honorem tuae patriae.

3. Syrus, pontifex qui primus
Ducatum fert sequentium,
Sed Inventium non imus
Locus beat viventium.

4. Ursecenus assumitur
Ad veritatis semitam,
Quam etiam exsequitur
Per praecessores proditam.

5. Crispinus, vir mitissimus,
Director Epiphanii,
Cui successit protinus
In gradibus officii.

6. Hunc Maximus ex nomine,
Sed amplior in meritis,
Prosequitur ex munere
Associatus superis.

7. At eloquens Enodius
Mores describit hominum,
Fecundans suis actibus
Catalogum illustrium.

8. Alter Crispinus oritur
In praesulari solio,
Quem Damianus sequitur
In spiritali studio.

9. Theodorus in acie
Cum sanctis pontificibus,
Hieronymus, vas gratiae,
Cum maximis spiritibus.

10. Pro successore humili
Coetus oret hic supernus,
Decedens mundo fragili
Ut salvetur Gulielmus.

11. Salutarem Papiensi
Vitam poscant civitati
Ac favorem Ticinensi
Dent honorem trinitati.

Collect. ms. Ticinense (?) saec. 15. Cod. Roman. 1300 (Sessor. 343). A. — Officium Patris Nostri, sancti Syri, Episcopi Papiensis, Papiae 1564. B; daraus Prelini l. c. p. 71. — 10. 4 Guilidinus A: der Bischof Gulielmus, für den hier gebetet wird, und der wohl als Verfasser der Hymnen gelten darf, scheint Guilelmus Centuria O. S. F. 1386—1402 zu sein; einen Bischof Guilidinus finde ich in der Bischofsliste von Pavia nicht.

492. De s. Syro Ticinensi.

In 2. Vesperis.

1. Secus Christum, cum ad istum
Extemplo vox pervenerat,
Syrus sitit, mundum mittit,
Iam Christus astra ascenderat.

2. Gaudet solum, petit polum
Pro munere pontificis,
Prodit fraudem, donat laudem
Secum *sanctorum meritis.*

3. Ima pandit, alta scandit
In sanctorum collegia,
Culpas lavat, unde parat
Beata nobis gaudia.

4. Surgit turbo, saevit muero
Fideles persequentium,
Caedit hostis, exstat fortis,
Deus, tuorum militum.

5. Monet pura, scit futura
Sicut propheta praesciens,
Fugit metus audit coetus,
Verbum supernum prodiens.

6. Mutat sortes, purgat sordes
Virorum delinquentium,
Umbra caret, cunctis claret,
Iesu, lux vera mentium.

7. Sanat morbos, aptat torvos,
Devota fit ostensio,
Orant sani, dicunt cani:
Iesu, nostra redemptio.

8. Quis non credit, cum accedit
Videndo mirabilia,
Errans redit, nox recedit,
Lux, ecce, surgit aurea.

9. Unde, praeses, duc ad aedes
Paratos iam divinitus;
Vocem demus, nos clamemus:
Veni, creator spiritus.

Collect. ms. Ticinense (?) saec. 15. Cod. Roman. 1300 (Sessor. 343).

493. De sancto Theodoro.

Ad Vesp. et Noct.

1. Exsultet mentis iubilo
Sacer chorus fidelium,
Nam martyris sollemnia
Anni reduxit orbita.

2. Hic minas spernit iudicum
Tormenta nihil metuens,
Hic et pro Christi gloria
Combussit templa daemonis.

3. Hunc Christus praesens visitat
Oscuro clausum carcere,
Caelesti cibat pabulo,
Chorus adest angelicus.

4. Suspensus in patibulo,
Dilaniatus corpore,
Nihil sentit supplicia,
Sed benedicit Dominum.

5. Huius tu sanctis precibus
Exstingue carnis vitia,
Qui pro te, rex piissime,
Ignis vicit incendia.

6. Laus, honor, virtus, gloria
Deo patri et filio
Una cum sancto spiritu
In sempiterna saecula.

Officia sanctorum patronorum ecclesiae Brundusinae. Romae 1583.

494. De sancto Theodoro.

Ad Laudes.

1. Magnae dies laetitiae
Nobis illuxit hodie,
Qua Christi martyr inclitus
Ascendit ad caelestia.

2. Pro Christi fide pertulit
Dira poenarum genera,
Pro quibus in caelestibus
Vitam perennem possidet.

3. Gaude, felix Brundusium,
Huius ditatum corpore,
Cuius tu patrocinio
Hostis non times iacula.

4. Praesta, pater piissime,
Ut huius sancti meritis
A cunctis solvens noxiis
Nos iungas sanctis civibus.

5. Deo patri sit gloria.

Officia sanctorum patronorum ecclesiae Brundusinae. Romae 1583.

495. De s. Thoma Aquinate.

In Laudibus.

1. Ortum, vitam et exitum
Sancti Thomae prodigia
Comitantur, quae meritum
Monstrant ad caeli praemia.

2. Augustinus in gloria
Hunc sibi parem praedicat,
Sed Thomam castimonia,
Se mitra plus dignificat.

3. Innotuit oraculo,
Gloria quanta praeminet,
Quem praemiorum cumulo
Seraphin ordo continet.

4. Ad Christum pro laboribus
Dum migrat doctor populi,
Migrantis tacti pedibus
Illuminantur oculi.

5. Sit patri laus ac genito
Simulque sancto flamini,
Qui sancti Thomae merito
Nos caeli iungant agmini.

Legend. ms. Laurentii Odonis Lincopen. saec. 14/15. Cod. Dresden. A 182. A. — Orat. ms. Campense anni 1462. Cod. Darmstadien. 521. B. — Psalt. et hymn. ms. S. Katharinae Divoduren. saec. 15. Cod. Vatican. s. n. (ol. 121 4°) C. — 3, 4 In Seraphim B. — 4, 3 Migranti B. — 5, 1 Laus patri sit B.

496. De s. Thoma Aquinate.

1. Pange, lingua, gloriosi
Dogmatis mysterium
Et Aquini pretiosi,
Quem in lucem gentium
Instar solis radiosi
Rex accendit gentium.

2. Nostro datus, nostro natus
Thomas est in ordine
Et in scholis conservatus
Sparso verbi semine,
Sui palmam doctoratus
Miro tulit omine.

3. Nam cum sacrae corpus cenae
Descripsisset fratribus
Panis, vini substans plene
Solis accidentibus:
De me, Thoma, scriptum bene,
Crux afflavit auribus.

4. Verbo vitae Verbum verum
Thomas semper efficit,
Eius stylus dulce merum
Nec a fide deficit.
Ad docendum cor sincerum
Solus Thomas sufficit.

5. Tantum ergo nos portentum
Veneremur cernui
Et Aquini documentum,
Nostro dispar sensui,
Praestet nostrae supplementum
Virtutis defectui.

6. Genitori genitoque
Laus et iubilatio,
Procedenti ab utroque
Compar benedictio,
Aquinatis scriptis quoque
Sua sit laudatio.

Il Rosario, Memorie Domenicane 1901. Nr. 1. Apr. e Codice bibl. commun. Bordeaux Nr. 77? = Brev. Dominic.

497. De sancto Tito.

1. Legenti Tito dogmata
Homeri atque Socratis
Data est admonitio,
Quod non prodest haec lectio.

2. Facto Cretae consilio
A primis magnis insulae
Titus, nepos proconsulis,
Mittitur Ierosolymam.

3. Cum Christus esset in mundo,
Missus est Titus ad eum,
Ut disceret, quae viderit
Ipsum docentem alios.

4. Ierosolymae studio
Prae anno est sanctus Titus
Ante ascensum Domini
Et post binos quinquennio

5. Iam misso in apostolos
Sancto vero paraclito
Iuxta promissum Domini
Dei, Christi altissimi.

6. Honor, decus et gloria
Sit patri atque filio,
Almo quoque spiritui
Per infinita saecula.

Psalt. et hymn. ms. Civitatense saec. 15. Cod. Civitaten. LXXIII. — 5. 3 Iuxta missum.

498. De sancto Tito.

1. Discipulorum numero
Adiunctus est sanctus Titus,
Igneis linguis Domini
Quos spiritus repleverat.

2. Effuso protomartyris
Sanguine sancti Stephani
Disperguntur apostoli
Propter timorem gentium.

3. Converso sancto Paulo
Divina fit collatio,
Iterum Ierosolymam
Revertuntur apostoli.

4. Fit sacer Titus pontifex
Et a summis apostolis
Consecraturus mittitur,
Quos Paulus appro[ba]verit.

5. Qui iussu Dei filii
Simul cum Paulo applicuit
Terrae Iovis et insulis
Verum Deum annuntians.

6. Congaudet Cretae populus
Simul atque Rutilius,
De reditu apostoli
Sanxerunt festum fieri.

7. Iussu tui apostoli
Templum Dianae corruit,
Repente factum pulvis est,
Ut sanctus iam praedixerat.

8. Gloria patri Domino,
Nato atque paraclito
Et nunc et in perpetuum
Sit trinitati unicae.

Psalt. et hymn. ms. Civitatense saec. 15. Cod. Civitat. LXXIII. — 6, 2 atque Rutilus.

499. De sancto Tito.

1. Creteus Titus regia
Prole descendit Minoa,
Christi fuit apostolus
Paulique fuit socius.

2. Ipse Titus apostolus
Per civitates consecrat
Pontifices, presbyteros,
Diacones et clericos.

3. Qui plebem sacram instruant
Sermonibus et opere,
Orthodoxis mysteria
Ministrent iam catholicis.

4. Confisa Cretae insulae
Tanti patris deposita,
Cuius se credit munere
Vitam beatam consequi.

5. Cuius corpus metropolis
Cortina tenet inclitum,
Secura tanto principe
Christi videre faciem.

6. Virtus quoque imperium
Sit patri atque genito,
Sancto simul paraclito
In saeculorum saecula.

Brev. ms. Civitatense saec. 15. Cod. Archiep. Utinen. Oct. 10. A. — Psalt. et hymn. ms. Civitatense saec. 15. Cod. Civit. LXXIIIB. — Brev. ms. Civitatense 1467. Cod. Civitaten. LXXIV. (28). C. — Antiph. ms. Civitatense saec. 15. Cod. Civitaten. LXIV. D. — 3. 4 catholici A. — 4, 1 Confixa A. — 4, 2 disposita B C.

500. De sancto Tresano.

Ad Vesperas.

1. Scandat polorum sidera
Psallentium concordia
Et pectorum devotio
Deum sibi conciliet.

2. Adest dies propitia
Sancti Tresani meritis,
Quam dedicavit inclitus
Regni petens caelestia.

3. Quem tanta continentia
Vigorque vitae vinxerat,
Ut vix famem depellere
Potus esset et epulae.

4. Accinxit illum castitas,
Compsit fideles puritas,
Mentisque sanctimonia
Deo placentem reddidit.

5. Verus sacerdos tempore
Hic in suo resplenduit.
Ardore santi spiritus
Fragrans in ara pectoris.

6. Cuius frequens subventio
Fit reorum remissio,
Ut poenarum incendia
Nostras non urant animas.

7. Laus, honor, virtus, gloria
Deo patri et filio.
Sancto simul paraclito
In sempiterna saecula.

Officium ss. Tresani, Gumberti et sanctae Berthae imp. Rhemis 1557. — Nach Strophe 4 „Divisio“.

501. De sancta Ulphia.

Ad 2. Vesperas.

1. Pange, lingua, gloriosae
Ulphiae praeconia,
Dic virginis generosae
Virtutes et proelia,
Quot zelo pudicitiae
Fecit, tulit fortia.

2. In primaeva iuventute
Donis florens Ulphia,
Summa flagrans caritate
Christo se dat impigra
Et promissa semel fide
Non recedit postea.

3. Divae cor intemeratum
Horrens saecli nuptias,
Minas despicit parentum,
Despicit et lacrimas,
Corpus caedit delicatum,
Preces addit fervidas.

4. Tam nobilem post triumphum,
Virgo fortis Ulphia,
Times adhuc periculum
Et procul a patria
Crucis amplexa vexillum
Loca quaeris invia.

5. Inter silvarum latebras
Vitam ducis caelicam,
Immitis carnem cruentas
Et torques innoxiam,
Nos, qui tot meremur poenas,
Vix precamur veniam.

6. Sit perennis laus parenti,
Sit perennis filio,
Ab utroque procedenti
Sit aequa paraclito,
Per quem virtus in imbelli
Tanto fulsit animo.

[Lorriquet-Sellier], Nouvelle Vie de sainte Ulphe, vierge patronesse de l'église d'Amiens. Amiens, 1841. p. 239. Ohne Angabe einer Quelle.

502. De sancto Ursino.

Ad Matutinum.

1. O quam dignis celebrandus
Dies iste gaudiis,
Et quam dignis venerandus
Ursinus praeconiis,
Non fraudatus nec frandandus
Socii obsequiis.

2. Clemens quidam Petri more
Nomen Christi praedicat,
Tantae messis paucos fore
Messores significat.
Praedicendo cum labore
Discipulis indicat.

3. Multis missis post et ante
Praedicare veniam
Hoc Ursinus commendante
Deposcit Bituriam,
Solo Iusto comitante
Iussam subit patriam.

4. Hic Ursino praedicante
Clementis imperio
Iustus Deo permittente
Recessit de medio,
Solum urbe iam absente
Nono miliaria.

5. Conturbatus casu mortis
Ursinus tam subitae,
Sed in fide Christi fortis
Licet absque comite
Patefactis urbis portis
Intravit sollicite.

6. Gloria et honor Deo
Usquequo altissimo,
Una patri filioque,
Inclito paraclito,
Cui laus est et potestas
Per immensa saecula.

Brev. Bituricense imp. Lemovicis 1512.

503. De sancto Ursino.

In Laudibus.

1. Exsultemus et laetemur
Organis cantantibus,
Congaudentes gratulemur
Ursino cum laudibus
Et constantem admiremur
Hunc in suis casibus.

2. Christum docet adorandum
Qui vivit per saecula;
Ad Ursinum blasphemandum
Currit gens incredula,
Canes ad hunc effugandum
Solvuntur a copula.

3. A gentibus fere pressus
Fugit hic perterritus,
Sed ad urbem est regressus
Ad angeli monitus,
Christi servum se professus
Legis docet aditus.

4. Ab errore revocatae
Sancto praedicamine
Multae gentes inspiratae
Divino spiramine,
Per Ursinum baptizatae
Sunt in Christi nomine.

5. Ab errore revocato
Fere cuncto populo,
Ipso rege baptizato
Cum lusore parvulo,
Cursu vitae consummato
Migravit a saeculo.

6. Gloria et honor Deo
Usquequo altissimo,
Una patri filioque
Inclito paraclito,
Cui laus est et potestas
Per immensa saecula.

Brev. Bituricense imp. Lemovicis 1512. — 1, 3 Congaudemus. — 1, 5 admirantes. — 3, 3 est reversus. — 4, 1 revocatus. — 4, 3 inspirante.

504. De sancta Ursino

In 2. Vesperis.

1. Ad honorem Salvatoris
Laetetur Bituria,
Pangat sancti confessoris
Ursini praeconia,
Per quem gentilis erroris
Recessit spurcitia.

2. Nathanael nominatus
Non inunctus chrismate,
Post Ursinus est vocatus
Assumpto baptismate,
Christi verbis attestatus
Verus absque schismate.

3. O quam felix sanctus iste
Et dignus praeconio,
Cui cenae tuae, Christe,
Deputata lectio,
Cuius pectus mulcet triste
Visa resurrectio.

4. Christum vidit ascendentem
Consternatus animo
Spiritumque descendentem
Die quinquagesimo,
Praesentes et se replentem
Sensu ferventissimo.

5. Demum lingua bispartita
Cum ceteris loquitur,
Praedicando verbo, vita
Stephanum subsequitur,
Donec [hic] Israelita
Plebe saxis teritur.

6. Gloria et honor Deo
Usquequo altissimo,
Una patri filioque
Inclito paraclito,
Cui laus est et potestas
Per immensa saecula.

Brev. Bituricense imp. Lemovicis 1512. — 3, 4 Deputata est. — 4, 5 repletum.

505. De sancto Ursmaro.

1. Ave, casta Christi sponsa,
O mater ecclesia,
Ave, Deo praeelecta
Ante cuncta saecula,
Ave, sancto praesignata
Spiritu per tempora.

2. Benedicta sponsi dote
Prolis multitudine,
Nuptiarum compta, gaude,
Numeroso germine,
Milies fecunda mille
Filiorum agmine.

3. Civibus ornas caelestem
Electis Ierusalem,
Inter quos bonum pastorem
Ursmarum pontificem
Collocas velut nitentem
Et politum lapidem.

4. Dono quem mater superno
Nostro datum saeculo
Agnovit laeta responso
Nasciturum caelico,
Necdum licet e materno
Fusum nosset utero.

5. Ei nam senex per visum
Offerebat puerum
Et ad illum nutriendum
Panem simul candidum;
Hunc, inquit, ad educandum
Panem sume filium.

6. Filium, inquam, materna
Ferunt quem praecordia,
Ad hoc generari diva
Providet potentia,
Quo sibi perplures ista
Lucretur in patria.

7. Gravata rursus sopore
Cernit in oromate
Filium innixum scalae
Caeli celsa scandere,
Quem sequi quidem valebat,
Consequi non poterat.

8. His felix parens de nato
Certa facta proprio,
Postquam hunc praecordiali
Est enixa viscere,
Adultum tradit sacratis
Instruentum literis.

9. Iuvenis quidem aetate,
Grandaevus sed moribus
Summa meritorum sparsim
Clarescens uberius
Donari gradatim sacris
Meretur ordinibus.

10. Karitatis hinc virtute
Circumfultus geminae,
Infulatus pastorali
Additus est cathedrae,
Temperatus aequitate,
Iustus fortitudine.

11. Longanimitate vigens,
In adversis patiens
Nec absque tortore saevo;
Quis fuit aliquando,
Qui tali tantumque diro
Sit passus martyrio?

12. Maxime cum novem annis
Decem hebdomadibus
Vixerit cibo contentus
Hoc, quod sine dentibus
Ab ipso sorberi parcus
Valeret et modicus.

13. Nisibus e contra votis
Iob aequandus meritis
In his omnibus adversis
Non peccavit labiis
Laudes rependens immensas,
Dum tulit adversitas.

14. O virum laudandum claro
Virtutum praeconio
Et in sanctimoniale
Liberata daemone
Et percussa tunc bacello
Sanata continuo.

15. Peste pervasam cruenta,
Vocata gutreria,
Medicatus est et neptem
Reddens eam sospitem,
Aegrotam signatam cruce
Dedit convalescere.

16. Qui cernens iam se senili
Corpore destitui,
Subiectos de successore
Volens cautos reddere
Electum nutu cunctorum
Subrogavit Erminum.

17. Rex regum iam te superna
Vocat ad palatia.
Angelorum tibi coetus
Sanctorum fit obvius;
Laetare, nam paradisus
Patet amoenissimus.

18. Salve, noster o patrone,
Salve, praesul optime,
Salve cum sanctis, Ursmare,
Salve, pastor inclite,
Salve, iam cum Christo regnans,
Salve, nostri memorans.

19. Te supplex rogat pusillus
Fusa prece grex tuus.
Inter haec ut festa clerus
Salvetur et populus,
Tuorum simul devota
Monachorum turmula.

20. Veniam poscendo nostris
Assiste piaculis,
Tua nos pastori summo
Commendet oratio
Foedatos et culpae naevo
Solvat iuterventio.

21. Xriste, sanctorum corona
Omnium splenditua,
Confessorum gloriosa
Virtus et magnifica,
Salva nos tui beata
Ursmari per merita.

22. Ymnum gestit tibi nostra
Dicere catervula
Ipsius amore ducta
Laude vel melodia.
Acceptare quem benigna
Digneris clementia.

23. Zeloti Deo decora
Laus sit et hymnidica
Et tibi, propago prima,
Patris proles unica,
Flaminique sancto summa
Assit simul gloria.

Collectan. ms. S. Vitoni Virdunensis saec. 11. Cod. Virdunen. 77. — 6, 1 Filius. — 17, 6 Latet. —

506. De sancta Ursula.

1. Virginale praeconium
Collaudet plebs fidelium
Voces et cantus omnium
Audi redemptor gentium.

2. Virgo regalis Ursula
Mundum sprevit cum vitiis,
Te sequendo per saecula,
Consors paterni luminis.

3. Haec namque regis filia
Pro te complet martyrium,
Quam rapis ad caelestia
Rex Christe, factor omnium.

4. Sequuntur ipsam virginem
Undenae mille virgines,
Pro te fundentes sanguinem,
Christe, qui lux es et dies.

5. Replentur Dei famulae
Donis aeterni spiritus,
Quas decorat mirifice
A patre unigenitus.

6. Puellarum collegia
Ducis ad caeli solium,
In quo degustant dulcia,
Iesu, corona virginum.

7. In earum memoria
Laudes extollat populus,
Collaetetur ecclesia,
Exsultet caelum laudibus.

8. O dulce mundi pretium
Per virginum suffragia
Praesta post hoc exsilium
Beata nobis gaudia.

Brev. ms. Civitatense saec. 15. Cod. Archiep. Utinen. Oct. 10. A. — Hymn. ms. Mosacense saec. 14. Cod. Archiep. Utinen. Fol. 21. B. — Psalt. et hymn. ms. Civitatense saec. 15. Cod. Civitaten. LXXIII. C. — Psalt. et hymn. ms. Civitatense saec. 14. Cod. Civitaten. LXXII. D. — Psalt. et hymn. ms. Civitatense saec. 15. Cod. Civitaten. LXIX. E. — Brev. ms. Civitatense anni 1476 Cod. Civitaten. LXXIV. (28) F. 1, 2 Laudet turba fidelium A. — 1, 3 Voces te collaudantium A. — 3, 4 Rex atque factor B. — 4, 1 Ipsam sequuntur A. — 8, 2 Per earum suffragia A. — 8, 3 Da nobis post exsilium A. — 8, 4 Aeterna Christi gaudia A.

507. De sancta Ursula.

Ad Vesperas.

1. Christus, Dei filius,
Summi patris unicus,
Alvum intrans virginis
Naevum delens hominis,

2. Agnus mitis, candidus,
Sponsus perpes virginum,
Per harum suffragia
Mundi tolle crimina.

3. Undenorum milium
Coetus sacer martyrum,
Te cum sanctis omnibus
Laudat in caelestibus.

4. En, dulci memoria
Virginum martyria
Die hac recolimus,
Qua scandunt in aethera.

5. Custos dulcis virginum,
Sponsus, rex perpetuus
Nos earum meritis
Summis donet praemiis.

Brev. ms. Romarici Montis saec. 16. Cod. Spinalien. 164 (77). A. — Hymnar. ms. Romarici Montis saec. 15. Cod. Spinalien. 194 (86). B. — 1, 4 Venum delens B; lies Noxam? — 4, 1 In dulci A.

508. De sancta Ursula.

Ad Matutinum.

1. Hymnum nunc dulcissimum
Canat chorus omnium,
Psallat cum virginibus
Omnis Deo spiritus.

2. O rex regum Domine,
Mundo sis propitius,
Piis auge meritum
Earum obtentibus.

3. Quarum iugi merito
Nobis fer auxilium,
Aegris opem, languidis
Sospitatis gaudium.

4. Iustis confer gloriam,
Peccatorum veniam,
Cunctis postulantibus
Aurem praebe placidus.

5. Da, redemptor piissime,
Quod tuo emptos sanguine
Nos virginum haec milia
Ad caeli ducant gaudia.

Brev. ms. Romarici Montis saec. 16. Cod. Spinalien. 164 (77). A. — Hymnar. ms. Romarici Montis saec. 15. Cod. Spinalien. 194 (86). B. — 1, 1 nunc fehlt A. — 2, 3 meritis A.

509. De sancta Venera.

In 1. Vesperis.

1. *Fidelium devotio*
Celebret pro martyrio
Sanctae virginis Venerae,
Quae nunc gaudet in aethere.

2. Adiutrix fit precantium
Prolem desiderantium,
Nam data est parentibus
Pro prole deprecantibus.

3. *Iesu, corona virginum,*
Qui natus es de virgine,
Semper non habens terminum,
Gloria tibi, Domine.

Collect. ms. S. Petri Vivi Senonensis anni 1293. Cod. Parisin. Nouv. acq. 311. — Aus eben dieser Quelle in: Iuillot, Gust. et Prou, Maur.: „Goffroy de Courlon, Le livre des Reliques de l'abbaye de Saint-Pierre-le-Vif de Sens." Sens 1887, p. 103. Der Hymnus ist hier irrtümlich in zwei Strophen zu 6 Zeilen abgeteilt.

510. De sancta Venera.

In Laudibus.

1. Deus, qui inter cetera
Miraculorum opera
Fragilem fortem efficis,
Mirum opus opificis,

2. Tuae virgini Venerae
Voluisti tribuere
Martyrii victoriam
Et post tormenta gloriam.

3. Iesu, corona virginum,
Qui natus es de virgine,
Semper et extra terminum
Gloria tibi, Domine.

Collect. ms. S. Petri Vivi Senonensis anni 1293. Cod. Parisin. Nouv. acq. 311 — Aus gleicher Quelle: Iuillot — Prou, l. c. Der erste Teil der Hs., „Libellus editus super reliquiis sanctorum et sanctarum quae in monasterio S. Petri Viri Senonensis continentur . . . et de fundatione dicti monasterii" hat zum Verfasser „Frater Gaufridus, dictus de Collone, huius loci monachus et sacerdos indignus" (fol. 33 b). Das nachfolgende Officium von anderer Hand.

511. De s. Venerio Eremita.

1. Deus, creator omnium,
Custos tuorum militum,
Qui beatum Venerium
Tuum fecisti famulum.

2. Per cuius sancta merita
Tria resurgunt corpora,
Quorum in maris litore
Invenerat cadavera.

3. Ibi draco quam pessimus
Inter cavernas montium
Latebat ad exitium
Christianorum omnium.

4. Per Lazarum episcopum
Preces funduntur omnium,
Ut a tali periculo
Canensem salvet populum.

5. Cuius preces exaudiens
Prope speluncam veniens:
O fera immanissima,
Linque montis cacumina.

6. Per crucifixi merita
Alta profundi penetra,
Ut a tua perfidia
Tota purgetur patria.

7. Cuius voces et carmina
Fera intendens bestia,
Frangens montis cacumina
Tenet abyssi limina.

8. Post clamores hominum
Statim relinquit Tirum,
Clam venit ad Tirelium
In alto mare positum.

9. Ibi, redemptor omnium,
Per corvum, tuum nuntium,
Carne taurorum pinguium
Pavisti tuum famulum.

10. Deinde Dei famulus
Corripitur a febribus,
Vocatur ad consortium
Beatorum spirituum.

11. Sepultus a fidelibus
Cum canticis et laudibus,
Ubi post breve spatium
Coepit manare oleum.

12. Infirmitatum genera
Omnia curans corpora,
Nunc semper et per omnia,
Per infinita saecula.

Collectan. ms. (Acta SS. ms. Sept. et Oct.) Constant. Caietani saec. 17. Cod. Alexandrin. 95. — 1, 4 Tuum fehlt. — 8, 1 sq. fehlt je eine Silbe.

512. De sancta Victoria.

1. Virgo Christi, Victoria,
Balneoregis gloria
Sisque nostra memoria
Coram Christo per omnia.

2. Huius mundi sublimia
Sprevit delectabilia,
Credens invisibilia,
Sequens Christi vestigia.

3. Relicta viro penitus
Et docta virgo caelitus
Divino nutu credimus
His immorari sedibus.

4. Est Triculana civitas,
Ubi multa sublimitas,
Populorum fertilitas
Eratque tunc utilitas.

5. Sed draco cunctis saevior,
Draconibus sublimior,
Taetro veneno nigrior,
Morabatur interior.

6. Virgo signata pariter
Signo crucis perenniter
Sibi praecepit fortiter,
Quo pergeret suaviter.

7. Voce cuius perterritus
Timens mortis interitus
Inde fugit celerius,
Nunquam visus ulterius.

8. Virginum chorus venerat,
Cum virgine qui steterat,
Quibus doctrinam dederat,
Unde pestem reiecerat.

9. O Calimere lanio,
Tuo necasti gladio
Victoriam nefario,
Caeli regnat palatio.

10. Balneoregis inclita,
Multo decore nitida,
In te sunt cara merita
Victoriae recondita.

11. Sit laus patri et filio
Spiritui mellifluo,
Qui regnat in hoc saeculo
[Et in caelis] perpetuo.

Brev. ms. Franciscano-Romanum saec. 14. in. add. saec. 14. Cod. Vatic. 10000. — 2, 2 Splevit. — 3. 1 Lies Relicto?

513. De ss. Vincentio et Anastasio.

1. Festus sacratus martyrum
Dies duorum inclitum,
Deo dicatus sanguine,
Nobis refulsit hodie.

2. Devota quorum anima
Contempsit mundi falcram
Superna petens culmina,
Trahuntur ad martyrium.

3. Hinc inde iudex saeviens
Poenam minatur asperam,
Levitam punit capite
Benignum sacri ordinis.

4. Demum tunc Vincentium
Poenis affectum validis
Flagris adusta latera
Diro retrudit carcere.

5. Nam carceralis caecitas
Splendorem lucis fulgorat,
Duplexque morsus stipitis
Ruptis cavernis dissilit.

6. Agnoscit hinc Vincentius
Adesse, quod speraverat,
Tanti laboris praemium
Christi decorem luminis.

7. Exceptus namque carcere
Ardore solis sistitur,
Aequore mersus remiges
Portum praevenit litoris.

8. Rursus dimersus latice,
Obsequens lympha patuit,
Suamque petens ut probam
Fessis devenit artubus.

9. Nec immemor praesul ordinis
Altaris sacri munera
Oblata Deo pignora
Refovit sancta dextera.

10. Sicque migrans e corpore
Caelum pervenit spiritus
Cum Christo semper florida
Regnaturus per saecula.

11. Horum sanctorum merita
Nobis implorent veniam
Ipso favente sedule,
Mortis qui solvit vincula.

Hymn. ms. Beneventan. saec. 10. ex. Cod. Ottob. 145. — 2, 4 Traantur. — 6, 1 Agnoscat. — 6, 4 Christo.

514. De sancto Vincentio.

Ad Vesperas.

1. Novis laudes praeconiis
Decantet nunc ecclesia,
In martyris victoria
Digna colens sollemnia.

2. Carnis vincens illecebras
Vincentius viriliter
Flagella cuncta corporis
Sustinuit alacriter.

3. Ignitam pyram non timet
Impositus craticula,
Quem spiritus paraclitus
Sua fovebat gratia.

4. Dacianus attonitus
Videns tam mirabilia,
Tamen maligni spiritus
Non deserit obsequia.

5. Corpus commissum Domino
Non audet quisquam tangere,
Lupum corvus repudians
Signum demonstrat gratiae.

6. Terrores nostros vincere,
Christicola, divinitus,
Qui nunc caelesti gloria
Tuus exsultat spiritus.

7. Sancte Vincenti, quaesumus,
Absolve nostra vincula,
Ut mereamur liberi
Tecum esse in gloria.

8. Sit trinitati gloria,
Honor, virtus, victoria,
Quae dat coronam martyri
In saeculorum saecula.

Hymn. ms. S. Petri Martyris Utinen. saec. 16. Cod. Civit. Utinen. s. n. — 5. 4 demonstrant. — 6. 2 Christicole.

515. De sancto Vincentio.

Ad Nocturnum.

1. Pia mater ecclesia,
Magnis attolle laudibus
Regnantem cum victoria
Victis mundi erroribus.

2. Doctrina pollens gemina
Christi miles Vincentius
Dat sancti verbi semina,
Quo pugnat sic ardentius.

3. Dirum responsis iudicem
Pius miles adgreditur,
Spei conscendens apicem,
Qua caelum iam complectitur.

4. Pro fide stat intrepidus
Multa passus ludibria,
Pro qua sic ardens fervidus
Carbonum fert succendia.

5. Crate distentus ferrea
Tyrannum risit impium,
Foris labuntur viscera,
Nec tamen fert dispendium.

6. Praesta, beata trinitas,
Ut eius precaminibus
Nobis detur amoenitas
Cum supernis agminibus.

Hymn. ms. S. Petri Martyris Utinen. saec. 16. Cod. Civit. Utinen. s. n. — 1. 4 Vincis. — 5. 2 Tyrannum passit. — 6. 2 Ut ficaminibus.

516. De sancto Vincentio.

Ad Laudes.

1. Athleta stat immobilis
Torquentis ridens furiam,
Nec mens terretur nobilis
Ad caeli spirans curiam.

2. Cuncta vincens supplicia,
Armis praecinctus bellicis,
Transcendit ad felicia
Cum canticis angelicis.

3. Exutus derelinquitur
Devorandus a bestiis,
Sed ab illis defenditur
Custodiis angelicis.

4. Tyrannus hunc in flumina
Sanctum demergi praecipit,
Sed mare recto tramite
Corpus ad litus proicit.

5. Fideles ossa colligunt
Magno referti gaudio,
Cum honore sepeliunt
Ingenti cum tripudio.

6. Praesta, beata trinitas,
Ut eius precaminibus
Nobis detur amoenitas
Cum superis agminibus.

Hymn. ms. S. Petri Mart. Utinen. saec. 16. Cod. Civit. Utinen. s. n. — 1, 3 Nec omnes teratur nobilis. — 4, 2 demergit. — 5, 1 ostra colligunt. — 6, 2 wie oben.

517. De sancto Vincentio.

1. Levitae iam Vincentii
Martyrisque laudabilis
Instat triumphus nobilis,
Dignis colamus mentibus.

2. Hunc Dacianus perfidus
Aggressus est agonibus,
Sed proeliator inclitus
Bellans vicit viriliter.

3. Flagella nam saevissima,
Eculei suspendia,
Adustiones ignium,
Tempsit pro Christi gloria.

4. Quem miles imperterritus
Ut promptus in certamina
Inter manus carnificum
Suum clamabat Dominum.

5. Ast hinc caterva ethnica,
Diris succensa furiis,
Omne genus supplicii
Concessit in Vincentium.

6. Stupet tyrannus fervidus,
Quod non valebat vincere,
Iubet cadaver lacerum
Feris iactari trucibus.

7. Nempe corax excubias
Impendens adest ilico,
Quo aves arcet ceteras
Ab eius sancto corpore.

8. Nec non inter aequorea
Mirabilis enituit,
Unde inlaesus exiit
Divino quippe remige.

9. Vincenti, martyr optime,
Ora pro nobis iugiter,
Ut laudes dignos Domino
Reddamus omni tempore.

Hymn. ms. Beneventan. saec. 10. ex. Cod. Vatic. Ottob. 145. — 1, 1 Levita vir Vincentii. — 6, 3 cadaber. — 7, 2 Impendes. — 7, 3 Quo auf miris (darüber re) ceteras. — 8, 2 Mirabilem.

518. De ss. Vincentio, Sabina et Christeta.

Ad Vesp. et Laud.

1. O lux et decus Abulae,
Vincenti cum sororibus,
Qui Daciano praeside
Pro Christi fide passus es.

2. En, Lusitanus iuvenis,
Qui decoravit Eboram,
Vita illustravit Abulam
In morte cum sororibus.

3. Sed is, qui victor obiit
Crudelem mortem patiens,
Fortes sorores habuit
Victoriae participes.

4. Cineres, ossa et sanguinem
Abula felix obtinet,
Ob quorum patrocinium
Feliciter transibimus.

5. Spernentes mundi gaudia
Tormentaque supplicium
Adepti sunt caelestia
Caeleste natalitium.

6. Sequamur ergo semitas
Eorum, qui in vestigium
Alacriter supplicia
Necemque iam perpessi sunt.

7. Sit patri, nato, flamini
Decus, honor et gloria,
Commendent semper numini
Sanctorum nos suffragia.

Propr. ms. Abulense saec. 17. Cod. Vatican. 6305.

519. De sancto Vito.

1. Canamus omnes nobilem
Viti triumphum martyris,
Tonantis et pro gloria
Eius sonent ad horrea.

2. Contempsit aras daemonum
Libare sacrificium
Mundique vana respuens
Christum fatetur firmiter.

3. Ilax pater exhortatur
Vitum Christum relinquere,
Iubet tyrannus adduci
Eundem ante tribunal

4. Tormenta dira perpessus
Torquentis manus siccatur,
Illico sanus revenit,
Vito saluti redditur.

5. Dehinc nefandi principis
Curavit a daemonico
Diu vexatum spiritu
Diocletiani natum.

6. Reclusus item carceri
In ollamque [im]mittitur
Ferventem, hic nil laeditur
Hymnum canens altissimo.

7. Leoni datur vorandus,
Sed hic sibi mansuescit
Pedes lingendo omnibus,
Ex hoc tyrannus vexatur.

8. Super catasta ponitur,
Cruentatur atrociter,
Exorans sanctus Dominum
Templa deorum corruunt.

9. Gloria tibi, Domine.

Brev. ms. Ambrosianum saec. 15. Cod. Borgian. M. II. 20. — 1. 4 sonent atorea. — 4. 4 Vite. — 6. 4 altissimum.

520. De s. Wilhelmo Bituricensi.

Ad Completorium.

1. *Enixa est puerpera*
Supernum regem gloriae,
Qui praemiorum munera
Guillermo dedit hodie.

2. *Foeno* iacens humanitus
Vana quaeque sunt mutui
Sprevit Guillermus penitus
Carnem subdens spiritui.

3. *Gaudet chorus caelestium,*
Nam de sede Biturica
Transfertur hic in gaudium
Stella magorum indice.

4. *Memento,* praesul inclite,
Qui noster pastor diceris,
Quod spreto mundi tramite
Monachi formam sumpseris.

5. *Gloria tibi, Domine,*
Guillermi data laudibus
Praesenti detur agmine
Cordis votis et vocibus.

Brev. ms. Cistercien. Gallic. saec. 13. Cod. Aaraugien. W 7. — Cfr. Roman. Forsch. IV, 489.

521. De s. Wilhelmo Bituricensi.

Ad Tertiam.

1. *A solis ortus cardine*
Caelestis aula resonet
Novo cantusque carmine
Guillermo laudes intonet.

2. *Beatus* iste meritis
Victor redit ad bravium,
Mundi victis illicitis
Regni sumpturus bravium.

3. *Castae* mentis ab intimo
Curam gerens de ovibus,
Vota reddit altissimo
Iunctus eius amplexibus.

4. *Domus pudici pectoris,*
Sancto repleta flamine,
Fundo figitur marmoris,
Ne laedatur a turbine.

5. *Gloria tibi, Domine,*
Primatis huius merito
Laudis detur cum carmine
Mentis affectu debito.

Brev. ms. Cistercien. Gallic. saec. 13. Cod. Aaraugien. W. 7. — Vgl. Roman. Forschungen IV, 489 sq.

522. De s. Wilhelmo Vercellensi.

In 1. Vesperis.

1. Pax aeternalis, unica gignentis
Lux filialis, amor procedentis,
Omnium rerum trinum unum verum
Numen aeternum!

2. Ad te clamamus, opem flagitamus,
Pangere digna, pietas benigna,
Nobis adesto praesens in hoc festo,
Lucis origo.

3. Quo Guilelmus cursum definivit,
Aethera scandit, moriendo vivit,
Regnat in caelis semper ipse felix
Omnibus sanctis.

4. Flamine sacro penitus adflatus
Terrea sprevit, decus et primatus,
Luce serena rutilat amoena
Sobrietate.

5. Ursum in fonte monitis deiecit,
Marmor ab imis bobus ferri fecit,
Quod trahi trinis paribus bis binis
Loco nequibat.

6. Monte Laceni Dominum conspexit,
Ipso tenore, quo in cruce vixit,
Sui honoris domum salvatoris
Facere iussit.

7. Nocte candela domum visitavit,
Prece mariti coniugem curavit,
Muro defixam, quam tulerat ipsa,
Mane viderunt.

8. Hortulo lupi ipsum fugaverunt,
Anachoritae prorsus paruerunt,
Natam curavit, pater ut optavit,
Morbo lunari.

9. Illo, qui caput iaculo percussit,
Larvam obscenam procul ire iussit,
Phalma divinum fecit atque vinum
Hic Guilelmus.

10. Caelo ditatus umerum curavit,
Manum et latus, opus erogavit,
Aegrae puellae subvenire velle
Somnis ostendit.

11. Prunis extensis stratum praeparavit,
Igne succensis Ganeam vocavit,
Ut secum staret pati, quod amaret,
Ipse rogavit.

12. Caeli[ci] cives nocte adhaeserunt,
Famina sacra plurima tulerunt,
Roget ut ipse Dominum obnixe,
Petimus omnes.

13. Summo sit laus, gloria parenti,
Genito semper sit et procedenti,
Numini trino, unico divino,
Nunc et in aevum.

Cod. Alexandrin. 93 (III) saec. 17. — 3, 3 oriendo. — 6, 2 quem in.

523. De s. Wilhelmo Vercellensi.

Ad Nocturnum.

1. Deus sanctorum, vita, lux tuorum,
Trinitas sancta, unitas immensa,
In confessoris laudibus benignus
Semper adesto.

2. Hic mundum spernens et superna quaerens,
Mortuus mundo vivens et in Christo,
Caelicum semper opus agit pie
Munere dignum.

3. Hoc vitae salum taliter transivit,
Quod vitiorum fluctu non est mersus,
Immo beatae sanctus portum vitae
Contigit almus.

4. Miraculorum coruscavit luce,
Quae nos canentes Deo iubilamus,
Qui sanctos pios refulgere miro
Praestitit actu.

5. Contio tota mira gesta canat,
Quae fecit sanctus pius et confessor,
Anachorita, vir Israelita,
Florida palma.

6. Quidam dum fractum brachium haberet.
Aliquod opus facere nequiret,
Sanum confessor Christi Guilelmus
Reddidit illud.

7. Antra dum montis coleret Laceni.
Videre Christum meruit beatus,
Ibique iussa sibi sic implevit
Prorsus ab illo.

8. Ipsius iussis templum praesens struxit,
De salvatoris nomine vocatum,
Virginum sponte ubi copulatur
Turma sacrata.

9. Sit trinitati decus et potestas.
Honor et virtus manenti beata
Per infinita laus sit saeculorum
Saecula. Amen.

Cod. Alexandrin. 93. (III saec. 17. — 3, 2 fluctus. — 8, 4 Virgo sacrata.

524. De s. Wilhelmo Vercellensi.

Ad Laudes.

1. Hac festa die sancti confessoris
Deus laudetur, cuius in conspectu
Exsultant iusti iugiterque canunt
Cantica laudum.

2. In quo laetatur sanctus Gulielmus,
Clarus confessor, qui per nomen eius
Ursum turbantem saepe sibi fontem
Voce fugavit.

3. Aquam convertit pariter in vinum.
Eius ad vocem daemon et fugatur.
Et tres curavit clinicos insignis
Ipse potenter.

4. Ipse de luna morbum nuncupatum
Mire curavit, dum puellam sanam
Reddidit inde, fecit et per Christum
Multa beatus.

5. Eius ad vocem est exstinctus ignis
Minans iacturam, ardor magnus suae
Fidei vicit flammas ignis huius
Et vitiorum.

6. Deo dicata fecit loca multa,
In quibus panis Christus immolatur,
Et peccatorum venia donatur
Fonte renatis.

7. Precibus, Christe, tui confessoris
A nobis cladem pelle et languorem,
Meritis eius semper adiuvemur
Hic et ubique.

8. Ergo nos sanctum rogitemus omnes,
Impetret pius nobis ut a Christo
Pacem et salvos hostibus a cunctis
Animos esse.

9. Deum laudemus trinum nunc et unum,
Cum patre natum, pneuma simul sanctum;
His tribus unus honor sit et virtus
Omne per aevum.

Cod. Alexandrin. 93 (III) saec. 17. — 2, 3 tibi. — 8, 3 et suos hostibus

525. De s. Wilhelmo Vercellensi.

In 2. Vesperis.

1. Regis immensi gratiam devote
In confessoris laudibus manentes
Nos invocemus, ipse nostra Deus
Augeat vota.

2. Huius beati Guilelmi vita
Exstitit sequi teneris ab annis
Sacra mandata Iesu Christi semper
Mente devota.

3. Inde sanctorum gratia repletus
. . . . . .
Gressibus nudis felix visitabat
Limina sacra.

4. Eius ad preces piae quidem vitae
Ferreis faber circulis gratanter
Est circumplexus quosdam artus sui
Corporis almi.

5. Plebs tua, Christe, huius confessoris
Precibus almis sorde liberentur.
Et mereamur secum puro corde
Scandere celsa.

6. Sit Deo patri natoque potestas,
Virtus et decus spiritui sancto
Per infinita saeculorum saecla
. . . Amen.

Cod. Alexandrin. 93 (III) saec. 17.

526. De sancto Winnoco.

Ad Vesperas.

1. Vox clara Christo concrepat
Melos atque praeconia,
Winnocum qui glorificat
Aeterna caeli gloria.

2. Virtute virens nituit
Ex parentela nobili,
Per quae intrare meruit
Ad cenam agni providi.

3. In aetate iam florida
Sponsam, bona, imperium,
Pro te contempsit omnia,
Iesu, corona virginum.

4. Nudus relinquens saeculum
In Sithin monasterio
Receptus est in monachum
Magno salutis gaudio.

5. Sit trinitati gloria
Cum triumpho victoriae,
Cui cum caeli curia
Hymnum canamus gloriae.

Vita ms. SS. Winnoci et Osualdi saec. 12ta. Cod. Bergen. s. n. — Nach dem Apographum in Cod. Audomaren. 479 publiziert von Alex. Pruvost, Chronique et Cartulaire de l'abbaye de Bergues-Saint-Winoc. Bruges 1875. I. p. XXI.

527. De sancto Winnoco.

Ad Laudes.

1. Novus tiro tunc graditur
Virtute in virtutibus,
Wormhoudt sibi traditur,
Exsultat caelum laudibus.

2. Orat sanctus, mola currit,
Dat lumen delectabile
Caeco, dum huic apposuit
Signum crucis mirabile.

3. Coruscans signis claruit,
In orbe eius sanctitas,
Quam a te semper habuit,
O lux, beata trinitas.

4. Winnoce, ora Dominum,
Ut tua iam per merita
Det nunc et in perpetuum
Beata nobis gaudia.

5. Sit trinitati gloria.

Vita ms. SS. Winnoci et Oswaldi saec. $^{12}/_{13}$. Cod. Bergen. s. n. auf dem gleichen Umwege wie der vorhergehende Hymnus.

528. De sancto Wulfranno.

1. Festivitas est annua
Ecclesiae gratissima,
Wulfrannus hac die sacra
Evectus est in gloria.

2. Natalibus spectabilis
Et moribus laudabilis,
Aetatis in primordio
Devotus exstitit Deo.

3. Bonis placebat omnibus
Pro sanctitatis actibus,
Desiderans caelestia,
Non diligens terrestria.

4. Non pigritatur discere,
Quod post valeret dicere
Ad corrigendum devios
Et ad docendum nescios.

5. Ad altiora protinus
Erectus est divinitus,
Mox universis utilis,
Miraculis mirabilis.

6. Rogamus, o pastor pie,
Istum gregem tu protege,
Ut pacis in dulcedine
Laetemur omni tempore.

7. Per universa saecula
Deo patri sit gloria
Eiusque soli filio
Cum spiritu paraclito.

Chron. ms. Fontanellense saec. 9. Cod. Portus Gratiae 332. add. saec $^{14}/_{15}$.

529. De sancto Wulfranno.

1. Virtute sancti spiritus
Confessor iste praeditus
Episcopatus culmine
Ditatus est dignissimine.

2. Favore vulgi sobrio
Clerique voto congruo
Electus est concorditer,
Sacratus est feliciter.

3. Sed ut valeret pluribus,
Est visione cogitus
Ad praedicandum pergere
Incredulos convertere.

4. Gens Fresionum barbara
Suscepit eius dogmata
Ritus profanus deserens
Et christianos eligens.

5. Corroboratis omnibus
Ad Fontinellam vertitur,
Illic quiescit mortuus,
Sed vivit in caelestibus.

6. Eius sacris virtutibus
Adplaudit omnis credulus,
Ut ipsius suffragiis
Caeli fruamur gaudiis.

7. Per universa saecula etc.

Chron. ms. Fontanellense saec. 9. Cod. Portus Gratiae 332. add. saec. 14 15.

Nachträge und Berichtigungen.

S. 26. Der Prozessionshymnus Haec est clara dies findet sich auch in: Grad. Nivernense saec. 11. Cod. Parisin. 9449, auf Ostern; er folgt hier, jedoch als gesondertes Ganzes, auf den Hymnus Salve festa dies und lautet:

Haec est clara dies, clararum clara dierum,
Haec est sancta dies, sanctarum sancta dierum,
Nobile nobilius rutilans diadema dierum.
Ecce, toto dies rutilat festivior anno,
Qua Deus omnipotens superata morte resurgens
Traxit ab infernis captorum mille catervas.

S. 50. Nr. 76, Str. 1, 1 lies Effundat statt Effundet.

S. 187. Nr. 320, Str. 1, 2 lies baptistaque princeps statt baptista, que princeps.

S. 209. Nr. 351 steht auch in Brev. S. Mariae Erphordien. imp. Nurembergae 1497. — Lesarten: 2, 3 oblivione. — 2, 4 Erunt unquam. — 4, 1 navigent. — 5, 1 dant panem. — 6, 4 aeternum reperire subsidium. — 7, 4 Et fehlt.

S. 211. Nr. 354, Str. 1, 4 lies Fraglans statt Flagrans.

S. 225. Nr. 376, Str. 1, 4 lies Deus decorum statt deorum.

Inhaltsübersicht.

	Seite
Abiecto carnis nubilo	124
Adcelebranda dies Mariae	238
Adest dies laetitiae	128
Adest triumphus nobilis	169
Adest triumphus nobilis	290
Ad Germani sollemnia	162
Ad honorem salvatoris	298
Ad laudem sancti praesulis	130
Ad laudem tui nominis	79
Ad laudes regis inclyti	183
Ad pedes Christi residens	240
Adplaudat ora Gallica	125
Adplaudat plebs fidelium	135
Aeterna caeli gloria	19
Aeterna Christi munera	93
Aeternae regi gloriae	126
Aeternae rex potentiae	11
Aeterna sapientia	29
Aeterni patris unicum	22
Aeterni regis maximus	179
Alleluia dulce carmen	20
Alma mater ecclesia	193
Alma mater ecclesia	131
Alme confessor supplices	81
Alme pater clericorum	260
Almi Bernardi canimus	97
Almum diem recolimus	82
Ambrosius vir fidelis	73
Anachoritae colimus	132
Angelicae militiae	257
Anna matrona maxima	76
Anna regum progenies	77
Annuntiatur caelitus	42
Ansgari pater optime	79

	Seite
Antiochiae Babylas	87
Apostoli sollemnia	94
Apostolorum in ordine	247
Arbor alta lux beata	2
Arbor est altae gloriae	70
Archangelorum principi	250
Armoniae fidibus Domino	115
A solis ortus cardine	303
Ascendat ad te Domine	162
Assunt festa celebria	169
Assunt festa inbilaea	158
Assunt Goerici	163
Assunt Hyacinthina	176
Athleta Christi Columba	113
Athletae Christi Migdii	125
Athleta stat immobilis	307
Audi praesul Marciane	228
Augustine lux doctorum	85
Aurea lux mundi	266
Aurea spes patriae	38
Aurora clara rutilat	229
Aurorae fulgur radiat	120
Aurora fulgens radiat	49
Aurora lucis rutilans	89
Aurora lucis rutilat	106
Aurora surgit aurea	260
Aurora surgit aurea	254
Ave casta Christi sponsa	209
Ave colenda trinitas	13
Ave crux lignum nobile	22
Ave Dominice	118
Ave electa Deo	57
Ave gemma claritatis	211
Ave gloriose	101

	Seite
Ave pater pastor noster	79
Ave praesul Suellensis	156
Ave Romarice	282
Ave gloriosior	23
Baptista Christi inclite	184
Barbarae festum celebremus	88
Barbaram diri celebrent	90
Beata nobis gaudia	87
Benedicite Dominum	222
Benedicto quod psallemus	96
Bethlehem tellus emicat	183
Botuidi laudes colere	104
Caeli perornat gaudia	100
Caeli regem collaudemus	180
Canamus omnes nobilem	308
Canimus laudum pia	233
Cantet chorus fidelium	212
Castis referre mentibus	225
Catervus vir egregius	107
Chorus Dei fidelium	271
Chorus novae Ierusalem	281
Chorus sonoris vocibus	55
Christe cunctorum sator	276
Christe decus honor virtus	140
Christe mirabiliter	33
Christe salvator omnium	249
Christe verbum patris	150
Christiana religio	289
Christi fidelis nuntius	178
Christi gementis imbribus	57
Christi miles magnificus	170
Christus Dei filius	302
Christus vere noster cibus	32
Clara sanctorum merita	172
Colant cuncti clero iuncti	182
Collaetetur ecclesia	199
Columbae nunc simplicitas	113
Conceptus almae virginis	42
Concinat plebs fidelium	159
Conditor alme siderum	139
Condolentes maeroribus	52
Congratulemur Domino	251
Continet hymnidicus	9
Creator omnium Deus	88
Crebris pollet Polonia	166
Creteus Titus regia	296
Criscentini militia	114
Crucis instant sollemnia	26
Cum patribus et angelis	196
Cum protoplasti germina	92
Cunctarum rerum Domino	284
Cunctorum plasmator	127
Decus futurum gloriae	99
Deus bonorum praemium	250
Deus creator omnium	303
Deus creator omnium	15
Deus qui inter cetera	303
Deus qui quosvis eligis	235
Deus sanctorum vita	311
Diem festum celebrantes	175
Dies datur quae lustratur	221
Dies sollennis agitur	231
Dies sollennis agitur	100
Dies sollennis promicat	171
Dignus summo in laudibus	116
Dilectus hic pollet tuus	96
Discipulorum numerus	295
Divina generatio	197
Dona caelestis patriae	212
Dorotheae collaudemus	122
Ducalis sedes inclita	39
Dum patrum exspectatio	48
Effundat nobis domina	50
Electa Christi famula	238
Electa Dei famula	167
Elisabeth praeconia	124
En dies splendet	152
Enixa est puerpera	309
En nobis species	155
En orta stella Xantones	137
En pullulat ecclesia	291
Eremitarum speculum	133
Eskilli pro victoria	130
Eustachii collaudemus	135
Evurtii sollemnia	138
Exaltemus exaltatum	83
Exaltetur istud festum	288
Exaudi nos rex unice	14
Excelsae laudis cantica	82
Exemplum paenitentiae	240

	Seite
Exorta prole nobili	202
Exsulta plebs catholica	89
Exsulta Sion filia	170
Exsultemus et laetemur	298
Exsultent agmina	71
Exsultet aula caelica	242
Exsultet caeli curia	105
Exsultet caelum laudibus	262
Exsultet caelum laudibus	180
Exsultet caelum laudibus	115
Exsultet caelum laudibus	93
Exsultet iam fidelium	123
Exsultet mentis iubilo	293
Exsultet plebs fidelium	78
Exsultet plebs fidelium	151
Exsultet plebs fidelium	112
Exsultet plebs in canticis	116
Exsultet vox ecclesiae	230
Extingue martyr grandia	219
Felicis alma gloriae	210
Felix parens Westgotia	168
Festivitas est annua	315
Festum Mariae veneremur	239
Festus Dei fidelibus	106
Festus sacratus martyrum	305
Fidelis vitam martyris	107
Fidelium devotio	303
Figurarum iam detectum	44
Fili Mariae virginis	61
Fit paradisi ianua	96
Fletus moratur vesperi	58
Flexo genu zelo pio	56
Flos cleri norma praesulum	86
Fornacem angues superat	111
Fortunata amabilis	144
Fortunata florens gratia	146
Fulgenti martyr inclite	147
Fulgent magna sacrae festa	43
Fulget celebris dies	268
Gaudeat caeli triumphator	184
Gaude caelestis civitas	104
Gaude caelestis regis	257
Gaude coetus fidelium	171
Gaude decus Ostgothiae	216
Gaude devota Suecia	115
Gaude fidelis contio	69
Gaude felix Brundusium	270
Gaude felix Polonia	165
Gaude felix Potentia	160
Gaude frater qui minorum	103
Gaude mater Anna	178
Gaude mater ecclesia	116
Gaude mater ecclesia	179
Gaude mater ecclesia	182
Gaude mater ecclesia	40
Gaudens omnis fidelium	234
Gaude regis sponsa	258
Gaude sponsa Dei mater	280
Gaudet chorus caelestium	289
Gaudio summo virgines	231
Generans lucis filios	290
Georgii militia	156
Germanus praesul inclitus	161
Germinantes ut lilium	207
Glorietur Armenia	255
Gloriosa mater Dei	51
Grates reddamus Domino	232
Gratulare ecclesia	283
Gratulare iucundare	253
Gratulemur concinentes	265
Gratuletur ecclesia Laudans	137
Gratuletur ecclesia Nova	66
Gratuletur hac in die	91
Hac festa die sancti	312
Haec est clara dies	26
Haec est dies quam Dominus	104
Heremitarum speculum	133
Hunc de profundo	201
Hymnorum Domino	173
Hymnum Christo laetitiae	84
Hymnum Deo modulatur	44
Hymnum novae laetitiae	129
Hymnum novum concinite	172
Hymnum nunc dulcissimum	302
Hymnus te decet Domine	126
Iacobe Christi famule	182
Iam adest dies celebris	267
Iam dies adest celebris	130
Iam lucis orto sidere In	102
Iam lucis orto sidere Patrem	263

	Seite
Iam Maure summis coetibus	251
Iam sidus caeli radiat	150
Iesu corona virginum	158
Iesu fili Dei	19
Iesu iuste misericors	67
Iesu lux vera rutilat	149
Iesu nostra redemptio	262
Iesu pax nostra	274
Iesu salvator saeculi	140
Iesu sanctorum praemium	151
Ignitus sancto flamine	286
In aula iam aetherea	86
In caelesti rosario	167
In caelestis aerario	148
Incircumscriptae gloria	11
Inclitus pastor populique	68
In hoc lacynthi iubilo	177
In laude regis omnium	163
In matutinis laudibus	221
In praeclara Genovefae	154
Inter caelicolas aetheris	151
Inter claras margaritas	282
Inter coronas martyrum	283
Inter excelsos niveosque	249
Inter triumphos nobiles	95
In titulos Reparata tuos	278
In triumphanti gloria	108
Iohanna Orbito gloriae	113
Iohannes ad caelestia	198
Iohannes virgo dilecte	193
Iste confessor nobis	284
Iuliani nunc martyris	206
Iussu praelati presbyter	85
Iussu tyranni Tertii	110
Iuste Deus iudex fortis	16
Kyneburgam laude plenam	217
Laetetur vallis nobilis	81
Laetetur urbs sollemniis	254
Largitor indulgentiae	21
Latus patens latus fluens	21
Lauda Deum plebs fidelis	103
Lauda mater gratiosum	291
Laudemus Christum Dominum	199
Laudemus cum laetitia	166
Laudemus dignos laudibus	117
Laudemus omnes seduli	271
Laudemus regem gloriae	25
Laudes ad laudes iungite	77
Laudes ad laudes iungite	25
Laudes ad laudes iungite	129
Laudes atque praeconia	286
Laudes conditori nostro	84
Laudes cuncti concinite	288
Laudes de sancto Blasio	101
Laudes dicamus Domino	10
Laudes ecclesia canit	209
Laudes eximias dignaque	120
Laudet chorus fidelium	252
Laudetur Dei filius	59
Laudetur sancta trinitas	20
Laudibus celsis veneremur	178
Laudibus diem veneremur	228
Legenti Tito dogmata	295
Leo papa Romanorum	220
Levitae iam Vincentii	307
Lucem reddit absconditam	177
Lux de luce prodit orta	79
Lux ecce lustrat aurea	221
Lux ecce surgit aurea Diesque	270
Lux ecce surgit aurea Dies	267
Lux ecce surgit fulgida	243
Magnae dies laetitiae	293
Magne pater doctor orbis	174
Magnificetur artifex	74
Magno Catervi gaudio	103
Magnum salutis gaudium	236
Magnum salutis gaudium	237
Mare frons ostium	143
Margaretae collaudemus	232
Mariae vox ut sonuit	47
Maria mater Domini	45
Maria virgo virginum	56
Marina virgo Domino	241
Marthae Mariae fletibus	240
Martinus meritis compar	244
Martyr Christi sublevatur	264
Martyrium Bertivini	99
Mediolani civitas	91
Mediolanum laudibus	73
Memento nostri iugiter	146
Mentes iuvet fidelium	51

	Seite
Mentis exsultent organa	84
Meritis celsam praemio	248
Mira dum vixit miranda	273
Mirum Dei praeconium	121
Multaque mira hinc fidei	201
Mundi redemptor Domine	37
Mundi salus adfutura	45
Nate summe rex utero	61
Natus in summis Marcellinus	226
Nobis ascendat propere	173
Nocte silenti conditor	213
Noctis aeternae tenebris	227
Noctis iam cedat otium	106
Nocturnis in vigiliis	253
Noster chorus hymnum canat	208
Novis laudes praeconiis	306
Novus tiro tunc graditur	315
Nube subducta sceleris	205
Nunc Antonini martyris	80
Nunc Mariae Magdalenae	239
Nunc noster hymnum concinat	223
O benedicta trinitas	13
O Christe proles virginis	60
O Christe sponse virginum	89
O decus Alexandriae	214
O decus patrum baptistaque	187
O decus sanctimoniae	133
O gemma nitens rosei	190
O gloriosa domina Hirsutos	59
O gloriosa domina Trans.	55
O gloriosa trinitas	14
O gloriose pontifex	275
O gratia quam maxima	194
O imperatrix regia	59
O lacrimosa domina	54
O lux et decus Abulae	308
O Michael eximie	257
Omnipotenti Domino	15
O pontifex sanctissime	285
Optata dies advenit	220
O quam dignis celebrandus	297
O quam felix coniugium	78
O quam laeta dies	141
O quam mira Iesu fuit	265
O quis videret animam	58
Oratione sedula	72
Orationis lumine	202
Ortum vitam et exitum	294
O salutaris hostia	33
O sancta Bertha inclita	98
O sator omniparens	17
O trinitas laudabilis	12
O venerande amice Dei	261
Pacis cultor hostis ultor	160
Palma canentes martyris	136
Pangamus nunc carissimi	114
Pangamus o carissimi	279
Pangat sanctorum merita	246
Pange lingua festum nardus	97
Pange lingua gloriosae Ulphiae	297
Pange lingua gloriosae Virginis	54
Pange lingua gloriosi Conceptus	40
Pange lingua gloriosi Dogmatis	294
Pange lingua gloriosi Evurtii	139
Pange lingua gloriosi Proelium	219
Pangere cantica laetitiae	136
Patris aeterni genitum	138
Pax aeternalis unica	310
Perge iam pater visiturus	191
Per terram Israel tonat	42
Pia mater ecclesia	306
Pias homo da lacrimas	21
Plaudat chorus angelorum	148
Plaudat nunc sacra suboles	186
Plaude mater ecclesia	158
Plaude nunc Sora	280
Ploratus heu largiter	195
Pondere ferri gravius	110
Postquam transgressus Domini	37
Post temporum curriculum	275
Praeclara Dei gaudia	243
Praeclara dies Domini	72
Praeconium dulcissimum	46
Praecurris tu ad tumulum	195
Praelati sancti ordinis	207
Praesens dies expendatur	41
Proles Francisci germinat	245
Proles matris ecclesiae	241
Psallat Christi ecclesia	181
Quae portulisti vincula	111
Quas seminavit lacrimas	69

	Seite
Quem credimus ex virgine . .	60
Qui cum triumpho gloriae . .	26
Recordare Domine	38
Regem laudemus supernum .	208
Regina terrae gentium . . .	60
Regis immensi gratiam . . .	313
Regna poli ianuas populus . .	256
Rerum creator omnium . . .	66
Resurgens Dei filius	241
Reversus ab exsilio	197
Rex salvator alme	65
Rogatus Deus rumpere . . .	52
Romanis olim sedibus . . .	252
Sacra dies infunditur	198
Salve festa dies felix octava .	28
Salve f. d. qua Christus . . .	27
Salve f d. qua Christus . . .	31
Salve f. d. quam	31
Salve f. d. toto ... Qua Christi	34
Salve f. d. toto ... Qua datus	277
Salve f. d. toto ... Qua Deus	18
Salve f. d. toto ... Qua Deus	18
Salve f. d. toto ... Qua Deus	29
Salve f. d. toto ... Qua fert .	266
Salve f. d. toto ... Qua Jesus	18
Salve f. d. toto ... Qua Kyneburga	217
Salve f. d. toto ... Qua Kyneburga	218
Salve f. d. toto ... Qua nova	33
Salve f. d. toto ... Qua nova	30
Salve f. d. toto ... Qua pater	174
Salve f. d. toto ... Qua pia .	24
Salve f. d. toto ... Qua pugil	157
Salve f. d. toto ... Qua sacer	30
Salve martyr egregia	249
Salve parens Anna	75
Salve sancta dies celebri . .	123
Salve sancta parens	58
Salvatorem collaudemus . . .	269
Sancte Deus altissime . . .	67
Sancte Paule apostole . . .	268
Sanctificetur dies ista . . .	35
Sancti Martini praesulis . . .	244
Sanctorum meritis inclita . .	161
Sanctorum nobis meritis . . .	277
Sator princepsque temporum .	14
Scandat polorum sidera . . .	296
Secus Christum dum ad istum	292
Senericus hic advena . . .	284
Si confessoris tanti	272
Sigfridi archipraesulis . . .	285
Sint salutati caput et . . .	61
Sol de stella purissima . . .	50
Sollenne tempus imminet . .	259
Solvimus magno superoque . .	203
Spes famulorum Christe . . .	235
Splendido sacra gratulans . .	164
Sponsa caelestis generosa . .	216
Suam cognovit uxorem . . .	272
Sublimem tui gloriam . . .	194
Sub medio silentio	48
Sume Nicola sacer	261
Summae sedis antistitis . . .	164
Summe redemptor omnium . .	233
Summi praecepta Domini . .	131
Supernae lucis claritas . . .	149
Surge et in aeternum	16
Tardi quidam ad credendum .	263
Te Christe nostra cantica . .	98
Te decet laus Domine . . .	10
Te decet laus te decet . . .	10
Te Deus una trinitas	11
Te Iuliane canimus	204
Tener ligni vermiculus . . .	115
Te trinitatis gloriam	12
Theodosii filia	229
Throno sedente principe . . .	287
Torrida lampas adapta . . .	279
Trine Deus atque une . . .	141
Triumphali memoria	207
Tropaea palmae nobilis . . .	94
Tu Christe nostrum gaudium .	259
Tunc poni te in foveam . . .	147
Tu parens nato debita . . .	105
Unum Israel de fontibus . .	75
Urbs Realina gaudeat . . .	112
Ut collaudare gentes	200
Ut Deus sit propitius . . .	168
Ut tuis dignas meritis . . .	204
Veni creator spiritus	211

	Seite		Seite
Verbum a patre prodiens . .	46	Virgo prudentum comitata . .	215
Victrix fides quam non . . .	246	Virtus patens prodigiis . . .	148
Vidit puer Ansgarius	80	Virtute sancti spiritus . . .	316
Virginale praeconium . . .	301	Virtutum Dominus regum . .	166
Virginis proli facie	109	Voces attollat populus . . .	278
Virginis sacrae Fortunatae . .	145	Voce te sanctum Dominum . .	224
Virginum Christo celebrare .	134	Vocibus caelum resonat . . .	175
Virgo Christi Victoria . . .	304	Vox clara Christo concrepat .	314
Virgo dilecti nova	214	Vox pura laudat exitum . . .	178

Piersche Hofbuchdruckerei Stephan Geibel & Co. in Altenburg

ANALECTA HYMNICA

MEDII AEVI.

Herausgegeben

von

Clemens Blume und **Guido M. Dreves.**

XLIV.

SEQUENTIAE INEDITAE.

Liturgische Prosen

des

Mittelalters.

Neunte Folge.

Leipzig.
O. R. Reisland.
1904.

SEQUENTIAE INEDITAE.

Liturgische Prosen

des

Mittelalters

aus

Handschriften und Frühdrucken.

Neunte Folge

herausgegeben

von

Clemens Blume
S. J.

Leipzig.
O. R. Reisland.
1904.

VORWORT.

Wie der vorige Band die Publikation der Hymnen, so führt der vorliegende diejenige der Sequenzen zum Abschluſs. Eine kleine Bereicherung werden dieselben noch durch jene Bände erfahren, worin die Dichtungen bekannter Autoren gesammelt sind. Es soll nun keineswegs behauptet werden, daſs jetzt alle Sequenzen, sofern dieselben nicht durch Elementarkräfte oder durch Ungeschick und Miſsverstand der Menschen vernichtet wurden, aus dem Dunkel der Bibliotheken ans Licht gebracht sind. Aber jenes Ziel dürfte erreicht sein, daſs nach sorgfältiger und wiederholter Durchforschung der verschiedensten Bibliothekschätze keine derartige Bereicherung des nun bekannt gewordenen Sequenzenbestandes mehr möglich ist, wonach das geschichtliche Bild von der Entstehung, Entwicklung und Verbreitung der Sequenzen erheblich anders zu gestalten wäre. Was etwa von unedierten Sequenzen uns noch in den Weg kommen wird, kann füglich in jenem Bande untergebracht werden, der eine neue Ausgabe der durch Daniel und seine Nachfolger publizierten Sequenzen bieten soll.

Es erübrigt noch eine Reihe von Sequenzen, die nur in Bruchstücken sich vorfanden. Bisher habe ich dieselben durchweg zurückgestellt, um die Möglichkeit einer glücklichen Ergänzung offenzuhalten. Bei mehreren ist es geglückt; andere blieben als Trümmer liegen, ohne daſs ich das Ganze fand, dem sie einzufügen sind. Fehlt bei solchen Bruchstücken auch der Anfang der Sequenz, so ist mit der Publikation derselben der Hymnologie schwerlich gedient; ich lasse sie daher vorläufig noch in meiner Mappe liegen. Ist wenigstens der Anfang intakt

geblieben, so kann unter Umständen selbst ein solches Bruchstück dienlich sein. Letzterer Art sind folgende vier verstümmelte Sequenzen:

I. De Beata Maria V.

1 a. Ave, virgo, praegnans prole,
Divino amicta sole,
Lunam tenens pedibus;

1 b. Coronata de bis senis
Serto stellis luce plenis,
Caeli princeps sedibus.

2 a. Ave, civitas divina,
Maria, quam bis ter bina
Gemma dat munditiae.

2 b. Tu smaragdus castitatis,
Chrysopassus pietatis,
Tu iacynthus gratiae.

Dieses Bruchstück findet sich in zwei Quellen, einem Collectan. ms. Gotwicense saec. 15. Cod. Gotwicen. 291, und in einem Collectan. ms. saec. 15. Clm. Monacen. 14190. Auffallenderweise haben beide Quellen das Mifsgeschick, in ganz gleicher Weise unvollständig zu sein; das eine dürfte demnach das Apographum des anderen sein. — Eingewoben ist der Sequenzentext in einen Kommentar des Magisters **Conrad von Megenberg** über die Unbefleckte Empfängnis der Gottesmutter: „Incipit tractatus magistri Conradi de Monte puellarum. Canonici ecclesiae Ratisponensis disputans de mundo ingressu virginis in hunc mundum." Der ganze Traktat selbst ist nur eine ausfuhrliche Interpretation des Sequenzentextes, von dem Conrad ausdrucklich sagt: „Ista est sequentia, quam in floridioribus annis edidi pro neuma illius Alleluia, quod in prioribus iam exposui ad honorem virginis gloriosae." (Gemeint ist der Tropus super Alleluia: O flos, dis dos mulierum, den ich im Bande der Gradual-Tropen mitteilen werde). So ist es doppelt zu bedauern, dafs wir von dieser Sequenz eines bekannten Autors nur den Anfang besitzen. Der Traktat endet innerhalb der Erklärung der Strophe 2 b mit den Worten: „Et comprehenditur haec pars duodecim particulis secundum duodecim gemmas, quae omnes quattuor versibus clauduntur et quilibet versus tres continet gemmas." Unter „versus" sind sichtlich „Strophen" verstanden; die Strophe 2 b spricht ja von den drei ersten Edelsteinen. Drei weitere Halbstrophen werden die Symbolik der neun übrigen Gemmen behandeln; ob damit die Sequenz schliefst, läfst sich durch nichts erraten. Der Dichter derselben lebte bekanntlich in den Jahren 1309—1398.

2. De Beata Maria V.

1 a. Salve, rosa puritatis,
Liliumque castitatis,
Origo virginitatis
Atque cella sanctitatis,
Ornamentum gloriae.

1 b. Salve, sedes deitatis
Et totius trinitatis,
Vas electum honestatis,
Thalamusque pietatis,
Incrementum gratiae . .

2 a. [Audi, virgo,] te precantes
Et te semper invocantes,
In hac valle conversantes
Contra Deum et errantes
Excusa in gloria.

2 b. Ad te, pia, suspirantes,
Fructum tuum adorantes,
Ipsum quidem venerantes,
Fac eosdem exsultantes
Sanctorum laetitia.

So im Sequent. ms. Marianum s. Roberti (Casae Dei) saec. 14. Cod. Parisin. 5247. Nach Strophe 1 b folgt noch: „Ave, tu Dei gaudium | Trinitatis triclinium | Gemmaque . . .“ Dann fehlt ein ganzes Blatt. Da die folgenden zwei Halbstrophen — von mir unter 2 a u. b mitgeteilt — den gleichen Vers- und Strophenbau aufweisen, so sind sie sichtlich der Schlufs der umfangreichen Sequenz.

3. De sancto Antonino.

1 a. In caelesti mansione
Et terrestri statione
Vox auditur iubili.

1 b. Canunt angeli „Alleluia“
Hominesque dicunt sua
Carmina laetitiae,

2 a. Odas sanctas virginales,
Et depromunt triumphales
Antonino praesuli.

2 b. Mundum carnemque vicisti
Et errantes docuisti,
Ut in . . . .

Dieses Bruchstück findet sich im Sequent. ms. Praedicat. Cracoviensium saec. $^{15}/_{16}$. Cod. Praedicat. Cracovien. s. n.

4. De sancto Michaele.

Laudat Christum plebs sua; ter trina celebremus agmina,
Quorum decima pars in laude clares divina.
Quae . . us in saecula sine . . . . .

Soviel im Trop. ms. Narbonnense saec. 12. Cod. Parisin. 778. Der Rest ist in der Handschrift ausradiert, um der Sequenz „Laetabundus Francisco“ Platz zu machen.

Den Sequenzentexten sollte, wie früher bereits in diesen Analecta angekündigt wurde, die Publikation der **Melodien**

folgen und so den Abschluſs und die Krone bilden. Ohne die Melodien sind namentlich die Sequenzen der 1. Epoche, ihr symmetrischer Aufbau und der Parallelismus der einzelnen Strophen und Kola, oft unverständlich. Daher auch hat mein teurer Kollege Dreves von Anfang an stets sein Augenmerk darauf gerichtet, auſser den Texten die Melodien der Sequenzen zu sammeln. Das über Erwarten reiche Material für die Texte der Sequenzen und der Hymnen überhaupt legte allerdings den Wunsch nahe, unsere Publikation von jeder Zugabe so viel als eben möglich zu entlasten, damit der Umfang der Analecta Hymnica nicht ein allzu groſser werde und sich Muſse gewinnen lasse für die Abfassung einer Geschichte der Hymnodie. Und doch können wir, wenn auch in etwa für die Hymnen, so doch keineswegs für die Sequenzen der Melodien entraten. Da fügte es ein guter Stern, daſs in unserem Freunde und Mitarbeiter Henry M. Bannister sich der Mann fand, der wie kein zweiter geeignet erscheint, mit groſser Sachkenntnis und liebevollem Interesse die Sequenzenmelodien weiteren Kreisen zugänglich zu machen. Seit mehr als einem Jahrzehnt (cfr. Anal. Hymn. XL, p. 5) hat er seine Kräfte dem Nachforschen und dem Studium der Sequenzenmelodien gewidmet. Sein freundliches Entgegenkommen machte es möglich, daſs Dreves darauf verzichten konnte, die Frucht seiner eigenen langjährigen Sammlung der Öffentlichkeit darzubieten. Wir überlassen somit voll und ganz die Publikation der Sequenzenmelodien unserem sachkundigen Freunde; sie ruht in anerkannt guten Händen. In Anbetracht seiner vielen und langen Vorstudien können wir daher die freudige Mitteilung machen, daſs in nicht gar langer Zeit, separat von den Analecta, jedoch mit Beziehung auf die dort gebotenen Texte, eine vortreffliche und möglichst vollständige Ausgabe aller erreichbaren Sequenzenmelodien aus der Feder unseres bewährten Mitarbeiters Henry Marriott Bannister erscheinen wird.

Dem gleichen, allzeit dienstbereiten Freunde habe ich an dieser Stelle abermals meinen Dank auszusprechen für manchen wertvollen Beitrag zu diesem Bande. Welche Textabschriften oder Kollationen er mir besorgte, ist jedesmal bei den betreffenden Sequenzen vermerkt.

Als Anhang biete ich einige Sequenzen des Frater N.

Hamelius Victorinus, die in Cod. Parisin. 14872 niedergeschrieben sind und aufser der Chiffre des Verfassers die Jahreszahl 1574 oder 1575 aufweisen. Die aus den Buchstaben D, H und V zusammengesetzte Chiffre wäre nicht leicht zu deuten gewesen, träte nicht an ihre Stelle einige Male der ausdrückliche Vermerk: „Frater N. Hamelius“ oder „Auctor N. Hamelius Victorinus.“ — Diesen Codex Parisin. hat der Schreiber des Codex Classensis 360 benutzt, von dem im Bande XLII unserer Analecta (Vorwort S. 5 ff. und Nachtrag S. 323) die Rede war. Letzterer hat ganz getreu auch die Chiffre aus seiner Vorlage abgezeichnet, und dieser Umstand, den ich damals noch nicht nach seinem wahren Ursprunge durchschaute, hat mich zur Ansicht verleitet, die Chiffre bezeichne den Schreiber des Codex von Ravenna als den Verfasser der eigenartigen Sequenzen. Die Chiffre selbst glaubte ich durch „Adam“ interpretieren zu müssen. Beides war irrig. Der völlig unbekannte Kompilator des Codex Classensis 360 hat mehrere Sequenzen des Victoriners Fracter N. Hamelius in seine Sequenzensammlung aufgenommen; weil aber dieselben eine ungebührliche Länge aufweisen, hat er sie vielfach gekürzt und umgeändert. Die Kürzung und Umänderung entstellte die an sich schon sehr minderwertigen Produkte des Victoriners fast zur Unverständlichkeit. Die gleiche Kürzung im gleichen unglücklichen Stile wagte der Kompilator an anderen Sequenzen, deren ursprünglichen Wortlaut wir nicht kennen, vorzunehmen. Dadurch erhielten viele Sequenzen des Codex Classensis ein gleichartiges, eigentümliches Gepräge und verleiteten mich zum Irrtume, alle diese Sequenzen stammten aus der Feder eines und desselben Autors. Es mag wohl sein, dafs mehrere Sequenzen wirklich vom bezeichneten Kompilator verfafst sind; aber es bleibt unsicher, da ich nicht den Nachweis bringen kann, ob es in jedem Falle sich um solche Umarbeitungen handelt, wie sie tatsächlich an den Sequenzen des Victoriners Hamelius vorgenommen wurden. Daher darf ich mich schon aus dem Grunde damit begnügen, nur einige Proben aus der bezeichneten Sequenzenseries des Codex Classensis beizufügen. Sowohl diese Sequenzen als auch jene des Frater N. Hamelius haben nur ein kulturhistorisches Interesse; sie zeigen, wie herzlich schlecht man im Zeitalter des Humanismus dichten konnte, und das in

einem Lande und einem Kloster, dem wir die herrlichsten Perlen der geistlichen Lyrik verdanken.

Zum Schlufs noch etwas Erheiterndes. Welch eigenartige Kenntnis von den Prosen des Mittelalters ein Referent für die „Jahresberichte der Geschichtswissenschaft" besitzt, zeigt folgende Notitz: „Ferner gehört hierher Band X der von dem Jesuiten Dreves herausgegebene [sic!] Analecta hymnica medii aevi, enthaltend Sequenzen und liturgische **Possen** [sic!], entnommen teils aus Hdss., teils aus Incunabeldrucken." Man möchte an einen Druckfehler denken; doch weit gefehlt; in der Fufsnote tauchen abermals die „liturgischen **Possen**" auf. Genau so zu finden in den „Jahresberichten der Geschichtswissenschaft" XIV. Jahrgang 1891. IV. S. 88. Jedenfalls sind die Herausgeber der Analecta an dieser aufserliturgischen Posse unschuldig.

München, 17. November 1903.

Clemens Blume.

SEQUENTIAE INEDITAE.

SERIES NONA.

1. In Nativitate Domini.

1 a. Divino balsamo
Mundus inungitur,
Dum sacro thalamo
Sponsus egreditur,
Quod David calamo
Veloci scribitur.

1 b. Nectar angelicum
In terris bibitur,
Et manna mysticum
De caelis mittitur,
Gratiae canticum
Ubique canitur.

2 a. In nostro vespere
Oriens oritur,
Vera de palmite
Vitis progreditur,
De suo opere
Opifex editur.

2 b. De patris solio
Sputum emittitur,
In terrae medio
Lutum conficitur,
Tali collyrio
Lux caelo redditur.

3 a. Miranda saeculo
Res summa geritur,
Dum sine masculo
Partus concipitur
Et clauso vasculo
Pudoris nascitur.

3 b. Ineffabiliter
Deus ingreditur
Et mirabiliter
Homo efficitur,
Nec sic nec aliter
Pudor amittitur.

4 a. Sub nube latuit
Sol veri luminis,
Dum formam induit
Humani tegminis,
Quem Deus genuit,
Consors est hominis.

4 b. Non novit ratio
Conceptum virginis
Aut, quae sit unio
Dei et hominis,
Totum est actio
Superni numinis.

5 a. Pastor pastoribus
Natus apparuit,
Et de caelestibus
Hymnus innotuit,
Quo nihil dulcius
Audiri potuit.

5 b. Complutum caelitus
Vellus immaduit,
Ros sancti spiritus
Virginem compluit,
Et sic divinitus
Venter intumuit.

6 a. Latet in angulo,
Qui regit aethera,
Vagit in stabulo,
Quo gaudent supera,
Nutritur pabulo,
Quo vivunt cetera.

6 b. O virgo virginum,
Nova puerpera,
Precare Dominum
Et nato impera,
Dei et hominum
Fac in te foedera;

7. Ad patrem luminum
Nos fer post funera.

Collect. ms. Aureliense saec. 15. in. Cod. Archiv. Lemovicen. D 1221. A. — Miss. ms. Franciscano-Romanum anni 1451. Cod. Univer. Padovan. 220 B. — 1 a, 5 Quo B. — 1 b, 2 terra B. — Str. 2 a u. 2 b umgestellt B. — 2 a, 2 Sol oriens B. — 2 b, 6 Opifex nascitur A. — 6 b, 5 homini B. — 6 b, 6 Fac idem B. — Melodie vielleicht „Mittit ad virginem". — Aus A konnte ich im Bande XXXIX (Vorwort, S. 9) nur die drei ersten Halbstrophen mitteilen; unser Freund H. M. Bannister entdeckte in B glücklich die vollständige Sequenz.

2. De Corpore Christi.

1. Est hic panis gloriosus,
Summus, summe gratiosus,
Mira dans solamina.

2 a. Panis cenae praesentatus
Fuit nobis, et donatus
Manu sapientiae.

2 b. Panis felix, triumphalis,
Titulus caelestialis,
Res misericordiae.

3 a. Panis animas defendens
Nostras semper et protegens
Ab hoste superbiae.

3 b. Panis, cibus angelorum,
Toto coetu beatorum
Dat regina gloriae.

4 a. Panis obvians ruinae,
Turris plebis peregrinae
Adversando daemoni.

4 b. Panis, qui sanas languores
Et aufers nostros dolores
Huius mundi miseri.

5 a. Panis, qui ducis ad portum
Et praeparas nobis hortum
Optimi delicii.

5 b. Panis, qui das paradisum
Et ostendis Deum vivum
Superni palatii.

6. Iste panis tres aequales
In se continet vocales
Trinitate numine.

Ordinar. ms. Casinense saec. 14. Cod. Vatican. 9340. — Mit Melodie. — 2 b, 3 Rex. — 5 b, 2 f. Dei visum? — 6. 2 contines. — Der Anfang scheint zu fehlen, wohl auch der Schluſs. — Abschrift von Rev. H. M. Bannister.

3. De Beata Maria V.

Dominica 1. Adventus.

1. Salve, lumen,
quod ex Maria

2 a. Sine semine est natum
nobis sancto ventre.

2 b. Salva per adventum tuum
praesentem catervam.

Miss. ms. Stabulense saec. 15. Cod. Bruxellen. 1818. — 1, 1 Salva. — 2 a, 2 in orbis sancto. — „Prosa de B. Maria."

4. De Beata Maria V.

Feria 2. Paschae.

1 a. Ave, virgo quam beatam,
dicunt regum filiae,

1 b. Stella maris, radix Iesse,
aurora iustitiae,

2 a. Placa nobis solem verum,
spes misericordiae,

2 b. Et quos culpa facit reos,
solvat munus gratiae,

3 a. Ut educas, quos redemit,
de lacu miseriae.

3 b. Praestet locum prece tua
in sanctorum requie.

Grad. ms. Cameracense saec. 12. Cod. Cameracen. 62 (61). add. saec. 13.

5. In Visitatione Beatae M. V.

1 a. Salvae virginis Mariae
Et matris clementiae
Veneretur in hac die
Unicornis gratiae,
Festum domus Zachariae
Honor sit ecclesiae.

1 b. Fecunditas virginea
Sterili congreditur,
Et alti regis filia
Mater clam efficitur,
De una stirpis linea
Insigne progreditur.

2 a. Venerabilis persona
Praeminens non latuit,
Quae non, aliena bona
Ut videret, adfuit,
Digne quoque sua dona
Audire promeruit.

2 b. Sine voce exsultavit
Verbi vox praeconio,
Et Elisabeth expavit
Viso mox mysterio,
„Benedicta tu" clamavit
„Cum fructu in gremio."

3 a. „Unde mihi, caeli rore
Quae concepit Dominum,
Virginali cum pudore
Paritura filium,
Meae proli Iesse flore
Intulisti gaudium?"

3 b. Non in gloriam erexit
Haec oblata gloria,
Vera humilis reflexit
Sed in eum omnia,
Ad ancillam qui respexit
Fecitque magnalia.

4 a. Pio placet demorari
Insuper officio,
Post Rachelem famulari
Liae exercitio
Nec personam minorari
Putat ministerio.

4 b. Stella, luce aeternali
Quae immersa crederis!
Quantum sine personali
Unione pateris
Et in mari mundiali
Iugiter aspiceris.

5. Inconsuta non scindatur
Filii tunicula,
Tempestate non mergatur
Simonis navicula,
Contra cuncta dirigatur
Per te hic pericula.

Antiphon. et Grad. ms. Vigorniense saec. 13. Cod. Capit. Vigornien. 160. add. saec. 14. — 1 a, 4 Uniformis. — 3 b, 5 ancillam quae. — Anscheinend war, nach dem Metrum zu schliefsen, diese Dichtung ein Hymnus, der als Sequenz verwendet wurde und dementsprechend eine eigene Sequenzenmelodie erhielt. In der Quelle nämlich sind stets je zwei Verse zu einer Strophe mit Gegenstrophe vereinigt. Gegen diese Abteilung spricht aber der Reim. — Abschrift von Rev. H. M. Bannister.

6. In Assumptione Beatae V. M.

1 a. Salve, dies gloriosae
Matris Dei, gratiosae
Quando salus redditur.

1 b. Salve tu, flos clericorum,
In hoc loco conventorum
Cuius festum colitur.

2 a. Pompam, famam matris Dei,
Splendorem huius diei
Nemo posset promere;

2 b. Virtutes de caelo motae
Sunt pro hac hodie totae
Cum coepit ascendere.

3 a. Natus pro matre descendit
Et cum ipsa mox ascendit
Ad sanctum palatium.

3 b. Et sic est virgo beata
Super choros exaltata
Angelorum omnium.

4 a. Haec pro nobis intercedat,
Ut nos nulla culpa laedat,
Apud suum filium.

4 b. Sine ipsa nil valemus,
Nam in ipsa spem habemus,
Sit nobis praesidium.

Atti della Societa Ligure di Storia Patria. XIX, p. 656. aus „Liber ms. Ianuarii de Predano anni 1230—1252. Archivio notarile di stato Genoa, car. 230 v.“ — 1 a, 2 Manus. — 1 b, 3 Quos festum. — 2 a, 1 matri. — 2 a, 2 Splendore. — Abschrift von Rev. H. M. Bannister.

7. In Dedicatione Ecclesiae.

1. Laudes Deo modulemur,
Nos qui Deo confitemur,
Quia fecit omnia.

2 a. Vox dulcescat
Nec lassescat,
Vox sublimis
Nos ab imis
Levet ad sublimia.

2 b. Inconcinnus
Non est hynnus,
Cum vox mentem
Concinentem
Habet in symphonia.

3 a. Reddat Deo, quod est Dei,
Quisquis digna novit ei,
Et hoc in ecclesia;
Extra certe
nostram catholicam
Victimaret labem haereticam
Et contemptibilia.

3 b. Unus unum habet gratum,
Quod in una est oblatum,
Et haec placet hostia,
Si te prius voveas
Et talem exhibeas,
Ut sis dignus gratia.

4 a. Unam domum habet Deus,
Ad quam fugit quisque reus
Actus paenitentia;

4 b. Illa domus est et sponsa,
Nec est brevis sed protensa
Per terrarum spatia.

5 a. Unam Deus sponsam amat,
Unam suam esse clamat,
Uni dat sponsalia;

5 b. Sexaginta sunt reginae,
Octoginta concubinae,
Uni cedit regia.

6 a. Illam Deus praesignavit,
Cum per Evam reformavit
Lateris dispendia;

6 b. Eva viro dormiente,
Nostra Christo moriente
Processit ecclesia.

7 a. Hanc in petra dormientis
Et de scala pavescentis
Prophetabant somnia;

7 b. Iam tunc lapis ungebatur,
Iam haec domus dicebatur
Et caelestis ianua.

8 a. Haec est arca salutaris
Quae per aquas acta maris
Conservavit omnia,

8 b. Cuius portam habet latus,
Per quod Christus lanceatus
Vitae pandit ostia.

9 a. Hanc ditandam et ornandam
Veris bonis Salomonis
Dicebant mysteria,

9 b. Cum rex idem fecit pridem
Ad exemplum huius templum
Et eius sollemnia.

10 a. Haec est pacis urbs et vitae,
Cuius portae margaritae,
Cuius forum sine lite,
Cuius Deus gloria.

10 b. Cuius agnus est lucerna,
Per quam imis ad superna
Fecit viam lex aeterna
Pro sua clementia.

11 a. Urbs sublimis, urbs serena,
Felix sedes et amoena,
Expers mortis, vitae plena,
Vitae vera gaudia,

11 b. Tu servatae castitatis,
Tu cruore purpuratis,
Tu utroque consecratis
Reddis vera praemia.

12 a. Nos a valle, qua ploramus,
Sub hoc fasce, quem portamus,
Te a longe suspiramus,
Suspirando salutamus,
Esto nobis patria.

12 b. In te regem videamus,
Sub quo bene militamus,
In quo pacem habeamus
Et in pace concinamus
Iucundum Alleluia.

Collect. ms. S. Lupi Trecensis saec. 10 et 11. Cod. Trecen. 1170. add. saec. $^{12}/_{13}$. — Mit Mel.: Laudes crucis.

8. Dominicis Diebus.

1 a. Sacrosanctae trinitati
Ac divinae unitati
Hoc die dominico

1 b. Laudem demus et honorem,
Confitentes creatorem
De corde purissimo,

2 a. Creatorem confitentes,
Redemptorem asserentes
Corde, voce, opere.

2 b. Nam haec duo fidem veram
Continent atque sinceram
De Deo et homine.

3 a. Ipsi soli serviamus
Atque ipsum extollamus
Psalmis, hymnis, canticis.

3 b. Proximorum caritate,
Mentis, carnis castitate,
Moribus egregiis.

4 a. Praestet nobis sacrum munus
Deus trinus atque unus
De superna gratia.

4 b. Huius vitae mala flere,
Post hanc vitam congaudere
In caelesti gloria.

Collectan. ms. Placentinum saec. $^{12}/_{13}$. Cod Capit. Placentin. 65. Bis.; mit Melodie.

9. Pro Defunctis.

1 a. Lux aeterna beatorum
Animabus defunctorum
Luceat, ut in aeternum
Requiescant in pace.

1 b. Sancte Deus, tu sanctorum
Miserere miserorum,
Ut cum sanctis in aeternum
Requiescant in pace.

2 a. Sancta virgo virginum,
Ora semper Dominum,
Ut defuncti in aeternum
Requiescant in pace

2 b. Sancti quoque spiritus,
Exorate caelitus,
Ut vobiscum in aeternum
Requiescant in pace.

3 a. Patriarchae cum prophetis,
Oro, Deo supplicetis
Pro defunctis, ut in caelis
Requiescant in pace.

3 b. Apostoli Iesu Christi,
His solutis loco tristi
Obtinete, ut in caelis
Requiescant in pace.

4 a. Martyrum exercitus,
Expugnate penitus
Horum hostes, ut in caelis
Requiescant in pace.

4 b. Confessores, precibus
Et vestris virtutibus
Subvenite, ut in caelis
Requiescant in pace.

5 a. Omnes sanctae virgines,
Ascendentes homines
Vestra prece in aeternum
Requiescant in pace.

5 b. Omnes sancti pariter,
Supplicate iugiter,
Ut hi simul in aeternum
Requiescant in pace.

6. Amen, Amen dicimus,
Vota, sancti, fundimus,
Subvenite, ut in caelis
Requiescant in pace.

Miss. ms. Montis Serrati anni 1408. Daraus: Villanueva, Viage Literario VII, p. 149 sq., ohne Angabe des Fundortes. A. — Manuale Nannetense imp. Parisiis (Ioh le Blanc) s. a. B — 2 a, 2 Ut vobiscum B. — 5 a, 1 Sanctae prorsus A. — 5 a, 2 Transcendentes A. — 5 b, 3 simul et in caelis A. — 6, 2 sanctis A. — 6, 3 Christi passionibus.

10. Die Festo Omnium Sanctorum.

1 a. Rex aeterne, pie pater,
Pia nobis virgo mater
Te patrem et filium

1 b. Nobis pium ac placatum,
Nobis mitem, non iratum,
Nobis det propitium.

2 a. Petre pastor, praeco Paule,
Et caelestis omnis aulae
Patres apostolici,

2 b. Nobis sitis adiutores
Et benigni defensores
Et caelestes medici.

3 a. O Laurenti, o Vincenti,
O vos omnes, in praesenti
Saeculo martyrium

3 b. Qui pro Christo pertulistis
Et victores exstitistis,
Praebete praesidium.

4 a. O beate Nicolae,
Nos ad portum pacis trahe
De mundi naufragio.

4 b. Omnes sancti confessores,
Sitis nobis in tutores,
Sitis in subsidio.

5 a. Sacer chorus virginalis,
Coniugalis, vidualis,
Matrum munda castitas,

5 b. Omnes simul sanctae, sitis
Adiutrices, ut possitis
Dare sedes debitas.

6 a. Horum pia prece patrum
Et sanctarum sacris matrum
Precibus et meritis,

6 b. Pie Christe, sis placatus
Miserator miseratus
Nobis, tuis subditis.

Missale Nannetense imp. Venetiis 1482. A. — Miss. Nannetense im Rotomagi 1520. B. — 5 b, 2 et possitis A.

II. De Omnibus Sanctis.

1 a. Ut sequamur pari zelo
sanctorum vestigia,

1 b. Nobis horum vitam, more proponit ecclesia.

2 a. Offert nobis tria: rosam,
violam et lilium,

2 b. Ut ostendat nobis viam
ad caeleste bravium.

3 a. Rosa signat martyres
per colorem rubeum,

3 b. Confessores viola
per florem purpureum,

4 a. Virginalem candidatum
attestatur lilium.

4 b. Per hoc ergo sequi Deum
nos oportet trivium.

5 a. Nos mactet ut martyres
vera patientia,

5 b. Confessores faciat
iugis abstinentia,

6 a. Nos conservet virgines
iugis castimonia,

6 b. Aut lapsos aliquando
firma continentia.

7 a. Adiuvent nos sancti, quorum
colimus sollemnia,

7 b. Ut horum prece possimus
assequi caelestia.

Miss. S. Martini Maioris Monasterii imp. Turonibus 1508.

12. De sancto Achatio.

1 a. Martyres stabant
in agone
Spe mercedis et coronae,
Virili audacia,

1 b. Nec mutabantur
nec fugerunt.
Mundi cuncta proiecerunt
Blandimenta spuria.

2 a. Procerum milia dena
Spreta gaudent mortis poena
In Dei militia,

2 b. Vanos deponunt errores
Ad vitae currentes fores
Felici industria.

3 a. Universa ergo viva
Voce clamant rediviva,
Depromunt mirantia

3 b. Proceres hi tam praeclari
lubari pares solari
Fidei constantia.

4 a. Euphratenses, Cadarenos,
Errore gentili plenos
Colentes daemonia,

4 b. Valenter quidem vicerunt,
Triumphantes exstiterunt
Dei passim gratia.

5 a. Triumphantes iucundantur,
Iucundantes admirantur
Dei mirabilia.

5 b. Arrarat conscendunt montem
Vitae sitientes fontem,
Laudis dantes munia.

6 a. Regum iussu lapidantur,
Flagris diris flagellantur,
Foedantur sermonibus.

6 b. Clavi tergo vi parantur,
Martyrum ut infigantur
Sanctis horum pedibus.

7 a. Margaritae porcis dantur,
Canibus sancta iactantur
Dictata sententia.

7 b. Crucibus sic affiguntur,
Animae caelo redduntur
Sollemni cum gloria.

8 a. His ergo festis laetemur
Martyrum et hunc precemur
Felicem denarium,

8 b. Nobis ut Deus deorum
Meritis praestet ipsorum
Sacrum septenarium.

Miss. ms. S. Margaretae Novae Civitatis saec. 14. Cod. Vindobonen. 1790. A. — Miss. ms. S. Nicolai ad Strudem anni 1458. Cod. Hilarien. 10. B. — 1 a, 3 Spei B. — 1 b, 3 Mundi gloria cuncta B. — 1 b, 4 spurcia B. — 3 b, 1 his B. — 4 b, 3 Dei passi B. — 5 b, 1 conscenderunt B. — 5 b, 3 Laudes B. — 6 b, 1 Clavi terrogoni B. — 8 a, 1 laetemur festis B. — 8 a, 2 et nunc precemur B.

13. De sancto Achatio.

1 a. Contio trabeata,
Agminibus stipata,
Dena militum milia,
Undas dum fudit sanguinis,

1 b. Hos fovebat angelica
Turma caelorum florida
Ministrante solacia
Virtute sancti flaminis.

2 a. Dei nutu Hermolaus
Et inclitus Achatius
Totusque exercitus
Spectant agones.

2 b. Furit tunc Maximianus,
Ferox tamquam insanus
Truculentas mittit manus
Suscipientes coronas.

3 a. Antidoti sempiterni
Prius spinis coronati,
Columnis flagellati,
Exsultantes in Domino.

3 b. Stipitibus iam confixi
Poenas sumunt crucifixi
Caelestibus et innixi,
Recommendantes supremo

4 a. Omnes, qui sollemnitatem,
Ieiunii sanctitatem
Et diei puritatem
Devotius celebrarent;

4 b. Profectuum ubertatem,
Animarum suavitatem
Et operum pietatem
Spondentes, ut conregnarent

5. Sanctis. Amen.

Miss. ms. Cracoviense anni 1438. Cod. Capit. Cracovien. 2. — 2 b, 2 Ferax. — Die Diction, wie gewöhnlich bei den slavischen Dichtungen, dunkel und schwerfällig.

14. De sancto Adalberto.

1. Concentu melodiae
caeli iubilemus Domino.

2 a. Astrorum qui caeli,
terrae, marisque
conditor

2 b. Omnia proprio
iure potenter
condidit.

3 a. Nam ipsi sunt cuncta
subiecta quaeque sunt
permanentia,

3 b. In terris quod exstat
in caelisque, cuncta
sibi iubilant.

4 a. Hunc Dominum
caelorum colimus
hic nos sui famuli,

4 b. Qui subditi
fuimus legibus
hostis atrocissimi.

5 a. Per gratiam Christi
perspicue lucidam,
Confuso tyranno,
ovantes regredimur
nos ab exsilio
ad patriam;

5 b. Erectis ad caelum
luminibus geminis,
Terrena linquentes
caelicis cum civibus
Christo semper [laete]
astantibus.

6 a. Inter quos, Adalberte,
nostras, inclite,
laudes cum canticis
suscipe,

6 b. Hic tua in aula
pius visitans
nos reconcilia
Domino.

7 a. Tu namque
fulgens aurea
dignitate,
spernens gloriam
temporalem,
nobiliter
quaesisti patriam
lucidam.

7 b. Tu splendens
signis variis
et doctrinis,
docens populos
illuxisti.
hunc loculum
tibi assignasti
iugiter.

8 a. Ergo tibi
famulantes
~~~~~~~~
auxilio
pio pacifica
Domino.

8 b. Plebem tuae
adunatum
devotioni
conserva ab
incursu cunctorum
hostium.

9. Ut tuo auxilio
Christo dante Domino
vitam capiant aeternam.

Grad. ms. incertae originis saec. 15. Cod. Bruxellen. Fetis 1174. - Melodie: Mater.
~~~~~~~~

15. De sancto Adalberto.

1 a. Hac die festa tota
gratuletur Polonia,

1 b. Martyrem Adalbertum
digna colens memoria,

2 a. Cuius opere
Sclavorum gens ab idolis
Deo est tradita,

2 b. Suo munere
Gnesnensis est metropolis
Honore praedita.

3 a. Nam sprevit sanctum praesulem
Sua natalis patria,

3 b. Quem acceptavit exsulem
Boleslai clementia.

4 a. Ille rex optimus
Dei famulo
Praestat obsequia,

4 b. Hic vir sanctissimus
Terrae populo
Fidei praemia.

5 a. Sed Pruscis postea
Fert vitae munera;

5 b. Prusci propterea
Ruunt in crimina.

6 a. O genus delirum,
Gens incredula,

6 b. Damnans morte virum
Sine macula!

7 a. Corpus sanctum pii
Referunt Poloni

7 b. Congaudentes sui
Meritis patroni.

8 a. Cuius laudes debitas
Canit omnis
fidelis ecclesia.

8 b. Tua nobis sanctitas,
Adalberte
sancte, sit propitia.

9 a. Conserva tuos de
tua Polonia,

9 b. Qui tibi devote
canunt Alleluia.

Miss. Gneznense imp. Moguntiae 1555.

16. De sancto Adalberto.

1. Mane pueritiae
Fulsit donis gratiae,
Protectorum gloria,

2 a. Adalbertus inclitus,
Martyr, praesul praeditus
Ex magnis natalibus.

2 b. Infans fit oblatio
Claroque prodigio
Redditur parentibus

3 a. Scholis ut apponitur,
Virtutum efficitur
Lucerna Saxoniae;

3 b. Daemon prodit pessimus,
Quod pastor sanctissimus
Sanctus fit Bohemiae.

4 a. O beatus pontifex,
Quem supernus artifex
Astans somno suscitat
Et se vendi clamitat.

4 b. Romae in monastica
Vita laus mirifica
Visu caelum patuit,
Vox dulcis intonuit.

5 a. Lapsu actum vas confractum
Cum sincero levat mero
In nullo deperditis.

5 b. Imperator fit amator
Sancti viri, erudiri
Suis suetus monitis.

6 a. Adalberte pie, per te
Languor cedit, paret, edit
Ignara septennio.

6 b. Culpae iure moriturae
Te impendis, dum intendis
Irae et martyrio.

7 a. Caelo decus destinatum
Auro legis exaratum
Munis tibi, egregia
Quod praestat sponsa filia.

7 b. Gregem sequi te nolentem
Linquis. Hungarorum gentem
Vocas ab idolatria
Sclavos cum Polonia.

8 a. Transis tandem in Prussiam
Verbo parans Dei viam,
Ubi morte laeta sorte
Crucem fundas corpore.

8 b O patrone, o benigne,
Throno Christi consors digne
Te precantes naufragantes
Salva mundi aequore.

9. Amen dicant omnia.

Miss. ms. Pragense saec. 14. Cod. Mus. Bohem. XIII E 8. A. — Miss. ms. Vissegradense saec. 15. Cod. Capit. Vissegraden. V B η. B. — Miss. ms. Nissense saec. 15. Cod. Wratislavien. I F 357. C. — Grad. ms. Praedicat. Cracoviensium saec. 15/16. Cod. Praedicat. Cracovien. s. n. D. — 1, 3 Bohemorum gloria C. — 3 b, 3 Factus C. — 4 a, 3 Constans C — 4 a, 3 excitat A. — 6 a, 3 sepimio B. — 6 b, 3 Reae AB. — 8 a, 3 Ubi mercelica sorte B. — 8 b, 2 consors fehlt B. — 8 b, 3 precantes navigantes A. — Melodie: Mane prima sabbati. — Die Collation von D ist übersehen.

17. De sancto Aegidio.

1 a. Laus Mariae filio
In patre Aegidio,
Glorioso confessore,

1 b. Qui virtutum radio
Splendet in tripudio
Angelorum in decore.

2 a. Splendet, inquam, cum decore
Quasi Seraphim ardore
Dei fervens plenius,

2 b. Fervens virtutum ardore,
Christum corde, Christum ore
Sonat abundantius.

3 a. Sonat semet abnegando,
Crucem suam baiulando,
Salvatorem imitando,
Relinquendo omnia;

3 b. Sonat signis coruscando,
Sanitates operando,
Tribulatos liberando
Per terras, per maria.

4 a. Patet hoc in naufragatis,
Patet daemone vexatis
Viduaeque filia;

4 b. Patet terris fecundatis,
Patet claudis restauratis
In pedum officia.

5 a. Signis tantis declaratus
Coenobitis est praelatus
Et sacerdos consecratus
Exhibet se hostiam;

5 b. Regis extergens reatus
Caelitus est denotatus,
Quibus erit miseratus,
Consequuntur veniam.

6 a. O Aegidi, pater clare,
Quem pro reis exorare
Designavit
Et firmavit
Superna clementia,

6 b. Tu pro nobis deprecare,
Tu digneris adiuvare,
Ut surgamus
Et tergamus
Perpetrata vitia.

7 a. Dulcis pater et patrone,
In extremo nos agone
Tuere ab hostibus;

7 b. Da nos in confessione
Et cordis contritione
Uniri praesentibus.

Grad. ms. Trevirense saec. 15. Cod. Treviren. 178. — 5 b, 3 erit minoratus. — Melodie: In caelesti ierarchia, mit kleinen Änderungen.

18. De sancto Aegidio.

1 a. Hodiernae lux diei,
In qua festum celebratur
Beati Aegidii.

1 b. Natione fuit Graecus,
In Athenis eruditus,
Plenus Dei gratia.

2 a. Pater eius christianus
Fuit mitis, mansuetus,
Nomine Theodorus,

2 b. Mater vero christiana
Fuit casta et pudica,
Nomine Pelagia.

3 a. Quadam die iste sanctus
Quendam aegrum in platea
Invenit Aegidius,

3 b. Cui dedit vestimentum
Quo erat ipse indutus,
Quem sanavit citius.

4 a. Post intravit quoddam antrum
In quo vixit per tres annos
Aqua sola, herbis crudis;

4 b. Sed miraculo divino
Quaedam cerva nutrit eum
Suo lacte proprio.

5 a. Fama eius est exorta
Et miraculis ornata
Per totam provinciam.

5 b. Scelus regis propalavit,
Mortuum resuscitavit
Et fugavit daemones.

6 a. O Aegidi, tu confessor,
Sis pro nobis intercessor
Apud Christum Dominum,

6 b. Ut possimus tecum esse
Et in regno congaudere
In aeterna saecula.

7. Amen dicant omnia.

Collectan. ms. Placentinum saec. 12/13. Cod. Capit. Placentini 65. Mit Melodie. — Abschrift von Rev. H. M. Bannister.

19. De sancto Aegidio.

1 a. Exsultet felix Graecia,
Quae natum stirpe regia
Docet Christi monita;

1 b. Gloriose recolamus,
Ore cordeque pangamus
Clara docti merita.

2 a. In templum it Aegidius,
Iacentem aegrum citius
Tegens curat vestibus;

2 b. Derelinquens patris aedem
Christum statuit heredem
Mortuis parentibus.

3 a. Toxicato a serpente
Virus refugat repente,
Mox obsessum liberans,

3 b. Ventos maris et sedavit,
Cum ereptis perfretavit
Arelaten properans.

4 a. Saluti cum Caesareo
Insudat hic biennio
Febres trimas abigens,

4 b. Gliscens eremum discedit,
Veredemio consedit
Ubertatem dirigens.

5 a. Praesumens iter latius
Fontem, antrum obscurius
Cervae carpit alitu;

5 b. Exeuntes regis natos
Ad venandum tunc paratos
Prohibet ab aditu.

6 a. Cervae suae, quam sequuntur,
Canes stare compelluntur,
Accidit hoc triduo;

6 b. Vocans rex archimandritam
Cari patris strictam vitam
Intuentur mutuo.

7 a. Senex sagitta laeditur,
In cervam quae detenditur,
Vulnus morti retinet;

7 b. Claustro regis fabricato
In collegio beato
Sacer abbas eminet.

8 a. Orantique pro Carolo
Carta datur ab angelo
Noxam delens abditam.

8 b. Defunctum inde suscitat,
Post moram Romam visitat,
Bullam defert traditam.

9 a. Bina cypressi ostia
Mire locat per maria
Plasmatoris viribus.

9 b. Contracto gressum porrigit,
Ostia demum erigit
Laetum palans fratribus.

10 a Turma sonans angelorum
Eius animam ad chorum
Aevo fert gaudentium.

10 b. O Aegidi, vir sacrate,
Nos post necem indilate
Thronis duc viventium.

Sequent. ms. S. Petri Salisburgensis anni 1603. Appendix post Miss. Romanum imp. Venetis 1513 in Bibl. S. Petri Salisburgensis S II 14a. — 3a, 1 Intoxicato. — 3a, 2 fugat. — 10b, 3 Thronos.

20. De sancto Aegidio.

1 a. Salve, dies, quam sacravit
Morte sua et dotavit
Beatus Aegidius.

1 b. Chori voce vocum melos
In hac die tangat caelos
Solito devotius.

2 a. Huic caelum gratulatur,
In hoc festo iucundetur
Mundus voce melica.

2 b. Per caelestis plagae clima
Condescendat huc ad ima
Virtus patris caelica.

3 a. Morsus anguis hic curavit,
Solo verbo qui sanavit
Arreptum daemonio.

3 b. Rectores concussae ratis,
Liberavit exsul gratis
A maris naufragio.

4 a. Extra mundi suetum morem
Iste fecit successorem
Christum patrimonii.

4 b. Hic telluris reddens fructum
Terrae sepelivit luctum
Gratus in viciniis.

5 a. Ex quo vestis est induta,
Aegri salus est secuta
Meritis Aegidii.

5 b. Hunc Nemacensis principis
Celebrem fecit populis
Suscitatis filii.

6 a. Aqua mota in divina
Prece sua cupressina
Mare tulit ostia.

6 b. Febris curator anhelae,
Quem pavit silvestris ferae
Lactis-alimonia.

7 a. Carolo quoddam peccatum
Nulli unquam revelatum
Dimitti obtinuit,

7 b. Si ab eo abstineret;
Propter quod, ne repeteret,
Salubriter hunc monuit.

8 a. Est etiam nobis datum
Huius prece donum gratum,
Quod, si quis deliquerit,

8 b. Sit commissum condonatum
Paenitenti, si peccatum
Ultra non commiserit.

9 a. Multa quidem et alia
Fecit iste prodigia,
Quae nota sunt petentibus.

9 b. Quod rogamus, ut praemia
Nobis dari perennia
Impetret in caelestibus.

Miss. Briocense imp. Rothomagi s. a. [1502?] A. — Miss. Macloviense imp. Rothomagi 1503. B. — 2 a, 3 mellica AB. — 3 b, 1 concusserat is AB. 4 a, 1 Extra consuetum morem A. — 4 b, 2 lutum AB. — 6 b, 1 hanele AB. — 6 b, 2 quam AB.

21. De sancta Afra.

1 a. O quam felix dies iste,
In quo nomen tuum, Christe,
Declaratur dulciter,

1 b. Praesul dignus dum Narcissus
A te caelitus est missus
Augustam feliciter.

2 a. Hic ad Afram dum intrabat,
Impudicum hunc putabat
Colens deam Venerem;

2 b. Sed vir Dei hanc reduxi
Cum puellis et instruxit
Vera fide celerem.

3 a. Satan cedens clamitabat,
Totis pelli eiulabat
Suis cum sodalibus;

3 b. Afra crevit cum cognatis
Illustrata veritatis
Luce stans vitalibus.

4 a. Propter Christum concremata
Hinc et palma coronata,
Gaudens nunc perenniter

4 b. In amplexu veri Dei,
Nos attende, nam et rei
Te vocamus iugiter.

5 a. Nunc pro nobis deprecare,
Ne nos mergat fallax mare
Hostis, mundi, corporis,

5 b. Sed post huius finem vitae
Dicat nobis rex *Venite*
Pace frui aetheris.

Miss. ms. Augustanum saec. 14. Cod. Mus. Germ. 22929.

22. De sancta Agatha.

1. Omnis chorus

2 a. Ecclesiae
praeclara festa
celebret Agathae

2 b. Atque eius
laudes modulo
dulcisono proclamet,

3 a. Quae sustinens
mundi tormenta
penetravit
caeli sidera.

3 b. Namque propter
opprobria nunc
in caelesti
splendet patria.

4 a. Ad huius festum Agathae
sanctorum chorus iubilat
hodie magno
tonanti Domino,
qui rex est aeternae gloriae.

4 b. Ergo omnes voce alta
nos personemus acriter
canticum atque
insimul organa
melodia dulcissima.

5 a. Deo dicata Agatha
non fuit solum ingenua,
sed ex spectabili
prosapia.

5 b. Praeceptis Dei subdita,
ornamenta reliquit insignia, ac petiit
caelestia.

6 a. Nam Christi sequens
vestigia
obtulit illi se hostia,
cuius
persensit merita.

6 b. Per eius unde
obsequia
claruere miracula
occupato Quintiano
morte turpissima.

7 a. Post anni vero
circulum, Aethneus
mons cum emittebat
incendium,
pars ex illo (magna
fugiens) paganorum
ad Agathae
veniens sepulcrum,

7 b. Ad civitatem
Catanensium ignis
pervenit minime,
periculum
velamine
opposito
illud, unde
erat opertum.

8 a. Christo reddamus
gratias,
qui haec fecit miracula,

8 b. Qui est corona
martyrum
sanctarum quoque virginum.

9 a. Sit tota iubilatio
patri et eius filio
flaminique paraclito,

9 b. Qui regit et caelestia
~~~~~~~~~~~~~~~~
per infinita saecula.

Grad. ms. Vercellense saec. 11. Cod. Capit. Vercellen. CLXI. add. saec. $^{11}/_{12}$. — 5 a, 2 ne fuit. — 5 b, 4 terrestria. —

23. De sancta Agatha.

1 a. Voto pari gratulemur,
Agathaeque veneremur
Mira gesta, ut tenemur,
Immani de victoria.

1 b. Pompas mundi renuisti
Vesanas, vires subisti,
Virgo, tyrannum sprevisti
Caelesti utens gloria.

2 a. Martyr, florem castitatis
Speculumque honestatis
Deo non vovisti gratis,
Sed ob frugem virtutis.

2 b. Sponsa sponsum elegisti,
A quo exordium sumpsisti,
Cuius regnum introisti
Opem ferens salutis.

3 a. Ut ditati tua prece,
Purgati peccati face,
Tyranni exempti nece
Fruamur pollicitis,

3 b. Te precamur, ut sis prona,
Ne serpentis stringat zona,
Beatorum, tu corona,
Nos adiunge gaudiis.

Miss. ms. Voraviense saec. 14. Cod. Voravien. 35. — 1 a, 2 u. 3 umgestellt. — 1 a, 2 que fehlt. — 1 a, 3 Miraque. — 2 a. 1 Martyrum. — 2 a, 3 fovisti. — 3 a, 2 Perquam a peccati. — 3 a, 3 Tyranni quod excentis. — 3 b, 1 deprecamur. — 3 b, 2 nos stringat. — Melodie: Verbum bonum.

24. De sancta Agatha.

1 a. Virgo fortis
Stirpis ingenuae,
Minas mortis
Et poenas strenue
Tolerasti.

1 b. Nefas sortis
Fraudisque nocuae
Et cohortis
Turpis et fatuae
Superasti.
~~~~~~~~~~~~~~~~

2 a. Inconcussa
Cunctis terroribus
Dei iussa
Complens operibus
Inveniris.

2 b. Post percussa
Servorum ictibus
Et excussa
Lignorum fascibus
Stabiliris.

3 a. Adusturam
Corporis pateris
Et torturam
In mammis teneris;
Gens miratur,

3 b. Senis curam
In antro carceris,
Sepulturam
Dignam in ceteris
Veneratur.

4 a. Deprecetur
Agatha Dominum,
Ut purgetur
A labe criminum
Praesens chorus,

4 b. Detestetur
Sordes peccaminum,
Ut salvetur
Purus post terminum
Et decorus.

Sequent. ms. Ravennatense anni 1585–87. Cod. Classen. 360 (139. S. St. A. — Missale Ruthenense imp. Lugduni ca. 1540. B — Missale Parisiense imp. Parisiis 1585. C. — 1 a, 2 Prolis B. — 1 b, 1 sordis ABC. — 1 b, 2 Fraudis assiduae B. — 3 a, 3 Sed B. — 3 a, 5 Mens B. — 4 a, 1 Intercedat B. — 4 a, 2 ad Deum B. — 4 a, 3 Quod recedat B. — 4 b, 1 sqq. Sic incedat | In viis hominum | Ut accedat B. — 4 b, 4 Purus ad B.

25. De sancta Agatha.

1 a. Christo laudes concinamus,
Nos, qui sanctae celebramus
Agathae sollemnia;

1 b. Virgo clara stirpe nata,
Mundo placens, Deo grata
Per morum insignia.

2 a. Florens vultus honestate
Et sermonis venustate
Placuit hominibus.

2 b. Sed plus Christo complaceret
Atque bonis praepolleret,
Studuit operibus.

3 a. Huius fama redolebat
Et in cunctis recurrebat
Saeculorum finibus.
Quintianus, servus pecuniae,
Totus studens idololatriae
Suis tribunalibus

3 b. Illam iubet praesentari,
Ut diversis consummari
Possit cruciatibus;
Sed prius inflectere
Tentat et seducere
Mentem malis artibus.

4 a. Illam ergo deludendam
Sed a vero dimovendam
Tradit Aphrodisiae,

4 b. Sed nec Christum abnegare
Nec consentit violare
Iura pudicitiae.

5 a. Eius quippe mens fundata
Et in Christo solidata
Verbis nescit cedere.

5 b. Tunc immitis Quintianus
Diros parat cruciatus
Ac educit carcere.

6 a. Nec terrores nec tormenta
Expavescit insueta
Anhelans martyrium;

6 b. Per promissa, per terrores
Non nutavit in errores
Pertingens ad bravium.

7 a. Huius verba tamquam umbra,
Velut ventus, velut unda,
Nec tamen inflectitur,

7 b. Mentem habens roboratam
Supra petram solidatam
Nec alluvione teritur.

8 a. Sursum fixam mentem tenens
Nec a Christo est recedens,
Perstat in constantia;

8 b. At profanus Quintianus
Est turbatus ut insanus
Prae cordis insania.

9 a. O impie ac crudelis,
Cur sic manes infidelis?
Ambas mammas amputari
Tuo damno praecepisti.

9 b. Cur sic manes inhumanus,
In feminam infers manus,
Cum tu parvus esses natus,
Quod in matre suxisti?

10 a. Christum mones abnegare
Atque diis sacrificare,
Quos colit gentilitas.

10 b. Virgo deos respuit,
Nec illam deterruit
Poenarum acerbitas.

11 a. In catasta sublevatur,
Et mamilla cruciatur
Amputanda penitus;

11 b. Sed perstat immobilis
Puella praenobilis,
Roborata caelitus.

12 a. Iubet illam mox recludi
Et ieiunam diu trudi
Sub arta custodia;

12 b. Sed hanc Petrus visitavit
Et mamillas restauravit
Visus nocte media.

13 a. Medicamen et solamen
Christus illae dat ancillae
Praesens in periculis,

13 b. Sed insanus Quintianus
Necdum cedit atque credit
Tot visis miraculis.

14 a. Testas atque prunas dari
Iubet ac mox volutari
Super istis et cremari
Nuda carne virginem.

14 b. O quam dire cruciatur,
Dum hinc testis laniatur,
Inde flammis ustulatur,
Pium spargens sanguinem!

15 a. Non intrabit quippe lucem,
Nisi Christum sequi ducem
Et post eum ferre crucem
Totis optet viribus.

15 b. Virgo, bene tu certasti
Et agonem consummasti,
Esto tandem, quod rogasti,
Cum sanctis spiritibus.

16 a. Gratulantes tuae laudi,
Virgo sancta, nos exaudi
Et in malis constitutos
Huius vitae redde tutos
Per tua suffragia.

16 b. Tu, qui flammas exurentes
Aetnae montis et crepantes
Globos ignis repressisti,
Fac nos coram Christo sisti
Post mundi naufragia.

Collect. ms. Victorinum saec. [13. 15.] 16. Cod. Parisin 14872. — 3a, 5 et idolatriae. — 13a, 2 Christus suae. — 16b, 2 Et hinc montis. Verfasser dieser Sequenz ist vielleicht der Prior Godefridus von St. Victor, worauf auch die beigefügte Chiffre G mit durchgeschlungenem C (= Canonicus?) hinweist. — Die gekürzte Form dieser Sequenz: Anal. XLII, Nr. 154. — Melodie: Laudes crucis.

26. De sancta Agnete.

1 a. Sacra sacris concinentes
Sponso psallant occurrentes
Christo Sion filiae;

1 b. Sonet melos vox canori
Ante virginale thorum,
Assunt agni nuptiae.

2 a. Agnes agno copulatur,
Foederanda perornatur
Sponsa sponsi sanguine;

2 b. Argumentum dat amoris
Pro cruore dum cruoris
Rubricatur flumine.

3 a. Fide Christi subarrhata
Prece, donis est pulsata
A praefecti filio;

3 b. Sponsam Christi se alleg
Et consensum prorsus neg
Carnali commercio.

4 a. Furit puer et tabescit
Et amoris vi languescit
Lectoque prosternitur;

4 b. Causa morbi patri nota
Ad complenda nati vota
Rabidus devolvitur.

5 a. Fit Agnes mox comprehensa
Et hortatur, ut incensa
Immolet daemoniis.

5 b. Virgo constans hoc refut
Et colentes hoc confutat
Aptis testimoniis.

6 a. Hinc puellam spoliari
Iubet iudex et scortari
Infami ludibrio.

6 b. Crine tecta scorto datur,
Missa stola confortatur
Angeli solacio.

7 a. Currens leno stimulatus
Mox exspirat suffocatus
Ad contactum virginis;

7 b. Prece fusa suscitatur
Et in plebe roboratur
Fides Christi nominis.

8 a. Post haec ignes et ardores
Passa vicit et tortores,
Vindex flamma torruit;

8 b. Sic fit tosta sed non laesa
Decollatur ense caesa,
Et mors fidem astruit.

9 a. Eia, martyr, agonista,
Age, ne tuos sophista
Complantet fallacia,

9 b. Sed absorpta morte vita
Te sequamur via trita
Ad sponsi palatia.

Missa. Gemblacense saec. 15/16. Cod. Bruxellen. 5237. — 4 a. 1 Furi poenis et. — 9 a. 3 Complanet. — 9 b. 2 via vita.

27. De sancta Agnete.

1 a. Psallat corde laetabundo
Plebs fidelis in hoc mundo
Agnetis praeconia,

1 b. Quae puella Deo grata
Est in caelis honorata
De superna gloria.

2 a. Divina freta gratia
Huius mundi solacia
Sprevit ab infantia;

2 b. Christi florens in amore
Lac et mel ex eius ore
Sumpsit cum prudentia.

3 a. Quae a scholis dum rediret
Patris aedes et adiret,
Puella fit agnita

3 b. Per praefecti urbis natum,
Ei qui misit legatum
Dona dante[m] inclita.

4 a. Christo sponso desponsatam
Ait et se subarrhatam
Arrha sacrae fidei.

4 b. Ut audivit haec insanus,
Tota mente fit vesanus
Vi amoris carnei.

5 a. Sed nec virgo blandimentis,
Non terrore nec tormentis
A Christo seducitur.

5 b. Quae, dum spernit immolare
Diis vanis et inclinare,
Per praecones ducitur.

6 a. Veste corporis exuta,
Crine capitis induta
Lupanari traditur.

6 b. Angelum haec praeparatum
Dei vidit, ordinatum
Sibi, dum ingreditur.

7 a. Qui protectionis alis
Eam fovit et a malis
Praeservavit omnibus.

7 b. Quam tyrannus impudenter
Ut accessit, properanter
Mortis datur nexibus.

8 a. Quem dum virgo suscitavit,
Protinus, ut oscitavit,
Deum verum praedicat.

8 b. Signis tantis conturbatus
Templi praeses et iratus
Dignam morte iudicat.

9 a. Vultu fulsit velut stella
Clara patiens agnella,
Flammis astans igneis.

9 b. Quae ad caelos dum tendebat,
Ignis eam non laedebat
Membris in virgineis.

10 a. Videns se praefectus victum,
Ense necis dedit ictum
Collum in virgineum.

10 b. Sic trecennis hinc migravit
Et cum angelis intravit
Ad regem aethereum.

Miss. ms. Olomucense saec. 15. Cod. S. Iacobi Brunensis 15. A. — Miss. ms. Olomucense saec. 15. Cod. S. Iacobi Brunensis 23 b. (38.) B. — 2 a, 1 Animâ fixa gratia B. — 2 b, 1 flores A. — 3 b, 1 praefecti orbis B. — 3 b, 3 donantem B. — 4 a, 2 Ait fehlt A. — 4 a, 3 Ara A. — 5 a, 3 A fehlt A. — 8 a, 2 honestavit A. — Str. 8 b fehlt A. — 8 b, 1 Si quis tantis B. — Am Schlufs folgt in beiden Quellen, wohl ein Tropus super Alleluia:

O sancta Dei famula,
Caelestis, Agnes, incola,
Vitare da contagia
Nos tua per suffragia,
Ut tecum caeli gaudia
Contemplare possimus
Per infinita saecula.

28. De sancta Agnete.

1 a. Turma gaude puellaris,
Nam a rege coronaris
Aureola centesima;

1 b. Inter nos exsurgit Agnes,
Quae vi claret velut magnes
Haec stirpe nobilissima.

2 a. Urbis quam praefecti natus,
Adulescens patri gratus,
Amore zelat terreo;

2 b. Quem cum rebus pretiosis
Sprevit vanis: Non amorosis,
Sed Christo, en, adhaereo.

3 a. Ad luxosa ducta loca
Fuit, foeda haec ut ioca
Perciperet puellula;

3 b. Sed cum esset clam erepta
Densis et capillis tecta
A sponso suo sponsula,

4 a. Praefocatur adulescens;
Pater adest tristis amens,
Precatur vitam filio.

4 b. Fusa prece reviviscit,
Viso miro ingemiscit
Eius pater prae gaudio.

5 a. Quidam nihil advertentes,
Ignis struem facientes,
In quam ferri praecipiunt;

5 b. Urens flamma circumstantes
Mox ambussit, vim parantes
Illaesam hanc conspiciunt.

6 a. Ense demum trucidatur,
Eius agon terminatur,
Scandens ad regni solium.

6 b. Clemens virgo, te laudantes
Ut sint tibi conregnantes,
His verum sis auxilium.

Miss. ms. Voraviense saec. 15. Cod. Voravien. 35. — 2 a. 3 zelat. hereo; terreus = terrenus. — 6 b, 3 His enim sis.

29. De sancta Agnete.

1 a. Verbum bonum personemus,
Quo Agnetis adoremus
Vitam, simul commendemus
Triumphum martyrii.

1 b. Haec in flore puerili
Christum mente iam virili
Colens sensu cum subtili
Palmam sperans praemii.

2 a. Haec dum sponsum refutabat,
Patrem eius concitabat,
Ad tormenta se armabat
Fide Christi melius.

2 b. Quando veste spoliatur,
Crine tecta adornatur,
Et per eam suscitatur
Mox praefecti filius.

3 a. Cum ab igne non crematur
Agnes, fide plebs firmatur,
Mox, ut ipsa decollatur,
Caeli subit atria.

3 b. Supplicamus voce prona,
Sponsa Christi, nobis dona,
Habeamus per te bona
Paradisi gaudia.

Miss. ms. Voraviense saec. 15. Cod. Voravien. 35. — Mel.: Verbum bonum.

30. De sancta Adelgunde.

1 a. Virginalis turba, plaude,
Ut laudetur digna laude
Casta generatio;

1 b. Adelgundi mente tota
Pia laudum solvat vota
Nostra congregatio.

2 a. Haec regali stirpe sata,
Pridem Christo desponsata
Respuit coniugium;

2 b. Flagrans igne caritatis,
Angelicae castitatis
Tendit ad fastigium.

3 a. Dum a praesule sacratur,
Per columbam haec velatur
Caelesti velamine;

3 b. Melbodium sublimatur,
In quo virgo decoratur
Plena sacro flamine.

4 a. Mundum, carnem haec prostravit
Et antiquum debellavit
Hostem totis viribus;

4 b. Multis modis expolita
Mundo fulsit margarita
Signis et virtutibus.

5 a. Migrat virgo generosa,
Paradisi vernans rosa,
Gaudens in caelestibus,

5 b. Ubi sponsum amplexatur,
Quae nos suis tueatur
Meritis et precibus.

Officia propria ecclesiae S. Waldetrudis imp. Duaci 1625.

31. De sancto Ambrosio.

1 a. Recolamus venerandam
Ambrosii memoriam

1 b. Summi Dei admirandam
Venerantes clementiam.

2 a. Nam in cunis in os eius
examen apum intravit,

2 b. Quod exiens neque laedens
hinc ad caelum evolavit.

3 a. Sic in melle praedicator
futurus est praesignatus,

3 b. Quod complevit, dum infulam
suscepit pontificatus.

4 a. Quam suscepit nutu Dei
testante voce pueri,

4 b. Dum niteretur sedare
dissensum plebis et cleri

5 a. Hic hymnos et antiphonas
legitur instituisse

5 b. Et quandam paralyticam
solo tactu sanavisse.

6 a. Gervasi et Protasii
martyrum in translatione,

6 b. Quam divina admonitus
fecit revelatione,

7 a. Daemoniaci sunt plures
restituti sanitati,

7 b. Et propter hoc christiani
sunt in fide solidati.

8 a. Sed, ut vidit multitudo
Arrianorum sanatos,

8 b. Exclamavit hos corruptos
pretio et liberatos.

9 a. Quorum unus dixit palam
hos omnes esse mentitos,

9 b. Immo in Dei virtute
veraciter expeditos.

10 a. Honorato Vercellensi
facta est vox dormienti,

10 b. Ut communionem daret
Ambrosio morienti.

11 a. Quam ut ab eo percepit,
scandere caelum meruit,

11 b. Super cuius caput stella
per noctem stans apparuit.

12 a. Igitur, sancte Ambrosi,
nobis assis praesidio

12 b. Et impetres nos fieri
consortes caeli gaudio.

Miss. Briocense imp. Rothomagi s. a. [1502?]. A. — Miss. Macloviense imp. Rothomagi 1503. B.

32. De sancto Andrea.

1. Laudes tu cane Deo,
fidelis caterva,

2 a. In hac praeclara
atque veneranda
die quoque pretiosa,

2 b. In qua supernam
meruit Andreas
scandere caeli patriam.

3 a. Qui cum mitteret
rete in aquam,
ambulans
Dominus iuxta mare,
quod est circa Galilaeam,
vocat eum voce pia:

3 b. „Veni tu," inquit,
„post me, faciam
animas
te piscari ad vitam
sine fine perpetuam,
habens tu meam gratiam".

4 a. Mox ut audivit
vocem Christi benignam,
navim contempsit
atque sua retia,
eius sequens vestigia.

4 b. Post haec divina
plenus sapientia,
omnem per orbem
docens Dei edicta,
multa patrans miracula,

5 a. Deinde Patras
ingressus contra
tyrannum Aegeam,

5 b. Fretus divina
atque superna
misericordia

6 a. Fortiter
pugnat biduo, poenas
exsultans et gaudens
crucis tolerat,

6 b. Plebemque
docere minime
cessat, commendans
Deo animas,

7 a. Caelos penetrans cum multa
splendidaque gloria,

7 b. Ubi sine fine gaudet
cum sanctis in aethera

8. Laudans Deum per saecula.

Miss. ms. S. Stephani Divionensis saec. 15. Cod. Parisin. 879. A. — Prosar. ms. Victorinum Parisiense saec. 15. Cod. Parisin. 15105 B. — 2 b, 3 caeli fehlt B. — 3 a, 2 Qui committeret B. — 3 a, 5 Galeam B. — 4 b, 2 repletus AB. — 4 b, 4 docens Domini AB. — 5 a, 2 Demum B.

33. In Translatione s. Anastasiae.

1. Verbum salutis
Missum de caelis
Transit ad gentes,
Illustrans mentes
Alma doctrina.

2 a. Spreverunt verba regis
Alumni priscae legis;
Sic micas colligunt gentes
Panem caelestem edentes
Sed in gratia.

2 b. Hinc multi prelum calcantes,
Christum passum imitantes,
Vina fundunt rubentia,
Quae habent magna merita
In Anastasia.

3 a. Hanc natam claro stemmate
Sequuntur divitiae, quae
Sunt de nobili prosapia,

3 a. Quas dispensans carceratis
Pro dono aeternitatis
Felicitate perpetua,

4 a. Oblectamina mundana
Iudicans omnia vana
Confusionis triclinia

4 b. Ante se misit habita
Ut Ierusalem filia
In aeterna tabernacula.

5 a. A Chrysogono
bene erudita et in
Christo illuminata est
Anastasia;

5 b. Alimoniis
et consolationibus
in vinculis fovebatur
[ille] ab ea.

6 a. Ad Gradatas Aquas
calicem passionis
bibens miles Christi
in perseverantia

6 b. Maxima pro Christo
afflictione carceris
includitur beata
Anastasia.

7 a. Ibi aethereis dapibus
per dies plus triginta
pascebatur
in magnificentia.

7 b. Post haec navi pertusa iussit
iudex eam cum multis
dimersari;
sed evasit illaesa.

8 a. Deinde insulas
attingens Palmarias
haec christianissima
gaudio plena,

8 b. Ibique suscipitur
a multis religiosis
exsiliatis
cum laetitia.

9 a. Ascensum purpureum in
ferculo regis
scandens ornata

9 b. Induitur feliciter
cocco bis tincto
illuminata.

10 a. Demum horribiliter
igni concremata,
hostia Christi
exsistens immaculata,

10 b. Immortalitatis stola
vere induta
in caelis gaudet
coronata per saecula.

11 a. O martyr Anastasia,
Sis nobis nunc propitia

11 b. Et Christo, nostra crimina
Ut solvat, semper commenda.

Miss. ms. Benedictoburanum saec. 15. Clm. Monacen. 4548. A. — Miss. ms. Benedictoburanum saec 15. Clm. Monacen. 4553. B. — Die Sequenz bietet eine interessante Vermischung der Sequenzenform erster und zweiter Epoche; bei der Sequenzenform erster Epoche (Str. 5—10) ist die Abteilung der Strophenglieder schlecht gehandhabt.

34. De sanctis Angelis.

1 a. Super mentem exsultemus
Et sanctorum celebremus
Angelorum gloriam,

1 b. Qui cum Deo conversantur
Et praeclare contemplantur
Eius sapientiam.

2 a. In ter trina ierarchia
Dulcis sonat harmonia,
Laus superlaudabilis,

2 b. Spargens aestus et fulgores
Suos replet laudatores
Lux inaccessibilis.

3 a. Extendunt fulgidas
Intelligentias
In veram pulchritudinem

3 b. Et superfervidas
Concupiscentias
In divinam dulcedinem.

4 a. Feruntur fortiter
Et uniformiter
In boni plenitudinem,

4 b. Amant communiter
Et singulariter
Totum desiderabilem.

5 a. Ferunt insignia
Fontalis radii,
Velant vestigia
Conscensus invii,

5 b. Cum per deificam
Beatitudinem
Intrant lucificam
Dei caliginem.

6 a. Daemonum iam noverit
Turba turbulenta,
Quam lucem perdiderit
Cadens in tormenta.

6 b. Ferox turba feriat
Ducem seducentem,
Dux in turbam saeviat
Non dissuadentem.

7 a. Omnes damna lugeant
Ducis tenebrosi,
Strideant et ardeant
Sibimet exosi.

7 b. Cessent nos impetere
Non a nobis laesi,
Discant se confodere
Caedentes et caesi.

8 a. Angelos, archangelos
atque principatus
Infimus caelestium
continet ornatus.

8 b. Potestates, virtutes,
dominationes
Ierarchiae mediae
tenent mansiones.

8 c. Thronos vero, Cherubim,
Seraphim beata
Ierarchia continet
ceteris praelata.

9 a. Spiritus angelici,
Ordines ierarchici
nobis praesidentes,

9 b. Nos ab infernalibus
Protegant spiritibus
Singulos monentes.

10 a. Qui nobis invident,
Sunt invisibiles
Et nunquam dormiunt;

10 b. Qui nobis provident,
Iugiter vigiles
Cuncta prospiciunt.

11 a. Horum operatio
Triplex est purgatio

11 b. Et illuminatio
Ternaque perfectio.

12 a. His operationibus
Impenditur mortalibus
Caelestium communio,

12 b. Dum candidam munditiam
Et fulgidam iustitiam
Deo iungit perfectio.

13 a. Ordo archangelicus
Angelis lucidius,
His et illis principatus
In divinum dant ducatus.

13 b. Potestates subditos
Ordinant venuste,
Virtutes excipiunt
Radios robuste.

14 a. Imperant sublimiter
dominationes,
Throni patent deicas
ad susceptiones.

14 b. Perspicax cherubicus
ordo contemplatur
Flammiger seraphicus
sponsum amplexatur.

15 a. Omnes supersimplici
Luce perfunduntur,

15 b. Sed ipsam multiplici
Gradu potiuntur.

16 a. Virtute ple-
ni virtutifica,

16 b. Ordinati
lege ierarchica,

17 a. In divinum singuli
ducunt et ducuntur.

17 b. Infra se dispositis
omnes praeferuntur,

18 a. Et, quidquid luminis
habet inferior,

18 b. Idem perfectius
habet superior.

19 a. Munimur per omnium
vigilem tutelam

19 b. Contra mundi, daemonis,
carnis corruptelam.

20 a. Coetus fidelium
Laudes caelestium
Psallant hilariter

20 b. Et vires hostium
Per hoc praesidium
Conculcent fortiter.

21 a. Subactis hostibus
Accensis mentibus
Vi caelum rapiant

21 b. Et per ierarchicos
Ritus angelicos
Cursus arripiant.

22 a. Transscendant vigiles
Et sponsum adeant,

22 b. Manus non fragiles
Inventum teneant.

23 a. Intrent Mosaicam
Dei caliginem,

23 b. Uniti deicam
Ad plenitudinem.

24 a. Fruantur osculo,
Dum sunt sub speculo,

24 b. Beatae nuptiae
Fiant sub specie.

Collect. ms. Victorinum saec. 15. Cod. Parisin. 15163. — 9 b, 3 Singulis momentis. — 13 a, 1 angelicus. — 13 a, 2 lucidicus — Überschrift: „Sequitur summa seu prosa de angelis"; Nachschrift: „Explicit prosa pulcherrima et ornate composita tam de angelis quam ministerio eorundem."

35. De s. Angelo Custode.

1 a. Angele, qui meus es
custos pietate superna,
Me tibi commissum
serva, defende, guberna.

1 b. Terge meam mentem
vitiis et labe veterna
Assiduusque comes
mihi sis vitaeque lucerna.

2 a. Angele, fide comes,
sapiens, venerande, benigne,
Me movet et turbat
mortis formido malignae,

2 b. Saepe quidem merui
poenas et tartara digne;
Sed succurre mihi
baratri ne mergar in igne.

3 a. Angele, confiteor,
quia saepe fidem violavi
Spirituisque malis
numeroso crimine favi,

3 b. Et praecepta Dei
non, sicut oportet, amavi,
Proh dolor, et Christum
prave vivendo negavi.

4 a. Angele, quando meos
actus per singula tango
Meque reum mortis
video, pro crimine plango;

4 b. Ora rigo lacrimis,
mentem cruciatibus ango;
His me solve malis,
tibi laudes votaque pango.

5 a. Angele, me iugi
solvat tua cura rogatu,
Ne pro multimodo
peream damnerque reatu.

5 b. Me de terribili
liberet Christus cruciatu,
Dignus ut angelico
possim fieri comitatu.

Miss. Pragense imp. Lipsiae 1522. — 1 b, 2 veterana. — 2 b, 4 mergat. — a, 4 damnemurque. — 5 b, 2 tua liberet ipsius a cruciatur. — Diese Sequenz ist ein Bruchstück aus Reginaldi Vita sancti Malchi.

36. De sancta Anna.

1 a. Gratiarum actio
Sit Mariae filio,
Salvatori omnium;

1 b. Annae coronatio
Nostra exsultatio,
Nostrum est convivium.

2 a. Praesentatur hodie
Anna regi gloriae
Cum hymnis et laudibus;

2 b. Amplexatur filia
Matrem cum laetitia
Cum suis virginibus.

3 a. Datur in caelestibus
A sanctorum civibus
Annae salutatio;

3 b. Laudant matris viscera,
Laudant matris ubera
Tota caeli contio.

4 a. Roga, mater, filiam,
Paradisi curiam
Move tuis precibus;

4 b. Detur per te venia,
Fluat nobis gratia
De Christi visceribus.

5 a. Fructus ventris virginis,
Unda tui sanguinis
Culpas nostras dilue;

5 b. Audi matrem filia,
Inter rosas, lilia
Nobis locum tribue.

Miss. ms. Trevirense anni 1495. Cod. Treviren. 361. — Melodie wohl: Veni sancte spiritus.

37. De sancta Anna.

1 a. Alma parens Anna, gaude,
Mater omni digna laude,
Mater tantae filiae.

1 b. Anna recte nuncuparis,
Quia gratiosa paris
Matrem omnis gratiae.

2 a. Anna parit tres Marias,
Quarum primam Isaias
Praedixit divinitus

2 b. Virgam florem producturam
Virginemque parituram
Dono sancti spiritus.

3 a. Haec [est] radix Anna pia,
Virga florens est Maria,
Christus est flos inclitus.

3 b. Digna radix est honore,
Cuius virga tali flore
Fecundatur caelitus.

4 a. Anna stellam matutinam,
Stellam maris et reginam
Peperit clementiae.

4 b. Ipsa vere iam laetatur,
Quia Deum contemplatur
Revelata facie.

5 a. Salve, mater matris Christi,
Quae iam felix conscendisti
Iubilans ad aethera.

5 b. Iter nobis praesta tutum,
Ut in Domini virtutum
Collocemur dextera.

Miss. Lubicense imp. Lubecae 1486. — 4 a, 1 stella matutina.

38. De sancta Anna.

1. Salve, Anna veneranda,
Recte Anna nuncupanda,
Quae cunctis es gratiosa.

2 a. Ab aeterno praeelecta
Et a regum stirpe secta
Manu sapientiae;

2 b. Ex te nata stella maris,
Virgo mater, expers paris,
Regina clementiae.

3 a. O quam felix, quam beata,
Tali prole fecundata
Parens matris gratiae;

3 b. Huic accedunt binae natae
Et sex proles perbeatae
Cum praesule Simeone.

4 a. En, in culmo plures spicae,
Atque vitis ex radice
Surgentes tres palmites.

4 b. Vere celsus tuus status
Et immensus potentatus
In caelesti curia.

5 a. Ergo, Anna, mater pia,
Tota stirpe cum Maria
Iesum ora filium,

5 b. Quo sic eum veneremur,
Ut in caelis collaetemur
Post praesens exsilium.

Miss. ms. Tegurinum saec. 15. Clm. Monacen. 19560. — 1, 2 nuncupata.

39. De sancta Anna.

1. Congaudent angelorum chori
Iesu Christi aviae,

2a. Quae mundi dominam,
Domini matrem,
genuit.

2b. Filias tres sancta
Anna praeclaras
habuit.

3a. Nam Anna
laetatur in caelis,
iam conspicatur nepotem;

3b. In terris
vivens Anna omnibus
exempla sancta praebuit.

4a. Quam celebris
in caelis avia
Iesu Anna creditur!

4b. Laudant Annam
beatam angeli,
ecclesiae filii.

5a. Qua gloria
in caelis sancta Anna
colitur!
Quae dominam caeli
genuit et aluit
dulci lacte sui pectoris.

5b. Quam splendida
sedes sanctae Annae
rutilat!
Rex omnium, Christus,
aviam, ecce, suam
in dextera sua collocat.

6a. Te, Anna beata,
haec plebecula
piis celebrat mentibus.

6b. Te cantu melodo,
beata Anna,
in caelis angeli collaudant.

7a. Te cantus supplex
collaudat devotorum
fletusque pulsat
gementium,
consolatrix Anna
et adiutrix omnium;

7b. Te plebis sexus
uterque veneratur,
te omnis maestus
deprecatur;
o beata Anna,
pro nobis Iesum ora.

8a. Ecclesia
ergo cuncta
te cordibus
teque carminibus
veneratur.

8b. Tibi suam
manifestat
devotionem,
beata atque sancta
o Iesu avia.

9. Da nobis auxilium,
post hoc exsilium,
Anna,
duc nos ad gaudium.

Grad. ms. Bernhardinum saec. $^{15}/_{16}$. Cod. Bernhardin. Cracovien. s. n. — 7a, 6 est adiutrix. — Melodie jene der Notkerschen Mariensequenz gleichen Anfanges; an letztere Sequenz lehnt sich auch der Text an.

40. De sancta Anna.

1. Ave, praeclara
mater, Anna, ex qua
lux gentium, Maria
virgo, fuit orta.

2a. Ave, Deo grata,
parens beata,
quae mundi decorem,
matrem solis iustitiae,
ex sancta carne
ducis in orbem.

2b. Ave, tribus data
sponsis, ornata
triplice Maria,
quarum prima caeli via,
luna, stellaeque
duae secutae.

3a. Tu, radix vitae,
rosam almae stirpis Iesse
protulisti,
quam patres desideraverunt
simul et prophetae.

3b. Tu plena fide
sancto Ioachim comite
obtulisti
in templo decus virgineum,
matrem Emanuel.

Miss. ms. S. Petri Insulensis saec. 15. Cod. Insulen. 25. A — Miss. Tornacense imp. Parisiis 1498. B. — Miss. Tornacense imp. Parisiis 1509. C. — Miss. Tornacense imp. Parisiis 1540. D. — 1, 3 Maria fehlt A. — 2a, 4 matris solem A. — Melodie selbstredend die der Mariensequenz gleichen Anfanges, aber gekürzt.

41. De sancta Anna.

1a. Verbum bonum muntiatur
Annae tristi, quam solatur
Angelus, ut huic profatur
De conceptu filiae;

1b. Per quod verbum hilaratur,
Sterilis mox fecundatur,
Absque naevo impraegnatur,
Parit matrem gratiae.

2a. Ave, veri Salomonis
Matris mater, quae coronis
Miris fulges, altis thronis
In caelesti patria.

2b. Ave, prolem genuisti,
Per quam mundo luxit tristi
Verus sol, quo dispandisti
Caeli nobis atria.

3a. Ave, sponsae verbi grata
Mater, Anna, David nata,
In solamen mundo data,
Nostrorum refugium.

3b. Supplicamus, nos solare
Tristes et reos dignare
Deo gratos praesentare
Ad perpes tripudium.

Miss. ms. Cysoniense saec. 16. Cod. Insulen. 37. — Melodie: Verbum bonum et suave.

42. De sancta Anna.

1 a. Magnae dies claritatis,
Concentus, celebritatis,
Magnae dies gloriae;

1 b. Laudet terra, laudet caelum,
Lira nostra reddat melum,
Sors venit laetitiae.

2 a. Nuper terram opprimente
Nube, soli iam cedente,
Virgultum refloruit;

2 b. Peste caelo dissipata,
Aethere face commota
Terra tota canduit.

3 a. Ex te lumen luminum,
Caeli Deus agminum
Mundum exornavit;

3 b. Ecce, virgo virginum,
Spes et dulcor omnium
Nos laetificavit.

4 a. Tu mons Ornan Iebusaei,
Quo templum est nostrae spei,
Nostrum patrocinium;

4 b. Iericho qua speciei
Rosa vernat, mater Dei,
Totum nostrum gaudium.

5 a. Tu es aqua Ieremiae,
Qua processit fax Mariae
Altaris mysterio;

5 b. Arca, virgae gubernatrix,
Quae floris miri delatrix
Iusti fuit sanctio.

6 a. Tu es cornu olei,
Quo dilectus vitei
Rami cerpsit fructum;

6 b. Salomonis solium,
Quod almae per filium
Est matri praestructum.

7 a. Paradisus voluptatis,
De qua fons virginitatis
Irrigavit omnia.

7 b. Eden, mons amoenitatis,
Quo lignum salubritatis
Fert medelae folia.

8 a. Probri caeno volutatus
Iaspis iam est revelatus
Gloria mirabili;

8 b. Luto nuper coopertus
Onyx nobis est apertus
Aspectu spectabili.

9 a. Tu es lucis carbunculus,
Tu Domini crepusculus,
Luna plena;

9 b. Tu matris Dei genetrix,
Tu mundi lucis editrix,
Vitae vena.

10 a. Anna, per te mereamur,
Maerentes experiamur
Nepotis clementiam;

10 b. Veniam hic consequamur,
Illic tecum assequamur
Sempiternam gloriam.

Miss. ms. S. Andreae Burdigalensis saec. 15. Cod. Parisin. 871. A. — Miss. Burdigalense imp. Burdigalis 1543. B. — 1 a, 2 Conceptus B. — 1 b, 2 cedet A, reddet melum. B. — 2 a, 3 virgulatum B. — 3 b, 2 hominum B. — 4 a, 1 mons uram A., zu Ornan vgl. I. Paral. 21, 18. — 6 a, 2 dilectus vineae B; Correctur des nicht verstandenen Adiectivs viteus (von vitis). — 6 a, 3 Rami prosa decerpsit B. — 7 b, 3 folia fehlt A. — 8 a, 1 Improbri A, In probri B; laptatus AB. — 9 a, 2 crepusculum B. — Melodie: In caelesti ierarchia.

43. De sancta Anna.

1a. Ad caeleste praemium
Suspiret cor fidelium
Cum affectu nimio;

1b. Theothecae honesta
Christi chorus psallat festa
Cum pudoris lilio.

2a. Vas odoris
Et pudoris
Praesidium
Fidelium
Salutem obtinuit.

2b. Haec claruit
Et placuit,
Dividebat,
Offerebat,
Caritatem tenuit.

3a. Decus ergo regium,
Virtutum collegium
Tulit dignum,

3b. Fructum, in quo residet
Dominus, qui providet
Hoc benignum.

4a. Mater matris Christi,
Praesens sis mundo tristi,
Anna, tu fuisti
Benedicta;

4b. Es mater sapiens,
Lumen indeficiens
Solem et pariens,
Anna dicta.

5a. Imbuta gratiae,
Tu, mater Mariae,
Purifica corda fidelium,

5b. Concedens beata
Cunctis, Anna grata,
Gaudia supernorum civium.

6a. Anna, sancta, sublevata
Caelo iam fulges beata,
Esto nobis via grata
Ad caeli palatia.

6b. Anna, parens matris Dei,
Fac nos dignos faciei
Christi, placeamus ei
In caelesti patria.

Miss. Xantonense imp. Parisiis 1491.

44. De s. Antonino Placentino.

1. Omnes celebremus
martyris pia gaudia,

2a. Cuius inclita tropaea
nobis fulgent,
patet et Christi gratia.

2b. Mundus tenebras decutit
factis huius,
sic spernit et idolatras.

3a. Sanguine proprio
postes nostros
consecrasti
temet donando hostiam.

3b. Horrida saeculi
temptamenta
tu sprevisti,
dulcia simul pocula.

4 a. Plangit hostis
noster antiquus, ululat
pallidus
reddens animas.

4 b. Fundit preces
Antoninus, conteritur
et laqueus,
tremunt tartara.

5 a. Psallit in hac die
ecclesia Antonini
miracula;

5 b. Angelorum turba
maxima praedicat huius
certamina.

6 a. Militia
laudanda,
divinitus assumpta,
immutando opera
mutat merita.

6 b. Commercia
humana
formantur in divina,
deponendo talia
mundi spicula.

7 a. Armigerum enim
suum Deus facit
Antoninum;
Christi fert vexilla,

7 b. In quibus fiderat
invicta phalanx et
sanctissima
armans cruce signa.

8 a. Aganensia
martyria
nostra sint precamina,

8 b. Quae iacula
contraria
tollant et mortifera.

9. Sit hoc Christi laus aeterna;
Amen dicant omnia.

Collectan. ms. Placentinum saec. $^{12}/_{13}$. Cod. Capit. Placentin. 65. Mit Melodie: „Eia turmina.“ — Abschrift von Rev. H. M. Bannister.

45. In Decollatione s. Antonini Placentini.

1 a. Martyr almus Antoninus,
Clarus miles Placentinus,
De clarorum genere,

1 c. Veneretur et laudetur,
Urbem istam qui tuetur
Sacrosancto munere.

2 a. Cuius festum nunc acturi
Studeamus esse puri
Ac vivere sobrie,

2 b. Dignum digne collaudare
Ipsumque glorificare
Sine mentis carie.

3 a. Sanctus iste gloriosus,
Exsistens religiosus
Et miris virtutibus

3 b. Praeditus, iuste vivebat,
Auditores instruebat
De fide ac moribus.

4 a. Dum iret ad praedicandum
Et ad fidem convocandum
Omne genus hominum,

4 b. Prae calore, prae labore
Sitibundo manens ore
Exoravit Dominum;

5 a. Tunc Iesus, quem invocavit,
Fontem vivum praeparavit
Aperiens aridam,

5 b. Ex quo sanctum hunc potav
Et corpus refrigeravit
Per divinam gratiam.

6 a. Hinc ad urbem Placentinam
Praedicendo mortem suam
Regressus est iterum,

6 b. Ubi post illusiones
Et post multas torsiones
Passus est martyrium.

7 a. Et cum esset decollatus,
Sanguis est coagulatus
Gloriosi martyris,

7 b. Ut nihil defraudaretur,
Sed totum conservaretur
Donum sancti corporis.

8 a. Caput aqua iam proiectum
Cum cruore est collectum
Per manum angelicam;

8 b. In navicella receptum
Sic ad urbem est devectum
Per Padum, per Treviam

9 a. Festus quidam, christianus,
Vir in sancta fide sanus,
Suscepit haec munera;

9 b. Sacrum locum praeparavit,
In quo caput collocavit
Atque membra cetera.

10 a. Sicque dudum occultata,
Sed sunt tandem revelata
Savino episcopo,

10 b. Cum quo sex fuerunt miri
Praesules sanctique [viri]
Operante Domino,

11 a. Sacrum corpus recondentes,
Vaticinium implentes
Victoris sanctissimi;

11 b. Ubi laudes nunc solvuntur,
Atque preces offeruntur
Pro salute populi.

12 a. Sed nec ist ud est silendum,
Immo firmiter tenendum,
Quia gutta sanguinis

12 b. Fluxit membris de sacratis,
Fidem daret ut renatis,
Gloriosi martyris.

13 a. Sancte martyr Antonine,
Fac servire tibi digne
Hoc praesens collegium,

13 b. Praebe eis lumen verum,
Serva plebem, rege clerum
Et nunc et in saeculum.

Collectan. ms. Placentinum saec. ^{12} 13. Cod. Capit. Placentin. 65. Mit Melodie „Lauda Sion", aber in freier Bearbeitung. — 9 a, 1 quidem. — 11 a, 2 vaticinum. — 13 b, 3 saecula. — Abschrift von Rev. H. M. Bannister.

46. De s. Antonio Eremita.

1 a. Ob Antonii honorem
Invocemus creatorem
Caeli, terrae, marium,

1 b. Qui se praestat, adiutorem
Suis gratiae splendorem
Conferendo varium.

2 a. Quod Antonio ostendit,
Quando mundum vilipendit
Appetens caelestia;

2 b. Corpore dum humi tendit,
Sed mente caelos ascendit
Magna cum modestia.

3 a. Mundus subiacens ruinis,
Cuius fraudis non est finis,
Ab eo deseritur;

3 b. Sed a laudibus divinis
Neque prece neque minis
Vir Dei conteritur.

4 a. Cuncta respuit terrena,
Cum haec sint dolore plena,
Quae sunt sursum, sapiens;

4 b. Quod in caelo sint amoena,
Quod nec ibi regnet poena,
Pura mente capiens.

5 a. Cui panis destinatur,
Dum in eremo moratur,
De caeli palatio,

5 b. Quo vir Dei satiatur
Nec ab eo plus curatur
Divino solacio.

6 a. Nil amori praeferendum
Esse Dei consulendum
Duxit inter cetera,

6 b. Filio qui non parcendum
Duxit, sed per hunc delendum
Peccamina vetera.

7 a. Inscios fecit prudentes,
Consolatus est dolentes
Verbis suis mitibus;

7 b. Concordabat dissidentes,
Solvit poenam patientes
A malis spiritibus.

8 a. Morbidus ignis fugatur,
Morbus varius curatur
Eius per auxilia.

8 b. Hostis furit, indignatur
Et ad iram provocatur
Ob haec et similia.

9 a. Infert ei cruciatus
Et diversos cogitatus
Sordidos insonuit;

9 b. Ab his tamen per precatus
Deo fusos vir beatus
Liberari meruit.

10 a. Ordo poscit rationis,
Quod aeternae mansionis
Consequatur gloriam,

10 b. Qui contemptis mundi bonis
Semper Iesu passionis
Gesserat memoriam.

11 a. Ecce, finis vitae datur,
Et vir Dei liberatur
De mundi fallacia.

11 b. Ad caelos cum evocatur,
Cum gaudio praesentatur
Deo Dei gratia.

12 a. En, in caelo collocatur,
Collocatum veneratur
Caelestis familia;

12 b. Quem rogemus, si peccatur,
Quod peccatum abluatur
Eius per auxilia.

13 a. O Antoni, flos decore,
Tu nos Christi in amore
Fac fervere te ductore
Atque sancto flamine;

13 b. Nos conserves in honore
Solvens a Dei furore
Et a daemonis terrore
Stricto sub examine.

14 a. De hac valle lacrimarum
Pariter et tenebrarum,
In qua omnium bonarum
Rerum est inopia,

14 b. Duc ad illud lumen clarum,
In quo omnium nostrarum
Vera salus animarum
Est in lucis copia.

15 a. Nos peccatis praepollutos
Ab eis reddas solutos,
In agone constitutos
Te tuente redde tutos
Ab hostis saevitia,

15 b. Non nos sinens ad inferna
Trahi, Deo placens verna,
Sed procures nos superna
Pariter et sempiterna
Perfrui laetitia.

16. Amen dicant omnia.

Grad. ms. Stubense saec. $^{12}/_{13}$. add. saec. $^{13}/_{14}$ (Privatbesitz). — 8 a, 2 variis. — 8 a, 3 auxilio. — 11 b, 1 caelos eum vocatur. — 12 a, 1 In in. — 14 a, 3 omnium donarum. — 15 b, 2 Trahe. Melodie wohl: Lauda Sion.

47. De s. Antonio Eremita.

1 a. Laudemus omnes Dominum,
Qui mirificavit suum
Amicum Antonium;

1 b. Cui in Aegypto ortum
Decus contulit parentum
Nobile et devotum.

2 a. Sed generis hanc gloriam
Christus per suam gratiam
Plurimum sublimavit,

2 b. Cum adulescentem pium
De saeculo ad eremum
Vix vigennem vocavit.

3 a. Ubi quanta
Temptamenta
Pertulerit, est mirum;

3 b. Sed non vincunt
Neque frangunt
Fortissimum hunc virum.

4 a. Caro urit,
Satan furit;
Illam cingit,
Istum stringit
Fames et oratio.

4 b. Laceratur
Et mactatur;
Non fraudatur,
Consolatur
Divino oraculo.

5 a. Militis bellum aspicit,
Rex, dignum laude asserit
Hic et in caelestibus;

5 b. Probatur hoc miraculis
Pariter et reliquis
Cunctis mundi partibus.

6 a. Eius vita erat ita
Stricta, recta et perfecta,
Quasi foret angelus;

6 b. Gravis nulli nisi sibi,
Sed procul sint haeretici,
Quorum fuit aemulus.

7 a. Si tentaris, sis humilis,
Intende exercitiis,
Sic teste ipso stabis;

7 b. Sed nisi detur a Deo
Spirituum discretio,
Vix unquam triumphabis.

8 a. O monachorum speculum,
Perfectionis exemplum,
Antoni sanctissime,

8 b. Qui pie auxiliaris
Hominibus et iumentis,
Succurre celerrime

9 a. Cunctis, qui te venerantur,
Ut a malis protegantur
Animae et corporis;

9 b. Hic illustrentur gratia,
Illic caelesti gloria
Tuis sanctis meritis.

Miss ms. Praedicatorum saec. 15. Cod. Carolsruhan. Pm. 45. A. — equent. ms. Praedicat. Basileen. saec. 16. Cod. Basileen. ℵ D III 5. B. — b, 3 viginem A. — 8 b, 3 celeriter B. — Überschrift in B: „Prosa quam omposuisse fertur P. Henricus de Alveldia huius domus Prior ad nstantiam sanctimonialium ad Lapides". Über den Träger dieses Namens onnte ich bisher nichts ermitteln.

48. De s. Antonio Eremita.

1 a. Gaudet orbis et laetatur
Et sollemni moderatur
Gaudia praeconio;

1 b. Festa dies nos hortatur,
Ut in laudes expendatur
Debitas Antonio.

2 a. Qui sub flore iuventutis
Fructum cupiens salutis
Dignum duxit institutis
Arduis proficere;

2 b. Mundum fugit fugientem
Velut hostem persequentem,
Qui captivam tenet mentem
Nescientis fugere.

3 a. In desertum longe ductus,
Spiritaliter instructus,
Non cessavit bonos fructus
Arbor bona facere.

3 b. Ad Aegyptum non respexit,
Ubi natus intellexit,
Quod Loth cito non despexit
In Segor secedere.

4 a. Hunc praecessit clarus vita
Paulus, primus eremita,
Cuius hic Israelita
Propagavit regulam;

4 b. Ipse quoque quadam die
Visitavit illum pie
Lupam sequens ducem viae,
Quae duxit ad cellulam.

5 a. Dum ferventes in amore
Verba facerent, ex more
Corvus panem tulit ore
Duplicato munere;

5 b. Quem eodem dispensante
Paulus ille solus ante
Solet hora postulante
Medium accipere.

6 a. Fratres ergo caeli pane
Refocillant cor inane,
Nil servantes, quod in mane
Scaturiret vermibus;

6 b. Qui nutritur esca caeli,
Fit Heliae par fideli,
Consors factus Israeli
Meritis et moribus.

7 a. Paucis tandem evolutis
Dies natalis venerat,
Et ad gaudia salutis
Mors Paulum parturierat
De maerore saeculi.

7 b. Quem Antonius quaesivit
Flens in tuguriunculo
Duorumque sepelivit
Leonum adminiculo,
Carens ope sarculi.

8 a. Sanctum haec et alia
Praedicant Antonium,
Cuius animalia
Praebent testimonium.

8 b. Pernoctabat studiosus
In orationibus
Agonista gloriosus,
Imperans daemonibus.

9 a. Nostris per te flagitiis,
Antoni, Christus imperet
Et nos ab immunditiis
Tantis obsessos liberet.

9 b. In quem sanctorum oculi
Sperant et plebs angelica,
Nos in deserto saeculi
Pascat annona caelica.

Miss. Diense imp. Parisiis 1499. A. — Sequent. ms. S. Petri Salisburgen. anni 1603. Appendix Miss. Romani imp. Venetiis 1513. in Bibliotheca S. Petri Salisburgen. S II 14 a). B. — 2 b, 1 Nondum fugit A. — 3 b, 2 natum B. — 3 b, 3 cito fehlt B. — 4 a, 1 Tunc B. — 4 b, 3 sequens indubie A. — 5 a, 2 ex timore B. — 5 b, 3 hora fehlt B. — 7 a, 4 Mors fehlt B. — 8 a, 4 Probant A.

49. De s. Antonio Eremita.

1 a. Pia voce praedicemus
Et devotis celebremus
Laudibus Antonium.

1 b. Dei sanctus exaltetur
Et in suis honoretur
Sanctis auctor omnium.

2 a. Hic contempsit mundi florem,
Opes eius et honorem
Parens evangelio,

2 b. Et confugit ad desertum,
Ut non currat in incertum
In hoc vitae stadio.

3 a. Mira fuit eius vita,
Clarus fulsit eremita,
Sed mox hostis subdoli

3 b. Bella perfert, saepe concutitur
Gravi pugna, verum non vincitur
Insultu diaboli.

4 a. Ictu crebro flagellatur
Et a saevis laceratur
Immane daemonibus;

4 b. Lux de caelo micuit
Et clara personuit
Dei vox de nubibus:

5 a. „Quia fortis in agone
Decertasti regione,
Omni nominaberis;

5 b. Te clamabit totus orbis,
Pro pellendis item morbis
Ignis invocaberis.“

6 a. Id, Antoni, nunc impletum
Conspicamur et repletum
Mundum tuo nomine;

6 b. Hoc implorat gens devota,
Tibi pia defert vota
Pro tuo munimine.

7 a. Nunc in forma speciosae
Mulieris, pretiosae
Nunc in massae specie.

7 b. Daemon struit illi fraudes;
Sed qui tanta, vafer, audes,
Succumbis in acie.

8 a. Mille fraudes, mille doli
Sunt inanes, illi soli
Cedit orcus ingemens.

8 b. Militem hunc veteranum
Et robustam eius manum
Horret hostis infremens.

9 a. Non lorica corporali
Fultus inimico tali
Hic athleta restitit.

9 b. Aqua potus, terra lectus
Illi fuit, his protectus
Armis victor exstitit.

10 a. Herba fuit illi victus,
Palmae frondes et amictus,
Ac cum bestiis convictus
Intra solitudinem.

10 b. Precum assiduitate,
Operandi crebritate
Atque somni parcitate
Restrinxit libidinem.

11 a. Confutatis Arrianis
Et philosophis profanis
Paulum visit, nec inanis
Fit via nec irrita.

11 b. Nam convenit hunc viventem,
Inde sanctam eius mentem
Caelos vidit ascendentem
Carne terrae reddita.

12 a. O Antoni, cum beatis
Nunc in regno claritatis
Gloriaris, hic gravatis
Mole carnis pietatis
Tuae pande viscera;

12 b. Ne nos rapiat tremendae
Mors gehennae, manum tende,
Nos a morbido defende
Igne nobis et impende
Gloriam post funera.

Sequent. ms. Caelestin. Ambianensium (Guil. Lovel) anni 1572. Cod. Ambianen. 132. A. — Sequent. ms. Ravennatense anni 1585–87. Cod. Classen. 360 (139. 5. S). B. — Miss. Ambianense imp. Parisiis 1529. C. — Miss. Ambianense imp. Parisiis 1555. D. — Miss. Bellovacense imp. Parisiis 1538. E. — Miss. Bellovacense imp. Bellovacae 1625. F. — 1 a, 1 Eia voce E. — 1 b, 2 Ut B. — 3 a, 1 Mira eius fuit A. — 3 b, 1 Tela perfert A; saepe fehlt A. — 3 b, 2 pugna nec vincitur A. — 6 b, 2 refert B. — Str. 7 a u. b fehlen B. — Str. 8 a u. b fehlen AB. — Str. 10 a u. b fehlen A. — Str. 11 a u. b fehlen B. — 11 b, 2 Inde eius sanctam A. — 12 a, 3 Gloriaris cum gravatis B. — Melodie jedenfalls: Lauda Sion; in A jedoch eine andere.

50. De s. Antonio Eremita.

1 a. Chorus noster promat voces
Et attolat Dei dotes
In Antonii laudibus,

1 b. Vita cuius et doctrina
Nobis patuit sentina,
Ut totis virtutibus

2 a. Carnis, mundi zabulique
Voto forti, toto corde
Spernamus fallacias,

2 b. Corde, animo ac mente
Linquentes zelo fervente
Corporis delicias.

3 a. Applicantes pro medela
Paupertatis insignia
Cordium affectibus,

3 b. Declinemus malitiam
Zelando simplicitatem
Cum iustitiae fructibus.

4 a. Fide iugi persistentes
Ad laevam nec declinantes
Dextrorsumve abeundo,

4 b. Sed in lege meditantes
Divina, fructum quaerentes
Spiritus, perseverando.

5 a. Ut sequentes vestigia
Nostri patroni gaudia
Eius devotis precibus

5 b. Mereamur caelestia
Per sancta exercitia
Cum electis omnibus.

6. Nos dicamus omnes Amen,
Ut det nobis sanctum flamen,
Qui regnat in caelestibus.

Prosar. ms. Caelestin. Ambianensium (Guil. Lovel) anni 1572. Cod. Ambianen. 132. Mit Melodie: Triumphale pange melos.

51. De s. Antonio Patavino.

1 a. Ad honorem trinitatis
De triumpho tanti patris
Sonet vox in iubilo;

1 b. Lumen vitae, verbum pacis
Omne signum sanctitatis
Fulget in Antonio.

2 a. Genuerunt hunc parentes
Nobiles Hispaniae,
Quos reliquit vilipendens
Ad plausum Aegyptiae.

2 b. Post Franciscum iam refulsit
Noviter in Padua
Infirmorum reparator
Sanans membra languida.

3 a. Pede nudo discurrebat
Et accinctus cordula,
Excitabat dormientes
Voce iungens opera.

3 b. Erat tangens verbum eius
Auditorum intima,
Cunctis loquens alta nimis,
Tangens spiritalia.

4 a. O Antoni, bos legalis,
Novae legis spiritalis
Trituruns in area,

4 b. Plures aegros iam sanasti
Et vexatos liberasti;
Dicta probant opera.

5 a. Pater sancte, lux solaris,
Digna laude veneraris,
Qui tot signis novitatis
Decorasti Paduam.

5 b. Rogo patrem sanctitatis,
Ut nos mundet a peccatis
Et coniungat cum beatis
Ad caelestem gloriam.

Miss. ms. Franciscanum (Salisburgense) saec. 15. Cod. Vindobonen. 3795. add. saec. 15. — 5 b. 3 coniunget.

52. De sancta Apollonia.

1. Splendor patris et figura,
Nova per te fit factura,
Dum culpa vetus protoplasti
Mari rubro labitur,

2 a. Gustu serpens quam incussit
Intra paradisi saepes,
Tu crucis potu stipite
Solvis amarissimo.

2 b. Mortis natos a letali
Lapsu vehis ad primaeva,
Polorum sator, foedera
Tristia per pocula.

3 a. Quos dum reddis aetheris
Varia per praeludia
Caritatis fervidae,
Hos tandem multifaria
Beorum firmant dogmata;

3 b. Ut hac sacra virgine,
Quam miro comis opere,
Cunctis donas cernere,
Quae carnis iura domitans
Virtutum quaerit studia.

4 a. Primaevo nam aetatis flore
Pneumatis dulci freta more
Idolorum victimis
Renuit aptari;

4 b. Paterno licet caesa furore,
Dei flagrat in dulcore,
Paupertatis collegiis
Petiit beari.

5 a. Quae, dum regis filia
Esset praeamanda,
Quaeque mundi vilia
Docet refutanda.

5 b. Gaudet veste regia
Intus decorari
Nilque foris aestimans
Dignum venerari.

6 a. Dat miseris munuscula,
Turbidis solacia
Nec daemonis fallacia
Concutitur iuvencula;

6 b. Fert languidis remedia,
Flentium convivia
In rara transfert gaudia,
Resuscitat infantulum.

7 a. O felix Apollonia,
Quanta te suspiria
Pulsant, quae innumera
Sustulisti verbera!

7 b. Tu caeli freta iubilo,
Prona sis auxilio
Tuis, virgo, famulis,
Qui te colunt precibus.

8 a. Gratiarum stipendia
Porrige certantibus
In valle lacrimosa,
Ut luce beatitudinis
Fruamur copiosa.

8 b. Supernorum tripudia
Adhibe gementibus
Tua per secreta,
Quos carnis aestuat stimulus,
Colona Olymporum,

9 a. A dolore dentium,
A languore mentium
Te serva venerantes,
Ne laudum vota irrita
Fiant per contraria,

9 b. Ut calore spiritus
Inflammatus promptior
Sit noster hic conatus
Neumarum novas ad odas
Peragendas in patria.

10 a. Ad amoena paradisi
Nos transferre satage,
Quo Seraphim et Cherubim
Sanctus, *Sanctus* proclamant.

10 b. Quae inbili melliflua
Modularis carmina,
O felix Apollonia,
Venire huc propera,

11. Perpende angarias.

Miss. ms. Frisingense saec. 15. Clm. Monacen. 8389. A. — Miss. ms. Altahense (Sup.) anni 1493. Clm. Monacen. 9743 B. — 1, 2 fractura B. — 2a, 1 Gustum A; Iustum B. — 3a, 5 Beatorum B. — 3b, 2 Quo miro B; donas A, canas B. — 4a, 4 Christi renuit B. — 5b, 1 festa regia B. — 6b, 3 Iurata B. — 7b, 2 Pro necis auxilio B. — 8b, 5 Colonam alumphorum B. — 10a, 3 et fehlt B. — 10b, 2 Modularum A. — 10b, 3 Et felix A. — 11 Propede B.

53. In Translatione s. Arsacii.

1 a. Quem filiae Ierusalem
speculantur, ut videant
regni eius
magnificentiam,

1 b. In quo sicut laetantium
omnium habitatio
post confessionem spei
magnificabitur;

2 a. Cuius vere
gloriosi regis
opus gloriosum
confessio praedicatur
et magnificentia.

2 b. Nam confessor
proprii reatus
et divinae laudis
humilitatis merito
conglorificabitur.

3 a. Quam gloriam sanctus iste
concepisse
memoratur devotis
ecclesiae laudibus.

3 b. Ressurrectionem carnis
in futuro
consummanda absorpta
morte in victoria,

4 a. Fidem illustravit vita,
vitam miracula,
gloriam miraculorum
confessionis humilitas,

4 b. Iugiter mortificavit
concupiscentiam
in cruce contritionis
offerens innocentiam.

5. Tuo ergo interventu
nostras, o Arsaci,
laudes fac directionis
multiformis conformetur
in id ipsum
longanimitate pacis.

Miss. ms. Frisingense saec. 14. Clm. Monacen. 23054. — 3a, 3 sq. meoratur devotis ecclesiae. — 4b, 4 offerens caritas. — Im Anfange scheint etwas zu fehlen, da sonst der Hauptsatz fehlt; etwa: „Laus tibi Christe.“

54. De ss. Arthemio, Candida, Paulina.

1. Adest hodie festum
nobis martyrum,

2a. Quod quidem replet
caelum laudibus
iubilantium.

2b. Spiritu ergo
iuncti Domino
simul dicamus:

3a. Isti sunt sancti,
quos elegit Dominus

3b. De mundo nequam,
vincant ut malitiam.

4a. Iungitur Arthemius
pius invictis
martyribus;

4b. Choreas virginales
intrat Candida
et Paulina.

5a. Post daemones victos
in terris,
post expugnata vitia,

5b. Tandem coronantur
in caelis,
locati super sidera.

6a. O quam felix
Petrus exorcista
et martyr fuit,

6b. Per quem Deus
ad fidem martyres
tantos vocavit!

7a. Dum enim carcer rumpitur,
in quo Petrus
inclusus detinebatur
impie,

7b. Deperit infidelitas
Arthemii
martyris, Candidae et
Paulinae.

8a. Hanc effugatus
reliquit daemon,
et Deus eam implevit
gratia,

8b. Qua confirmata
iam virgo casta
martyrium pertulit
gloriosa.

9a. Hoc triumphavit
Arthemius
tunc ense mactatus;

9b. Hoc exspiravit
praecipitata
Candida rupe.

10 a. Hoc praemia
per Christum data
in pace meruerunt
aeterna,

10 b. Et eorum
pias animas
angeli deportarunt
ad Deum.

11 a. Supplices illis
ergo preces fundamus
dignas tantis
adiutoribus,

11 b. Qui Christo regi
et magistro uniti
gloriantur
in caelestibus.

12 a. Sancte Arthemi
et Paulina virgo
et o Candida,
vestra nobis aeterna
impetrate gaudia,

12 b. Ut ad bravium
perducti supernum
laudes debitas
cum angelis persolvamus
ineffabiliter.

13. Hoc isti martyres
nobis praestabunt.

Collectan. ms. Placentinum saec. $12^{1}/_{13}$. Cod. Capit. Placentini 65. Mit Melodie: Occidentana. — 10b, 3 deportaverunt. — Abschrift von Rev. H. M. Bannister.

55. De ss. Arthemio, Candida, Paulina.

1 a. Hodiernae lux diei
Nobis in hac matris dei
Fulgeat ecclesia;

1 b. Ex affectu laus perennis
Iteretur et sollennis
In excelsis gloria.

2 a. Haec est dies praeoptata
Et a Christo consecrata
In sanctorum sanguine,

2 b. Qui, dum verbis exorcistae
Credunt, fiunt agonistae
Celso fulti numine.

3 a. Cum Serenus, vir profanus,
Sanctos artat, corde vanus,
Carceris angustia,

3 b. Custos ridet in doctrina,
Quod miratur in Paulina
Post sanata filia.

4 a. Credit Arthemius,
Coniunx confitetur,
Liberatur filia,
Numerus augetur
Christum confitentium.

4 b. Hos Serenus saeviens
Iubet immolari,
Ruderum congeriem
Praecipit aptari
In horum exitium.

5 a. Trucidantes tandem tenti
Nec inferre vim tormenti
Sanctis queunt libere;

5 b. Sed peractis [his tormentis]
Relaxantur; non retentis
Manibus a scelere

6 a. Perimunt Arthemium
Cuspide mucronis,
Quem Deus ad solium
Sacrae visionis
Deduxit sollemniter.

6 b. Candida cum virgine
Saxa pertulerunt,
Et sic fuso sanguine
Regna meruerunt
Caelica feliciter.

7 a. Horum membra trucidata
Huc a Roma sunt delata
Et in ara tumulata
Hac Iustinae virginis.

7 b. Hi pro plebe Placentina
Suffragantur cum Iustina
Et cum virginum regina,
Summi matre numinis.

8. Cui sit laus et gloria;
Amen dicant omnia.

Collectan. ms. Placentinum saec. $^{12}/_{13}$. Cod. Capit. Placentin. 65. Mit Melodie. — 4 b, 1 Serenus serviens. — 7 b, 2 sufflagantur. — Abschrift von Rev. H. M. Bannister.

56. De sancto Augustino.

1 a. Turma plaudit caelica
Christo psallens cantica
Resonante musica,

1 b. Poli clangens regia
Boat in harmonia
Consona melodia.

2 a. Caelestis familia
Celebrat sollemnia
Non deficientia.

2 b. O quam felix curia,
Quam beata patria,
Ubi tanta gaudia!

3 a. Propter haec perennia
Augustinus omnia
Sprevit transitoria.

3 b. Quem Christi clementia
Peracta victoria
Laureatur gloria.

4 a. Hic a pueritia
Gradiens per devia
Multa gessit levia;

4 b. Sed Domini gratia
Post multa dispendia
Ductus est in patria.

5 a. Matris eius precibus
Tractus ab erroribus
Iungitur fidelibus;

5 b. Qui migrans de vallibus
Conscendit in montibus
Cum Christi clientibus.

6 a. Hinc divinis legibus
Novis et veteribus
Claruit in plebibus;

6 b. Verbis et operibus
Pastum dedit ovibus
In Christum credentibus.

7 a. Mille per volumina
Vitae dans documina
Caeli pandit limina;

7 b. Caecis praebens lumina
Legis aufert tegmina
Per librorum fulmina.

8 a. Hinc pontificalia
Suscepit officia
In urbe Hipponia;

8 b. Fulsit in ecclesia
Sicut luminaria
In caelo lucentia.

9 b. Secus Christi formulam
Non habentem maculam
Sacram scripsit regulam;

9 b. Eam diligentium
Et mundum linquentium
Maximum est praemium.

10 a. Gubernanti omnia
Laus honor et gloria
Per saecla manentia,

10 b. Qui nos victis hostibus
Augustini precibus
Iungat caeli civibus.

Grad. ms. Sedunense saec. 13. Cod. Capit. Sedunen. s. n. A. — Sequer ms. Sedunense saec. 13/14. Cod. Capit. Sedunen. s. n. B. — Sequent. ms. S dunense saec. 14 et 15. Cod. Capit. Sedunen. s. n. C.

57. De sancto Augustino.

1 a. Sollemnizet cleri schola,
Psallat Christi Domini
familia

1 b. Reputans [nunc] Augustin
Caelestis presbyteri
sollemnia.

2 a. Ipsum mater
mundo carne pariens
Dedit virum
Christo reparturiens
Fletu serente gaudia.

2 b. In plateis
sponsum non inveniens
Est inventus
et inventus transiens
Custodes in ecclesia.

3 a. De auro Arabiae
Deo multum obtulit
Et Aegyptum spolians
vasa secum extulit
Cum aureis argentea.

3 b. Ductilis argentea
tuba castris sonuit,
Cuius Ierichontinos
muros clangor obruit,
Vulpes tulit a vinea.

4 a. Mitigavit
Ista David
Dulci sonans cithara
Corda Saul barbara.

4 b. Inter cunctas
Hic iucundas
Citharas Ierusalem
Sonuit clarissima.

5 a. Caedens libris pluribus
Ramos de arboribus
Stravit in Christi via.

5 b. In suum cubiculum
Introduxit famulum
Suum philosophia.

a. Augustinus
Nullo minus
Alta vidit
Nec invidit
Caelestes terrae
Favos proferre,
Cinxit in mente thalamum
scribens fortia.

6 b. Vir divinus
Ipsos sinus
Coaeterni
Patris verbi
Verbo retexit
Et introspexit
Mentualis acuminis
perspicacia.

a. Observavit
vitam apostolicam
Literatim
scripsit et canonicam
Scriptis vincens
antiquorum studia.

7 b. Theologi
Augustini omnia
Nulla clausit
legentis industria.
In his cunctis
tibi, Christe, gloria;

3a. Fac, ducat ad te meritis,
Quos pascit de te monitis
Seraphim consors anima;

8 b. Quae docuit, da facere,
Quae cernit, tandem cernere,
Festa Sion dulcissima.

9. Per Augustini merita
Nos ad vitam resuscita,
Trinitas sancta.

Hymn. et Sequent. ms. Montis S. Mariae saec. 14. Cod. Guelfenbuteran. elm. 1340. — 1a, 1 stola. — 4a, 1 Migravit. — 4a, 3 Dulce. — 4b, 4 nat. — 8a, 2 Quas. — 9, 3 L. O trinitas sanctissima?

58. De sancto Augustino.

1 a. Laetabundus
Moduletur grex fidelis,
Alleluia;

1 b. Flore mundus
Perlustratus est e caelis,
Res miranda.

2 a. Claret ex Karthagine
Nobilis prosapiae
Sol de stella;

2 b. Christi pedum praevia
Sequitur vestigia
Pari forma.

3 a. Cuius gleba corporis,
Postquam mortis vinculis
Fit corrupta,

3 b. Morbis fert auxilium,
Redolens ut lilium
Valle nostra.

4 a. Gaudet stola simplici
Serica de duplici
Carne sumpta.

4 b. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .

5 a. Mox ut granum moritur,
Mundo lux exoritur,
Haeresis dignoscitur
Esse caecae.

5 b. Praesulis insignia,
Percrebra subsidia
Protestantur omnia
Haec praedicta.

6 a. Salutis pocula
Spirans, sic sedula
Refocillatur
Gens misera.

6 b. Nos, Christe, libera,
Caelica munera
Da, quem genuit
Puerpera.

Miss. ms. Patavienſe saec. 14. Cod. Cremifanen. 373. ad. saec. 14. — 4 a, 2 Secimus de. — 5 a, 4 Et cetera. — 6 b. 3 Da quae. — Melodie: Laetabundus.

59. De sancto Augustino.

1 a. Voce laudis, Sion, gaude,
Plaudant astra nova laude
Cum ingenti gloria;

1 b. Augustini confessoris,
Praeclarissimi doctoris,
Exsultent memoria.

2 a. Hic doctor philosophiae,
Qua caelestes ierarchiae
Probantur catholice;

2 b. Per creata de creante
Haec ars fide mediante
Disputat rhetorice.

3 a. Huius doctor veritatis
Librum scripsit trinitatis
Excellenti lumine;

3 b. Astra scandit contemplando
Ut aquila speculando
Spiritus acumine.

4 a. Haeresiarchas confudit,
Disputando dum excludit
Sectas horum varias,

4 b. Sagittasque Iudaeorum
Pharetra theologorum
Damnavit nefarias.

5 a. More solis orbi lumen,
Verum paradisi flumen
Rigans omne saeculum.

5 b. Quis se novit tibi parem,
Per doctrinam salutarem
Omnis cleri speculum?

6 a. O columna Dei templo.
Verbo docens et exemplo
Gratia largiflua;

6 b. Arbor paradisi lata,
Toti mundo fructu grata.
Poma dans melliflua.

7 a. Vere stella radiosa
Caligine nebulosa
Et lucerna praevia;

7 b. Dux fidei, flos doctorum,
Nos ad gaudia iustorum
Duc per mundi invia.

8 a. Summe doctor, Augustine,
Apotheca medicinae,
Nubes roris gratiae,

8 b. Pro filiis, pater, ora,
Aegris gratiam irrora
Cum fructu iustitiae.

9 a. Doce nos in fide Christi
Capere, quae docuisti,
Tenaci memoria

9 b. Sic, ut tecum sine fine,
Felix pater Augustine,
Laetemur in gloria.

Collectan. ms. Eremit. Augustinorum Vindobonen. saec. 16. Cod. Vindobonen. 3301. — Steht unter einer Reihe von Sequenzen.

60. De sancto Auspicio.

1 a. In voce angelica
Psallat plebs Aptensis,
Quia in laetitia
Fulget dies ista
Pro Auspicii gloria.

1 b. Veneremur Dominum,
Caeli plasmatorem,
Qui per suam gratiam
Aptae dedit talem
Auspicium praesulem.

2 a. Cui Clemens pontifex
Commisit regimen
Civium Aptensium,
Quo convertat agmen
Ad Dei magnalia.

2 b. Qui praedicans fortiter
Verbum salutare
Et incessabiliter
Deum laudans vere
Per clara prodigia.

3 a. Pro hoc caput frangitur
Et pes amputatur,
Corpus suum reliquum
Sic vilificatur
Tertullae immania.

3 b. Laetetur haec civitas
De tam grandi dono,
Cui datur sanitas
Sub tanto patrono
Pellens idolatria.

4 a. Ipsius suffragio
Mereamur iungi
Caeli cum agminibus
Et sic comitari
Prae suscepta gratia.

4 b. Ergo, pater inclite,
Vir Auspici pie,
Plebi tibi subditae
Superum in aede
Vera para gaudia.

Brev. Aptense imp. Lugduni 1532. (In der 2. Vesp.) — Überschrift: Prosa.“ — 2 a, 4 agmen illud. — 3 b, 1 Laetetur Aptensis civitas.

61. De sancta Barbara.

1 a. Veni, virgo Barbara,
Pro salute omnium
Ora Dei filium.

1 b. Veni, martyr Barbara,
Mediatrix hominum,
Fer nobis auxilium.

2 a. Consolatrix optima,
Dulcis confer animae
Mellis refrigerium.

2 b. In labore requies,
Vires ut restituas
Iam deficientium.

3 a. O lux beatissima,
Da, ut haec plebecula
Bonum sumat exitum.

3 b. Sine tuo iuvamine,
Quidquid est in homine,
Non placebit Domino.

4 a. Lava, quod est sordidum,
Dele, quod est noxium,
Pia virgo Barbara.

4 b. Flecte, quod est tumidum
Habilita trepidum,
Rege, quod est devium.

5 a. Da tuis supplicibus,
Ut duris cervicibus
Non offendant Dominum.

5 b. Da, ut labes cordium
Abstergantur omnium
Ante nostrum exitum.

6 a. Da, ut tuis precibus
Audiri valebimus
In his nostris vocibus,

6 b. Ut post mortis terminum
Tecum in perpetuum
Simus in solatium.

Miss. ms. Dominicanum saec. 15. Cod. Carolsruhan. Pm 54. — 1a, 1 u. 1b, 1 Audi. — 3a, 1 O lux sanctissima. — 4b, 2 Habilita quod est. — 5a, 1 supplicantibus. — 6a, 2 Exaudiri. — Melodie natürlich: Veni sancte spiritus.

62. De sancta Barbara.

1 a. Ave virgo, martyr Christi,
Aromatum exstitisti
Summi regis cella.

1 b. Barbara, Deo credidisti,
Patris idola sprevisti,
Flagrans Dei stella.

2 a. Caeli sponsus te dilexit
Teque sibi sic adnexit,
Ut sis eius socia.

2 b. Domum patris, quam fundasti,
Trina luce illustrasti
Trinitatis gratia.

3 a. Euge, mundum superasti,
Patris iram non curasti
Quaerentis te in nemore,

3 b. Figuram tu trinitatis
Patri narras verbis ratis
In praesenti tempore.

4 a. Gaudet nunc turba caelica,
Arma sumit bellica
Virgo puerilis.

4 b. Haec est patris confusio,
Deorum illusio,
Dum certat subtilis.

5 a. Induitur cilicio
Ad carnis detrimentum,
Conspuitur supplicio,
Gratiae augmentum
Suscipit piissimum.

5 b. Karissima haec nobilis
Rosa sine spina,
Castissima, nec mobilis,
Ut de Engaddina
Vinum est dulcissimum.

6 a. Luce divina in carcere
Grata consolata,
Insanos fanos parcere
Nolens care, gnare,
Mitis in flagitio.

6 b. Maximino haec tradita
Et exspoliata
Nervis chordis est discerpta
Et parata rata
In Dei servitio.

7 a. Nudata sive tecta,
Pecta, lecta, [secta], vecta
Ad Uriel,
Quae hic fortior Ariel
In luctu certaminis.

7 b. Omnibus gratiosa,
Glosa, rosa, prosa, osa
Et formosa,
Super multas virtuosa
Dono Dei flaminis.

8 a. Pastor mutatur tunc in saxum,
Oves fiunt locustae;
Haec fecit Deus clamans:
Pax sum,
Qui iuste et honeste
Punit pro excessibus.

8 b. Quatiata, [per]multa passa,
Firmam tenebat mentem,
Confortata de pacis massa,
Quae docet Dei gentem
Ire piis gressibus.

9 a. Regi regum copulata,
Postquam virgo vapulata,
Cum patris iuvamine

9 b. Satrapae pneuma fit in unda,
Filia suscepit munda
A malo spiramine.

10 a. Tu, virgo, debes Dominum
Nobis adunare,
Atque eucharistiam
In fine procurare,
Contra robur daemonis.

10 b. Virgo in mammis offensa,
Deum semper colis
Et in flammis, tu mensa
In arena solis
Et ebur Salomonis.

11 a. Xristum regem cernis laetum,
Qui absterget omnem fletum;
Quae non curas malum metum,
Nos ducas ad eius coetum,
Qui est super sidera.

11 a. Yesse florem invenisti,
Anchorae spei (ad) haesisti,
Cosmi chaos respuisti,
Galaxiam docuisti,
Quae ducit ad aethera.

12. Zyma Babel aufer (nunc) laete,
Ne nos prendat Dagon rete,
Qui praesumunt semper de te;
Senem, natum, flamen pete,
Ut festinet ad conductum
Nostrum auferentem luctum
Et det *Chere*, pium fructum,
Tecum laete post examen.
Fiat, fiat; Amen, Amen.

Collect. ms. Altahense (Sup.) saec. 15. Clm. Monacen. 9508. — Mit Melodie = Ave virginalis forma. — 5 a, 3 in suplicio. — 6 b, 3 discerpta est. — 7 b, 5 flamine. — 10 a, 5 robur hamonis.

63. De sancta Barbara.

1 a. Ave, virgo generosa,
Castitate radiosa,
Deitatis flosculus;

1 b. Ave, candor verae lucis,
Tu nos prece tua ducis
Ad caeli oracula.

2 a. Bonitate illustrata,
Nobili ex stirpe nata,
Ex patre Dioscoro,

2 b. Bella cuius ad culturam
Idolorum monent duram
Ex corde pestigero.

3 a. Christum sponsum maritavit
Et humanum reputavit
Haec felix puellula,

3 b. Cui recti dans amorem,
Nec dilapsa in ardorem
Pura sine macula.

4 a. Deos vanos detestatur,
Dum tyrannus deprecatur
Sacrum ferre idolis.

4 b. Docet laudem creatoris
Claritate sui oris
Huius orbis incolis.

5 a. Erogavit rorem vitae
De supernis datum rite,
Humectantem largiter.

5 b. Evolavit pia avis,
Cuius tuba est suavis
Sonos formans dulciter.

6 a. Fide praestans deitatem
Indivisam trinitatem
Castis colit mentibus.

6 b. Fonte pravo crevit rivus,
Cuius fluxus est dativus
Caelestibus aedibus.

7 a. Gemmae iubar luce reddit,
Dum tormentum corpus caedit
Ad effluxum sanguinis;

7 b. Gaudet orans in agone:
„Miserere, Iesu bone,
Et salvator hominis;

8 a. Hos tuere et defende,
Tuam gratiam impende
Meis gratis vernulis.“

8 b. Hac in hora sonuit
Angelus et monuit
Exauditam pro famulis.

Miss. ms. S. Iacobi Vindobonensis saec. 15. Cod. Praedicatt. Vindobonen. 91. — 3 b, 1 Cui ratsi dans. — 4 b, 3 Et huius. — 6 b, 2 est diutinus. — 6 b, 3 Caelestis. — 8 b, 1 Hanc. — Scheinbar der erste Teil eines grösseren Abcedars.

64. De sancta Barbara.

1 a. Beata es tu iam dicta,
Quia per patrem adflicta
Trinitatis nomine.

1 b. Arbor es tu deitatis,
Scala summae pietatis,
Qua solvuntur vincula.

2 a. Rosa mirae castitatis,
Per quam porta claritatis
Fit afflicto corpore.

2 b. Bene mente concepisti,
Trinum Deum esse unum
Per tres rimas designans.

3 a. Ambiens trinitatis gloriam
Videre per victoriam
Voto tenes curiam.

3 b. Reis tu in miseria
Succurre nunc prece pia
Apud tuum Dominum.

4 a. Ad ianuam tu gratiae
Per palmamque victoriae
Conduc tuos athletas.

4 b. Memento, quaesumus, nostri,
Dum solvitur sera morti,
Dans perenne gaudium.

Miss. Posnaniense imp. Cracoviae 1524. — Akrostichon: Barbaram.

65. De sancta Barbara.

1 a. Salve, rosa martyrum,
Castitatis lilium,
Sancta Barbara;

1 b. Per quam fons laetitiae
Ortus est ecclesiae,
Sancta Barbara.

2 a. Laude digna angelorum,
Reparatrix peccatorum,
Sancta Barbara.

2 b. Spes reorum, pes lapsorum,
Laetitia beatorum,
Sancta Barbara.

3 a. Pater tuus te
nobilitavit,
Dum in celsa turri
te collocavit,
Sancta Barbara.

3 b. Te paganismus
maestificavit,
Te paraclitus
irroravit,
Sancta Barbara.

4 a. O gloria,
O gaudium,
Dum credidisti altissimi
unigenitum,
Sancta Barbara!

4 b. O vernula,
O, Dominum
Propitium fac nobis semper
Dei filium,
Sancta Barbara.

5 a. Tuam gladius
pertransivit animam,
Dum te pater furens
compulit, ut coleres
idolatriam,
Sancta Barbara.

5 b. Vincula, ungulae
blasphemiae, mallei,
Ardentes lampades
mammae te, sponsam Christi,
molestaverunt,
Sancta Barbara.

6 a. O laetitia!
O triumphat, en, filia
Aeterni regis
adamatrix,
Sancta Barbara.

6 b. O regina!
O, regnat, vincit, imperat
Non moriturus
tuus amator,
Sancta Barbara.

7 a. Nunc inter choros
angelorum exaltata
A Deo, paranympha,
caelo regnas
Caelesti gloria
Circumdata,
Sancta Barbara.

7 b. Nostri memor esto,
virgo dilectissima,
De hac miseria
tuos exsules
Reduc ad aeterna
Tabernacla,
Sancta Barbara.

8. O virgo, o stellula,
O martyr, o praeclara
Sancta Barbara.

Oration. ms. S. Petri Salisburgensis saec. 15. Cod. S. Petri Salisburgen. VI 35. A. — Collectan. ms. Altahense (Sup.) anni 1452. Clm. Monacen. 508. B. — Oration. ms. Tegurinum anni 1470. Clm. Monacen. 20021 C. — a, 2 Et castitatis AB. — 1 b, 1 quem B. — 2 a u. 2 b umgestellt B. — a, 1 Gaude A. — 2 a, 2 perditorum A. — 3 a, 1 Pater summus B. — 3 a, 4 pulchram AC. — 4 a, 4 unigenito AC. — 4 b, 3 nobis fehlt B. — 5 a u. b umgestellt A. — 5 a, 3 pater ferus B. — 5 b, 1 sq. Vincula vingulae ngellae ferrum mallei AC. — 5 b, 4 mammaeque B; Christi fehlt A. — b, 5 molestaverant AC. — 6 a, 1 O gloria o laetitia AC. — 6 a, 2 O quia rrexit filia B. — 6 a, 3 en aeterni B. — 6 b, 1 O resina o regina AC. — a, 1 Tunc praesens choris A. — 7 a, 3 A dextris filii B. — 7 b, 2 dulssima A. — 7 b, 3 In hac A. — 7 b, 4 tuos fehlt A. — 8, 2 martyr o gina B. — Das Ganze ist eine Umdichtung der Sequenz: Ave plena ratiae.

66. De sancta Barbara.

1 a. Hac in die gratulemur
Et immensa veneremur
Barbaram cum gloria,

1 b. Qua conscendit caelos laeta
Martyrum iam flore freta
Sublimi victoria.

2 a. Vultus splendor admiratur,
Unde virgo postulatur
Multis in coniugium:

2 b. Sed renitens hoc constanter,
Christum quaerit incessanter
Sibi in refugium.

3 a. Peregrinos sumens vultus,
Ad profanos tendens cultus
Pater vergit propere,

3 b. Ast tenellam praeservari
Et in turri collocari
Imperat summopere.

4 a. Et cancellos vidit binos,
Sed perpendens fore trinos,
Ternum iubet cudere;

4 b. Iussa complent hinc structores,
Typo crucis signans fores
Christo caepit ludere.

5 a. Sed dum pater est reversus
Bibliis comminitat,
Intus ira fit conspersus,
Causam trium quaeritat

5 b. Cancellorum, quam ostendit
Virgo, sic dum explicat,
Trinum Deum haec praetendit,
Cunctis qui imperitat.

6 a. Pater stridet, virgo ridet
Irrorata flamine;
Furibundum quando videt,
Turris de cacumine

6 b. Sic in terram se submisit
Nacto iam cacumine,
Quod nec illam quid collisit
Christo duce lumine.

7 a. Cerberum hinc fugit parva:
Aemulantur hanc per arva
Fascinante zabulo:

7 b. Prodit illam custos gregis
Sectatricem novae legis
Delitentem zabulo.

8 a. Beniamin hanc comprehendit,
Trucidari flocci pendit,
Virgo stans immobilis;

8 b. Marciano praesentatur,
Diis libare dum minatur,
Exsecratur nobilis.

9 a. Hinc puellam lacerari,
Cilicio confricari,
In mamillis laedere

9 b. Ac lampadibus peruri
Dat tyrannus cordis duri
Et flagellis caedere.

10 a. Pater spata necat natam,
Christo sic oppignoratam
In perenni curia.

10 b. Quae et nobis hunc exoret,
Serpens pernix ne nos voret
In gehennae furia.

11 a. Adonai, rex aeterne:
Plastes rerum omnium,

11 b. Tu dignare nobis dare
Barbarae consortium.

Miss. ms. Franciscan. Monacensium saec. 15. Clm. Monacen. 8707. A. — Cant. ms. S. Iacobi Augustani anni 1481. Clm. Monacen. 6913. B. — 1b, 2. In martyrum B. — 2a, 1 admirantur B. — 2b, 1 retinens haec. A. — 4a, 2 perpendes B. — 5a, 2 communicat A. — 5a, 3 Ineris ira sit A. — 6b, 1 Hic B. — 7a, 1 Verberum B. — 8a, 1 Veni ami A. — 10a, 1 spatam A; lecat AB. — 10a, 2 fehlt A.

67. De sancta Barbara.

1 a. Laudum praeconia
Promat per omnia
Mater ecclesia,
Sacra sollemnia
Nam assunt hodie.

1 b. Sidus exoritur,
Splendoris gratia,
Lumen in tenebris
Orbis degentibus
In sancta Barbara.

2 a. Hostis superbiam,
Mundi fastidia
Refutans, culmina
Quaesivit gratiae
Sed ab infantia;

2 b. Solem iustitiae
Colens cotidie
Cordeque animo
Stabili Domino
Parere studuit.

3 a. Fulgor ut micuit
Lunaris facie,
Turri quam incluserat
Pater Dioscorus,
Deos qui coluit.

3 b. Cui hinc apparuit
Repente angelus,
Cuius virgo paruit
Relatis subito
Ex toto animo.

4 a. Accedens filiam
Pater Dioscorus,
Quam plena gratia
Unxit, qui et idola
Destructa vidit et fracta.

4 b. Hanc furens bestia
Quaerens, cur idola
Sperneret, munera
Conferrent cum optima
Cunctis colentibus ea.

5 a. Diras non metuit
Poenas angustiae,
Regem sed gloriae
Amavit sedule
Dulcis christicola.

5 b. Ad mortem rapitur
Innocens agnella,
Carnis quae post bella
Mundi ac tristia
Intrat in gaudia.

6 a. Ut nobis tribuat
Peccati veniam
Labem ac diluat,
Exora iudicem
Supremum, Barbara;

6 b. Ut virus, nocumen
Partum in tenebris,
Ablatum sit nobis,
Concede famulis
In die ultima.

Collectan. ms. Altahense (Sup.) anni 1452. Clm. Monacen. 9508. A. — Grad. ms. S. Stephani Augustani anni 1527. Cod. Capit. Augustan. 27 a. B. — 2 a, 4 Quae fuit B. — 3 a, 1 Fulgur B; innuit B. — 3 b, 1 Cui huic B. — 4 a, 5 Destructa fehlt B. — 4 b, 2 idolum B. — 4 b, 3 numina A. — 4 b, 4 sint optima B. — 4 b, 5 Cunctis fehlt AB. — 6 a, 4 Exorat A. — 6 b, 1 nociva A. — 6 b, 2 Partem AB; interius A. — 6 b, 3 Ablatam A; nobilis AB. — Melodie: Mittit ad virginem.

68. De sancta Barbara.

1 a. Egregia sponsa Christi,
Carnem, mundum quae vicisti,
Orta, virgo Barbara,

1 b. Ut de spina prodit rosa,
Medicina dulcorosa
Ex herba fit amara.

2 a. Vere luce gemma nitens,
De tenebris sidus lucens,
De gentili sanguine

2 b. Orta, virgo speciosa,
Virtutibus pretiosa,
Omni absque crimine.

3 a. Pater eam occultavit,
Alta turri collocavit,
Ne Christum agnosceret;

3 b. Rore caeli imber stillat,
Membra cordis refocillat,
Quod baptismum posceret.

4 a. Rex audiens postulare
Sibi coepit, demonstrare
Pulcherrimam faciem;

4 b. Parens eius Dioscorus,
Regis satrapa decorus,
Mutat vultus aciem.

5 a. Quam mox Christus ulceravit,
Dioscorus se turbavit,
Hanc decollans acriter;

5 b. Felix virgo es cum rege,
Postularis, tu nos rege
Servos sanans iugiter.

Miss. ms. Sanctae Coronae anni 1498. Cod. Pragen. XII C 6. — 5 b, 1 cum est rege. — 5 b, 2 Postularis nnas euge.

69. De sancta Barbara.

1 a. Psallat chorus laetabundo
Ore, voce, corde mundo
Laudes sacrae virgini,

1 b. Quam ditavit, quam amavit
Deus, ipsam quando lavit
Cruore sui filii.

2 a. Hanc attraxit, hanc allexit
Virtus summi, dum invexit
Eius divo spiritui,

2 b. Ut futaret mundum istum
Propter sponsum suum
Christum
Atque pompas saeculi

3 a. Aboleret ac doleret
Profanos deos, coleret
Quos pater Dioscorus.

3 b. Inclinata virgo mente
Christo paret sic repente
Mores colens caelitus.

4 a. Turri vultus elegantiam
Ob fidei constantiam
Pater quam incluserat,

4 b. Deos vanos detestavit
Et ipsos annihilavit,
Quos pater coluerat.

5 a. Pater eius fervens ira
Ipsam poena punit dira,
Sanctam, sacram virginem;

5 b. Qui post longam sic torturam
Virginalemque pressuram
Suum vibrans mucronem.

6 a. Ipsi caput amputare
Volens, Christum deprecare
Coepit haec sancta prece.

6 b. Qui mox montem hanc iniecit,
Ubi sancta hoc effecit,
Ut mutentur propere

7 a. Oves sui proditoris;
Quam tunc capit in his oris
Pater plenus scelere.

7 b. Cuius caput amputavit
Sua manu et sic lavit
In sanguinis flumine.

8 a. Virgo sancta tu nos munda
A peccatis et iucunda
Corda fac et corpora,

8 b. Ut consortes creatori
Nostro laudes salvatori
Reddamus per saecula.

Miss. ms. Olomucense saec. 15. Cod. S. Iacobi Brunen. 12. add saec. 15. A. — Miss. ms. Pragense saec. 15. Cod. Altovaden. 91. B. — 2a, 2 dum infixit B. — 2a, 3 divino spiritu A. — 3a, 2 Quod pr. AB; profanus Deus A. — 3a, 3 et pater AB; Didascorus A. — 3b, 1 Inclita B. — 4a, 1 Tui B. — 8b, 3 Persolvamus A. — 6b, 1 mox mentem A. — 6b, 3 Ut vincantur vultus A. — 5b, 3 Suam saecula A.

70. De sancta Barbara.

1 a. Mater alma, perge trino
Numini psallens honorem
Rite debitum dare,

1 b. Martyrem colens decoram
Virginem lauda; colenda
Laude grata est Barbara.

2 a. Illa caecis e tenebris
Editum lumen refulget
Sole puro clarius;

2 b. Flos velut rosae nitentis
E rubo fragrans, parente
Nata surgit impio.

3 a. Fonte nam simul salubri
Prodiit, scelus parentis
Pertinacis horruit.

3 b. Pura flagravit pudico
Igne, sponsi amore castum
Pectus arsit intimo.

4 a. Concupivit rex decorem
Et tenellae vim puellae
Addidit mirabilem.

4 b. Caesa flagris vel capillis
Rapta flavis vel papillis
Nuda sectis ambulet;

5 a. Caesa perfert, nec manentem
Vultus instantis tyranni
Virginem minax quatit.

5 b. Quin manu caput paterna
Amputante non retractat
Ore sed Iesum invocat.

6 a. Filia sic usque serpens,
Eva quo decepta mater
Concidit, fractus iacet.

6 b. Ergo nunc nitente palma
Floret insignis corona
Sempiternae gloriae.

7. O beata virgo, martyr,
Sponsa Christi, fac, precamur,
Te precante ut haec Deo sint
Grata, quae fiunt sacra.

Miss. Romanum ad usum eccl. S. Barbarae [Mantuanae] imp. Venetiis 1572. — Cfr. Transactions of the s. Pauls Ecclesiological Society, Vol. V, p, 38 sqq. — Die Sequenz ist sichtlich ein humanistisches Produkt.

71. De sancta Barbara.

1 a. Plausu chorus iucundetur
Novo Sion et laetetur
Tanti flore germinis,

1 b. Fecundatus quem probavit,
Te prae multis dum signavit
Sacri rore numinis,

2 a. Rex a thronis; sic benigna
Mundo luces et per signa
Lucis fundis radium;

2 b. Sic oppressum redivivo
Fructu signo fulta divo
Matri reddis filium.

3 a. Sic afflictos fastu leprae
Mundas, munda necis vepre,
Servans et a carie;

3 b. Sic cervici frontem plexam
Rite nectis et adnexam
Donis aptas gloriae.

4 a. Hinc columnas sacramenti,
Novi decus testamenti,
Signo crucis indice

4 b. Pingis, omnique decenter,
Tamquam divo sint recenter
Picta, vigent pollice.

5 a. Clave mortis rubricata,
Templo solis praesentata
Vitae reddis corpora;

5 b. Hos exsangues, mutilatos,
Hinc et inde cancellatos
Conducis ad robora.

6 a. His insignis, his praelata
Polles signis in stellata
Throno regis filia.

6 b. Sole novo deaurata
Micas stellis scintillata,
Sub te vernat Cynthia.

7 a. Eia, victrix et alumna,
Laborantes in aerumna
Nos tuo charactere

7 b. Signa, tecum constituti
Quod te duce simus tuti
Pharaonis onere.

Miss. ms. S. Mariae Gedanensis anni 1433 Cod. Bibl. 66. SS Gedanen. Fol. 80. A. — Miss. ms. Cracoviense saec. 15. Cod. Iagellonic. 4247. B. — 1 a, 1 Clausus A. — 2 a, 2 Mundo dulces B. — 2 b, 1 oppressum te divino A. — 3 b, 1 Hic A. — 3 b, 2 Rite nectens os A. — 4 a, 1 columnis A. — 4 b, 1 Fragis omnique A. — 5 b, 2 Hinc et vide B. — 6 a, 1 hic praelata B. — 7 b, 3 opere B. — Sieht viel eher einer Mariensequenz gleich.

72. De sancta Barbara.

1. Vale, solidum
mundi sidus lucidum,
Barbara beata,
nobili genere orta.

2 a. Rosa, gaude florida
speciali gratia,
pneumatis
dono rorante,
quae caeli
machina mirante
fidem es unius
Dei adepta.

2 b. Angelum per sic docta
animosa patria
idola
fide [con]terens,
conculcans
simulque spernens iram
es eiusdem dicti
consecuta.

3 a. Quae sciens Dioscorus
satagebat
illam perdere; (haec) illaesa
per turrim
montis cacumine se
optabat recludere.

3 b. Qua vero inventa
per capillos
rapitur crudeliterque
sanguinis
fusionem flagellum
per acrum consequitur.

4 a. Captiva sedens
confortatur
per angelum;
post haec vestibus nudata
ferreis iubetur uncis
confricando lacerari,

4 b. Hinc [in] carcerem
sauciata
recluditur;
per Christum est visitata
per eumque pristinae
sanitati solidata.

5 a. Lampadibus
post haec uritur;
abscissis mammis
caput contunditur
ferociter;
tunc eius cerebro
nares perfluente
videtur dolor maior
addi prioribus Clamantes
virginis poenas
imis corde recolite.

5 b. Marcianus,
dum non proficit,
nudam iussit per
civitatem, omnes
per plateas
trahi flagellando,
illa exclamante:
„Domine Deus, tege
pudicitiam.“ Fave, virgo,
nos tuis sacris
meritis dignos effici.

6 a. His dictis
tecta; dehinc frementer
est sententiata
per patrem-
que apprehensa fune
sic miseranter dicta
sine pietate morti;
cognoscens
orabat sic dicens:
„O Iesu, rex bone,

6 b. Obsecro
devote, ut quicunque
mei recordatus
fuerit,
veram contritionem,
puram confessionem,
et [sancti] corporis tui
consequi
valeat effectum.“
Post haec decollata.

7 a. Audi nos;
nam te diligens
sponsus multum honorat.

7 b. Salva nos,
Iesu, pro quibus
virgo martyr te orat.

8 a. Da per eius merita,
da per sua precamina
in te confidere,

8 b. Ut per tuam gratiam
[nos] aeterna mereamur
consequi gaudia.

9. Cuius prece sit deprecatus
item pater, item natus,
utriusque flamen,
unus aeternus Deus. Amen.

Grad. ms. Cassoviense saec. 15. Cod. Mus. Hungarici 172. — 2 b, 2 patris (patria hier als adiectivisches Attribut zu idolat. — 3 a, 1 Nesciente Dioscoro. — 3 a, 3 illa. — 3 a, 5 sq. optabat se. — 3 b, 1 l. Illa vero? — 3 b, 6 zu „acrum“ v. Forcellini — De Vit sub „acer“ — 4 a, 5 iussit. — 4 b, 5 per quemque. — 5 b, 2 proficeret. — 6 a, 6 dicta = addicta sc. morti; oder l. ducta? — 7 a, 2 sq. te sponsus multum diligens. — Das Schema zu dieser S quenz ist sichtlich A v e p r a e c l a r a m a r i s s t e l l a, aber ziemlich frei gehandhabt.

73. De sancta Barbara.

1 a. Regi Christo iubilemur
Psallentesque veneremur
Barbaram cum gloria
In eius sollemnia,
Nostrae mentis gaudia,
Dulcique memoria
Eius sacra merita.

1 b. Tu virginale lilium,
Vas virtutum omnium,
Rosa patientiae,
Dulcoris et gratiae,
Virgo prudens, electa,
Barbara speciosa,
Dei sapientia.

2 a. Christus Iesus, Dominus
Sponsusque dulcissimus,
Tibi dilectissimus,
Vere multum te amans,
In carcere te visitans,
Dulcibus verbis consolans,
Virtute sua confortans.

2 b. Salvatorem tu videns
Barbara, [et congaudens
. . . . . .
Eiusque praesentia
Sanantur tua vulnera;
Dulcia [per] medicamina
Facta es exhilarata.

3 a. Adest dies gratiae,
In qua scandit caelica
Barbara, sponsa Salomonis,
Vere sidus lucens thronis.

3 b. O virgo clarissima,
Fulget plus quam sidera
Tua castimonia;
Pro nobis prece sedula

4. Tuum funde subsidium
Apud Christum Dominum.

Sequent. ms. S. Georgii Villingen. saec. 15. Cod Carolsruhan. Geo. 3. — Mit Melodie, nach welcher Str. 3 b mit 4 zu einer Strophe zu verbinden wäre. — 3 a. 2 caelicem.

74. De sancta Barbara.

1. Rex optimus et maximus
Nostro choro sit proximus
Corroborans pectora,

2 a. Qui Barbarae victoriam
Mundi dedit, mox gloriam
Cum duplici laurea.

2 b. Haec est magistra caelica,
Quae trinitatem mystica
Demonstrat in formula.

3 a. Ob hoc pater Dioscorus
In hanc furit, crescit porus,
Cedit lassus virgini.

3 b. Quam mons recondit patrius,
Ne laedat hanc contrarius
Sancto pater numini.

4 a. Vir comperit, dum punitur,
Natam latentem, proditur,
Factus lapis duruit;

4 b. Saevit parens in propriam,
Quam distrahit totam viam
Et iudici subruit.

5 a. Qui non minis, non verbere
Taetro nec ipsam carcere
Vincit nec horroribus;

5 b. Constans manet placens Deo,
Secura iam de praemio,
Intenta caelestibus.

6 a. Latam pater sententiam
Agit ruens in filiam,
Cuius caput desecat.

6 b. Demum tyrannus fulmine
Ictus perit, quo turbine
Manes miser visitat.

7 a. Sed illa victrix cardines
Caeli petit, quam supplices
Oremus hoc carmine:

7 b. O martyr et virgo bona,
Christus pia prece tua
Nos purget a crimine;

8 a. Et a mala semper nece
Nos liberet, sic te duce
Ut mens sit in gratia.

8 b. Quam conferat cum gloria
Nobis Dei potentia,
Quae condidit saecula.

Miss. Bituricense imp. Parisiis 1522. — 7 b, 1 virga.

75. De Translatione s. Barbarae.

1 a. Ad laudem omnipotentis
Dei cuncta disponentis
Plaudat plebs catholica;

1 b. Omnis boni largitori
Salutisque provisori
Promat laeta cantica.

2 a. Qui hodie transportavit
Et honeste sublimavit
Sponsam suam Barbaram,

2 b. Cui universus clerus
Et omnis sexus sincerus
Cordis laxet citharam.

3 a. Quod ablatum est paganis,
Est oblatum christianis
Pro insigni munere;

3 b. Est salubriter translatum
Et ad partes has allatum
Corpus sanctae Barbarae.

4 a. Erat videre molestum
Donum gratum et honestum
Deputari canibus;

4 b. Haec nobilis margarita,
Christi sanguine polita,
Non est danda suibus.

5 a. Fuit namque valde dignum
Et honoris ingens signum
Tradere fidelibus

5 b. Tam pretiosum thesaurum,
Aestimatum super aurum
Hunc digne colentibus.

6 a. Thesaurus olim opertus
Orthodoxis sed apertus
Spem erigit valide,

6 b. Et lumen quondam absconsum
Iam candelabro appensum
Lucet cunctis placide.

7 a. Nam Romanus imperator,
Domini cultus zelator,
Cum sua militia

7 b. Plurima curationum
Contra pestes laesionum
Sumpsit beneficia.

8 a. Usque modo operatur
Deus, quando honoratur
Sponsa sua Barbara,

8 b. Auferens pestes et morbos
Sanans mutos, caecos, surdos,
Vivificans funera.

9 a. O praeclara Christi sponsa,
Da paenitere absconsa
Per contritum spiritum.

9 b. Fac surdos te auscultare
Et mutos pie ructare
Tuum beneplacitum.

10 a. Recta vitae nostrae norma
Virtutum omnium forma
Es illustris, Barbara,

10 b. Ad te clamamus instanter,
Facito nos incunctanter
Devitare tartara.

11 a. Cum salubri sacramento
Pro virtutis complemento
Muni nostrum exitum,

11 b. Ut te rectrice, te duce,
Transeamus ex hac luce
Ad locum dispositum,

12 a. Ubi cum iucunditate
Et summa securitate
Laetemur perenniter

12 b. Illic cum sanctis gaudentes
Ac vultum Dei cernentes
Regnemus feliciter.

Fragmentum ms. Missalis saec. 16. (Appendix Miss. Misnensis imp. Lipsiae 1510. Auf der Wiener k. k. Hofbibliothek 22 D 13. —

76. De sancto Bartholomaeo.

1 a. Lyram tange concrepando,
Laeta pange modulando
Euphoniae cantica;

1 b. Tuba, clange buccinando,
Vires auge resultando,
Sonet laus harmonica.

2 a. Coetus plaudens subvectorum,
Chorus gaudens angelorum
Canant Bartholomaeum,

2 b. Sabbatizans tolle maestum,
Sollemnizans eius festum
Nunc et in perpetuum.

3 a. Dogmatizans legis theca,
Perlogizans apotheca
Munerum caelestium

3 b. Exstitisti, apostole,
Praefulsisti in indole
Contemptor terrestrium.

4 a. Luce prima radiasti,
Vetus zyma limpidasti
Sancto plenus pneumate;

4 b. Lux opima, lucinasti
Orbis ima, lucidasti
Fidem tuo dogmate.

5 a. Vitae potum propinasti,
Orbem totum illustrasti
Verbo verbi schemate;

5 b. Regis natam tu sanasti,
Quam vexatam roborasti
Crucis cum caragmate.

6 a. Vale, Christi apostole,
Mundo tristi tu condole,
Vivus excoriatus;

6 b. Dei cultor iustitiae,
Hostis ultor versutiae,
Postremo decollatus.

7 a. In agone nos certantes,
Iesu bone, mendicantes
. . . . . .

7 b. Visione iucundantes
Tecum pone gratulantes
Pasce pane numinis.

Collect. ms. Emmeramense anni 1351. Clm. Monacen. 14343. — 3a, 1 legeteca. — 3a, 3 Numerum.

77. De sancto Bartholomaeo.

1 a. Quem solem invisibilem
splendor eius nube carnis
clarificat,

1 b. Splendor inarcessibilis
hic accedit et tenebras
illuminat.

2 a. Non matre degenere,
sed claro genere
virtus patris velat,

2 b. Non carne frater est,
sed gratia patris
virtute dominus.

3 a. Qui per almiphos
calceamenta extendit
ad alienigenas,

3 b. Per Bartholomaeum
Seon, regem Amorrhaeorum,
conculcans in India,

4 a. Verbo curat aegros,
obsessos liberat
et regis filiam,

4 b. Huius interventu
sibi reconciliet
Christus ecclesiam.

Miss. ms. Frisingense saec. 15. Cod Scot. Vindobonen. 55 a 3. A. — Miss. ms. Salisburgense saec. 15. Cod, Salisburgen. V 3 H 167. B. — 2a, 1 Non natura A. — 3a, 1 alimphos A, ebenso unverständlich als almiphos.

78. De sancto Bartholomaeo.

1 a. Tradit nobis festivale
Laete decus triumphale
Bartholomaei natale
Carmen Christo promere,

1 b. In quo curemus demere
Quod gestabamus temere,
Ut possit resipiscere,
Quod fuerat letale.

2 a. Cuius sanctus illustratur
Et doctrinis fecundatur,
Hac in die iucundatur
Beatorum contio,

2 b. Excelsa praedicatio
Instinctu Dei praevio
Dat viam cordi devio,
Ad vitam qua meatur.

3 a. Fructum profert quo salutis,
Via tuta fit non tutis
Victis Astaroth versutis
Et Berith dogmatibus;

3 b. Extraxit ab erroribus
Imbutos vagis moribus
Sacrosanctis sermonibus
Idolatris abnutis.

4 a. Maerent hostes adiurati,
Sancti verbis debellati,
Qui fuere machinati
Augere flagitia.

4 b. Sed multor per incendia
Quoddam inquit immania
Daemonium praesentia
Apostoli beati.

5 a. Victum reddit se percepto
Bartholomaei praecepto,
Calle fugiens arrepto,
Idola comminuit;

5 b. Discedens hostis doluit,
Compulsus qui succubuit;
Aeternum Deum docuit
Nam populo decepto.

6 a. Rursus hostis catenatus
Ab angelo reportatus,
Coram plebe propalatus
Picea sub specie.

6 b. Auctorem tantae gratiae
Laudabant fines Indiae,
Per signa cuius hodie
Abluitur reatus.

7 a. Rex, ab hoste qui torquetur,
Dum beatus vir medetur
Suam natam, profitetur
Messiae potentiam.

7 b. Effervens per dementiam
Astriages insaniam
Et irae fert sententiam,
Ut capite plectetur.

8 a. Veram pacem interpella,
Ut sequestret nostra bella,
Nos defendat a procella
Animae naufragii;

8 b. Aeterni ne supplicii
Cernemur nos obnoxii,
Ne dira lux iudicii
Det merita flagella.

Miss. ms. S. Mariae Traiectensis saec. 15 Cod. Ultraiectin. 405. A. — Miss. ms. Traiectense saec. 15. Cod. Monasterien. 347 (411). B. — 2a, 1 sanctis A; l. factis? — 4a, 2 Sanctis B. — 5a, 1 praecepto A. — 8b, 4 Dat A B. — Melodie: Iucundare plebs fidelis (Matthaeus-Sequenz). — Beachtenswert ist, dafs jedesmal der Schlufsvers der a-Strophe mit den drei ersten Versen der b-Strophe, und umgekehrt der Schlufsvers der b-Strophe mit den drei ersten Versen der a-Strophe reimt; ferner weist der Rhythmus der a-Strophen Trochaen, jener der b-Strophen Iampen auf.

79. De sancto Basilio.

1. Vox respondens moribus
Magnum magnis laudibus
Attollat Basilium,

2 a. Qui doctrina celebris
Ut lumen de tenebris
Emersit gentilium;

2 b. Lucens et illuminans,
Verbum vitae seminans
Delet dogma devium.

3 a. Non renatus gratiae
Studet abstinentiae,
Sequens castimoniam;

3 b. Nil terrenum diligit,
Puros sensus dirigit
In omnem iustitiam.

4 a. In fervore spiritus
Docens, doctus caelitus
Doctum trahit Eubolum
Ad salutis symbolum.

4 b. Qui, dum sibi desipit
Et in Deum resipit,
Datur tanto rhetori
Christo posse commori.

5 a. O quam dignum
Lucis signum
Demonstratur,
Dum lavatur
In aqua Basilius;

5 b. Aquam movet,
Sanctum fovet
Plausu blando
Revolando
Columba sublimius.

6 a. Gregis rector
Et protector,
Hic profanis
Arrianis
Resistens instantius,

6 b. Iram regis
Non veretur,
Dei legis
Dum tuetur
Decreta constantius.

7 a. Suis verbis consecrare
Sancta volens videt clare
Sibi Christi praesentiam
Dare sacrandi gratiam.

7 b. Dum ministrat cum tremore,
Dulces modos in splendore
Modulantes apostoli
Demulcent aures Euboli.

8 a. Omni plenus sanctitate,
Dignus Dei claritate,
Consummatur
Et beatur
Cum sanctis in gloria.

8 b. Nos asstantes tuae laudi,
Magne pater, pius audi,
Ut te duce
Vera luce
Fruamur in patria.

9. Amen dicant omnia.

Miss. ms. Brugense saec. 15. Cod. Semin. Brugens. 3 (48). A. — Miss. Morinense imp. Rothomagi 1516. B. — 1 a, 2 magnus B. — 3 a, 1 renatis B; es ist die Rede von Basilius als dem „nondum renatus“; cfr. 5 a, 4 sq. — 7 a, 2 Sanctam B. — 7 a, 4 Dans reserandi B. — 8 b, 4 Fungamur A. — 9 fehlt A. — Melodie: Mane prima sabbati.

80. De sancto Benedicto.

1 a. Magnum patrem Benedictum,
Virum iustum et invictum,
Collaudet ecclesia;

1 b. Nos ut patrem veneremur,
Venerantes imitemur
Virum plenum gratia.

2 a. Cuius dono praecurrente
Puer aevo, senex mente,
Manu tangit fortia;

2 b. Carnis frangens voluptatem,
Mundi spernens vanitatem,
Procul arcet vitia.

3 a. Mira per hunc operatur
Virtus Dei, qua servatur
Mens eius innoxia.

3 b. Ne per solem denigretur,
Sed plus nive dealbetur,
Munda sit ut hostia.

4 a. Vas confractum reparatur
Integrumque frangitur,
Virga vagus emendatur,
De rupe fons oritur;

4 b. Super aquas Maurus vadit,
Et puer emergitur,
In infernum morte cadit,
Iustum qui persequitur.

5 a. Sanctus locum tunc mutavit,
Sed et ibi comprobavit
Hostis aemulatio,

5 b. Quantum bonis sit infesta,
Quibus placet hic honesta
Vitae conversatio.

6 a. Saeviore quippe zelo
Pulsus ipse dudum caelo
Vulnerare mortis telo
Pia quaerit viscera.

6 b. Sed ab eo cadit victus,
Et vir Dei stat invictus,
Quem adversus hostis ictus
Dei tegit dextera.

7 a. De futuris prophetavit
Et tyranno nuntiavit,
Pro pace, quam perturbavit,
Quae maneret ultio.

7 b. Visu mentis hic absentes
Intuetur ut praesentes,
Notat actus, notat mentes,
Spiritus indicio.

8 a. Puer vitae redonatur,
Sororisque spiritum
In columba contemplatur
Deo caeli redditum.

8 b. Ipse tandem evocatur
Ad caeli palatium
Et a Christo collocatur
In sede felicium.

9 a. Nos grex eius familiae
Tanti ducis itinere
Caelestis aulam gloriae
Studeamus ascendere.

9 b. Quos suis docet monitis,
Hos protegat et meritis,
Ut illius suffragio
Caeli fruamur gaudio.

Collect. ms. S. Lupi. Trecen. saec. 10 et 11. Cod. Trecen. 1170. add. saec. 13. Mit Melodie.

81. De sancto Benedicto.

1. Organa, plebs pia,
psalle iucunda,

2 a. Benedicti clara
quia micant incliti festa,
per ampla
orbis spatia
veneranda;

2 b. Ex libera pulchre
qui fuit ortus stirpe virga
lucida
atque flos scandens
ut lilia.

3 a. Namque florida temnens
spreverat
a pueritia;

3 b. Excisa redintegra
quem sonant
antra laude sacra,

4 a. Divina pollens
gratia
per omnia

4 b. Iustus hic nives,
frigora
fert aspera.

5 a. Caelesti donatus stola,
Tu Benedicte,
legislator alme,
vota vide nostra
Et data hodie
cantica.

5 b. Lumen mundi nunc per
saecla,
Exora Iesum
pro nobis, spes una
monachorum magna,
Gaudia donantem
optima.

6 a. Iusti mens praeclara
et digna, quem nil
nocet pessima
fraus mortis conscia;

6 b. Felici qui dextra
dat crucis signa,
crepat fiala
mox pestis baiula.

7 a. Et dum venenata
mittit invidus hostis dona
viro Dei mente mala,

7 b. „Refer“, inquit, „ista,
quo nulli ferant exitia“;
vir sanctus corvo imperat.

8 a. Ac cuncta stupent pectora
noctu, quo signabas

8 b. Lucide in usum tecta
fratrum praeparanda.

9 a. Magna caeli stella,
Eos semper illustra,
quos sanctae vitae placida
formas regula,
Veraque pollens gloria;

9 b. Orbis lux maxima,
Tuo vehantur nostra,
pater, ductu, iam carmina
ad siderea
Aeterno regi placida.

10 a. Cum tibi praeconia
concinimus, audias.

10 b. Ligati tu fortia
videns solvis vincula;

11 a. Iussa cuius tremunt tartara,
mortuo dum datur
vita libera.

11 b. Ecce, soror et Scholastica,
culmina dum quaerit
virgo supea,

12 a. Nexa fratri plurima
de dulci bona
audit patria.

12 b. Transit ad caelestia
cum vera tandem
innocentia.

13 a. Uatum psallens cithara,
Mira sanctorum gemma,
in caelo nosmet subleva
Castae precis instantia;

13 b. Electorum in aula
Rege nos, Benedicte,
caelorum regis convira,
Ne nos, pater, despicias.

14 a. Tui mox viam plura
praetegunt pallia,

14 b. Ornatque lampas multa,
dum petis caelica.

15 a. Rite nostra figi cordis
huc prece lumina

15 b. Uita nobis, Benedicte,
et verbo facias,

16. Micans luce aeterna.

Trop. ms. Nivernense saec. 11. Cod. Parisin. 9449. — 2 a, 2 qua. — 5 a, 1 Caelestis. — 5 a, 3 regislator. — 5 b, 3 nobis es una. — 6 a, 3 nocet spes una — 7 a, 1 dum venerata. — 7 b, 1 Refert. — 10 b, 1 Liguati tui — 14 a, 2 pretesunt. — 15 a, 1 figas. — 15 a, 2 hunc. — Melodie: Fulgens praeclara. — Die in Schrägdruck vorgelegten Verse ergeben den Text einer eigenen Sequela, wozu man vgl. u. a. Anal XL, Nr. 205. Der Text dieser Sequela paßt zu dem Akrostichon (durch Fettdruck gekennzeichnet): „O Benedicte, | Legifer alme, | Vota clientum | Cerne tuorum", welches wiederum die Textworte einer Sequela sind. Um so merkwürdiger ist dieses Akrostichon, da ein solches bei Sequenzen erster Epoche sehr selten ist.

82. De sancto Benedicto.

1 a. Sonet vox ecclesiae
Canticum laetitiae
Benedicti gratia.

1 b. Benedictum hodie
Venerantes carie
Careamus noxia.

2 a. Suscitatur mortuus,
Fons datur irriguus
Eius prece praevia.

2 b. Mortis parant poculum,
Sed crucis signaculum
Servat a versutia.

3 a. Sancto cedit caecitas,
Firmatur debilitas,
Pelluntur daemonia.

3 b. Fel in pane tegitur,
Sed a corvo tollitur
Velata malitia.

4 a. Dementata femina
Tangens sancti limina
Purgatur dementia.

4 b. Nullus abit vacuus,
Qui petit assiduus
Eius beneficia.

5 a. Hic exemplar posteris
Regnat iam cum superis
In caelesti patria.

5 b. Huius prece miseris
Largiatur celeris
Peccatorum venia.

Miss. S. Martini Maioris Monasterii imp. Turonibus 1508. — 2 b, 1 parent — 5 b, 2 statt „celeris" liegt die Verbesserung „sceleris" nahe. — Melodie wahrscheinlich: Veni sancte spiritus.

83. De sancto Benedicto.

1 a. Benedictus
Decantat in caelis laetus
Alleluia

1 b. Regi regum;
Nutricis sedavit fletus,
Res miranda,

2 a. Fracti capisterii
Reparato fragmine
Prece fusa,

2 b. Et huius mysterii
Monachorum ordine
Res inclusa.

3 a. Sicut capisterium
Purgat farris vitium,
Pari forma

3 b. Expurgat religio,
Quae mundano vitio
Sunt corrupta.

4 a. Suscitavit mortuos
Et curavit languidos
Valle nostra;

4 b. Eiecit daemonia,
Per hunc elephantia
Fit consumpta.

5 a. Noster chorus concinit,
Ecclesia meminit,
Nec mens prava desinit
Esse cacca;

5 b. Si non nostris cantibus,
Credat vel codicibus
Gregorii pluribus
Haec praedicta.

6 a. O pater, propera,
Fideles libera,
Ne sit in inferis
Gens misera;

6 b. Removens scelera
Da vitae munera,
O regis aetheris
Puerpera.

Miss. S. Martini Maioris Monasterii imp. Turonibus 1508. A. — Miss. Parisiense imp. Parisiis 1585. B. — 2 b, 1 Est B. — 2 b, 2 sq. Res multis miraculis | Confirmata B. — 5 a 1 cecinit B. — 6 a, 3 infernis B.

84. De sancto Bernhardino.

1 a. Christe Iesu, Domine, regum rex, o Deus alme,
Natus ab aeterno de deitate patris,

1 b. Quem genuit merito sacro sub tempore virgo;
Sic verbum caro fit flamine flante sacro.

2 a. Crimine damnosum venit qui solvere mundum,
Sanguine cum proprio plasma lavare suum,

2 b. Hic varios serere missos promisit in agrum,
Nuntia qui ferrent illa per omne solum.

3 a. De quorum numero quasi lux de sidere caeli
Bernhardinus adit mitis in orbe agrum;

3 b. Nobilis ex gente, plus morum nobilitate,
Christo complacuit, cui sua cuncta dedit.

4 a. Vomerem doctrinae manibus qui solvit utrisque,
Fundat ut incultum dogmate valde solum,

4 b. Et lapides abigit, ut possint crescere fruges.
Vepribus abruptis sulcat, ut aptus aret.

5 a. Seminat hic Domini verbum per climata mundi,
Exemplo Christi totus amore flagrat.

5 b. Sedat litigia, diversum schisma reformat,
Enervans haeresim falce gregata metit.

6 a. Francisci lima sic ferrea pectora purgat
Atque ligone suo saxea corda movet.

6 b. Horrea sic Domini gestivit ducere plene,
Ut maniplos laete ferret in arce poli.

7 a. Ergo Iesus Christus, cui nomen clarificavit,
E converso suum clarificavit opus

7 b. Signis, prodigiis, pia per miracula multa
In vita, morte; laus tibi, Christe Iesu.

8 a. Claudi nam currunt, plures a morte resurgunt,
Et audit surdus, lumine caecus ovat.

8 b. Leprosus candet, mox energumenus orat,
Et non est morbus, quin fugat almus eum.

9 a. O Bernhardine, poscas, pater o Seraphine,
Ut famulis pacem det Deus ipse tuis,

9 b. Ut post assiduos et multos valde labores
Apprendat regna laudibus apta poli.

Miss. ms. Gurcense saec. 15 Cod. Virunen. (hist. Verein.) 332 (^{1} s). — 4 a. 1 Vomere. — 8 b. 2 morbus quando.

85. De s. Bernhardo de Mentone.

1 a. Confessoris egregii
Celebremus nos socii
Bernhardi sollemnia.

1 b. Generosa stirpe natus
Moribus hic exornatus
Fuit ab infantia.

2 a. Augustae Archilevita,
Deo gratus verbo, vita
Fiebat per omnia.

2 b. Plebis ibi christianae,
Verba vitae ferens sanae,
Exstirpabat vitia.

3 a. Monita in caritate
Praedicando longe late
Dabat salutaria.

3 b. Ieiunans hic vigilabat,
Pro se et multis orabat,
Ut daretur venia.

4 a. Pretiosa cum habere
Vestimenta posset vere,
Portabat cilicia.

4 b. Pane duro vescebatur,
Asper qui plus videbatur
In tota provincia.

5 a. Potum uva non praebebat,
Aquam raro sic bibebat,
Saepius absynthia.

5 b. Domum fecit caritatis,
Ubi data dantur gratis,
Nec quaeruntur praemia.

6 a. Ibi panis, vinum, ligna
Nunquam crescunt, sed maligna
Sunt ibi contraria;

6 b. Nix et algor, via dura,
Fumus, nubes et obscura
Sunt ibi perennia.

7 a. A Bernhardo facta domo
Istam adit quisque homo,
Habet necessaria;

7 b. Ista domus semper patet,
Procurator nunquam latet
Propinans cibaria.

8 a. Nunc Bernhardi proferamus
Signa eius et dicamus
Virtutes, prodigia.

8 b. Nicolaus apparuit,
Peregrinus visus fuit,
Sancto dixit talia:

9 a. „Montem Iovis ascendamus,
Hospitale componamus
Summa rupis in via.“

9 b. Ista domus fabricatur
Tantis viris et dotatur,
Habent beneficia.

10 a. Caeco visum restauravit,
Sterili matri donavit
Puerum, quem haec rogavit
In vita sancti pia.

10 b. Pestem perdit locustarum,
Quae nocebant et non parum,
Et morsus bestiolarum,
Via erat invia.

11 a. Hic avarum praedicavit,
Paupertati destinavit,
Exitus quod comprobavit
Ignis peste anxia.

11 b. Adit Romam rex Henricus,
Perdat papam quod iniquus
Malis pro imminentibus;
Cognita malitia

12. Regi nefas dehortatur,
Huic adversa comminatur,
Finis rei demonstratur
Sancto, ita qui probatur.
Nobis detur venia.

Offic. ms. S. Bernhardi saec. 16. Cod. Capit. Sedunen. 72—17. — Cfr. Acta SS. Iun. III, p. 556.

86. De sancto Bernhardo.

1 a. Caeli nardus
Fragrat signis,
Dum Bernhardus,
Vir insignis,
Firma mentis acie

1 b. Hic aspernans
Mundi florem,
Ceu flos vernans
Dat odorem
Virtutis et gratiae.

2 a. Nam amator
Castitatis
Ac zelator
Sanctitatis
Fuit ab infantia.

2 b. Per hunc fulsit
Lux diei,
Dum suffulsit
Domum Dei
Doctrinae fragrantia.

3 a. Gaude, felix religio,
Laetitiae fastigio
De laude tanti patris,

3 b. Dulcis Iesu qui nominis
Dei pandit et hominis
Laudesque suae matris.

4 a. Quae dum laudes
Dilatantur,
Hostis fraudes
Expugnantur
Verbi Dei gladio.

4 b. Imitandi
Christum normam
Et amandi
Dedit formam
Claro vitae radio.

5 a. O Bernarde,
Nos gementes,
Quamvis tarde
Paenitentes,
Regnis apta caelicis.

5 b. Ibi melos
Modularis,
Dum ad caelos
Evocaris
Choris cum angelicis.

6 a. Nos Christo reconcilia,
Cuius mater et filia
Tuum fuit solamen,

6 b. Ut mundi post naufragia
Mariae per suffragia
Deo fruamur. Amen.

Miss. ms. Olomucense anni 1494. Cod. S. Iacobi Brunen. 8. — 3 b, 2 Dei parvuli et. — 4 a, 1 Quas. — 6 b, 2 Matris per. — Beachtung verdient 3 b, 1 wegen der Anspielung auf „Jesu dulcis memoria", welches Lied also der Verfasser dieser Sequenz dem hl. Bernhard zuschreibt.

87. De sancto Bertrando.

1 a. Sancti festa confessoris
Recolamus et canoris
Exsultemus modulis.

1 b. Gratulemur mente pura
Prosequentes cordis thura
Labiorum titulis.

2 a. Digne decet venerari,
Digne diem praeconari
Virtutis significum,

2 b. Cuius fulsit insignita
Documentis sanctis vita
Laborum et operum.

3 a. Homo verus, homo purus,
Mundo blandus, sibi durus,
Carnis calcans lubricum,

3 b. Contra carnem dimicavit
Et se totum transformavit
In statum angelicum.

4 a. Vicit carnem, vicit mundum,
Vicit fortem et immundum
Hostem Adae veteris.

4 b. Et his tribus conculcatis
Summae cultor trinitatis
Conregnat cum superis.

5 a. Hospes [hic] caelestis poli,
Se subducens carnis moli,
Sequens spiritalia,

5 b. Dum a carne se suspendit,
Supra carnem comprehendit
Angelorum gaudia.

6 a. Ubi totus mente tota,
Non impulsus mundi rota,
Sed spe firma stabilis

6 b. Christi leve tulit onus,
Pastor lucis, pastor bonus,
Pius, prudens, humilis.

7 a, Lignum frondens, vitis viva,
Palma florens et oliva
Gratiae fructifera,

7 b. Fructum dedit Deo gratum
Et transcendit orbis statum
Cedrus odorifera.

8 a. Se praecingens castitate,
Cum lucernae claritate
[Vigil] in excubiis

8 b. Pernoctavit exspectando,
Nuptiarum sponsus quando
Rediit a nuptiis.

Collect. ms. saec. 17. Cod. Parisin. 11778. Apographum „ex Ms. 1636 mihi commodato a domino de Salis Loctoren." — 5a, 1 cuius poli. — 5a, 2 carni. — 8a, 2 lucerna. — Der Schlufs fehlt; von Str. 9 noch das Anfangswort „Supra". — Abschrift von Rev. H. M. Bannister.

88. De sancto Blasio.

1. Victori Blasio laudes
hymnizent incolani.

2 a. Agnus sequens pastorem
more paschali praesul
binis cum pueris
est immolatus.

2 b. Mors a vita flectitur
speciali duello,
agnus lupiferum
[flectit] Agricolaum.

3 a. Dic Christo pro nobis
preces, pater inclite.
Sepulcro corpus commendans
Helisea, mulier
iam sancta.

3 b. Angelicis stolis
ornaris et coronis.
Surrexit astra conscendens,
terrea summo regi
commendans.

4 a. Credendum est pium nostrum
te fore patronum;
en, nos et nostra
simul conserva.

4 b. Scimus Christum locum istum
et ovile tuum
per preces tuas
semper tueri.

Miss. ms. Sanblasianum saec. 15. Cod. Paulan. 25. 2. 2. (Blas. memb. 64). A. — Miss. ms. Sanblasianum anni 1482. Cod. Paulan. 25. 2. 15. (Blas. memb. 61). B. — 1, 2 immolant B. — Den Anfang dieser Sequenz teilt Kehrein mit unter Nr. 525.

89. De sancto Brioco.

1 a. Iucundemur,
senes et parvuli
Adplaudentes
beato praesuli,
Cuius assunt
sancta sollemnia.

1 b. Occurramus
sancto pontifici
Spiritalis
in laude cantici
Cordis, oris
pari concordia.

2 a. Gratuletur
mater ecclesia,
Tantae prolis
insignis gloria,
Tam felici
ditata pignore.

2 b. Hic est enim
praesul Briocius,
Cuius ortum
caelestis nuntius
Multo ante
praedixit tempore.

3 a. Qui caelesti
natus oraculo
Et nutritus
a matre sedulo
Est commissus
Germano praesuli;

3 b. Ad docendum
missus Parisius
Adoptatur
Germano filius,
Suscipiens
nomen discipuli.

4 a. Informatur
divinis litteris
Et in sensu
praecellens ceteris,
Quantus erat
futurus, innuit.

4 b. Liquet, quantus
tunc puer fuerit
Et in quantam
virtutem creverit,
Cum urceum
patri restituit.

5 a. Cum sacratur
manu pontificis,
Super caput
et comam verticis
Globus coram
descendit igneus,

5 b. Cuius luce
totus incanduit,
Et sicut sol
vultus resplenduit
Miris modis
effectus flammeus.

6 a. Ut in Christi
profecit gratiam,
Praemonitus
redit in patriam,
Insignitus
multis miraculis;

6 b. Per defunctum,
quem vitae reddidit,
Plebs timore
concussa credidit,
Est recepta
fides in populis.

7 a. Post peracta
vitae curricula
Sanctus nulla
conspersus macula,
Deo placens
et vivens hostia,

7 b. Corpus suum
dissolvi praesciens
Eucharistia
se praemuniens
Susceptus est
in caeli gloria.

8 a. O Brioce,
pastor egregie,
Audi clemens
vota familiae,
Delictorum
implorans veniam.

8 b. Interpella
pro nobis Dominum,
Ut remittat
errores criminum
Et aeternam
conferat gloriam.

Miss. Briocense imp. Rothomagi s. a. [1502?]. A. — Miss. Macloviense imp. Rothomagi 1503. B. — 2 b, 1 Briocus A. — 4 b, 2 hic puer A. — 5 a, 5 Globus quidam B. — 5 b, 4 splenduit A. — 6 a, 4 rediit A. — 7 a, 1 praeacta A.

90. De sancta Caecilia.

1. Victo mundi lubrico
Gaudio uranico
Fruitur Caecilia.

2 a. Concupitam specie
Rex coronat hodie,
Gaudeat ecclesia,

2 b. Eius ut auxilio
A mundi exsilio
Perennet in patria.

3 a. Sponsi mora taedio
Dormitante medio
Nocte vox fit nuntia:

3 b. En, sponsus progreditur.
Dum occursus sumitur,
Properat industria.

4 a. Haec sponso eximitur
Et lumbos praecingitur,
Fit processu prospero
Prudentum in numero.

4 b. Praecellens amictibus,
Fragrans aromatibus,
Mirra, gutta, cassia
Sponso venit obvia.

5 a. Hinc indultus
Est hic cultus,
Hoc decoris
Habet foris,
Sed ab intus gloria.

5 b. Ne quid tardet,
Lampas ardet,
Incentivum
Dat olivum
Nuptiarum gaudia.

6 a. Igne sancto carne fixa,
Corruptelis crucifixa,
Caelebs in convivio

6 b. Coniugalem animalem
Lucrifecit et subiecit
Fidei mysterio.

7 a. Sponsi fratrem conlucrata,
Fide passim propagata,
Almachio mancipio
Necis donatur bravio.

7 b. Sic transcursa mundi lucta,
Per angustum iter ducta
Satum maeroris anxio
Fructum metit in gaudio.

8 a. Nostrum cursum ducat sursum,
Ut expleta cursus meta
Absolutis ab occultis
Det ovantes sabbata.

8 b. Ubi bono singulari
Nobis palam satiari,
Unum trinum contemplari
Dei dent charismata.

9. Amen dicant omnia.

Grad. ms. Xantense anni 1525. Cod. Capit. Xanten. s. n. A. — Grad. ms. Franciscanorum in Hüls saec. 15. (Privatbesitz) B. — Oration. ms. S. Caeciliae Colonien. saec. 15. Cod. Colonien. 1. C. — 3a, 1 Sponsa A. — 3b, 3 Properet B. — 5a, 1 indutus AB. — 6a, 1 caro B. — 7a, 1 colluctata C. — 8a, 3 Absolutos A. — 8a, 4 Det inventum C. — Melodie: Mane prima sabbati.

91. De sancta Caecilia.

1 a. Vocem laudis exaltemus,
Diem festum honoremus
Virginis Caeciliae;

1 b. Sponsum eius non inanum,
Beatum Valerianum,
Laudent Sion filiae.

2 a. Hic est ille singularis
Sol illustrans stellam maris
Lucentem in iubilo,

2 b. Cui virgo desponsatur
Et sibi confabulatur
Noctis tunc in nubilo.

3 a. Dic, Valeri, quid audisti
Alloquendo sponsam Christi?
Hanc audivi sic dicentem:
„Zelo multo metuentem
Habeo archangelum".

3 b. Dic, Valeri, quid audisti
Alloquendo sponsam Christi?
„Est secretum, quod revelo,
Optimi amoris telo
Caste vulnerata sum."

4 a. Dic, Valeri, quid audisti
Alloquendo sponsam Christi?
„Si incaste me contingis,
Dira poena te constringis
Mortis per interitum.“

4 b. Dic, Valeri, quid audisti
Alloquendo sponsam Christi?
„Si te mundas mundo cedens
Et in verum Deum credens,
Mecum cernes angelum.“

5 a. Dic, Valeri, quid fecisti
Postquam haec intellexisti?
Ad Urbanum properavi
Et secretum revelavi
Et ibi me renovavi
Sacri fontis flumine.

5 b. Dic, Valeri, quid vidisti,
Postquam Iesum induisti?
Tunc angelicum decorem
Vidi sentiens dulcorem
Et rosaticum odorem.
Fragrantem in lumine.

6 a. Dic, Valeri, quid sensisti
Amplius de sponsa Christi?
Fratrem mihi sociavit
Et ad palmam invitavit
Et utrumque praesentavit
Caelesti collegio.

6 b. Dic, Valeri, quid sensisti
Amplius de sponsa Christi?
Almachium superavit,
Ensis eam iugulavit,
Sic amantem reamavit
Mortis privilegio.

7 a. O Valeri, vale, care
Ac pro nobis deprecare;

7 b. Et tu, mater huius festi,
Nos amore sponsi vesti,

8. Ut in morte
Bona sorte
Det nos uti cum beatis
Sertis per te seminatis.

Grad. ms. Murense anni 1532. Cod. Aargovien. M 5 fol. m. — Melodie: Surgit Christus eum tropaeo.

92. De sancto Cataldo.

1 a. Cogis linguam fari laudes,
O Catalde, tu qui gaudes
In caeli rosario.

1 b. Haec est rosa nobis fragrans
Et ardore sibi flagrans
Virtutis incendio.

2 a. Nos virtute protegit
Et exemplo dirigit
Sicut pastor bonus.

2 b. Lapsos, fractos erigit
Et electos dirigit,
Tarenti patronus.

3 a. Cadat coetus hostium,
Cedat metus pestium
Praesulis virtute;

3 b. Cedat fletus tristium,
Fiat laetus omnium
Cuneus salute.

4 a. Per te salus sit aegroto,
Sitque robur debili,
Portus navigantibus.

4 b. Satisfiat nostro voto,
Et sit clero nobili
Mentium in laudibus.

5 a. Tu patronus et praelatus,
Tu confessor es beatus,
Tu pastor egregius;

5 b. Si patronus es, defendas,
Si praelatus es, intendas
In nobis salubrius.

6 a. Confessoris vicem geras,
Ut salutem nobis feras,
Qua beari credimus.

6 b. Pastor pastum praebe caeli
Tuo gregi sic fideli,
Nam ad te recurrimus.

7 a. In praesenti saeculo
Pacem a te poscimus,
Ut tuti periculo
Te, quem vere colimus,
Colamus sollemniter.

7 b. Effectum da precibus,
Ut salutis pretium
Sit ex tuis laudibus;
Sic ad vitae praemium
Nos trahas perenniter.

Miss. ms. Franciscanum (Tarentinum?) saec. 15. Cod. Univ. Patavin. 1129. — 6 b, 2 gregi sit. — 7 b, 2 salutem. — Abschrift von Rev. H. M. Bannister.

93 De sancta Christiana.

1 a. Christianae virginis
Festa colat fidelis
Christiana contio,

1 b. Revoluta hodie,
Resoluta sint inde
Peccatorum vincula.

2 a. Laudet ecclesia
Hanc devoti cantus melodia

2 b. Dignam laude, quia
Pia, casta fuit et sobria.

3 a. Nata regis haec Anglorum
Fuit et reginae, quorum
Sola heres aderat;

3 b. Rituque praedecessorum
Cultum gessit idolorum,
Nam pagana fuerat.

4 a. Angelus hanc visitat,
Visitatam incitat
Ad baptismi gratiam.

4 b. Visitata respuit,
Incitata renuit
Idolorum latriam.

5 a. Baptizatur
Et vocatur
Christiana,
Quae pagana
Adulescens fuerat,

5 b. Consolatur
Et hortatur
Ad baptisma
Et ad chrisma
Puellas, quas noverat.

6 a. Divino inspiramine,
Presbyteri hortamine
Reliquit cultum Veneris.

6 b. Christiana nomine
Nomen hoc regimine
Sui complet operis.

7 a. Fidem haec ab angelo
Discit et presbytero,
Quam consortes docuit,

7 b. Hortans has omni zelo,
Ut credant Deo vero,
Quem silenter coluit.

8 a. O, quam tanta probitas
Ornat et virginitas,
Ora, ut sit sanitas
Nobis et prosperitas.

8 b. Absit nobis vanitas,
Quam cupit humanitas;
Insit nobis veritas
Et perfecta caritas.

Grad. ms. Teneramundense saec. 15. Cod. S. Mariae Teneramunden. s. n. — Daraus in: Cercle Archéologique de la ville et de l'ancien pays de Teremonde; Annales, 1864, p. 108. Die Quelle bezeichnet dort L. de Vlaminck als „oud antiphonarium [!] der kerk van Dendermonde . . ., waarin de getoonzette lofzangen van Hildoard en Cristina voorkomen." — 2 a, 2 sq. hanc ecclesia. Sollen vielleicht Strophe 2 a und 2 b rhythmische Hexameter sein? Dann wäre der Text der Hs. nicht zu ändern. — 7 b, 2 Ut oboediant.

94. De sancta Christina.

1 a. Gaudeamus exsultantes,
Hunc Christinae celebrantes
Diem sacrae virginis,

1 b. Quae aetate puellari
Passa fulget nunc praeclari
Throno iuncta luminis.

2 a. Haec, ut erat speciosa,
Casta, prudens et formosa
Moribus et genere,

2 b. Christum corde flagitabat
Et exemplis praedicabat
Voce, gestis, funere.

3 a. Fatigata
Diris verberibus
Et artata
Taetris carceribus
Agni sponsa nobilis

3 b. Post tortores,
Calcar et vincula,
Post dolores
Et rotae spicula
Permanet immobilis.

4 a. Maris fluctus et serpentes,
Rotam, fustes et candentes
Flammas atque iudices

4 b. Haec pro Christo superavit
Et extinctum suscitavit,
Nunc tuetur supplices.

5 a. Cum mamillis caederetur,
Fluxit lac pro sanguine,

5 b. Et, cum lingua privaretur,
Non est laesa famine.

6 a. Gladiis confossa demum
Regnum possidet supremum
Cum Christo feliciter;

6 b. Quem pro nobis ut deposcat,
Et commissis ut ignoscat,
Precemur humiliter.

7. Ipsi laus et gloria.

Collectan. ms. Placentinum saec. $^{12}/_{13}$. Cod. Capit. Placentin. 65 bis. Mit Melodie. — 4 a, 2 cadentes. — Abschrift von Rev. H. M. Bannister.

95. De sancto Christophero.

1 a. Hodierna die, Christe,
Recolat ecclesia

1 b. Christophori agonistae
Fidei sollemnia.

2 a. Laus est regis in martyris
Ipsius martyrio,

2 b. Quem edidit faex doloris,
Cananaea regio.

3 a. Promittente voce caeli
Baptismatis bravium

3 b. Statim sprevit pro fideli
Stygis internicium.

4 a. Martyr nascitur
Novae legis,
Novi regis
Opportunus signifer.

4 b. Lumen oritur,
Nova forma,
Nova norma,
Triumphator bellifer.

5 a. Sanctum vide victum fide
Triplici funiculo
Edocentem non latentem
Ferarum latibulo.

5 b. Fama Samon publicatur
Viridenti baculo,
Appellea baptizatur
Gens grandi miraculo.

6 a. Audit Dagnus sua iura
Poni multum in pressura;
Mente profunda
Quadringentos sitibunda

6 b. Indagare misit cura
Milites sanctum matura;
Stupet statura
Rex dicens: Quis es, iactura?

7 a. Dixit ei Christophorus:
Reprobum me alter chorus
Vocat ab infantia:

7 b. Sed post baptismi gratiam
Christophorus ad gloriam
Vocatus voce dia,

8 a. Christophorus Christum ferens,
Typum Christi recte gerens
Summa providentia.

8 b. Nicea et Aquilina
Recumbentes in sentina
Relinquunt sculptilia.

9 a. Fluxit ignis velut cera
Non praebens incendium.

9 b. Dolet Dagnus dicens fera:
Non times supplicium?

10 a. Virgis caeditur ferreis,
Tortoribus martyreis
Sacro vacans opere.

10 b. Sagittae nece ferventes,
Christophorum non laedentes,
Figuntur in aere.

11 a. Capitali martyr poena
Iubetur
a tyranno consummari.

11 b. Cuius Sichem in amoena
Credimus
regione collocari.

12 a. Martyr Dei,
Licet rei
Simus nec idonei
Tuae laudi,

12 b. Te laudantes
Et sperantes
De tua clementia
Nos exaudi.

13 a. Epilentiam, maniam
Curas [per] martyrium;

13 b. Aemularis insaniam
sedem linquens vitium.

14 a. Gratulatur
Et laudatur
Per te caeli curia.

14 b. Fac nos laude
Sine fraude
Post spem frui gloria.

Sequent. ms. Ravennatense anni 1585—87. Cod. Classen. 360 (139. 5. S.) A. — Miss. Parisiense imp. Parisiis 1585. B. — 2b, 1 edidit ex AB. — 5a, 3 labentem A. — 5b, 2 Viridentum A. — Strophe 6, 8 und 9 fehlen A. — 7a, 2 Reproborum alter AB. — 12a, 3 Sumus B. — 13b, 1 inaniam A. — Melodie: Congaudentes exsultemus.

96. De sancto Christophero.

1 a. Invictum Christi militem
Collaudemus Christophorum,
Qui triumphum per nobilem
Superavit diabolum.

1 b. Omnes ergo concorditer
Voce cantemus libera,
Referamus ut digniter
Virtutum eius opera.

2 a. Hic spreta idolatria
Cognovit Dei filium
Egressusque de patria
Pervenit ad martyrium.

2 b. Ad aquas prius fluvii
Christi servus resederat,
Per quem multos spe praemii
Propter Deum transtulerat.

3 a. Natus puer ex virgine
Dum ab eo transvehitur,
Deus ferri ab homine
Signis multis cognoscitur;

3 b. Nam unda crevit fluminis,
Puer gravis fit baiulo,
Palma plenaque dactilis
Facta fuit ex baculo.

4 a. Ex hoc relinquens fluvium
In Samon venit Lyciae,
Ubi Deus linguagium
Dedit ei provinciae.

4 b. Secum virga quam tulerat,
Licet iam foret arida,
Mox tamen, ut oraverat,
Arbor facta est florida.

5 a. Dagnus rex misit milites,
Qui eum comprehenderent,
Missos sanctus satellites
Informavit, ut crederent.

5 b. Eo viso rex imperat,
Diis ut det sacrificia,
Sed ipse regem increpat
Ista super stultitia.

6 a. Sancto misso in carcerem
Terrentur meretriculae,
Mittunt errorem veterem
Christoque fiunt credulae.

6 b. Ad regem rursus ducitur,
Vinclis ligatur undique,
Ferreis virgis caeditur,
Cum ignita stat casside.

7 a. Lectus post haec fit ferreus,
Sub quo ignis cum oleo,
Sed factus est ut cereus
Sancto stante in medio.

7 b. Furens rex minas addidit,
Terrens mortis supplicio,
Sed martyr fortis perstitit,
Ut erat ab initio.

8 a. Ecce, militum iacula
Non laeserunt Christophorum,
Quorum unum cum macula
Regem iecit pestiferum.

8 b. Cunctis ad se clamantibus
Impetravit auxilium,
Caesus [est] a tortoribus
Et susceptus in gaudium.

9 a. Illi, qui tunc te perdidit,
Reddis, o martyr, oculum
Hinc, qui nunc tui meminit
Precibus salva populum.

9 b. Trinitati sit gloria
Pro patrono tam strenuo,
Cuius nobis victoria
Prosit hic et perpetuo.

Miss. Numburgense imp. Basileae 1517. A. — Miss. Maguntinum imp. Basileae 1520. B. — 4 a, 2 Sammon A. — 7 a, 2 cum olea A. — 7 b. 2 Terrensque AB. — 9 a, 3 qui tunc B. — Das Akrostichon „Iohannes Desal (de Sal?) fecit" erinnert an das ähnliche Akrostichon „Iohannes Resal" in der Sequenz „Inter sanctos Deo gratos" (Anal. VIII, Nr. 114). Sind Iohannes Resal und Desal die gleiche Persönlichkeit, deren Name in einer der beiden Sequenzen durch Störung des Akrostichons verderbt ist? Und wenn ja, ist dann Resal oder Desal (resp. de Sal) die richtige Form? In vorliegender Sequenz würde durch Umstelluug von Rex Dagnus (5 a, 1 die Form Resal, in der Sequenz Anal. VIII, Nr. 114 durch Anderung von Repellatur in Depellatur die Form Desal rekonstruiert.

97. De sancta Clara.

1 a. Signiferi discipula,
Christi novella plantula
Horto floret ecclesiae,

1 b. Sumpto sacco cum cordula
Pedes nudat iuvencula
Clara, tonsa caesarie.

2 a. Sic corpus absque macula
Sub dura premit ferula
Sumptis armis militiae.

2 b. Christi scandens in specula
Hostis propellit iacula,
Fortis manens in acie.

3 a. Nondum nata
Matri promittitur
Clara proles
mundum illuminans.

3 b. Crucifixus
matrem adloquitur
Metum mortis
prorsus eliminans.

4 a. Lumen clarum claruit
Clara claro genere,
Cui mundus sorduit;

4 b. Christum clarum docuit
Mente clara gerere,
Per quem clare splenduit.

5 a. Crucifixo
Clara compatitur,
Carni suae
compati nesciens,
Cuius clavis
mente transfigitur.

5 b. In adversis
nunquam concutitur,
In amore
semper proficiens,
Cuius morte
mors nostra moritur

6 a. Humo nudo virgo pura
Utitur pro lectulo,
Panis artus cibus, aqua
Saepe fit pro poculo.

6 b. Signis multis illustratur
Vivens in hoc saeculo,
Morbus omnis effugatur
In crucis signaculo.

7 a. Barbarorum
fugatur feritas,
Dum ad Christum
orans convertitur.

7 b. A me, inquit
aeterna veritas,
Quidquid petis,
pie conceditur.

8 a. Oleum de caelo datur,
Clarae proles admiratur
In tanto miraculo;

8 b. Christi virtus innovatur,
Dum panis multiplicatur
In famis articulo.

9 a. Miros actus
dignos memoria
Christus probat
crebris indiciis;
Vivens in hac
saeculi scoria,

9 b. Iuncta Christo
potitur gloria,
Caelestibus
stipata liliis
Hostis saevi
facta victoria.

10 a. In hoc mundi discrimine
Manum extende pauperi,
Ne cadat in certamine,

10 b. Ut sic tuo munimine
Liber a portis inferi
Fruat aeterno lumine.

Grad. ms. Franciscanum saec. 14. Cod. Graecen. 36. — 9a, 5 sq. in hoc saeculo.

98. De sancta Clara.

1 a. Thronus novus fabricatur,
Clara Deo consecratur,
Gloriose decoratur
Manu sapientiae.

1 b. Haec est thronus Salomonis,
Quem ornavit suis donis
Ac replevit multis bonis
Christus, rex clementiae.

2 a. In hoc throno septem stellae,
Septem dona sunt puellae,
Quae sic clarae cordis cellae
Dedit Christi spiritus.

2 b. Haec Saturno decoratur,
Per quam stellam declaratur
Timor, per quem adoratur
Christus, Dei filius.

3 a. Venus, donum pietatis,
Tantae fecit libertatis
Claram, quod se paupertatis
Totam fecit famulam.

3 b. Fortitudo signat Martem,
Qui sic Claram fecit fortem
Quod necavit vitae mortem
Per cordis constantiam.

4 a. Mercurio resplenduit,
Consilium qui exprimit,
Quod prudenter tenuit
Contra mundi fraudem.

4 b. Luna lucet intellectus,
Quo dirigitur affectus
Clarae, quod sic est erectus,
Quod non sentit labem.

5 a. Sapientia vocatur
Donum summum, quod signatur
Sole, quo illuminatur
Sanctae Clarae ratio,

5 b. Quod tam pure speculatur
Clare Deum et sectatur,
Quod in ipso quietatur
Clarae cogitatio.

6 a. Per hoc donum patris candor,
Spiritus ac verbi splendor,
Per columnas ordinatam
Domum sibi decoratam
Clarae fecit spiritum.

6 b. Columnis septem roboratur
Clarae domus et ornatur.
Per hoc clare claruit,
Quod virtutum habuit
Sacrum septenarium.

7 a. Nunc in caelis collocatur,
Deum trinum contemplatur,
Nunc amore amplexatur
Iesum, in quo delectatur
Clara sine taedio.

7 b. Clara, mater claritatis,
Tecum lumen Deitatis
Corde puro videamus
Et in ipso gaudeamus
Amoris incendio.

Sequent. ms. S. Georgii Villingensis saec. 15. Cod. Carolsruhan. Geo 3. — Mit Melodie.

99. De sancta Clara.

1 a. Sidus clarum
Fulget, decus inclusarum,
Virgo Clara.

1 b. Praemonstratur
Nascitura orbi terrae
Lux futura.

2 a. Fune cincta, calceo
Carens, cibum triduo
Non sumebat.

2 b. Christus illi filiae
De capsa mirifice
Respondebat.

3 a. Certa caeli gaudio
In mortis articulo
Christum cernit.

3 b. Ipsam hora transitus
Maria cum virginibus
Circumstetit.

4 a. Quinquaginta prandio
Dominas dimidio
Pascit pane.

4 b. Hac orante subito
Adimpletur oleo
Vas inane.

5 a. Febres, vocem, furiam,
Hydropisin, fistulam,
Aurem, latus, maculam
Cruce curat.

5 b. Curat daemoniacos,
Lupi raptos parvulos
Reddunt, claros oculos
Caeco donat.

6 a. Plura his et alia
Facit mirabilia
Ista virgo
beatissima.

6 b. O Francisci plantula,
Tu pro nobis sedula
Precare Christum
per saecula.

Grad. ms. Franciscanum Monacen. saec. 14 15. Clm. Monacen. 8710. A. — Miss. ms. Frisingense saec. 14. Clm. Monacen 23054. B. — Sequent. ms. S. Georgii Villingensis saec. 15. Cod. Carolsruhan. Geo 3. C. — 2 a. 1 calceis A, calcia B. — 2 b. 1 isti C. — 4 b. 1 Hanc A. — 5 a. 2 Hydropilim AB. — 6 a. 3 Ista fehlt A; Ista fuit virgo B. — 6 b. 2 Tuum C. — Melodie: Laetabundus

100. De sancta Clara.

1 a. Laetabundus
Exsultet fidelis chorus
Die isto,

1 b. Nam in regno
Claritatis regnat Clara
Iuncta Christo.

2 a. Quae, priusquam generata,
Caelitus est nominata.
Res miranda;

2 b. Mundo nata parvula
Claris claret actibus
Sicut stella.

3 a. Haec Franciscum imitat,
Opibus renuntiat
Voce clara;

3 b. Sicut Christus docuit,
Paupertatem tenuit
Pari forma.

4 a. Orat, Christus loquitur,
Gens perfida pellitur,
Carne sumpta.

4 b. . . . . .
. . . . . .
. . . .

5 a. Pane turbam satiat,
Oleum multiplicat,
Membra sanat languentia
Sive caeca.

5 b. A regina visitatur,
Transitura palliatur,
Virginibus sociata
Fit praedicta.

6 a. Ora pro populo,
Precare pro clero,
Ne quem seducat
gens misera.

6 b. Fac nos frui polo,
Clara, [Iesu] Christo,
Quem genuit
puerpera.

Cant. ms. Vissegradense saec. 15. Cod. Capit. Vissegraden. Cc η. — 1 a, 3 ista. — 3 a, 1 imitatur. — 3 a, 2 Renuntiat opibus. — 5 b, 3 Virginum consortio. — 6 a, 3 quem ducat. — 6 b, 4 puerpera sancta. — Melodie: Laetabundus.

101. De sancto Corentino.

1 a. Septem sanctos veneremur,
Et in illis admiremur
Septiformem gratiam,

1 b. Qui perversos converterunt,
Quo repleti repleverunt
Dogmate Britanniam.

2 a. His praefulsit Corentinus,
Consecravit quem Martinus
Praesulem Cornubiae;

2 b. Cuius vita quantum digna,
Quam insignis, probant signa
Vivi fontis hodie.

3 a. Quem Paternus, Maelocus,
Visitatur dum hic locus,
Admirantur nimium;

3 b. Stupent simul et de vino
Statim dato Corentino
Et de casu piscium.

4 a. Caesus piscis integratur,
Rex de pisce satiatur,
Et piscis non moritur.

4 b. Viso signo tantae rei
Rex adorat virum Dei,
Donum grande sequitur.

5 a. Christi nomen exaltatur,
Fides sancta dilatatur
Frequenti miraculo.

5 b. Guingualous et Tudinus
Gaudent, quod sol matutinus
Sic eluxit populo.

6 a. Argumenta sanctitatis
Corentini patent satis
Post mortem magnalia:

6 b. Aperitur clausa manus,
Furtum reddit et fit sanus
Latro de Leonia.

7 a. Captus arca liberatur,
Vinum monachis servatur,
Sicut Turonis testatur,
Neque bibit aemulus.

7 b. A Britannis dum portatur
Sacrum corpus, imber datur,
Trabes cadit, nec damnatur
Paries vel populus.

8 a. Ergo Deo laus solvatur,
Per quem sanctus revelatur,
Peregrinus gratulatur,
Dum, quod petit, impetratur
Corentini gratia.

8 b. Trine Deus in personis,
Huius prece nos cum bonis
Tuis tuos dona donis
Et corona nos coronis
Sanctorum in gloria.

Miss. Briocense imp. Rothomagi s. a. [1502?]. A. — Miss. Macloviense imp. Rothomagi 1503. B. — 1 b, 2 Qua B. — 8 b, 2 Cuius AB.

102. De sancto Cornelio.

1. Honor et gaudium,
Nostrum refugium,
Corneli,

2 a. Ferto subsidium,
Vitae solacium,
Corneli.

2 b. Custos humilium,
Fias remedium,
Corneli.

3 a. Per hoc exsilium
Esto praesidium,
Corneli.

3 b. Tolle naufragium,
Confer suffragium,
Corneli.

4 a. Simul Cyprianum
Et oramus pium,
Corneli,

4 b. Poscat ut Dominum
Nobis propitium,
Corneli.

5 a. Solve servulorum
Vincula tuorum,
Corneli,

5 b. Laus celsa polorum,
Cum prece piorum,
Corneli.

Miss. ms. S. Cornelii Compendien. saec. 14. Cod. Parisin. 16823.

103. De sancto Cyrico.

1. Alleluia,

2 a. Deus quoniam
magnus prae cunctis exstat;

2 b. Ergo nunc nostra
laudant illi pectora.

3 a. Nulla enim cithara
nec ullius voce melodia
valet pandere illi grata
famina,

3 b. Sed laus eius terrea
est nil iam a voce angelica
illi habita in perenni
gloria.

4 a. Quaenam lingua
septem valet illa
solvere signacula,

4 b. Quae Christo cantant
centum quadraginta
quatuorque milia?

5 a. Sine semine Maria
illum genuit puerpera,

5 b. Qui paterna vi unica
supera tenet et infima.

6 a. Isdem pietate non modica
dedit signa,
per quae perdita
donaremur citissime patria.

6 b. Novum protulit nobis baptisma,
quo renata
mentis lumina
proveherentur [summa] ad aethera.

7 a. Haec est via, vita,
veritas,
cuius teneamus
vestigia.

7 b. Haec nam sunt praecepta
intima,
quae nos deducant ad
sublimia.

8 a. In tantum caritas
caelica
nos dignos praestat
ad sua beneficia,

8 b. Ut cruce territa
propria
piaret membra,
quo manerent siderea.

9 a. Ex quo vita subducta
voluit nostram sepulturam
habere sibi sociam;

9 b. Surgens die tertia
concessit nobis licentiam
resurgendi ad gloriam,

10 a. Scandit et clara
caelorum [ad alta],
Quo libere haberes viam
ad aeterna
palatia,

10 b. Quo se nobis pius cedat
famulari
per saecula
Et nos in sua
transfundat viscera

11. Benigna.

Trop. ms. Nivernense saec. 11. Cod. Parisin. 9449 A. — Antiph. et. Grad. ms. Nivernense saec. 12. Cod. Parisin. Nouv. Acq. 1235. B. — Die Melodie (nach dem Schema „Quoniam Deus maior“ vgl. „Alme Deus cui serviunt,“ Anal. XL, Nr. 43, und „Promere chorda“, Anal. XL, Nr. 289) bietet A in Neumen, B in Notenschrift. — 3 b, 2 ad voce A. — 3 b, 3 in perenni stört die Endassonanz; l. aeterua? habitant A. — 6 b, 2 quare nata AB. — 6 b, 4 proveheretur AB. — 10 a, 4 aeternam B. — Inhaltlich nimmt die Sequenz auf den hl. Cyricus gar keinen Bezug.

104. De sancto Cyrico.

1 a. Puer natus est Cyricus,
Cuius ordo caelicus
Laudat puerperia;

1 b. Vere puer, Deum verum
Christum sequens puerum
Senex in infantia.

2 a. Miro modo legem docens.
Nocentibus innocens,
Praedicans caelestia,

2 b. Nondum iuventutis flore,
Immo lactis tempore
Tractus ad supplicia.

3 a. Infans vir Israelita,
Cuius genetrix Iulitta
Nobilis, propitia,

3 b. Dogma promens spiritale
Natum trahit ad natale
Morte Christi praevia.

4 a. Cuius mors Cyrici vita,
Dum per mortem intrat ita
Vitae natalitia.

4 b. Ante tempus meritorum
Dies lactis, dies florum
Fructus ferunt praemia.

5 a. Felix mater, felix natus,
Non timentes cruciatus,
Sed pro fide Christi bella

5 b. Sustinendo patientes,
Patienter sustinentes
Famem, frigus et flagella,

6 a. Tandem mortem pretiosam;
Ita Christus rosa rosam
Legit ad caelorum serta.

6 b. Ecce, nunc tempus rosarum,
Ut ad gloriam earum
Nos invitet fides certa.

7 a. O felices, o beati,
Qui pro Christo passo pati
Meruerunt talia:

7 b. Ignem, ferrum, diversorum
Exquisita tormentorum,
Ad mortem flagitia!

8 a. Sacramentis nondum novis
Istos signant agnus ovis
Eorumque victima.

8 b. Iste puer martyr magnus
Quasi legis sacer agnus
Die quartadecima.

9 a. Item iuxta legis foedus
Istum caesus signat hoedus,
Istam rufa vitula;

9 b. Agnus figurabat Christum,
Christus agnum fecit istum,
Agnum sine macula.

10 a. Hic agnus occiditur,
Qui cum ove sequitur
Agnum ante saecula;

10 b. Sic currunt ad bravia,
Quorum haec sollemnia
Recolit ecclesia.

11. Eorum constantia
Gratiam cum gloria
Nobis praestet. Alleluia.

Antiph. et Grad. ms. Nivernense saec. 12. Cod. Parisin. Nouv. acq. 1235. add. saec. 14. A. — Miss. Nivernense imp. Parisiis 1490. B. — 1 a, 2 caelitus B. — 1 a, 3 puerperium B. — 1 b, 1 verum Deum B. — 1 b, 3 ab infantia B. — 2 b, 1 Nundum A. — 3 b, 3 More A. — 5 a, 1 natus B. — 8 a, 1 mundum A. — 8 b, 1 mater magnus B. — 9 a, 2 signant B. Melodie: Per unius casum grani.

105. De ss. Cyrico et Iulitta.

1 a. Veni, Christe, caelitus
Et emitte spiritus
Sancti tui radium;

1 b. Per horum suffragia,
Quorum sunt sollemnia,
Da nobis auxilium.

2 a. Iusta lege mutui
Vivunt pro te mortui
Cum sorte viventium;

2 a. Caeli lege perfrui
Tradidit exigui
Temporis martyrium.

3 a. In agone positi
Tormentis expositi
Manibus nocentium;

3 b. Nec horrorem carceris
Nec cuiusque generis
Timuerunt gladium.

4 a. Isti pro te, Domine,
Et pro tui nomine
Passi sunt exitium;

4 b. Fortes tui milites
Paupertate divites
In regno caelestium.

5 a. O vos testes Domini,
Vocare dignemini
Hoc nostrum consortium

5 b. Ad virtutis meritum,
Ad salutis exitum,
Ad perenne gaudium.

Miss. Morinense imp. Rothomagi 1516. A. — Miss. Morinense imp. Rothomagi 1523. B. — Melodie: Veni sancte spiritus.

106. De sancto Dagoberto.

1 a. Hic est contemptor regnorum
Vel delicti mundanorum,
Qui fulget inter sanctorum
Beata collegia;

1 b. Hic regalis genitura
Mundum sprevit, peritura
Linquens, sperans permansura
Paradisi gaudia.

2 a. Ad Cale monasteria
Traditur ab infantia,
Eruditur scientia,
Spiritali gratia;

2 b. Eruditur, lucem dedit,
Quasi stella lumen edit,
Deum timet, Deum credit,
Dans legis iudicia.

3 a. Inde Remis vocitatur,
Semen spargit, exoratur
Ad plebis subsidium;

3 b. Semen sanctum manu satum
Fructum dat, multiplicatum
Per Dei iudicium.

4 a. Hinc ad patres remeavit
Ac devotus visitavit
Sanctum Dionysium;

4 b. Hic pristinae menti datus
Est vir quidam insensatus
Per sancti suffragium.

5 a. Rotomagum visitatur,
De feodo disceptatur.
Iudicium retardatur.
Sed confestim comprobatur
Iniqui iudicium.

5 b. Sancto preces effundente,
Deo sedes evertente.
Ruunt consternata mente,
Sic luduntur et repente,
Dei providentia.

6 a. In Frisia conversatus
Audit duros ululatus
Captivorum, quos ligatus
Ferri stringit duplicatus
Et famis angustia.

6 b. Servus missus sceptrum gerit,
Sceptro regis claustra ferit
Et captivos mox eiecit,
Quisque domum suam quaerit
Cum magna laetitia.

7 a. Rex venari cupiens
Silvam petit gradiens,
Quae vocatur Vipria;

7 b. Dum venantur servuli,
Iuxta ripam rivuli
Tendit rex ad somnia.

8 a. Dormitans in latebris
Caelum videt, celebris
Ad quod ire nititur;

8 b. Audito filiolus
Somnio malevolus
Vano lucro fallitur.

9 a. Hunc orat pro requie
Congaudens pecuniae,
Per verba fallaciae
Tendit rex ad somnium.

9 b. Mox arrepto gladio
Sanctum ferit histrio,
Hic tali martyrio
Caeli petit solium.

10 a. Corpus terra sublevatur,
Sathanacum deportatur
Ac devote veneratur
Per eius confinia.

10 b. Martyr Christi praeelecte,
Deo placens et perfecte,
Martyrio caelo vecte,
Duc nos ad caelestia.

11. Ipsum votis collaudemus,
Voce, corde exsultemus,
Ad beati suspiremus
Dagoberti gaudia.

„Ex Codice Satanacensi“ in Alex. Wilthemius S. I., Acta D. Dagoberti, Francorum regis et martyris. Augustae Trevirorum 1653, p. 29. — Cfr. Krusch, Script. rer. Meroving. II, 510. — 4 a, 4 ad partes. — 5 a, 5 iudicium gegen den Reim. — 6 a, 4 Ferri stricti.

107. De sancto Dionysio.

1 a. Salve, pater Dionysi,
Lux et decor paradisi,
Laus et decus Galliae;

1 b. Praeco vitae, tuba caeli,
Fax amoris, fornax zeli,
Fons et flumen gratiae.

2 a. Cleri iubar et acumen,
Flos, speculum et cacumen
Sapientum Graeciae,

2 b. Mente legens caeli numen
Ut aquila solis lumen
Non aversa facie.

3 a. Tu transcendens hominem
Claritate spiritus,

3 b. Elucidans ordinem
Caelestis exercitus.

4 a. Tu Seraphim caritatis
Sitim et incendium,

4 b. Tu Cherubim claritatis
Investigas radium.

5 a. Tu thronorum firmitatem,
Tu distinguens dignitatem
Assignatam ceteris,

5 b. Vim, naturam, puritatem,
Opus, motum, potestatem
Excellenter disseris.

6 a. Ergo, rosa gloriosa,
Binis cum sodalibus

6 b. Fer devota nostri vota
Clemens in caelestibus,

7 a. Ut, qui tui passionem
Veneramur et agonem
Vernantis victoriae,

7 b. Contemplemur post laborem
Fructum ventris, caeli florem,
Christum, regem gloriae.

Miss. ms. Sandionysianum saec. 14. Cod. Parisin. 1107. A. — Miss. ms. Magdeburgense (Alberti Card. Brandenburgen.) anni 1524.. Cod. Palat. Schafnaburgen. Ms. 10. B. — Miss. Magdeburgense imp. Lubecae. 1480. C. — Miss. Magdeburgense imp. Magdeburgi 1486. D. — Miss. Magdeburgense imp. Magdeburgi 1497. E. — Miss. Magdeburgense imp. Nurenbergae 1503. F. — 3b, 1 Elucidas A. — 4b, 1 u. 2 fehlen B—E. — 6b, 1 Per BD. — A bietet die Melodie.

108. De sancto Dionysio.

1. Summi regis ierarchia
Gratulatur, freta pia
Electorum gloria.

2 a. Lux e luce graditur,
Dum pacis granum labitur,
Nitor Dionysii;

2 b. Qui errore cutitur,
Athenis ritu volvitur
Frequens in gentilium.

3 a. Arte peritus physica,
Vana colens idola,
Ignotum Deum asserens,
Quem fide nondum ceperat,

3 b. Pauli erectus dogmate,
Sacro unctus pneumate,
Profanum cultum respuens
Et Christum palam praedicat.

4 a. Teritur miraculo
Philosophantum acies,
Solutus a piaculo
Fit praesul amantissimus.

4 b. Sistitur martyrio
Praefecti minas perferens,
Adiectis et sodalibus
It laetus ad tripudia.

5 a. Decollato capite,
Viribus reductis
Caelitus angelicis-
Que circumvallatus moeniis
Rutilat prodigio

5 b. Revelato corpore
Valido meatu
Properat Parisius,
Quo solemnizatis laudibus
Residet magnificus.

6 a. Qui bene sanat languidos,
Cum caterva inclita
Plura fert remedia

6 b. Et reos placat hilaris,
Angelorum agmina
Cui dant obsequia.

7. Cuius intercessio
Operetur, ut remissio
Nobis donetur scelerum.

Grad. ms. Schaeftlariense saec. 15. Clm. Monacen. 23026. — Mit Melodie. — 2b, 1 errorem.

109. De ss. IV Doctoribus Ecclesiae.

1 a. Voto cordis melos demus,
Congaudentes decantemus
Doctorum laudes inclitas.

1 b. Hi lucernae sunt ardentes,
Quae perducunt gradientes
Per scripturarum semitas.

2 a. Gregorius, vir facundus,
Verbo dulcis, vita mundus,
Formam hominis tenuit.

2 b. Ambrosius, leo fortis,
Magnatorum nunquam mortis
Metu peccata tacuit.

3 a. Ieronymus, bos secure
Gradiens, vias scripturae
Solidissimas docuit,

3 b. Super omnes Augustinus,
Alta petens vir divinus,
Vultum aquilae meruit.

4 a. Nubes caeli, rore plenae,
Sal terrae, lux mundi, venae
Totius sapientiae,

4 b. Nos a culpis expiari
Procuretis et post dari
Choris caelestis patriae

5. In sempiterna requie.

Miss. ms. Franciscanum Amstelodamen. anni 1531. Cod. Weerten. F a 7. A. — Miss. S. Martini Maioris Monasterii imp. Turonibus 1508. B. — 1a, 1 Oris vocis melos B. — 1b, 2 reducunt A, procedunt B. — 2a, 3 Hominis vultum habuit B. — 2b, 2 Ut Elias nunquam B. — 2b, 3 vitia tacuit B. — 3a, 3 Solidissime tenuit B. — 4b, 2 Faciatis B. — In B angewandt auf das Fest des hl. Ambrosius. — Interessant ist, dafs die 4 Symbole der Evangelisten hier den 4 Kirchenlehrern zugewiesen werden.

110. De ss. IV Doctoribus Ecclesiae.

1 a. Plebs fidelis,
Plaude melis,
Ut in caelis
Resonet

1 b. Laus de bono
Dei dono
Nec a sono
Dissonet.

2 a. Nam latria
Tunc est pia,
Cum haec tria
Consonant:

2 b. Mens cum ore,
Os cum more,
Manus horae
Resonant.

3 a. Sed doctores,
Morum flores,
Immo mores
Proprie,

3 b. Sunt in caelo,
Nunc in melo
Pari zelo
Gloriae.

4 a. Gregorius
Eximius
Gaudet prius
Merito

4 b. Et proprius
Vicarius
Cultu pius
Inclito.

5 a. Huic vicinum
Augustinum
Ius divinum
Tribuit

5 b. In gloria.
Quare? Quia
Per praemia
Meruit.

6 a. Loco trino
Augustino
Pro divino
Munere

6 b. Ambrosius
Egregius
Fit socius
Foedere.

7 a. Pro mercede
Est in aede
Caeli sede
Civium

7 b. Jeronymus
Sanctissimus
Nec minimus
Omnium.

8 a. Ex doctrina
Quorum bina
Lex divina
Panditur,

8 b. In agone
Vitae bonae
Ac sermone
Legitur.

9 a. A praedictis
Pro delictis
Nunc velitis
Veniam

9 b. Impetrare;
Volunt dare
Prece pare
Gratiam.

10 a. Et ideo
Suadeo,
Ut a Deo
Gloriam

10 b. Reportemus,
Hos rogemus
Ac laudemus
Etiam.

Miss. Noviomense imp. Rotomagi 1506. — 1 a, 2 melos. — 1 b, 1 de sono. — 1 b, 3 a bono. — 2 b, 2 Quorum more. — 4 a, 3 primus. — 9 a, 3 Nunc satage. — 9 b, 2 Quam et voluut dari. — 9 b, 3 pari. — 9 b, 4 Gratia.

III. De ss. Dominico, Petro, Thoma.

1 a. Ad honorem trinitatis
Refulget seraphicus
Triplex splendor caritatis
In mundo mirificus:

1 b. Adest dux Praedicatorum,
Orbis lux, Dominicus,
Petrus martyr, norma morum,
Thomas, doctor caelicus.

2 a. Multorum, ut Abraham,
Pater hic probatur,
Innocens ut Isaac
Alter immolatur,
Hic videns ut Israel
Deum contemplatur.

2 b. Ore trium testium
Veritas firmatur,
Sic fides credentium
Per hos tres fundatur,
Per quos demum fallacium
Haeresis damnatur.

3 a. Dominicum caritas
Eminens ornavit,
Martyrii dignitas
Petrum laureavit,
Doctrinae sublimitas
Thomam decoravit.

3 b. Hos tres duplex titulus
Honoris ditavit.
Dum doctrinae rivulus
Ex his emanavit,
Delibatus flosculus
In eis fragravit.

4 a. Hic [est] vir aethereus,
Fervens praedicator,
Alter fortis clipeus,
Fidei zelator,
Hic errorum malleus,
Legis declarator;

4 b. Ille primicerius,
Pauperum fundator,
Signorum egregius
Alter operator,
Augustino tertius
Compar illustrator.

5 a. Trino teste caelitus
Fides roboratur,
Aqua, sanguis, spiritus
Dum nobis donatur,
Tribus his divinitus
Mundus reparatur;

5 b. Spiritus eloquii
Dominico datur,
Sanguine martyrii
Petrus decoratur,
Aquis sacri studii
Aquinus rigatur.

6 a. Pie pater, influe
Ignem caritatis,
Petre, nobis tribue
Spem securitatis,
Thoma, tu nos instrue
Luce veritatis.

6 b. Vos, qui iam in aethere
Cum Christo regnatis,
Curetis eripere
Nos hic a peccatis
Et tandem conducere
Civibus beatis.

[Collectan. Praedicatorum] imp. Venetiis (de Soardis) 1516. — Das Buch hat keinen Titel; v. Panzer X, 44, n. 799 b. — 2 b, 5 fallax. — 3 b, 5 Deliberatus; l. delicatus? — 3 b, 6 flagravit. — 5 b, 1 eloquium.

112. De sancto Domitiano.

1 a. Confessorum regi, Christo,
Grex iustorum die isto
Laudum det praeconia.

1 b. Domitorem vitiorum,
Domus civem supernorum
Celebret ecclesia.

2 a. Qui Gallorum doctor sanus
Dictus est Domitianus
Mundi domans vitia;

2 b. Clara stirpe procreatus,
Vita, fide decoratus
Christi fulsit gratia.

3 a. Ad honorem praesulatus
Et Traiecto postulatus
Functus sacerdotio

3 b. Terram lustrat vir insignis,
Gentem salvat, splendet signis,
Novae lucis radio.

4 a. Turbam pascit egenorum
Pius pater orphanorum
Probatus per omnia.

4 b. Deo preces offert iuges,
Fundit imbres, confert fruges,
Vitae victualia.

5 a. Ex virtute deitatis
Reddit tutae sanitatis
Languidis remedia.

5 b. Visitans Aurelianum
Perversorem, dogma vanum
Depulit a patria.

6 a. Emendatos christianos,
Confirmatos, fide sanos,
Durat ex perfidia.

6 b. Horum mundum disciplina
Docens replet et divina
Spiritus clementia.

7 a. Anguem fugat venenatum
Vulnus sanat vulneratum
Daemonis astutia

7 b. Fontem facit salutarem,
Laudem fugit saecularem
Humilis constantia.

8 a. Servus prudens et fidelis
Consolatus est de caelis
Dei providentia.

8 b. Pane vivo confortatus
Carne liber est translatus
Ad sanctorum gaudia.

9 a. Corpus digne tumulatur,
Salus aegris reparatur
Peste pressis varia.

9 b. Hic in cunctis clemens, bonus
Pastor gregis et patronus
Colitur cum gloria.

10 a. Sancte praesul et confessor,
Heres Christi et consessor,
Sis pro nobis intercessor
Ad aures clementiae.

10 b. Plebis decus christianae,
Nostra spes, Domitiane,
Fac nos vitae pasci pane
Cum colonis gloriae.

Miss. ms. Beckense (Leodiense) saec. 15. Cod. Bruxellen. 3782. A. — Miss. Leodiense imp. Delf ca. 1485. B. — Miss. Leodiense imp. Parisiis 1499. C. — Miss. Leodiense imp. Spirae 1502. D. — Miss. Leodiense imp. Parisiis 1513. E. — Miss. Leodiense imp. Parisiis 1515. F. — Miss. Leodiense imp. Parisiis 1523. G. — Miss. Leodiense imp. Parisiis 1527. H. — Miss. Leodiense imp. Parisiis 1540. I. — 6 b, 1 Morum mundum B. — 7 b, 1 Montem A. — 10 a, 2 et confessor A — I.

113. De ss. VII Dormientibus.

1 a. In peccatis qui dormiunt,
Sese male sepeliunt;
Sed surgunt ad merita,

1 b. Qui dormiunt et in Christo.
Simul surgent et cum isto
Cum stola pollicita.

2 a. Ut cum istis resurgamus,
Dormientibus psallamus
Maioris Monasterii,

2 b. Qui Martini, Deo cari,
Consanguinitate pari
Fuerunt stirpe socii.

3 a. Quibus avus Florus fuit,
Rex Hunnorum, sed claruit
Martinus Turonia;

3 b. Clarus stirpe, discipulis,
Clarus fide, miraculis,
Clarus et per omnia.

4 a. Hi virgines permanserunt,
Pauperibus disperserunt
Venumdantes propria;

4 b. In patria eremitae,
Illuxerunt luce vitae,
Sed spreverunt omnia.

5 a. Post Martini consilio
Peregrini quinquennio
Herbis et nudis pedibus

5 b. Ad Martinum redierunt.
Loco dicto se clauserunt
Cunctis despretis opibus.

6 a. Hos Martinus ordinavit
Et altare consecravit
Positis reliquiis,

6 b. Peregrini quas tulerant,
Quo soluti usi erant
Martini consiliis

7 a. Martinus sciens obitum,
Post ad ipsos nec reditum,
Orantes cum fletibus

7 b. Per cellas fratres |collegit
Et abbatem his elegit,
Valedicens fratribus.

8 a. Sub eo bis octo annis,
Sub abbate quinque lustris
Septem vixerunt una.

8 b. Septem terra sic lucebant,
Septem caelo ut splendebant
Plyades et ut luna.

9. Sint per Gaudentem gaudia,
Per Cyriacum venia
Detur et innocentia
Innocentis prece pia.

Miss. S. Martini Maioris Monasterii imp. Turonibus 1508. — Titel: „De 7 dorminentibus apud Monasterium quiescentibus." 6b, 1 tulerunt. — 6b, 2 uti erant.

114. De ss. VII Dormientibus.

1. Hos saepius visitavit
Martinus et confortavit
Morte iam deposita.

2 a. Ad hos nocte dominica,
Transitus sui crastina,
Apparuit item ita

2 b. Dicens: phalanx angelica
Reddet in die crastina
Vobis secundum merita.

3 a. Viatico paremini,
Cras egrediemini
De carnis ergastulo.

3 b. Labem carnis ut nescitis,
Sic nec caro erit tristis
In mortis articulo.

4 a. Cuius dicta sunt completa,
Nam, ut dixit, venit laeta
Civium caeli contio,

4 b. Quae odoris fraglantia
Replevit cellam nimia
Septem dierum spatio,

5 a. Qua aegroti sunt sanati,
Venientes et allati.
Hi data eucharistia

5 b. In prece se prostravere
Et ibi obdormivere
Recipientes praemia.

6 a. Facies horum virore
Ita erant speciosae,
Vivi semper aestimati,
Ut solebant, sunt vocati
Per septem sedilia.

6 b. Ligari fugit calculo
Velut saburra pontica,
Eorum morte mystica
Quod fecit Deus populo
Miraculorum milia.

7 a. Siquis adhuc mente digna
Quaerat, illis digne digna
Mox sentiet suffragia,
Horum quae pro memoria
Dabit Dei clementia.

7 b. Octava die Bricius
Cum monachis honestius
Et clericis, quos vocavit,
Sicut nunc sunt, tumulavit,
Cum sint in caeli gloria.

8 a. *Clemens* Dei clementiam
Impetret, *Primus* gratiam
Atque *Laetus* laetitiam,
Theodorus laudem diam;

8 b. Sint per *Gaudentem* gaudia,
Per *Cyriacum* venia
Detur et innocentia
Innocentis prece pia.

Miss. S. Martini Maioris Monasterii imp. Turonibns 1508. — 5 b, 2 obdormire. — Diese und die vorhergehende Sequenz bilden sichtlich ein Ganzes; überdies ist die letzte Halbstrophe (8 b) als Abschluſs für die vorhergehende Sequenz verwertet. Weil aber liturgisch die Dichtung in zwei Sequenzen zerlegt ist, habe ich sie in dieser zerlegten Form belassen. — Überschrift: „Alia prosa.“

115. De sancte Dorothea.

1 a. In vestitu deaurato
Carnis pallio sublato
Procedit Sion filia.

1 b. Non formidat vulnerari
Sponsum quaerens amplexari
Dilectum super milia.

2 a. Quem quaesitum per plateas
Inter virginum choreas
Vidit legentem lilia.

2 b. Intrat laeta sponsi thorum
Per phalangas angelorum
Petens amoris osculum.

3 a. Qui sub sceptro maiestatis
Sponsae regnum claritatis
Dat nuptiale dosculum,

3 b. Falce mortis ex hoc imo
Virescenti floris tymo
Iungens recisum flosculum.

4 a. Vis amoris, quam affecit,
Exspectanti non defecit,
Pulchrae Rachelis facies.

4 b. Fracto carnis alabastro
Fit vicina solis astro
Post hiemales glacies.

5 a. Quam dum poenis praeses pressit,
Ordinata non abscessit,
Stans ut castrorum acies.

5 b. Haec Theophilum armavit
Floribus et malis, lavit
Erroris a vesania,

6 a. Et sorores revocavit,
Christo reconciliavit
Meditantes inania.

6 b. Simul in conspectu throni
Stant et vident fontem boni
Iam Deum per essentiam.

7 a. Virgo clemens, serva gentem
Tuas poenas recolentem,
Funde precum frequentiam,

7 b. Ut persuasu Thecuitis,
Manu fortis, corde mitis,
Mortis laxet sententiam.

8 a. Transfer nos ad supernorum
Festos, choros angelorum,
Prata semper virentia;

8 b. Fluctuantes duc ad portum,
Sponsi pande nobis hortum
Et poma redolentia,

9. Ipsum tecum ut ludentem
Contemplemur, disponentem
Rerum causas et entia.

Miss. ms. Patauiense saec. 14. Cod. Florian XI 388. — Die Schlufsverse der Halbstrophen reimen stets je 3 Mal. Eine Ausnahme macht der Reim auf „ia“ in 5 b, 3 und 6 a, 3, der nur 2 Mal erscheint: ob also dort eine Halbstrophe fehlt? — Am Schlufs ist Strophe 8 b nochmals repetiert.

116. De sancta Dorothea.

1 a. Mittit ad virginem
Sanctam Dorotheam,
Ut pulchritudinem
Atque aureolam
Tyrannus impius

1 b. Forti subripiat
Cum violentia;
Ut hanc eripiat,
Dei clementia
Astat propitius.

2 a. Natura stimulat
Malum Fabricium,
Fremit et cumulat
Ob hoc supplicium,
Ut hanc alliciat;

2 b. Superbientium
Terat fastigia,
Vertit Theophilum
Simplex puellula,
Ut haec perficiat.

3 a. Foras eiciat
Mundanum otium,
Ut non despiciat
Castum negotium,
Poenas sustinuit.

3 b. „En," inquit, „niteris
Me coinquinare;
Clerum cum ceteris
Glisco adunare;"
Et hoc obtinuit.

4 a. Accede, propera,
Insta et supplica
Et nostra munera
Clementer duplica
In caelo et in terra.

4 b. Virgo, notario
Poma angelica
In Februario
Dona et caelia
Transmittens sine guerra.

5 a. Audit et suscipit
Puella canticum,
Quod chorus iam incipit.
Nos caeli anticum
Ingredi rogita

5 b. Consiliarium
Humani generis,
De tuis supplicibus
Servis et liberis
Iugiter cogita.

Miss. ms. incert. origin. saec. 15. Clm. Monacen. 23274. — 2 b, 4 puella. — 5 a, 4 Et caeli anticumen nos [!]. — 5 b, 3 De cuius. — Melodie: Die Mariensequenz gleichen Anfanges.

117. De sancta Dorothea.

1 a. Salve, rosa claritatis,
Rivus amplus bonitatis,
Ebur candens castitatis,
Balsamus fragrantiae,

1 b. Turturea Dorothea,
Quae es cella marmorea,
Tuo *δούλῳ* confer ea,
Quae sunt dona gratiae.

2 a. Ecquis te cum tuo grato
Sponso, multum delicato,
Euphonizet coram rato
Vulgo christianico.

2 b. Pangam ergo hanc sonoram
Oram gemmis polituram,
Castam, iustam, quam decoram
Referunt graphilogi.

3 a. Haec est illa virgo clara,
Quae tormenta per amara
Agnum multum in praeclara
Imitatur suppara.

3 b. Aurem tuam huc inclina,
Hostem, precor, procul mina,
Ne nos fraude hic vulpina
Impellat ad barathra.

4 a. Nam orante, virgo dia,
Scio, quod in ierarchia
Te implorans ac honorans
Situetur caelica.

4 b. Virgo, nobis impetrare
Locum, in quo iubilare
Sponso tibique sonare
Laudes efficaciter

5. Simul omnes inclamemus
Et clamando publicemus.
Nobis hoc det, quo egemus,
Regnat qui perenniter.

Miss. ms Pragense saec. 14. Cod. Mus. Bohem. XVI A 12. A. — Miss. ms. Vissegradense saec. 15. Cod. Capit. Vissegraden. V C 7. B. — 2a. 1 Ex quis B. — 3a, 3 Agnum fehlt A. — 3a, 4 supera B. — 4a, 1 orante te A. — 4a, 4 Sitetur A. — 5, 3 det quo fehlt A. — Akrostichon: Stephanus: wohl der Dichter.

118. De sancta Dorothea.

1 a. Clara claris
Sata prodit parentibus
Dorothea,

1 b. Nomen nacta
Haec sancto sanctorum nupta
Per annulum.

2 a. Annis puerilibus
Refulsit virtutibus
Adornata.

2 b. Valde pulchra facie
Nec cessit ab acie
Castitatis.

3 a. Protestatur angelus,
Summi regis nuntius
Sibi missus,

3 b. Poma, rosas afferens,
Hanc sororem asserens,
Vita castam.

4 a. Fabricius praefectus
Zelo eius affectus
Hanc optavit;

4 b. Spretum virgo proiecit,
Christo se patefecit
Desponsatam.

5 a. Hinc ferventis olei
In dolium mittitur
Et [obscuro] carceri
Mancipatur.

5 b. Gentilium delubra
Affirmavit sordida
Asserens daemonia
Fore vana.

6 a. Post multa genera,
Quae tulit tenera,
Tormentorum
gravissima

6 b. Sponsa sponso datur,
Cervix dum truncatur,
Stola clara
trabeatur

7. Dorothea.

Hymn. et Sequent. ms. Cracoviense (cum commento) anni 1425. Cod. Cracovien. Iagell. 2012. — Mel. offenbar: Laetabundus, wobei 7. das Amen vertritt. — 1b, 2 Haec sancta sanctarum virgo fit.

119. De sancto Edmundo Ep.

1 a. Ad honorem summi regis
Vox devoti psallat gregis
Pastoris sollemnia;

1 b. Sancti praesulis Edmundi
Clara voce laetabundi
Pangamus praeconia.

2 a. Quem, dum aetas iuvenilis
Floret, ornat mens senilis,
Sancta pascunt studia.

2 b. Hunc adultum spes matura,
Verus amor, fides pura,
Morum vestit gratia.

3 a. Vitas patrum imitatur,
Sanctus sanctis similatur
Meritorum cumulo;

3 b. Quia Deo famulatur,
Illum Deus veneratur
Intuente populo.

4 a. O laudanda Dei dona,
Fulget virtus in corona
Sanctitatis infula;

4 b. Tutor factus libertatis
Tutus dormit cum beatis,
Testantur miracula.

5 a. Vita functis et gibbosis
Forma redit et leprosis
Cutis munda corporis;

5 b. Caecis visus, lingua mutis,
Claudis gressus, vis salutis
Cunctis adest inferis.

6 a. Pastor bone, pastor digne,
Pastor clemens et benigne
Nos tuere subditos.

6 b. O Eadmunde, nos emunda,
Tua sancta et fecunda
Prece duc ad superos.

Antiph. et Grad. ms. Vigorniense saec. 13. Cod. Capit. Vigornien. 160. add. saec. 13. ex. — Mit Melodie. — 2a, 2 Floret oru et mens. — 4a, 1 Deo. — Abschrift von Rev. H. M. Bannister.

120. De sancto Edmundo Ep.

1 a. Plebs fidelis iucundetur,
Et ab ea veneretur
Praesulis memoria

1 b. Eadmundi, cuius vita
Mundo fuit inaudita,
Odit transitoria.

2 a. Infans natus iam docetur,
Docet, blatrat et medetur
Quosque sapientia.

2 b. Calet igne, digne castus
Cassat aestus, domat fastus,
Floret innocentia.

3 a. Vita mundum ad processus
Se salubres dans professus
Iam fit in Cistercio.

3 b. Sopor raro inest ei,
Pernox stat in via Dei
Celebri commercio.

4 a. De terrenis nil exposcit,
Sed, quae sursum sunt, dinoscit
Lege fidus Domini.

4 b. Cultor ipse paupertatis
Vita est, quam porro satis
Suo sensit homini.

5 a. Normam servat et servari
Iubet claustri voto pari,
Nullum demit gratia.

5 b. Hic plerisque infirmatis
Sanitatem, tribulatis
Laeta fert solacia.

6 a. Visum caecis, sed auditum
Surdis praestat expeditum
Et fugat daemonia;

6 b. Sane figit claudis gressum,
A stringentis sinit pressum
Febris acrimonia.

7 a. De supernis voce lapsa
Tandem ei est commissa
Praesulatus dignitas;

7 b. Quem vitutum tot honore
Perornavit miro more
Divina clementia.

8 a. Ergo, sancte pater, audi,
Eadmunde, tuae laudi
Astantes et impetra,

8 b. Ut, qui fecit te beatum,
Nobis praebeat ducatum,
Ubi pax et gaudium.

Grad. ms. Margaretae Scheiffart de Merode saec. 15. Cod. Mus. Hungarici 259. — Strophe 1, 7 und 8 sind der Nicolaus-Sequenz gleichen Anfanges entlehnt.

121. De sancto Eleutherio.

1 a. Plaudat orbis et ad caelos
Ferat laudum dulce melos
Eleutherii memoria.

1 b. Prae ceteris Deum laudet
Tornacus, quae eius gaudet
Corporis praesentia.

2 a. Tres defunctos suscitavit,
Leprae mendas emundavit
Praesulis oratio.

2 b. Caecis visus restauratur,
Aegris salus reparatur
Eius beneficio.

3 a. Eleutheri, vas electum,
Depuratum ut electrum
Saeculi sub incendio,

3 b. Tu vita, fama celebris,
Carnis carens illecebris
Flores pudoris lilio.

4 a. Probra gentis fert furentis
Documentis, argumentis
Hic pro fide militat.

4 b. Vulneratur, manat rivus
Cruoris, fit semivivus,
Quem plebs plangens visitat.

5 a. Quis enarret, quam festive
Veniente tanto cive
Plausit caeli curia;

5 b. Quantus hic est, qui supernis
Festis simul et aeternis
Nova miscet gaudia?

6 a. Iesu bone, tu coronae,
Tu dator victoriae,
Tu sanctorum gloria,

6 b. Da stantibus in acie
Cum hoc frui requie
In caelesti patria.

Miss. Tornacense imp. Parisiis 1498. A. — Miss. Tornacense imp. Parisiis 1509. B. — Miss. Tornacense imp. Parisiis 1540. C. — 1 b, 2 Tornacusque A. — 3 a, 2 ut electum A.

122. De sancto Eligio.

1 a. Electum Eligium
Laudet hoc collegium,
Una vox ad ligium
Omnium pandatur;

1 b. Qui matris in gremium
Aquilae per nuntium
Magnus ad obsequium
Christi nuntiatur.

2 a. Lemovicas patria
Fuit huic, quem Gallia
Doctoris peritia
Fabrum fecit auri.

2 b. Mox regis in curia
Fabricat eximia
Prius ad obsequia
Custodis thesauri.

3 a. Cubans in cilicio
Didicit in somnio,
Sua quod afflictio
Deo fit accepta.

3 b. Ab eius nam pallio
Balsami perfusio
Fragrat, quae mysterio
Caput est adepta.

4 a. Hic se pro pauperibus
Spolians foeneribus,
Inhians operibus
Regibus fit gratus,

4 b. Horumque muneribus
Fabricatis domibus
Monachos reditibus
Ditat vir sacratus.

5 a. Tricentena contio
Virginum coenobio
Datur ab Eligio
Miris coruscante;

5 b. Adest nam praesidio
Suo monasterio,
Ne detur incendio
Flamma circumstante.

6 a. Erogando proprium
Vacuat marsupium,
Quod super hunc nescium
Replet actor lucis.

6 b. Cotilorum hic trium
Vino sitientium
Sitim sedat plurium
Signo facto crucis.

7 a. Miris tot extollitur,
Claudis gressus redditur,
Paralysis tollitur
Eius prece pura;

7 b. Vitae restituitur
Mortuus, atteritur
Daemon et eicitur
Praedixit futura.

8 a. Praefulgens Parisius
Sacer hic Eligius
Praesul est eximius,
Post Noviomensis.

8 b. Pudicus et sobrius,
Prudens, humilis, pius
Audoenus socius
Fit Rotomagensis.

9 a. Vivit aeternaliter
Exspirans carnaliter,
Scit, eius qui nequiter
Tumbam blasphemavit.

9 b. Oret ergo iugiter,
Et misericorditer
Nobis praeparet iter,
Morte qui nos lavit.

Miss. Morinense imp. Rotomagi 1516. A. — Miss. Morinense imp. Rothomagi 1518. B. — Miss. Morinense imp. Rothomagi 1523. C. — 1 a, 1 Delectum BC. — 4 a, 2 foederibus BC. — 6 b, 1 hunc ABC. — 6 b, 3 plurimum BC. — 7 a, 3 Paralysus ABC.

123. De sancto Eligio.

1 a. Ad honorem salvatoris
Mens depromat et vox oris
Canticum laetitiae,

1 b. Qui mercedem dat honoris
Suis sanctis et decoris
Et coronas gloriae.

2 a. Totus orbis gratuletur
Et devote veneretur
Beatum Eligium,

2 b. Cuius fides, cuius vita
Fulsit tamquam margarita
In conspectu gentium.

3 a. Ortu fuit generosus,
Sed virtute gloriosus
Excessit originem.

3 b. Circumcisus intus, foris
Laboravit renum. oris
Fugare libidinem.

4 a. Pater eius fuit iustus,
Vocitatus Eutherius,
Materque Terrigia.

4 b. Arborem ramusculus,
Fontem beat rivulus
Rosaque rosaria.

5 a. Ab aetate puerili
Pollens sensu praesubtili
Aptatur ad omnia.

5 b. Doctus arte manuali
Non doctrina magistrali,
Sed Dei praesentia.

6 a. Videns pater eius sensum
Actu nullo deprehensum
In arte aurifica

6 b. Fecit eum doctrinari;
Statim fuit sine pari
In urbe Lemovica.

7 a. In illius mens divina
Latet mente columbina,
Laudat illum populus.

7 b. Crescit odor, crescit virtus
Tanquam iuxta flumen mirtus,
Crescit famae titulus.

8 a. Late fundit flos odorem,
Et odoris dulcor florem
Honorat per omnia.

8 b. Tanti viri famae bonus
Aure regis sonat sonus
Eiusque peritia.

9 a. Rex convocat Eligium
Et ad suum palatium,
Fit secreti conscius,

9 b. Postquam regis excidium
Suum statuit conscium
Dagobertus filius.

10 a. Dagobertus ut decessit,
Clodovaeo regnum cessit,
Qui strenue plebem rexit,
Et inde Lothario;

10 b. Qui quodcunque vir suggessit
Sibi sanctus, totum gessit,
Cuius virtus semper crescit
Adhaerens consilio.

11 a. Ad honorem Dei chorum
Congregavit monachorum
Pro plebibus oratorum
Et fecit ecclesiam.

11 b. Hinc adeptus praesulatum
Urbis Noviomagatum
Suae finit vitae statum
Transmigrans ad gloriam.

12 a. Harum fructus lucris rerum,
Deo plenus et dierum,
Carnis exutus chlamyde
In forma sphaerae lucidae
Caeli subit gaudia.

12 b. Cuius diem venerari
Nos oportet mente pari,
Ut sacris eius meritis
Mereamur frui lucis
Aeternae laetitia.

Collect. ms. Victorinum saec. [13. 15.] 16. Cod. Parisin. 14872. A. — Miss. Briocense imp. Rothomagi s. a. [1502?]. B. — Miss. Macloviense imp. Rothomagi 1503. C. — Miss. Leonense imp. Parisiis 1526. D. — Miss. Parisiense imp. Parisiis 1501. E. — Miss. Parisiense imp. Parisiis 1504. F. — Miss. Parisiense imp. Parisiis 1505. G. — Miss. Parisiense imp. Parisiis 1516. H. — Miss. Parisiense imp. Parisiis 1528. I. — Miss. Parisiense imp. Parisiis 1541. K. — Miss. Parisiense imp. Parisiis 1550. L. — Miss. Parisiense imp. Parisiis 1585. M. — 4 a, 2 Entherius D. — 4 b, 3 Rosque D—M. — 5 a, 3 Coaptent ad A. — 5 b, 3 Dei peritia CH. — 6 b, 1 Fecit enim BDGI; doctrinali DFGHI. — 8 a, 3; 8 b, 1 u. 2 fehlen A. — Statt Str. 9 u. 10 in B—M:

Rex igitur Chlotarius
Imperat, ut Eligius
Sellam sibi faciat;
Adaptavit egregius
Sculptor sellulam illius,
Rex opus adpretiat.

Die Sequenz scheint der Melodie von „Lauda Sion“ zu folgen; daher dürfte die 8zeilige Strophe 10 nicht auszumerzen sein, da an gleicher Stelle in der erwähnten Sequenz eine ebenso gebaute Strophe vorkommt. — 11 a, 3 Pro prophetibus M. — 11 b, 2 Noviomagentum AB, Noviomensium C—M. — 11 b, 3 statum vitae C. — Str. 11 a ist = 13 b in der Eligius Sequenz „Sancto patri et pastori“ (Anal. Hymn. IX, Nr. 190). — 12 a „fructus ist sichtlich das Particip. Perf. von fruor und hat zum Object „lucris“; Misset-Weale (Anal. Lit. II, Nr. 586) machen zu „fructus“ die Notiz „n'offre aucun sens“ und schreiben statt dessen „fractus“.

124. De sancto Eligio.

1. Sancti praesulis
Colentes haec sollemnia

2 a. Salvificet salus summa — 2 b. Ac Dei protegat dextra.

3 a. Dei athleta, — 3 b. Pro nobis ora;

4 a. Vitae nobis gaudia, — 4 b. Eligi pater, impetra.

5 a. Praesul hic sanctus multa praedicavit instantia — 5 b. Mundana devitare et amplecti caelestia.

6 a. Vitae nobis gaudia, * * 6 b. Deum nobis, pie, placa; vitae nobis gaudia,
Eligi pater, impetra; * * *
deprecamur omnes una, * * Eligi pater, impetra.

7 a. Pastor hic almus
multa virtute et
doctrina

7 b. Servorum Christi
sacra roboravit
pectora.

8 a. Plurima quidem
Eligius praesul
in plebe fecit miracula,

8 b. Per quae multorum
Deo adnuente
ad vitam convertit animas.

9 a. O felix praesul,
cui tot et tanta
Deus concessit
facere mirabilia!

9 b. Vere beatus,
cui angelorum
semper assistit
consolatio benigna!

10 a. Huius nos precibus,
salvator, conserva;

10 b. Cum iudicaturus
veneris saecula.

11. Perennis vitae
da nobis gaudia
in caelorum gloria.

Miss. ms. Noviomense saec. 14_{15}. Cod. Abbavillen. 7. A. — Miss. Noviomense imp. Rothomagi 1506. B. — 2 b, 1 dextera B. — Nach Str. 7 b ist nochmals eingeschoben: „Vitae nobis gaudia. Eligi pater, impetra". AB. — 9 b, 3 semper accessit B — Melodie offenbar „Paschа nostrum", und demnach ganz das gleiche Schema, wie in der Ostersequenz „Concinat orbis cunctus" (Anal. XL. Nr. 21; cfr. ibidem Nr. 28). Danach ist klar, wie die Sequenz aufgebaut und wie sie abzuteilen ist; ganz verfehlt ist letzteres bei Misset-Weale, Anal. Liturg. II, Nr. 822.

125. De sancto Eligio.

1 a. Laudabilem
virum adoremus,
speciosum prae
cunctis natis,

1 b. Antistitem
inclitum qui fecit
ex fabro mirae
sanctitatis.

2 a. Cuius felix aurificium;
Nam totum solarium,
Quod acquirit per malleum,
Reponit in gazophylacium
Per manus degentium.

2 b. Eia, praesul munde, funde
Precamina pro tua gente, mente
Quae plorat, orat,
Quia multa stulta
Commisit; te invocamus
Eligium.

3 a. Qui de maerore ad gaudia
Et de labore ad praemia
Hodie translatus es
Caelestia;

3 b. Ubi virtus, honor, salus,
Ubi consors nullus malus,
Ubi coetus semper laetus
Sine molestia;

4 a. Quo nos famulos tuos
tua per suffragia

4 b. Post hanc miseriam
Christi perducat gratia.

Collect. ms. Aurifabrorum Ratisbonen. anni 1423. Cod. Ratisbonen. (Hist. Verein f. Oberschwaben u. Regensburg) s. n. — Strophe u. Gegenstrophe haben gleiche Silbenzahl (nur je eine Silbe Differenz in Str. 2 u. 3), aber der Reim erheischt eine ganz ungleichmäfsige Abteilung der Strophenglieder.

126. De sancto Eliphio.

1. Felix, Eliphi,
caelestis purpura regni,

2 a. Regis praesidio
Fretus in proelio,
Certus de praemio
Curris in stadio.

2 b. Gaude martyrio,
Gaude tripudio,
Laetus consortio
Iunctus angelico.

3 a. Tu palma victoriae
In domo iustitiae
Ornatum ecclesiae
Auges flore gloriae.

3 b. Te Christus associat,
Ut tibi congaudeat
Caelestis exercitus
Dono sancti spiritus.

4 a. In sanguine purpuratus,
Stola prima candidatus,
A labore consolatus,
Gloriaris laureatus.

4 b. In Domino triumphasti,
Quem gentibus praedicasti,
Sed ipsum desiderasti
Ac pro illo decertasti.

5 a. Arbor alta in montibus,
Fructifera virtutibus,
Splendens sidus eximium
In agmine caelestium;

5 b. Dignus dignis adiungeris,
Cum quibus laetus frueris
Visione perpetua,
Indefessa laetitia.

6 a. Transmittit ensis vesani
Te ad caelos Iuliani,
Potentis David militis
Praecidens florem capitis.

6 b. Quem amplexatum manibus
Angelis comitantibus
Ad alta transfers montium
In petra sumens tumulum.

7. Nunc tui compos gaudii
In regnum gaudimonii
Transfer Christum collaudantes
Ac devote exorantes.

Miss. Coloniense imp. Parisiis 1525.

127. De sancta Elisabeth.

1 a. Sanctae matris
Elisabeth sollemnia
Recolamus.

1 b. Et ipsius
In terris patrocinia
Sentiamus.

2 a. Ista regis filia
Mundi vana gaudia
Non curavit,

2 b. Sed in pueritia
Carnem per cilicia
Castigavit.

3 a. Ideo separabatur,
Minus dum adaptabatur
Viri voto;

3 b. Huic caute famulabatur,
Hunc timens deprecabatur
Corde toto.

4 a. Inter mundi gaudia
Non pro laude hominum
Laboravit;

4 b. Contempsit ludibria,
Verum lumen luminum
Haec amavit.

5 a. Hanc dum sponso temporali
Oportebat viduari,
Non curabat alii
maritari;

5 b. In habitu spiritali
Cupiebat famulari
Hinc in caelis meruit
collocari.

6 a. Lavit pauperibus,
Stravit debilibus
Ista sedula
paupercula,

6 b. Cuius nos precibus
Mundatos sordibus
Christus protegat
per saecula.

Grad. ms. Trevirense saec. 15. Cod. Capit. Trevirens. 178. — Melodie: Laetabundus (deutsche Fassung).

128. De sancto Emmeramo.

1. Laudes Deo nostro
concinat harmonia,

2 a. Ac patris venerandi
sonent clara sollemnia,

2 b. Quae Christus Emmerami
meritis sacrat lucida.

3 a. Pictavis illum tulit
ortu gravida,

3 b. Sed Ratispona metit
finem cupida.

4 a. Quem [laete]
coetus in excelso colit
laude debita,

4 b. Quam idem
in terra consistens struxit
arte sedula.

5 a. Nam tenera pii iuvenis
casta fuit infantia,

5 b. Quae congruum pontificii
pertulerat ad culmina.

6 a. Nec contentus
gentis incolere
nota moenia

6 b. Regna procul
pro Christi nomine
petit extera,

7 a. Ut agmina creatori
fida quaereret
voce, daemonis astu perdita,

7 b. Nec veritus metuendi
pastor subire
plebis licet horrenda proelia.

8 a. Postquam Galliae
reliquit fines, meretur
hunc videre Germania;

8 b. Sed hac transita
decus gaudendo [inclitum]
suscepit tellus Norica.

9 a. Ibi coactus munia
capit praedestinata

9 b. Atque pastoris sedula
frequentat officia,

10 a. Indefessus
verbis et factis
plebis Christo parare
pectora,

10 b. Semetipsum
invincibili
Dei muniens semper
gratia.

11 a. Sed cum suo
athletae Christus optata
decrevisset dare praemia,

11 b. Martyrio
cupitum finem per sancta
sacer accepit certamina.

12 a. Quem iam agmina inter
aetherea
luce praeditum postulemus,
ut nostra pius tergat crimina.

12 b. Eius credimus aure
benevola
nos audiri et obtinere,
ut Christi protegamur gratia

13. Nunc et per omne
saeculum.

Hymn. et Sequent. ms. Emmeramense saec. 15. Clm. Monacen. 14667. — 9 b, 1 sedulus. — 11 b, 1 Martyr diu. — Melodie offenbar „Occidentana", somit gleiches Schema wie unten die Eucharius-Sequenz (Nr. 134) und wie z. B. Anal. Hymn. IX, Nr. 230 und 298. Sehr interessant ist, dafs nicht nur alle Halbstrophen auf **a** schliefsen, was ja oft der Fall, sondern dafs auch die einzelnen Clauseln (Verse) jeder Strophe mit den entsprechenden Klauseln der Gegenstrophe Endassonanz aufweisen; unter anderem ein Beweis, dafs bei Sequenzen erster Epoche die einzelnen Glieder einer Strophe abzuteilen und gegenüber zu stellen sind.

129. De sancto Erasmo.

1 a. Gloriose martyr Dei,
O Erasme, nos orantes
semper refove.

1 b. Ave, quod optamus rei,
Pater pie, hoc in nobis
semper perfice.

2 a. Gaudens in caelorum thronis,
A Christo pie vocatus
carnis per interitum,

2 b. Fac nos tuae passionis
Socios in hac vita et
gaudere post exitum.

3 a. Audi, regni consodalis,
Tuorum fidelium
Fletus in periculo;

3 b. Tuae laudi nullus talis
Deo servientium
Visus est in populo.

4 a. O dulcedo peccatorum,
Erasme, ac orphanorum
Pia consolatio;

4 b. Potens martyr, o Erasme,
Nos defende ab inimicis
Et dona victoriam.

5 a. O Erasme, o praeclare,
Fac nos tibi famulantes
recta semper sapere,

5 b. Inimicos superare
Post hanc vitam in gloria
sempiterna vivere.

6 a. Si sint tantae pravitatis
Cordis impugnantia.

6 b. Cultus tuae sanctitatis
Nostri sit custodia.

Miss. ms. Hospitalense saec. 15. Cod. Paulan. 26. 1. 13 (Hosp. memb. 6). — 1 b, 1 optamus Dei. — 2 a, 1 thronus. — Vorstehendes ist eine Erweiterung der Sequenz gleichen Anfanges in Anal. Hymn. IX. Nr. 197.

130. De sancto Erasmo.

1 a. Solum gaude, caelum plaude,
Dies adest digna laude,
Quo vehit ad agalmata

1 b. Erasmus, meritis polorum
Praeses, pater orphanorum
Viduarumque armata.

2 a. Ens de summa ierarchia
Pater misit de Maria
Filium in saeculo,

2 b. Ut ovanter consolaret,
Microcosmos visitaret
Maesto in articulo.

3 a. Sed prae multis hunc respexit,
Nam per preces hic allexit
Eius multas animas,

3 b. Quae baptismo caruere;
Baptizati tunc dedere
Voculas christiferas.

4 a. Gaude, coetus miserorum,
Quod hic pater orphanorum
Obtinet multifaria

4 b. Nobis opem invocantes
Et obnixe flagitantes
Vitae necessaria.

5 a. Vere martyr pretiose,
Qui suadebat non dolose
Deos vanos respuere.

5 b. Diocletiani edictum
Exiens, Erasmum invictum
lubens Christum relinquere.

6 a. O quam diris poenis miris
Polum scandis et aquiris
Factis cum non deliris.

6 b. Eia, ratus, Christo gratus
Milesque multiplicatus
Pro nobis eusebiis,

7 a. Confer victum et amictum
Et amove mortis ictum
A nobis subitaneae,

7 b. Ac caelorum da tutamen;
Paupertatis cruciamen,
Plagas aufer, protege.

8 a. Hostium insidiis
Dragma, mentis tutor tu sis
Vitam nostram regendo;

8 b. Fragilibus da omen
Cunctis, Dei propter nomen
Flagitamus te fiendo.

Miss. Misnense imp. Lipsiae 1499. A. — Miss Misnense imp. Lipsiae 1503 B. — Miss. Misnense imp. Lipsiae 1510. C. — Miss. Misnense imp. Lipsiae 1515. D. — Miss. Pragense imp. Lipsiae 1498. E. — Miss. Merseburgense imp. Lipsiae 1502. F. — Miss. Numburgense imp. Basileae 1517. G. — 1a, 3 Qua pergit C; algamata BCG. — 1b, 1 Erasmum AEF. — 1b, 3 amata AEF; armata wohl = armatura? — 2a, 1 Eius de EF. — 3a, 1 Sed pro EF. — 3a, 2 preces nil AF; preces hunc EG. — 3a, 3 Eius iustas EG. — 3b, 3 hymniferas AF. — 4a, 1 Gaudet AEF. — 4b, 1 Hisque C. — 6a, 3 Factus D. — 6b, 2 implicatus AF. — 7b, 1 Ad te caelorum E. — 7b, 3 Plagis BCDE. — 8a, 2 scis F. — Zu Strophe 7a vgl. Strophe 6b der folgenden Sequenz.

131. De sancto Erasmo.

1 a. Ex lumine fit radius,
Quem sol pius misit Deus;
Hic est martyr Erasimus;

1 b. Quem non cruentat gladius,
Egregius ceu medius
Lucens quem tremit spasimus.

2 a. Praesul corvis hic beatus
In eremo educatus
Septennis inhabitans;

2 b. Vox de caelis ipsum vocat,
In Lucrino urbe locat
Ad loquendum agitans.

3 a. Rex Diocletianus
Torquet ipsum diversis
Poenis, tamen fit sanus
Idolis eversis;

3 b. Caesar tumens, hic patitur,
Et gens contristatur;
Eculeo penditur,
Ferro laceratur.

4 a. Cera, plumbum, pix, oleum
Spernit suffocare,

4 b. Igne fervens doleum;
Carcer lucet clare.

5 a. Post digiti foduntur,
Viscera trahuntur,
Ferro caput perimitur;

5 b. Quem angelus arripiens
Mox eduxit custodiens,
Christi die moritur.

6 a. Cunctas poenas qui vicisti,
Quibus tortus exstitisti,
Remove supplicia;

6 b. Confer opem, vestes, victum,
Prece necis pellens ictum,
Hinc des vera gaudia.

Miss. ms. Pragense saec. 15. Cod. Pragen. I D 33. — 2b, 2 In ludicro urbe. — 4a, 1 Ceram. — 5a, 3 Sub ferro. — 6b, 2 Prece nervis.

132. De sancto Erasmo.

1 a. Verbum bonum personemus,
Quo Erasmi adoremus
Vitam, simul commendemus
Ac triumphi praemia.

1 b. Qui defunctum suscitavit,
Plebem fide roboravit
Credentesque baptizavit
Quadraginta milia.

2 a. Post catenis religatur
Et plumbatis verberatur,
Manus punguntur aculeis,
Dentes tunduntur malleis.

2 b. Plumbo, sulphure, resina,
Pice, oleoque cera
Hic perfusus stat illaesus
Dei fretus gratia.

3 a. Hunc dum ignis nihil laesit,
Christo magna plebs adhaesit,
Et in templo est confracta
Idolorum statua.

3 b. Ergo, martyr o benigne,
Venerantes te condigne
Transfer post hanc brevem vitam
Ad aeternam patriam.

Grad. ms. Schaeftlariense saec. 15. Clm. Monacen. 23026. — Melodie: Verbum bonum.

133. De sancta Erentrude.

1 a. Vox resultet
novi carminis
Ante thorum
Erentrudis virginis,
Amatrix sapientiae
Regem adiit gloriae.

1 b. Flos mundi
dum contemnitur,
Margarita
caeli ab hac quaeritur.
Pretio munditiae
Agrum emit gratiae.

2 a. Vere pulchra
ut luna describitur,
A Rudberto
sodalibus praeficitur,
Forma vitae
his efficitur
Doctrix bona.

2 b. Femur cinxit
virtutis gladio,
Circumdata
pudoris pallio,
Pugnatura
in hoc stadio
Pro corona.

3 a. En, dilecta
dilecto iungitur,
Inter rosas
et lilia pascitur,
Fide quaeritur
et reperitur
Salus vera.

3 b. In amplexu
sic sponsi iugiter
Caste haeret,
vulnerata suaviter,
Possidetur
iam aeternaliter
Pax mera.

4 a. Quasi cedrus
processu temporis
Frondes profert
immensi roboris,
Massam ponens
tandem huius corporis
Victrix mortis.

4 b. Vox cum sonat
clamore valido
„Sponsus venit"
occurrunt candido;
Castam amat
amore solido
Deus fortis.

5 a. O caeleste
sidus eximium,
Tuae lucis
inclina radium,
Quo mentis
nostrae horridum
Illustretur.

5 b. O dulcis flos,
aegris remedium,
Preces funde
ad Dei filium,
Ut salutis
perenne bravium
Nobis detur.

Miss. ms. Salisburgense saec. 15. Cod. Mus. German. 22932. A. — Miss. ms. Salisburgense saec. 15. Cod. Salisburgen. V 1 E 39. B. — Miss. ms. Salisburgense (?) saec. 14. Cod. Graecen. 785. C. — Sequent. ms. S. Petri Salisburgensis saec. 16. (Appendix Miss. Romani imp. 1513.) Cod. Petrin. IV F. D. — 1 a, 6 regem adduc BCD. — 2 a, 4 solibus A. — 2 a, 6 bis efficitur BD. — 3 a, 5 invenitur CD. — 3 b, 2 sit sponsi B, sui sponsi CD. — 4 a, 3 Fraudes A. — 5 a, 1 O fehlt BCD. — Melodie: Nativitas Mariae virginis, freilich mit Unebenheiten im Rhythmus.

134. De sancto Euchario.

1. Almi colamus
Eucharii merita,

2 a. Qui primus Trevirorum
archipraesul sanctissimus,

2 b. Divini factus verbi
humanati discipulus,

3 a. Tertius deque
septuaginta fuit
duobus.

3 b. Binos quos ante
faciem suam misit
Dominus.

4 a. In Christi
novissima cena
ministrat pretiosa.

4 b. In igne
et linguis effuso
plenus spiritu sancto,

5 a. A Petro directus principe
rura Gallica peragrat,

5 b. Ubique discurrens gentibus
vitae verba disseminat.

6 a. Inauditum
grande prodigium
sanctus perpetrat,

6 b. Dum Maternum
Petri per baculum
vitae revocat.

7 a. Quater denis diebus
hunc exanimem
praeceptum magistri
suscitat.

7 b. Nutu tandem divino
iunctus sociis
(tunc) insignem Treverim
visitat.

8 a. Ad austrum urbis
hic mansitat;
Iohanni divo ecclesiam
consecrat;

8 b. Coemiterium
benedicit:
in gyro baptisma sacratum
instaurat.

9 a. Praedicat turbae;
a perfidis
expellitur urbe;

9 b. Ad saxa currunt,
sanctos simul
delere gestiunt.

10 a. Eucharius rebelles
ligat orans
ac immobiles
reddidit.

10 b. Membratim cruciati
clamant, credunt
et oramine
solvuntur.

11 a. Christi fidem
praedicat gentemque
baptizat,
signis illam
miris confirmat.

11 b. Fusa prece
filium unicum
Albanae
extinctur dat
vitae pristinae.

12 a. Paralyticum
signo crucis reparat,
sed signaculi
umbra sacri defunctum
repente vivificat.

12 b. Post insignia
tanta sumens bravium
claro lumine
circumfusus lucisque
perrexit ad Dominum.

13. Ad quem Eucharius nos
perducat.

Sequent. ms. S. Mathiae Trevirensis saec. 15/16. Appendix Miss. Bursfeldensis imp. Spirae 1498 (Bibl. Ducis Parmen.). — 8 a, 3 Iohanni vivo. — 8 b, 1 sq. Benedicit coemiterium. — Melodie offenbar „Occidentana", folglich gleiches Schema wie die Emmeram-Sequenz „Laudes Deo nostro (oben, Nr. 128) und wie Anal. Hymn. IX, Nr. 230; 298 u. a. — Als Kuriosum sei noch vermerkt, dafs nach Chevaliers Repert Hymnolog. (Nr. 910) die Quelle dieser Sequenz sein soll „M. bened. Loder-Mörn (1520)." Wer löst dieses Rätsel der Sphinx?

135. De sancto Eustachio.

1 a. Triumphantis militia
Laudetur in ecclesia,
Altitonantis gratia
Provocati;

1 b. Beatorum industria
Nobis sit in memoria,
A daemonis fallacia
Revocati.

2 a. Prius magister militum
Fanorum colens ambitum

2 b. Et Traiani ad libitum:
Tunc Placidus est vocatus.

3 a. Venanti Christus adfuit,
In cornibus apparuit
Cervi ipsumque docuit
Baptizari.

3 b. Mox tinctus baptismi rore
Cum filiis et uxore
Christianitatis more
Sorte pari.

4 a. Eustachius est vocatus,
Ab idolis revocatus
Elegit mundo temptari
A delictisque mundari.

4 b. Mundi relictis opibus
Et militum honoribus
Transivit cum familia
Mare magna miseria.

5 a. Tributum solvere nequit,
Nautis uxorem relinquit;
Deus tamen non reliquit
Hanc servans infamia.
Uno relicto filio
Super ripam fluminis
Hunc rapit lupus subito;
Dolor patris est subolis.

5 b. Leo reliquum rapiens,
Fere pater insaniens;
Deus tamen custodiens
Hos illaesos [in via],
Aratores et pastores
A bestiis rapiunt,
Edocentes horum mores
Et pueros nutriunt.

6 a. Pater egenus serviit,
Quindecim annos latuit
Et armenta custodiit
Maestus pastor.

6 b. Barbari imperatorem
Persequentes ultra morem;
Plangens Placidum decorem,
Huius quaestor.

7 a. Missi milites pro ipso
Indigentia sic fixo,
Omni honore dimisso.
Taliter reperiunt;

7 b. In patriam provocantes,
Eum blande consolantes,
Militiae revocantes
Barbaros afficiunt.

7 c. Eustachius nutu Dei,
Uxor eius et filii
Longissime incogniti
Invicem se reperiunt.

8 a. Imperator hunc cogebat
Idolis sacrificare;
Ille vero renuit,
Deo servire studuit
Et familiam servare.

8 b. Intromissi cum leone,
Leo cum devotione
Hos illaesos voluit;
Miraculo patuit
[Deum illos] praeservare.

9 a. Exhinc in bovem aeneum
Ardentem atque flammeum
Prece Deo supplicantes,
Animas ipsi reddentes.

9 b. Vestes tamen et corpora
Inusta sunt et opera;
Ipsorum prece precantes
Cum ipsis simus laetantes.

Miss. Gebennense imp. Gebennae 1498. A. — Miss. Gebennense imp. Lugduni 1521. B. — 2 b, 1 Es Traianos AB. — 2 b, 2 Tunc placidas AB. — 5 a, 3 relinquit A. — 6 a, 1 Pater degens AB. — 6 a, 2 Per quindecim annos luit AB. — 6 b, 3 Plangens placidam AB. — Der Sinn der Strophe ist offenbar: Als die Feinde den Kaiser übermäfsig hart bedrängten, jammerte er nach Placidius, der Zierde seines Heeres, und wurde sein Sucher. — 7 a, 2 In degentia A; Indegentia B. — 9 a, 2 et flammeum A. — Wie gedankenlos der Kopist für die Drucklegung des Missale arbeitete, zeigen u. a. die Verse „Tunc placidas [!] est vocatus“ (2 b, 2) und „Plangens placidam [!] decorem.“ Es hält sehr schwer, die durch den Kopisten verschuldeten Entstellungen von den der Sequenz ursprünglich schon anhaftenden Dunkelheiten zu scheiden.

136. De sancto Eutropio.

1 a. Hac clara die turma
festiva dat
praeconia

1 b. Nobilis Eutropii
recolendo
martyria.

2 a. Excellentior
Nullus stirpe, fulgentior
Nullus vita dia;

2 b Puer literis
Doctus fulsit prae ceteris
Summa prudentia.

3 a. Fuit unus de milibus
Quinque cibo egentibus,

3 b. Quos pavit Christus piscibus
Binis et quinque panibus.

4 a. Salvavit hic patrem
Et matrem
Totamque Babyloniam;

4 b. Namque baptizantur,
Firmantur
Fide per eius peritiam.

5 a. A summo clavigero
Praesul efficitur,

5 b. Xantonas cum sincero
Corde progreditur.

6 a. Dum verbum loquitur
Dei, spernitur;

6 b. Perticis laeditur,
Face uritur.

7 a. Gaudens doloribus
Praedicat Deum,

7 b. Tunc carnificibus
Rex tradit eum.

8 a. Atrociter Eutropius
Lapidatur,
Plumbatis verberatur,

8 b. Asciis [et] securibus
Sancti caput
Martyris amputatur,

9. Anima cuius in caelis coronatur.

Miss. Noviomense imp. Rothomagi 1506. — 3 a. 2 degentibus. — 4 a. 1 Patrem salvavit hic. — 4 b. 2 sq. Fide firmantur. — 6 a. 1 loquitur verbum. — 8 a, 1 sq. lapidatur Eutropius. — 8 b. 2 Caput sancti. — Alles dieses Störungen des Reimes. — Die Melodie ist durch den ersten Vers gekennzeichnet.

137. De ss. Felicitate et filiis.

1. Eia, septem fratrum
pangamus laude triumphum.

2 a. Quorum perenni gloria
concinando
caelestis plaudit curia,

2 b. Illorum patrocinio
implorando
geminat tellus gaudia.

3 a. Mater ecclesia
gloriatur
filiorum
fecundata profectibus;

3 b. Rosis et liliis
coronatur
diversarum
virtutum vernans floribus.

4 a. Omnis corde,
fide non ficta,
electorum concupiscat
praemia;

4 b. Spernat virgo
vel maritata
luxum florentis mundi cum
vidua.

5 a. Omnis sexus
contendat ingredi
artam portam paradisi;

5 b. Omnis aetas
certet promereri
morte palmam martyrii.

6 a. O mortis species beata,
qua mercatur perpes vita!

6 b. Ad huius vitae comercia
tendebat felix vidua.

7 a. Felicitas beata,
flagris examinata,
sprevit terrorem mortis
amore Christi.

7 b. Praemisit per diversa
natos suos tormenta,
ut succederet illis
in regno caeli.

8 a. Hinc se concorditer
hortantur fratres
viriliter,

8 b. Pugnent ut fortiter,
ut ferant poenas
alacriter.

9 a. Mactantur fustibus
plumbatis, ruunt
per praecipitia,
caedit ensis colla.

9 b. In quo confoederant,
beatas Deo
reddunt animas,
caeli petunt regna.

10 a. O beata fraternitas,
vivae Christi victimae,

10 b. Vestra pugna sit tutela
vestrae familiolae

11. Et det nobis
vitam aeternam.

Miss. ms. inc. origin. saec. 15. Cod. Mus. German. 7059. — 2 a, 3 plaudat. — 8 b, 1 Pugnant. — Melodie: „Sancta Dei mater“ (Anal. Hymn. VIII, Nr. 104). — Beachtenswert ist die vielfach auftretende Endassonanz der einzelnen Verse.

138. De ss. Felice et Adaucto.

1 a. Pulchrae Sion generosa
Speculatrix, amorosa,
Sancta speculatio.

1 b. Speculans intus precaris
Dominumque specularis
In decore regio.

2 a. Mundum scrutans in decretis
Praedicaris a prophetis,
Sacro manans nectare;

2 b. Dulce nectar et vitale,
Nectar cunctis inaequale
Omni dempto compare.

3 a. Nectar fluens a fluento
Trinitatis, opulento
Vitae de profluvio;

3 b. Hoc e caelis ad nos transit
Nectar, quod in Deo mansit
Verbum a principio.

4 a. Et hoc idem Deus fuit,
Per quod nobis nectar pluit,
Divina confectio;

4 b. Nectar clarum, sacer rivus,
Quo fit homo redivivus,
Ductus ab exsilio.

5 a. Mens adversis hilarescit,
Mundi fastus et vilescit
Reproba prosperitas.

5 b. Gurges mellei gustatus
Nectaris inopinatus,
Mira delicacitas.

6 a. Liquor divus, fons inundans,
Imbre lacteo fecundans
Effluentes latices.

6 b. Duas urbes has olivas.
Inter gloriae convivas
Iam plantatos frutices.

7 a. Mundi principe devicto,
Spreto Caesarum edicto
Celebri victoria,

7 b. Quorum iubilant adventu
Angelorum cum concentu
Supernorum gaudia.

8 a. Vere, iuste, iure legum
Hos laudemus, quos rex regum
Summa lustrat gloria.

8 b. Pie Felix et Adacte,
Per vos supplicum intacta e
Causae sint in patria.

Miss. ms. Mosaetraiectinum saec. 15. Cod. Haagen. J. 10. — 4 b, 2 Quod. — 8 b, 1 Adaucte.

139. De ss. Felice et Adaucto.

1 a. Salutaris, veni caris,
Fletibus nostris amaris
Sis solamen unicum

1 b. In hoc festo patronorum
Felicis, Adaucti, quorum
Est certamen Punicum.

2 a. Gloriemur mente sana,
Contemnentes saecli vana
Exsultando dulciter:

2 b. Imploremus prece prona,
Ut det nobis caeli dona
Et regnum feliciter.

3 a. Sacerdos Felix praecelse,
Adaucte, princeps excelse,
Qui sprevistis idola,

3 b. Mucrone ob hoc truncati,
Palma caeli trabeati,
Martyrum aureola.

4 a. Unionem sponsae Christi
Ecclesiae date tristi
Largiendo pneumata,

4 b. Navem Petri fixam stare,
Fauste possit triumphare,
Propellentes schismata.

5 a. Decorem ritus Romani
Sumant omnes fide sani
In regno Bohemiae;

5 b. Ultio procul divina
Fiat, si cessat ruina
Populi Moraviae.

6 a. Sacramento sit contentum
Ritu Romano, inventum
Omnis boni fundamentum
Moto sensu extero,

6 b. Karitatem pacis ferre,
Unionis et non guerrae,
Decet quemvis huius terrae
Imploratu supero.

7 a. Neuma dulce decantemus,
Iesum Christum collaudemus,
Larga voce personemus
Texentes *Magnificat.*

7 b. Alma virgo atque pia,
Tu nos fove, o Maria,
Partus namque tis nos quia
Sola spes vivificat.

8. Burgum istum defensate,
Patroni, interpellate,
Cives eius adiuvate,
Quorum fides militat.

Miss. ms. Brunense saec. 15. Cod. S. Iacobi Brunen. 12. — Auf dem Vorsetzblatt: „Praesens liber et missale est Sigismundi Knab, Notarii Brunn. datum ad altare sanctorum Felicis et Adaucti martyrum.“ Den Namen des Besitzers (auch Dichters dieser Sequenz) gibt gleichfalls vorstehendes Akrostichon wieder.

140. In Inventione s. Foilani.

1 a. Quasi sol diluculo
Nostro vernat saeculo
Martyris inventio,

1 b. Quem frondosi tegminis
Umbra saeptum virginis
Detegit devotio.

2 a. Moram causans Foillani
Mittit quaerens de Germani
Responso solacium;

2 b. Visionis hic supernae
Signo refert se fraternae
Mortis metu saucium.

3 a. Orans astat mensae Christi,
Per columbam discit tristi
Fratrem sterni vulnere;

3 b. Avis alba vitam mundam,
Rubens ala necis undam
Monet intellegere.

4 a. Constans in ieiunio
Gertrudis oratio
Dum fervet instantius,

4 b. Angelus hoc suggerit,
Quod martyr transierit
Ad regnum superius.

5 a. Ductu lucis praevio
Corporum congestio
Monstratur in invio;

5 b. Defuncti diutius
Redolent suavius
Nardi stillicidio.

6 a. Serve Christi,
Nos a tristi
Casu serva,
Te caterva
Canat ista laetius.

6 b. Nos, qui sumus
Vapor, fumus,
Quorum finis
Vermis, cinis,
Surgamus in melius.

7 a. Virgo martyr caespite
Centeno fert plusculum,
Qui cum sceptro divite
Reliquit et saeculum,
Trinae messis inclitae
Referens manipulum.

7 b. Claritatis intimae
Lubrica privatio
Nos, Iesu piissime,
Ligat in exsilio;
Redeat lux animae
Patris patrocinio.

Miss. ms. S. Trudonis saec. 14. Cod. Monten. 28 (107). — 6 a, 4 De caterva.

141. De sancto Frontone.

1 a. Donatur miles laurea,
Ergo perstrepent organa;

1 b. Lux praesens poscit gaudia
Sancta ministrans otia.

2 a. Absistant rancor et ira,
Pellantur, quaeque sunt dira;

2 b. Nam de morum concordia
Dulcis fluat harmonia.

3 a. O Fronto, nostra gloria,
Hac laeteris symphonia,

3 b. Cuius praeclara munera
Conducant nos ad aethera,

4 a. Quo nostra plaudat amoena
Cum sanctorum cantilena

4 b. Voce boando canora
Dulce melos Alleluia.

Miss. Xantonense imp. Parisiis 1491. — 2 a, 1 Absistunt. — 4 b, 1 Voce brando corona. — 4 b, 2 Dulces.

142. De sancto Fursaeo.

1 a. Vita, fide, signis gratum
[Et virtutibus ornatum]
Dat Fursaeum Scotia.

1 b. Morte ductus ad examen
Carnis redit ad certamen
Dictante iustitia.

2 a. Visa prius Stygis viae
Ac caelestis harmoniae
Grandi differentia

2 b. Gratulantur a divino
Visitari peregrino
Brito, Saxo, Gallia.

3 a. Summa docet, calcat ima
Neque rude proter clyma
Rudis est in gratia;

3 b. Morbos prece sanat cunctos,
Vitae reddit vita functos,
Effugat daemonia.

4 a. Sicut virus fontem vivum,
Sic vinosum fecit rivum
Posthumo miraculo.

4 b. Hunc honorat fulgor trinus,
Cum ad caeli migrat sinus
Carnis ex ergastulo.

5 a. Tauros domat se ferentes,
Per septennes innocentes
Se Peronae tribuit.

5 b. Huius precum dulci lyra
Mansuescat vindex ira,
Quam grex peccans meruit.

Colgan. Acta. SS. Hiberniae p. 89 mit der Angabe „Ex Missali Ghem pen.“

143. De sancto Gabriele.

1 a. Gabrieli, nuntio
Regis caeli, contio
Sit haec laeti carminis;

1 b. Confert mundo gaudium,
Dum fert Dei filium
Fructum ventris virginis.

2 a. Servitutis terminum
Dat salutis hominum
Zelator carissimus.

2 b. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .

3 a. Quanta sit auctoritas
Eius, taciturnitas
Zachariae perhibet.

3 b. Mariae credulitas
Prudens et humilitas
Deum nobis exhibet.

4 a. Ioseph iustum docuit,
Quod et iustum tenuit
Eius ventrem spiritus.

4 b. Christum natum nuntiat,
Ipsum mox associat
Caelestis exercitus.

5 a. Per hunc auge merita,
Iesu, nostra debita
Dimitte piissime,

5 b. Et post hanc miseriam
Da cum Christo gloriam,
Regum rex altissime.

Mis. Autissiodorense imp. Parisiis. s. a. [1484]. — 5 a, 1 Per ipsum. — 5 a, 2 nostra. — Melodie: Veni sancte spiritus.

144. De sancto Gatiano.

1 a. Laetabunda, Sion, gaude
Gatiani digna laude
Recolens praeconia.

1 b. Turonis Deo ducente
Venit, Christi tota mente
Secutus vestigia.

2 a. Archipraesul Turonensis
Errantes in via mortis
Docet vitae praemia.

2 b. Quasi stella matutina
Nube carens vespertina
Fulget in ecclesia.

3 a. Turba credit, fides crescit,
Error cedit et clarescit
Lumen sancti spiritus.

3 b. Miles certans, iubilaeum
Annum implens, sic ad Deum
Evolat emeritus.

4 a. Ut mulier gratulatur
Dragma data, sic laetatur
Vovens cum fiducia

4 b. Re amissa, nec fraudatur,
Sed pro certo restauratur
Gatiani gratia.

5 a. Ab omnibus hic laudari
Debet atque venerari
Summa reverentia.

5 b. Nobis, pastor Gatiane,
Post vesperam laetum mane
Impetres in gloria.

Miss. ms. Turonense saec. 15. Cod. Turonen. 188 (83). — Daraus in „Memoires de la Société Archéologique de Touraine." XXI. p. 610. — 4 b, 1 Rem amissam.

145. De sancto Georgio.

1. Fuit quondam Melitena
Urbs erroris, mali vena
Regno Cappadociae,

2 a. Quam tenebat, quam regebat
Dacianus mittens manus
In servos ecclesiae.

2 b. Imperante rege dicto
Generali sub edicto
Cultus idolatriae

3 a. Venit illuc miles unus
Dives, potens et tribunus
Militum egregius,

3 b. Iustus, mundus
et timens Dominum
Caeli, Christum,
salutem hominum,
Nomine Georgius.

4 a. Se professus christianum
Sic adfatur Dacianum
Nocentem christicolis:

4 b. Imperator, ad quid tendis,
Cultum Dei cur impendis
Surdis, mutis idolis?

5 a. Ego quidem christianus;
Ad quem idem Dacianus:
Georgi, quid pateris?

5 b. Tolle tui Christi legem,
Te secundum scias regem,
Quidquid ante feceris.

6 a. Ad haec sanctus: Sic regnare
Nolo nec idolatrare,
Nam nihil est idolum.

6 b. Quod Christus, salvator meus,
Verus homo, verus Deus,
Docet per apostolum.

7 a. His auditis rex tabescit,
Surgit ira, furor crescit,
Spirat ad supplicium;

7 b. Rotam parit, ut rotatum,
In diversa laceratum
Dividat Georgium.

8 a. Rota fracta sanus redit,
Viso signo turba credit,
Multa credunt milia;

8 b. Credunt intus, credunt foris,
Credit et imperatoris
Uxor Alexandria.

9 a. Digna fide, laude digna
Per hunc facta patent signa
Ad opus fidelium:

9 b. Sanitati restitutum
Caecum, claudum, surdum, mutum
Matri reddit filium.

10 a. Dormientes et sepulti
Baptizandi surgunt multi,
Renati redormiunt.

10 b. Florem ferunt fructus throni,
Quos [per] multos fructus boni
Ad fidem alliciunt.

11 a. Pluris plura fiunt istis,
Inde Dacianus tristis
Sanctum torquet acrius;

11 b. Nec est lassus, licet passus
Septem annis sub tyrannis,
Hic miles eximius.

12 a. Fortis, audax, lenis, laetus,
In quem nullus cadit metus,
Largus, simplex et discretus,
Laus, decus militiae.

12 b. Talis tandem decollatur,
Decollatus coronatur,
Coronatus collocatur
In regno laetitiae.

13 a. Israel dux et protector,
Iudas Macchabaeus, Hector,
Tantus Troianorum rector,
Fugiunt Georgium.

13 b. Illi duo pro suorum
Causa stabant, more quorum
Iste [dux] christianorum
Fide tulit gladium.

14 a. O Georgi, miles Christi,
Cuius hostis tu fuisti,
Quo iuvante tu vicisti
Opem plebi ferens isti,
Fac nos ita vincere,

14 b. Ut post huius cursum vitae
Hac [finita] mundi lite
Non dicatur nobis Ite,
Sed Benedicti, venite
In aeternum vivere.

Miss. ms. Sammaglorianum saec. 15. Cod. Parisin. Arsen. 623. — 1, 1 Melitana (oder Militana), keineswegs aber militaria, wie im Repert. Hymnol. Chevaliers es heifst. — 7 b, 1 parit et. — 7 b, 3 Dividit. — Mel. offenbar: Laudes crucis.

146. De sancto Georgio.

1 a. Georgius veneretur
Et a cunctis imitetur;
Sic se quisque deserat,

1 b. Quemadmodum terra culta
Sentes arcet et virgulta,
Ut fructus plus afferat.

2 a. Hic, Cappadox origine,
Christi nati de virgine
Secutus vestigia.

2 b. Victor miles pro puella
Contra draconem duella
Fecit et prodigia.

3 a. Rex stupens miraculo,
Regina cum populo
Et ipsa filia

3 b. Baptizantur concitus,
Una die penitus
Viginti milia.

4 a. Tandem iussu Daciani
Occisi sunt christiani
Adeo, ut fortior

4 b. Sub tormentis palpitaret
Et nomen Christi negaret
Fide quis infirmior.

5 a. At Georgius haec videns,
Zelo ductus, Christo fidens,
Sanctis dans solacium

5 b. Voce libera clamavit:
„Dominus cuncta creavit,
Daemones di gentium.“

6 a. Ad haec tyrannus exarsit
Et fidelium retorsit
Poenas in Georgium.

6 b. Eculeo distenditur,
Ungulis caro finditur,
Rimae patent ossium.

7 a. Cultra rotis inseruntur,
Plumbum et pix dissolvuntur
Sartagine.

7 b. Pyr de caelo rotas ussit,
Ut ros plumbi vis defecit
Certamine.

8 a. Tunc martyr caeso capite
De tyranno praecipite
Triumphavit.

8 b. Nunc regnans pro nobis vitae
Regem roget sollicite,
Quem amavit.

Sequent. ms. Ravennatense anni 1585—87. Cod. Classen. 360 (139. 5. S.) A. — Miss. Ruthenense imp. Lugduni ca. 1540. B. — Miss. Parisiense imp. Parisiis 1585. C. — 1 b, 3 fructum B. — 3 b, 2 Qua die AC. — 5 a, 3 Sanctis dat A. — 6 a, 2 contorsit A. — 6 b, 2 scinditur B. — 7 b, 1 Ur B; Ut AC. — 7 b, 2 deficit A.

147. De sancto Georgio.

1 a. Gaude miles, martyr gaude,
Cum sis dignus omni laude,
Tu defende nos a fraude
Satanae multiplici.

1 b. Ergo regem fac placatum,
Christum, de Maria natum
Et a patre procreatum,
Corde peto supplici.

2 a. Ora patrem salvatoris
Tu pro nobis multis horis,
Ut et nos in caeli choris
Ducat cum solacio

2 b. Rex adesto supplicatus,
Per te noster advocatus
Nostros deleat reatus
Nobis dato spatio.

3 a. In hac vita nos emenda,
Ne nos hora tunc tremenda
Laedat, tua sed complenda
Nobis sit suffragium.

3 b. Ut pro nobis esse velis
Pugil tandem, quo in caelis
Nos locemur, ne crudelis
Ducat ad praestigium.

4. Sancte miles, martyr fortis,
Duc nos de gebennae portis,
Ne consortes simus mortis
Nosque cruciatibus.

Orat ms. Friderici III Imper. Cod Vindobonen. 449. 4. — 1a, 1 martyr Georgi gaude. — 3b, 4 Ducat nos ad. — 4, 1 miles Georgi martyr. — Melodie sichtlich: Verbum bonum mit Wiederholung der letzten Halbstrophe.

148. De sancto Germano.

1 a. Germinabit germen iustum,
Germen vernans et venustum
Flos Antissiodori,

1 b. Ros Germanus, florens vita,
Christo vivens legiscita
Mente tenens memori.

2 a. Christi legem propagavit,
Verbo vitae plebem pavit
Fidem probans opere.

2 b. Verbis docet, probat operibus,
Factus praesul praecellit mori.
bus
Sacro fretus munere.

3 a. O quam felix, quam praeclarus
Praesul iste Christo carus,
Praesul carens crimine,

3 b. Praesul absque macula,
Qui mundavit saecula
Ab errorum semine.

4 a. Hic ad Anglos transmeavit
Et errantes revocavit
Ab erroris scelere;

4 b. Genofevam informavit,
Artis novae subarrhavit
Insignitam foedere.

5 a. Clausus tumba Cassianus
Vocem solvit, cum Germanus
Praemisit eloquium:

5 b. „Hic quiesco“ inquiens
„Et exspecto gestiens
Venturum iudicium.“

6 a. Vitam nimis artam ducens,
Fide, vita, signis lucens,
Panem hordeaceum

6 b. Manu formans propria
Sumpsit in laetitia,
Potum subdens aqueum.

7 a. Sal, legumen, carnes, vinum,
Pisces, potum sicerinum
Non gustavit, cilicinum
Semper saccum induens,

7 b. Inter trabes accumbebat,
Lecto caput excludebat,
Nam mensuram excedebat
Lecti cervix defluens.

8 a. Morbos sanat victor mortis,
Vitam reddit iam absorptis,
Tandem carnis solvens legem
In decore videt regem
Revelata facie.

8 b. Huius festum veneremur,
Hunc devote deprecemur,
Eius prece reformemur,
Ut in dextris gloriemur
Post spem frui specie.

Miss. Noviomense imp. Rothomagi 1506. — 1b, 2 legi scita; zu legiscita (oder legis scita) cfr. plebiscita. — Melodie vielleicht: Laudes crucis, in gekürzter Form.

149. De sancto Germano.

1 a. Triplici tripudio
Lingua, mens et actio
Psallat in obsequio
Confessoris;

1 b. Trium fiat unio
Cordis cum melodio
Et actus perfectio
Melioris.

2 a. Hoc Germanus innuit,
Nam, quod corde latuit,
Verbo sancto docuit
Ipse foris.

2 b. Hic genere splenduit,
Scientia floruit,
Sanctitatis lux fuit
Et honoris.

3 a. Patrem probat bonitas,
Iustitia, castitas,
Victuum asperitas,
Et laboris.

3 b. Oves pavit subditas,
Revocavit perditas
Vere sequens semitas
Salvatoris.

4 a. Mortuos a tumulis
Virtus solvit praesulis
Et vinctos a vinculis
Damnatoris;

4 b. Lumen reddit oculis,
Sanitatem populis
Sanctitudo consulis
Sanatoris.

5 a. Terra, pontus, aethera,
Ignis, multa cetera
Tanti norunt opera
Subventoris:

5 b. Cuius ope libera
Tendamus ad supera
Capescentes munera
Creatoris.

Miss. Gebennense imp. Gebennae 1491. A. — Miss. Gebennense imp. Gebennae 1498. B. — Miss. Gebennense imp. Lugduni 1521. C. — 3 b, 1 pavit ut ABC. — 4 b, 4 Senatoris C. — Melodie offenbar: Mariae praeconio.

150. De sancto Glodulpho

1. Salve, rex regum,
Deus tuorum praesulum,

2 a. Spes, lux, vita,
Christe, fidelium,

2 b. Salus, virtus
et vigor omnium,

3 a. Adesto huic catervae
dignanter
solventi praeconia;

3 b. Adauge plebi devotae,
quae precatur
supplicatque, praemia.

4 a. Innata tibi
pietate tuis
miserere
et indulge servis;

4 b. Immo redemptis
ignosce famulis
diluens
commissa parentis.

5 a. Hoc nunc [te] flagitat
precibus annuis,
cuius nos transitu
nunc gaudemus;

5 b. Qui pius, humilis
Franciam genere,
corpore Galliam
fovet, ornat.

6 a. Sancte Glodulphe,
pastorem salva,
gregem conserva, populum
emenda,

6 b. Semperque tuas
Petro clavigero
oviculas, pater sancte,
commenda.

7 a. Tu nos monachos
precibus foveas,
sanctis quos
ossibus [tuis] ornas.

7 b. Te nunc requies
tenet egregia
floridis
paradisi in campis,

8. Christus, qui est vita nostra.

Miss. ms. S. Arnulphi Metensis anni 1321. Cod. Meten. 133. — Melodie vielleicht „Romana“ mit einigen Unebenheiten; cfr. Anal. Hymn. IX, Nr. 223 und 287; X, Nr. 262.

151. De sancto Guenailo.

1 a. Jucundare,
plebs Corboliensis,
Et exsulta
laudibus immensis,
Voce, corde,
manibus suspensis
Ad superna.

1 b. Ista nobis
dies celebrior
Est iucunda,
ceteris clarior,
Sole, luna,
stellis splendidior
Hodierna.

2 a. Romelius,
comes Britanniae,
Coniugio
datur Laetitiae;
Celebrantur
amborum nuptiae
In Anglia.

2 b. Generatur
puer angelicus
Guenaylus,
venustus, pudicus,
Mundo clarus,
potens, munificus
Cum gloria.

3 a. Arte sua
fiscellam finxerat,
De virgultis
illam confecerat,
In pelago
quam exposuerat;
Ingreditur.

3 b. A maligno
fluctus conturbatur,
Diffidentes
fidere hortatur,
Illo precan-
te mare placatur,
Dum ducitur.

4 a. Quo iubente
lupa a finibus
Statim fugit
arreptis foetibus.
Et bestia
ab illis partibus
Effugatur.

4 b. Cervus ingens,
quem canum latratus
Persequitur,
cursu fatigatus
Et ad pedes
beati prostratus
Conservatur.

5 a. Trina vice
terram percusserat,
Inundantem
aquam produxerat;
Egentibus
sic Moses fecerat,
Quos servabat.

5 b. In profundis
aquae gurgitibus
Se singulis
mergebat noctibus,
Membris suis
lascivioribus
Imperabat.

6 a. Insurgente
furore Saxonum
A finibus
recedunt Britonum,
Comitatur
turba nationum,
Dum portatur.

6 b. Ab extremis
partibus translatum
Iuxta pontem
Sequanae locatum,
Corboilum
nomine vocatum,
Honoratur.

7 a. Caeci, surdi
et claudi, debiles,
Continuis
momentis labiles
Adcurrentes
ad vota humiles
Roborantur.

7 b. Ad te omnes
venimus supplices,
Ante Deum
tuos iustifices,
Post hanc vitam
sint per te felices
Et salventur.

Collectan. ms. Corboliense saec. 16. Cod. Sangenovefian. 580. add. anno 1587. — Mit Melodie. — 1 a, 3 exsultet. — 3 a. 2 fexcerat. — 4 b. 3 Persecutus.

152. De s. Helena Trecensi.

1. Iucundare mente tota,
Trecassina plebs devota,
Speciali gloria.

2 a. In Helena verbigena
Collaudetur et cantetur
Hymnus cum melodia;

2 b. Dum in sanctis laus fit Deo,
Et sanctis honor in eo,
Dulcis est symphonia.

3 a. In hac omnes Christum laudent
Et per ipsam sibi plaudent
Vitae dari munera.

3 b. Dicant omnes et dicant singuli:
Ave, salus Trecensis populi,
Virgo salutifera.

4 a. O quam felix, quam praeclara
Haec est virgo Deo cara,
Regis orta sanguine!
Agyelis filia,
Nata de Gratulia,
Vixit sine crimine.

4 b. Porphyrio praesignata,
Nata nondum est adfata
Testante Gratulia;
Templum dixit consecrari
Mariae bis, licet fari
Negaret infantia.

5 a. Huic annulus destinatur,
Per quem sibi conservatur
Virginis religio;

5 b. Muscis eius os purgatur,
Et huic aestus temperatur
Turturis ofñcio.

6 a. Ignis nunquam minqravit,
In baptismo quae gestavit
Virgo, luminaria.

6 b. Hanc signavit dextra vitae,
Ut testantur eremitae,
Qui viderunt talia.

7 a. Vas habuit et contentum,
Quae mutantur in argentum,
Pauper muliercula.

7 b. Argyria doluit
Hoc ideo, quod fuit
Scutella tam parvula.

8 a. Virgo nimbos impetravit,
Quos habere peroravit
Diu sicca regio;

8 b. Cunas eius non rigavit
Gutta, Deum plebs laudavit
Una cum Evagrio.

9 a. Ramum palma flexit alma,
Virgo scidit fructum, vidit
Plebs haec mirabilia.

9 b. Paravisti, sponsa Christi,
Tuo patri atque matri
Gaudia perennia.

10 a. A maxilla paternali
Dolor fugit filiali
Vitta, mala grana mali
Sanaverunt omnia,

10 b. In transitu gloriosae
Huius sanctae speciosae
De nubibus palam rosae
Pluerunt et lilia.

11 a. Urbs laetare Trecassina
De tam summa medicina,
Quam custodis, ut divina
Vult propitiatio;

11 b. Urbs Trecorum, omni laude
De thesauro tanto gaude,
Eius ortu, vita, plaude,
Naturensis regio.

12 a. Assistentes eius laudi
Te precamur, Deus, audi
Et eius sanctis precibus
Nos a poenis mortalibus
Transfer ad caelestia.

12 b. Nos digneris exaudire
Nec permittas nos perire,
Sed, cum dies erit irae,
Nobis confer et largire
Sempiterna gaudia.

Miss. ms. Trecense saec. 15. Cod. Trecen. 117. A. — Miss. Trecense imp. Parisiis 1497. B. — Miss. Trecense imp. Trecis 1514. C. — Miss. Trecense imp. Trecis 1533. D. — 2b, 3 Dulcis et B. — 3a, 2 plaudant D. — 4a, 5 Getulia D. — 7a, 1 contemptum AB. — 8a, 2 perornavit AB. — 10a, 3 Vita. — 12a, 1 eius audi B. — Melodie natürlich: Laudes crucis.

153. De sancto Hermachora.

1 a. Plebs fidelis Hermachorae
Gratuletur in honore,
De quo Marci successore
Gaudet Aquilegia.

1 b. Huius consors Fortunatus,
Qui est vere fortunatus,
Nam cum illo coronatus
Passione socia.

2 a. Mentem culpa veterem
Reddens fide puberem,
Afflictus in carcerem
Hermachoras mittitur;

2 b. Qui contemptis omnibus
Poenis et tortoribus
Non minis, non precibus,
Non terrore frangitur.

3 a. Quo precante Dominum
Pro se et pro ceteris
Fulget pater luminum
In occulto carceris.

3 b. Pontianus igitur
Lumen missum caelitus
Videt et efficitur
Templum sancti spiritus.

4 a. Fama lucis nuntiatur,
Caeca lucem contemplatur,
Fide patris liberatur
Puer a daemonio.

4 b. Inde multi baptizati
Manu sancti Fortunati
Dant honorem trinitati,
Credunt Dei filio.

5 a. Quem Sevastus nomine
Seu se vastans crimine
Pro Christi certamine
Vinctum tradit carceri.

5 b. Ibi simul socias
Christo reddunt gratias
Illatas iniurias
Ascribentes muneri.

6 a. Noctu, quorum opere
Diescit religio,
Decollat in carcere
Gentis superstitio.

6 b. Quorum qui capitibus
Serta dat victoriae,
Nos eorum precibus
Configuret gloriae.

Grad. ms. Civitatense saec. 14. in. Cod. Civitaten. LVIII. A. — Grad. ms. Civitatense saec. 14. Cod. Civitaten. LXXIX. B. — Trop. et Sequent. ms. Civitatense saec. 14. Cod. Civitaten. LVI (20). C. — Trop. et Sequent. ms. Aquilegiense saec. 15. Cod. Semin. Goricien. J. D. — Miss. Aquileiense imp. Venetiis 1508. E. — Miss. Aquileiense imp. Venetiis 1517. F. — 1 a, 2 Gratulemur C. — 1 a, 4 Aquileia E, Aquileya F. — 1 b, 1 Cuius DEF. — 1 b, 2 fehlt EF. — 2 a, 1 Gentem EF. — 2 a, 3 fehlt E. — 2 b, 4 Nec DEF. — 4 a, 2 lumen EF. — 4 b, 1 Unde DEF. — 5 b, 1 Ubi DEF. — 5 b, 2 Sanctas reddunt EF. — 6 a, 3 Decollantur EF; in fehlt F. — 6 a, 4 — 6 b, 3 fehlen EF. — 6 b, 4 Configura C, Praefigurat EF. — Vorstehende Sequenz war in unseren Analecta Hymn. (VIII, Nr. 184) nur aus der Quelle E mitgeteilt; Misset-Weale haben sie 12 Jahre später (Anal. Liturg. II, Nr. 911) aufs neue aus einer einzigen noch jüngeren Quelle, nämlich F. publiziert. Zur Hebung der sehr störenden Lücken, welche im gedruckten Missale von Aquileia am Anfange und Schlufs sich vorfinden, schien es angezeigt, die ganze Sequenz aus den inzwischen gefundenen Quellen aufs neue herauszugeben.

154. In sancti Hermelandi.

1 a. Lyrae cordis
Concordet concentus oris,
Alleluia,

1 b. Hermelandi
Quo possit honore pandi
Res miranda.

2 a. Magno natus genere
Maior surgit opere,
Sol de stella;

2 b. Sanctis, quos associat,
Ut stella praeradiat
Semper clara.

3 a. Pastor factus ovium
Curam curat omnium
Pari forma;

3 b. Caro caret sordibus,
Nec mens mundi fastibus
Fit corrupta.

4 a. Multis signis proditum
Est ipsius meritum
Valle nostra;

4 b. Mundo mundus aruit,
Uti digne studuit
Carne sumpta.

5 a. Sermo mutis additur,
Gressus claudis redditur,
Neque lampas sinitur
Esse caeca;

5 b. Aucti vini copiam,
Sacri loci gloriam
Sibi iungunt etiam
Haec praedicta.

6 a. Tacere scelera
Nequivit effera
Furtum faciens
gens misera.

6 b. Qui tot das munera,
Duc nos ad supera,
Quem genuit
puerpera.

Brev. Lochense imp. Turonibus 1536. — Dort in der Messe des Heiligen. — Melodie offenbar „Laetabundus."

155. De ss. Hermelando et Baldo.

1 a. Tibi, Christe,
Laetus psallat chorus iste
Alleluia,

1 b. Ut sanctorum
Pandi possit laus istorum,
Res miranda.

2 a. His virtutum radio
Prodit lux a modio,
Sol de stella;

2 b. Casum vitant scelerum,
Luce micant operum
Semper clara.

3 a. Ut vacant a sordibus,
Sic vernant virtutibus
Pari forma,

3 b. Quorum mens nec asperis
Mundi neque prosperis
Fit corrupta.

4 a. Actu, mente pariter
Usi sunt salubriter
Carne sumpta.

4 b. Quae sint horum merita,
Signa monstrant inclita
Valle nostra.

5 a. Laus sanctorum panditur,
Dum morbus expellitur,
Et frons nondum sinitur
Esse caeca;

5 b. Mors, languor, debilitas,
Membrorum ariditas,
Comitatur sospitas
Haec praedicta.

6 a. Sanctorum munera
Poscit innumera
Sanari volens
gens misera.

6 b. A morte libera,
Christe, nos effera,
Virgo quem fudit
puerpera.

Brev. Lochense imp. Turonibus 1556. — Wiederum in der Messe der Heiligen und mit der Melodie „Laetabundus“, wie die vorhergehende Sequenz. Beide sind scheinbar von demselben Dichter.

156. De sancto Hieronymo.

1 a. Iucundare, Sion,
canticis,
Inclita tu, mysticis;
Huius te sancti decorat
praesentia.

1 b. Ovat hinc curia
caelorum,
Sed furia Hebraeorum
Miratur ex interpretis
scientia.

2 a. Hic est Stridonensis,
Cuius lingua velut ensis
Haereticorum scindit
perfidiam.

2 b. Auctoris gratia
Eius roborat praecordia,
Ut fratrum parvipendat
calumniam.

3 a. Nam eventu sibi contigit,
Muliebrem quia induit
Vestem; matutinum sic
adiit.

3 b. Numquid Venereis beatus
Vir actibus deturpatus?
Sed sic vexatus Roma
abiit.

4 a. Egreditur sic conatus,
Velut bos sensatus
Quaerens praesaepe
Domini.

4 b. Sit nobis ut portio
Tuo cum consortio,
Interne precamur
singuli.

5 a. Vultu nos benigno
respice,
Ieronyme, doctor inclite,
Ciceronianus qui dicebaris,
hora in
agonis.

5 b. Olim dum tribunali
praesentaris,
Iudici cum maerore faris,
Iniustum te testaris
propter codices
Platonis.

6 a. Libere tunc spondisti
Lecturae nunquam isti
Adhaerere,
Sed scripturae verae
Dilatare
mysteria.

6 b. Fundamentum capis
Christum, qui, dum sapis,
Testamentum vetustatis
Tuis transfers cognatis
Manente
materia.

7 a. Populis a cunctis
Christi merito veneratur,
Nam ibi tumulatur,
Salvator ubi
generatur.

7 b. Ordinem ineptum
Reformat officiorum
Et regulat chorum,
Redarguit cor
reproborum.

8 a. Laete ergo scandis
Polorum algamata,

8 b. Obscura qui pandis
[Scripturae] idiomata,

9 a. Nimirum dum transtulisti
gravia
In Hypogaei caverna.

9 b. Iam sed particeps tuorum
tenes bravia
Requiei aeterna.

10. Eia ergo, tuo interventu
Damnatorum a conventu
Parili hoc concentu,
Interne nos ut serves,
rogitamus.

Miss. ms. Alrispacense saec. 15. Clm. Monacen. 2873. — 1 b, 3 sq. miratur Hebraeorum. — 3 b, 1 sq. vir beatus Venereis deturpatus actibus. — Mit dem Sequenzenschema erster Epoche ist der Reim verquickt in einer Weise, dafs das Ebenmafs der Verse öfters nicht gewahrt wurde. Interessant ist, dafs das reimende Schlufswort jeder Halbstrophe je gleich viele Silben hat. Man vergleiche unten die Sigismund-Sequenz „Inclite rex regum“ vom gleichen Verfasser, der im Akrostichon sich Iohannes Wolf Poloniae nennt.

157. De sancto Hieronymo.

1 a. Summi principis sophia
Concordi sub harmonia
Orbem regit immensum;

1 b. Suavis influentia,
Aeterna providentia
Capacem replet sensum.

2 a. Manus sua dona pluit.
Semper erat, est et fuit
In se credentum custos

2 b. Omni hora vel aetate,
Quos mundi calamitate
Pressim vidit onustos.

3 a. Hoc Jeronymus illustris,
Doctor verus et industris,
Vigente sentit flore;

3 b. Livens scapulis plagatus
Ciceronis ob tractatus
Spreto sancto sudore.

4 a. Istum catulum leonis
Eusebius Histridonis
De oppido produxit,

4 b. Clarus eius ut rugitus
Mundi concitet auditus
Eloquio, quo luxit.

5 a. Iuventam docet senilem
Et senectam iuvenilem
Grammaticam Donatus;

5 b. Sensus eius alta pinus,
Cui cudit Victorinus
Rhetoricos ornatus.

6 a. Presbyter hic cardinalis,
Quem nec dignitas papalis
Movet; quin Byzantium

6 b. Fugit apud Nazarenum,
Ubi traxit haustum plenum
Artis se salvantium.

7 a. Quod didicit, hoc perfecit,
Arta vita se confecit
Quadrennis per desertum,

7 b. Ut temptatio terrestris,
Visitatio caelestis
Examinet expertum.

8 a. Bethlehem post haec adivit
Et Aegyptum pertransivit
Signando patrum vitas.

8 b. Literas sine figmento
Sacras transfert et commento
Proprio redimitas.

9 a. Hebraeo, Graeco, Latino
Et Chaldaico divino
Sermone floret clarus.

9 b. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .

10 a. Os, medulla, caro, cutis
Sunt exhausta, vir salutis
Praeter animum (et) sernis.

10 b. Deportans exegit centum
Centuplo lucro talentum
Et iungitur supernis.

11 a. Ibi laetus
Inter coetus
Angelorum
Et sanctorum
Semper pro nobis ora,

11 b. Ut nos sequi
Mites, aequi,
Puro corde
Sine sorde
Brevi possimus mora.

Miss. ms. Neerlandicum anni 1486. Cod. Mus. Harlemen. 124. — 3 a, 3 Vivente. — 10 a, 3 bleibt unverständlich.

158. De sancto Hieronymo.

1 a. Exaltemus Ieronymi
Merita, quibus Domini
Promeruit gloriam,

1 b. Ut vitam atque doctrinam
Eius sequentes divinam
Mereamur gratiam.

2 a. Hic imbutus artibus
Plene liberalibus
Legem Dei studuit;

2 b. Qui cum summo studio
Et labore nimio
Bibliam composuit.

3 a. Hic aliquando vexatus
Carnis stimulo conatus
Est hunc penitus frangere

3 b. Ieiuniis ac lacrimis
Atque poenis acerrimis
Se satagens adfligere.

4 a. Verumtamen huic Platonis
Libros atque Ciceronis
Magis placebat legere.

4 b. Quare gravi febre tactus,
Sursum ad tribunal tractus
Tunc coactus est dicere,

5 a. Cuias esset; qui respondit:
„Christianus“; iudex dixit:
„Immo Ciceronianus;

5 b. Et, quoniam es mentitus,
Nullatenus impunitus
Effugies meas manus.“

6 a. Tunc iussit hunc flagellari,
Qui adiurans detestari
Coepit libros gentilium;

6 b. Et sic correctum dimisit
Et hunc redire permisit
Precibus assistentium.

7 a. Hic presbyter cardinalis
Honore sedis papalis
Dignus fuit reputatus,

7 b. Sed quorundam malitia,
Quorum damnabat vitia,
Fuit ab urbe fugatus.

8 a. Qui mira paenitentia
Confectus et inedia
Per quattuor annos fuit.

8 b. Demum Bethlehem veniens
Et in Christo obdormiens
Scandere caelum meruit.

9 a. Cuius meritis iuvari
Deposcimus et purgari
A peccatis omnibus,

9 b. Ut post huius vitae cursum
Mereamur addi sursum
Caelicis agminibus.

Miss. Briocense imp. Rothomagi s. a. [1502?]. A. — Miss. Macloviense imp. Rothomagi 1503. B. — 1 a, 1 Exsultemus AB. — 3 b, 3 Satagens se A. — 8 a, 2 Confectus sed; offenbar ein dittographischer Fehler.

159. De sancto Hieronymo.

1 a. Ecclesiae doctor, Ciceronis codice flagrans,
1 b. Cum tibi Stridonii dederat tria famina Roma,

2 a. Verbera sancta luis; promotus ordine sacro
2 b. Corrigis errores flendo; tibi crimine vestem

3 a. Addidit hinc aemulus; Bethleem petis ardua; fundis
3 b. Multis claustra viris; sacros, Ieronyme, libros

4 a. Transfers et condis pollici spectacula rei.
4 b. Tunc leo mitescit, iussis obtemperat almis;

5 a. Ligna tulit raptumque gemit laetusque reducit.
5 b. Alta docens, moriens praesaepique conderis antro.

6 a. Te nunc Roma tenet, te templo virginis orat;
6 b. Glorificus miris pictoris in ordine clares.

Miss. ms. Vissegradense saec. 15. Cod. Capit. Vissegraden. V C η. — 3 a, 1 Addidit huic; petis cardua. — 6 b, 2 ¶. miris fictoris = creatoris?

160. In Translatione s. Hieronymi.

1 a. Gaude, mater ecclesia,
Recolens cum gaudio
Ieronymi magnalia;

1 b. Nam translatus hodie,
Fultus dono gratiae
Egit mirabilia.

2 a. Cyrillus episcopus,
Caelesti flatu ductus,
Solum coepit fodere;

2 b. Tunc corpus sacratissimi
Visum est Ieronymi
Terram nusquam tangere.

3 a. De sepulcro levatur,
In altari locatur
Populis cernentibus;

3 b. Adest odor suavis,
Cui nunquam aequalis
Patuit hominibus.

4 a. Patent beneficia
Mira Dei gratia
Bethlehem civitati,

4 b. Nam sedecim privati
Oculorum lumine
Redduntur sanitati.

5 a. Hinc tres daemoniaci,
Vinclis dura ligati,
Assunt in ecclesia;

5 b. Mox quidem liberantur
A daemonum nexibus
Ob sancti praeconia.

6 a. Puer matris unicus
Tunc per turbam oppressus
Matre amare flente

6 b. Sancti tumbam attigit,
Vitae venam recipit
Plebe conspiciente.

7 a. Hinc puer triduanus
Terraeque commendatus
Per patrem apportatur,

7 b. Qui prece Jeronymi,
Doctoris sanctissimi,
Illico suscitatur.

8 a. In ara exaltatus,
Per noctem demum datus
Tumbae suae pristinae,

8 b. Terrae, matri omnium,
Commendans corpusculum,
Sic promissum caelice.

9 a. Hinc, Jeronyme pie,
Vota nostra respice
Et nos Deo commenda,

9 b. Et peccantes eripe,
Salva vasa gratiae,
Protege et emenda.

10 a. Ave, pater gloriose,
Casti odor lilii,
Ave, mirthus odorosa,
Summi spes solacii.

10 b. In praecinctu viae stamus,
Lapsis manum porrige,
Tua prece, ne cadamus,
Gressus nostros dirige.

Missale Numburgense imp. Basileae 1517.

161. De sancto Hildevardo.

1 a. Hodiernae lux diei
Hildewardi, viri Dei,
Reducit sollemnia.

1 b. Hac in die sanctus Dei
Basis exsistens fidei
Petiit caelestia.

2 a. Iste natus in Tulia
De praeclara prosapia
Cunctos cives superat

2 b. Castitate, pietate,
Largitate, bonitate,
Quibus cunctis praeerat.

3 a. Vacat sedes, praesentatur
Daugoberto, sublimatur
In praesulis solio;

3 b. Comes, qui hunc postponebat
Et qui natum promovebat,
Demens fit cum filio.

4 a. Iste, quem Deus elegit,
Flumen sicco pede legit
Comitante nemine.

4 b. Horas solus dum canebat,
Angelus huic respondebat
Missus caeli culmine.

5 a. Psallat chorus Tenremundae,
Alte canat et profunde
In sancti memoria.

5 b. Psallant omnes et precentur,
Ut in caelis collocentur
Hyldewardi gratia.

Grad. ms. Teneramundense saec. 15. Cod. Teneramunden. s. n. — Vgl. die Notitz zur Sequenz de s. Christiana, oben Nr. 93.

162. De sancto Huberto.

1 a. Regem regum invocemus,
Vita, voce praedicemus
Ipsius clementiam;

1 b. Vita vocem imitetur,
Ut laus nostra decoretur
Per eius potentiam.

2 a. Adest dies, qua Hubertus,
Praesul almus, est insertus
Caelesti palatio;

2 b. Universis praedicanda,
Ecclesiae diligenda
Augetur devotio.

3 a. Praestat fide, miraculis
Divitibus, pauperculis
Multa beneficia.

3 b. Admiretur, veneretur
Et per ipsum collaudetur
Larga Dei gratia.

4 a. Miles, comes palatinus
Romam adit peregrinus,
Caelesti praeconio

4 b. Illic praesul consecratur;
Divinitus inspiratur,
Fungitur officio.

5 a. Praesul factus plebem rexit,
A Traiecto sed transvexit
Cathedra[m Leodium].

6 b. In se mundum crucifixit
Et in Christo mentem fixit
Carnis calcans vitium.

Collect. ms. saec. 12. Cod. Namurcen. 4. add. saec. 12. — Zwischen Str. 5 a u. 6 b fehlen 2 Halbstrophen, die unlesbar sind; es liefsen sich nur noch folgende Worte entziffern: „Et aeterna suspirare | Ad . . . gaudia.“ — Die gleiche Sequenz ist veröffentlicht in den Acta SS. Bolland. Nov. I, p. 851, allem Anschein nach aus der gleichen Quelle, da dort ganz dieselbe Lücke ist; „quaedam voces et lineae vetustate detersae sunt.“ Bezeichnet ist aber als Quelle ein Codex „Musaei archeologici Namurcensis saec. 13.“ Die Abschrift für die Acta SS. besorgte „v. e. Doyen, nunc decanus Wellinensis in dioecesi Namurcensi;“ derselbe las: 1 a, 2 Alta voce. — 2 b, 1 Ut simul praedicanda. — 5 a, 1 sqq. Praesul factus plebem
Vovit a Traiecto sedem
Transvexit cathedrae.
Von den verblassten Halbstrophen zwischen 5 a u. 6 b entzifferte er die Worte: „suspirare . . . . . gaudium.“ — Ob die Sequenz mit der Halbstrophe 6 b abschliefst, erscheint mir zweifelhaft.

163. De sancto Hyacintho.

1 a. Salvatorem collaudemus
In Iacinti laudibus,
Ore ei praesentemus,
Corde quod concepimus.

2 a. Mores eius, mores digni,
Mores quoniam sanctissimi,
Innotescant omnibus.

2 b. Quantum potest, quantum valet,
Magnas omnis promat laudes,
Tu, Polonia, amplius.

3 a. Laus sit tibi specialis,
Sit sonora, sit mentalis,
Sit iucundus iubilus.

3 b. Toto corde, pleno ore
Virum hunc sanctissimum
Totis lauda viribus,

4 a. Te qui pavit, fovit, movit,
Ad virtutes cunctas tulit
Depulsis erroribus.

4 b. O quam bonum, quam iucundum
Talem fuit tibi virum
Audire, Polonia!

5 a. Nec tu sola meruisti,
Sed et alii plures, pasci
Verbis eius dulcibus.

5 b. Hic Germanis fuit notus,
Hic Polonis, hic Romanis,
Hic vicinis populis.

6 a. Ut Elias suae plebi,
Alter quamvis, suo gregi
Tantum iste profuit,

6 b. Verbo vita, signis, fama
Ad amorem Christi trahens
Sanctis suis moribus.

7 a. Laudes ergo tanto viro,
Laudes demus corde puro
Ac sinceris mentibus.

7 b. Deprecantes genu flexi
Verum Deum miti vultu,
Huius sancti precibus

8. Ut post mortem tuto portu
Nos reducat et conducat
Ad perenne caeli regnum.

Miss. Cracoviense imp. Cracoviae 1545. — 7 b. 3 steht nach 8. 3 u. bildet so den Schluss der an Unebenheiten sehr reichen Sequenz. — Entlehnungen aus „Lauda Sion" springen in die Augen.

164. De s. Jacobo Maiore.

1 a. Surge, Sion, iucundare,
Vide mensam, speculare
Caeleste convivium.

1 b. Et convivas exemplare,
Regni dapes admirare,
Iesum Dei filium.

2 a. Christo regi qui convivant,
Horum est, ut semper bibant,
Potus et edulium:

2 b. Calix Christi, sanguis merus,
Caro Iesu, cibus verus,
Vitae dant subsidium.

3 a. Calix summae dignitatis
Iacobi . . primatis
Offertur insigniis,

3 b. Quem se bibere fatetur,
Bibit, ut perfrueretur
Aeternis deliciis.

4 a. Ave, dux apostolorum,
Quorum primus intras chorum
Laureatus sanguine;

4 b. Ave, primus patronorum,
Salve, vera lux doctorum,
Re splendens et nomine.

5 a. O sinistra summi Dei,
Ad te currunt quique rei
Spe supernae gratiae,

5 b. Currunt caeci, currunt claudi,
Qui sanati Iesu laudi
Dant voces laetitiae.

6 a. Hunc patronum veneremur
Iacobumque deprecemur
Cordis, oris iubilo,

6 b. Ut a poenis liberemur
Patronoque collocemur
In perenni gaudio.

Miss. ms. Claustroneoburgense saec. 15. Cod. Claustroneoburgen. 617.

165. De s. Iacobo Maiore.

1 a. Psallat laeta supernorum
Curia,

1 b. Et in terra sint iustorum
Gaudia.

2 a. Sancto dies hic sanctitur,
Quo Iudaeae aperitur
Et tibi, Samaria,

2 b. Quem superna caritate
Patrem salva castitate
Parit virgo filia.

3 a. Contradicit huic Philetus,
Contra fidem inquietus,
Missus ab Hermogene;

3 b. Fide plenus ille redit,
Doctor ultus esse credit
Vinculato iuvene.

4 a. Claret sanctus absolvendo;
Mox utrique capiendo
Mittuntur daemonia;

4 b. Magnum reddunt incremata,
Mire dolent pro negata
Laesionis copia.

5 a. Doctor vitae docet istum,
Gaudet iste sequi Christum
Tota cum familia;

5 b. Quod hic prius affirmabat,
Negat, dolet; sed declarat
Penitus contraria.

6 a. In diebus azymorum
Petit livor Iudaeorum
Sanctum ad supplicia;

6 b. Dat Iosias collo restem
Poenae, punit Christi testem
Reste suffocaria.

7 a. Trahens eum decollari
Vidit aegrum reparari
Dicto Christi nomine;

7 b. Mox compunctus baptizatur
Et doctori comes datur
In effuso sanguine.

8 a. Par Iohannis et germane,
Nunc in caelis vides plane
Maiestatem Domini,

8 b. Quam in carne rutilante
Nobis demonstravit ante
Deus idem homini.

9 a. Tu primus apostolorum
Choros intras angelorum,
Pia prece supplica,

9 b. Ut in his, quae docuisti,
Nostra semper [ope] Christi
Augeatur practica.

Orat. ms. S. Caeciliae Coloniensis saec. 15. Cod. Colonien. 1. — 4 b. 1 incrementa. — 8 a, 2 vidit plane.

166. De s. Iacobo Maiore.

1 a. Huius festi collaudetur
Et divinis decoretur
Laudibus sollemnitas;

1 b. Crescat fides, spes virescat,
Fervor cordis non tepescat,
Invalescat caritas.

2 a. Dies enim veneranda
Et devote celebranda
Recensetur hodie,

2 b. Qua Iacobus, iubar clarum,
Victo rege tenebrarum
Sertum sumpsit gloriae.

3 a. Hic est frater aquilae,
Rutilans et nobile
Germen Zebedaei,

3 b. Qui piscator hominum,
Exstirpator criminum,
Pandit verbum Dei.

4 a. Hic est fortis supplantator
Atque potens triumphator
Conculcans terrestria,

4 b. Ut merito sic vocetur
Et vox rei famuletur
Veritatis nuntia.

5 a. Felix, qui transfiguratum
Verbum vidit incarnatum
Vivens adhuc corpore,

5 b. Per quod cunctis nosse datur,
Salvatori copulatur
Quam felici foedere.

6 a. Dogma sacrum praedicat,
Talentum multiplicat
Verbis atque signis;

6 b. Hermogenem superat,
Multis portam reserat
Vitae vir insignis.

7 a. Hoste tandem triumphato
Atque cursu consummato
Subiit martyrium;

7 b. Primus inter senatores
Ecclesiae clariores
Vitae sumens bravium.

8 a. O quam patet sancti decus,
Dum mitescit ferox pecus
Et draco consumitur!

8 b. Lupa inde Christo credit
Et Iacobo locum dedit,
Quo nunc pie colitur.

9 a. Ergo plaudat ecclesia
Iacobo solvens munia
Piae laudis,

9 b. Et tu gaude, Galatia,
Quae tam venerabilia
Membra claudis.

10 a. Sed tu, pater et patrone,
Pie pastor, rector bone,
Coruscans virtutibus,

10 b. Prece tua nos guberna
Et ad regna duc aeterna
Cum caelorum civibus.

Miss. Ruthenense imp. Lugduni s. a [1540]. A. — Miss. Parisiense imp. Parisiis 1585. B. — 8 b, 1 Luparia A, Lupa vide B; nach der Legende ist Lupa jene bekehrte Frau, die dem Heiligen seine Grabstätte schenkte. — Melodie augenscheinlich: „In caelesti ierarchia."

167. De s. Iacobo Tharentasiensi.

1 a. Laudum praeconia
Solvat celebria
Turba fidelis;

1 b. Iacobus gloria
Fulget eximia
Regnans in caelis.

2 a. Deum sequens pura mente,
Spreto mundo marcescente
Respuit et idola.

2 b. Paganorum spreta gente
Baptizatus est repente
Devotus deicola.

3 a. In fide novitius
Fortunati socius
Viam eius sequitur.

3 b. Non erat tunc alius
Vivens eo durius,
Ob hoc non deseritur.

4 a. Cum draconis oppressura
Concremaret prorsus rura
Lirinensis insulae,

4 b. Fuit ei ingens cura
Removere prece pura
Pestem mortis aemulae.

5 a. Postquam draco disparuit,
Illic uterque voluit
Ipsa quoque provincia
Fundari monasteria.

5 b. Monachorum ad regulam
Convertunt statim insulam;
Arelatensis moritur
Praesul, alter eligitur.

6 a. Honoratus
Arelatensium
Sublimatur
ad episcopium;

6 b. Cendronitis
Iacobus praefuit,
Ubi signis
coruscans floruit.

7 a. Mansuetum sicut ovem,
Quod donarat morti bovem,
Ursum subiugavit;

7 b. Ipse Dei ad honorem
Quinque pedes contra morem
Trabem augmentavit.

8 a. Corvus quem eripuit,
Ocellum restituit
Baiulanti asino,

8 b. Et dum sol incaluit,
Quod tunc nix induruit,
Factum est a Domino.

9 a. Homo simplex ut columba,
In defuncti ut flet tumba,
Suscitatur propere;

9 b. Die quarta suscitatus
Est magistrum imitatus
Statim in itinere.

10 a. Nos imitantes Iacobum
Vincamus hostem improbum,

10 b. Ut digne pro victoria
Caeli fruamur gloria.

Miss. ms. Tharentasiense saec. 15. Cod. Parisin. 8889. A. — Miss. Tharentasiense imp. s. l. et a. [Lugduni 1520]. B. — 2 a, 2 marcessente A. — 4 a, 2 iura B. — 4 b, 3 mortalis A. — 6 a, 4 a episcopum A, ad episcopum B. — 6 b, 1 Ceudronicis A. — 9 a, 2 dum flet B.

168. De sanctis Innocentibus.

1. Sator summe,

2 a. Praeconia
canimus tibi consona,

2 b. Quo valeant
tibimet fore placita.

3 a. Est namque dignum,
ut lauderis
ab ecclesia,

3 b. Pro qua humanam
dignatus es
sumere formam.

4 a. Te nato in terra
angeli canunt cantica,

4 b. Pastoresque tui
cernunt laeti magnalia.

5 a. Impius
Herodes fremit
atque tumet ira,

5 b. Lividus
iubet necari
parvulorum milia.

6 a. Quos caelum capit
et supra stellarum
dirigit loca,

6 b. Agnum cum palma
qui sequuntur martyrii per prata

7. Caelestis vitae amoena.

Trop. ms. Prumense saec. ^{10} 11. Cod. Parisin. 9448. — 4 b. 2 magnalia laeti; stört den sonst beachteten Auslaut aller Strophen auf a. — Melodie: Stans a longe.

169. De sanctis Innocentibus.

1. Gaudet clemens Dominus
super agmina sacra

2 a. Sanctorum pretiosa
innocentum gloria,

2 b. Herodes quos carnifex
occidit morte cruenta.

3 a. Ecclesiastica nobis
hodie sicut verax
narrat historia.

3 b. Pro quibus omnibus tibi
Iam nunc intonant praeconia
nostra inclita.

4 a. Quem laudat caelicus ordo
omnisque populus christianus,
mare et flumina,

4 b. Caelum et sidera, semper
Christum Dominum laudantia
per saecula omnia.

5 a. Illi nos dulcisona
canendo voce
pariter odas
concrepemus debitas,

5 b. Cuncta et laetentur
elementa quaeque
hac die simul
coniubilent condita.

6 a. Gaudendo omnes concrepent,
sollemnia sanctorum
psallendo celebrantes
omnes nos pariter dicamus:

6 b. Gloria sit in aethera,
Cuius sacra rutilant dona,
queis aeternae vitae
consequimur magna praemia.

7 a. Ubi Cherubim
atque Seraphim Dominum
collaudant;

7 b. Ubi exsultat
sancta angelorum semper
caterva,

8 a. Dulci personans cum voce,
psallendo simul
harmonica carmina;

8 b. Ubi decenter locata
Quam beata
sanctorum sunt agmina!

9 a. In terris qui sua
morti subdidere corpora

9 b. Pro Christo, omnium
rege, cui sit et gloria,

10 a. Virtus, honor, potentia,
splendor, iubilatio
per saecla aeterna;
huic simul astant
agmina

10 b. Angelorum caelestia,
Trinitatem sanctam
cernentia
in gloria aeterna
. . .

11 a. Petimus,
ut cum sanctis frui
paradisi
possimus gaudiis

11 b. Cernere
et te Deum, natum
de virgine,
in fine temporum,

12. Qui cum patre et spiritu
es ante saecula.

Grad. ms. Marchianense saec. 14. Cod. Duacen. 114. A. — Pros. et hymn. ms. Marchianense saec. 15. Cod. Duacen. 123. B. — Miss. ms. Marchianense saec. 12. Cod. Duacen. 62. add. saec. 15. C. — Miss. ms. Marchianense saec. 16. in. Cod. Duacen. 89. D. — 9 a, 1 qui sua morti subdidere fehlt C. — 9 b, 2 fehlt C. — 10 a, 2 fehlt C. — Melodie: „Pretiosa“; vgl. die Anal. XL, Nr. 131 gemachten Bemerkungen über die nach diesem Schema gehenden Sequenzen. Beachtenswert sind insbesonders die verschiedenen Berührungspunkte dieser Sequenz mit Anal. Hymn. XXXVII. Nr. 333.

170. De sanctis Innocentibus.

1. Laude piissima
collaudemus ubique, eia,
Mente voceque sonora,

2 a. Clangente symphonia
Deum, cui praeclara
dat laudes martyrum turba
gratanter per saecla cuncta.

2 b. Iudicabunt innocentes
atque cuncti cum Christo
sancti nationes atque
gentes orbis terrae omnes.

3 a. Et Domino iuncti
dominabuntur populis
et regna ascendent
superna cum
victoriae palma,

3 b. Ubi cum beata
gloria nova Domino
canunt cantica festa
celebrantes
immortalia.

4 a. Atque cum eis in pace
regnabit illorum rex
in aeterna
luce donans eis
perenne sertum.

4 b. Quorum prece nobis ipsum
rogamus esse pium,
ut queamus
caelicum cum eis
scandere regnum

5. Gaudere et in aeternum.

Hymn. et Prosar. ms. Laudunense saec. 12. Cod. Laudunen. 263. A. — Miss. Laudunense imp. Parisiis 1491. B. — Miss. Laudunense imp. Parisiis 1557. C. — 2 a. 1 ist mit 1. 3 zu einer Strophe vereinigt BC. — 2 a. 3 turma BC — 2 a. 4 saecula AC. — 2 b. 3 ac ABC. — 3 b. 2 Deo ABC; — 3 b. 2 sq. nova canunt Deo BC. — Betreffs A. aus welcher Quelle sonst schon vieles für unsere Analecta geschöpft wurde, war ich bei dieser Sequenz leider einzig auf den von Ul. Chevalier (Ordinaire de Laon. 1897. p. XXXIII publizierten Text angewiesen. Jene Handschrift enthält nämlich auch durchweg die Melodien, und so wäre es möglich gewesen, eine sichere Handhabe für die Abteilung der einzelnen Clauseln zu gewinnen, welche jetzt unsicher bleibt. — Wenn Chevalier l. c. diese Prosa als „versus de la séquence: Laus tibi Chrise" bezeichnet, wird er bei den Fachgelehrten schwerlich Zustimmung finden. Die Notiz der 3 Quellen: „Non dicitur Alleluia in festo [Innocentium], sed Prosa Laude piissima" BC. und „Non dicitur Alleluia, sed loco eius cantant Laude piissima" A — läßt an Klarheit nichts zu wünschen.

171. De sancto Ioachim.

1. O Iesu Christe, ad sancti Ioachim, patris
Tuae matris
Mariae, avi tui festa
Corda nostra a peccatis munda praesta.

2. O Iesu, avi tui precamine
Miserere nobis mortis nostrae in examine.

3. O cluens patriarcha,
A quo processit novi testamenti archa
Baiulans manna caeleste
Sacra scriptura teste.

4. O sancte Ioachim,
prosapiam antiquorum patrum laetificasti,
Quando virginem Mariam, Dei matrem
etiam sine peccati macula
ex sancta Anna generasti.

5. Quae peperit caeli florem,
Huius mundi redemptorem
Ipsum regem angelorum.

6. Tu cum coniuge et nata supplex pro nobis ora,
Ut in nostrae mortis hora
Praesentia gaudere mereamur omnium vestrorum.

Officia ss. Annae, Ioachim, Ioseph imp. s. l. et a. (Hain 8748). — 2, 2 et a mortis. — Zu vergleichen ist die Sequenz „O Iesu benigne“ (Anal. Hymn. XLII, Nr. 4); wie dort, so fehlt auch hier der Rhythmus und der Parallelismus. In der Quelle wird diese Reimprosa als „Sequenz“ bezeichnet.

172. De sancto Iohanne Baptista.

1. Eia, summe sator,
carmina

2 a. Devotae plebis, obsecramus,
in supernorum tabula

2 b. Dignare ascribi canora,
tibi palam, clementia,

3 a. Quo resonare
supplicum lingua
dulcem queat harmoniam;

3 b. Qui miserari
plasma disponens
mirabiliter longaevam

4 a. Sterilitatem
prole beatam
fecundasti
virtute tua,

4 b. Ut Elisabeth
ovans gigneret
praeconem et
plus quam prophetam.

5 a. Qui te venturum ad ima
praedicaret
in Iudaea
per desertum
parando vias.

5 b. Namque Iohannes Baptista
praecursor et
plus quam propheta
vocatus est
ab astricola.

6 a. Is agnum Dei
Iesum monstravit,
quem (mundum) Iordanis
baptizavit unda.

6 b. Legis mandata
implens omnia
caelebs mansit
in parcimonia.

7 a. Unde ab
Herode constanter
sic amputari
non meiuit
verticem, ut ad inferna

7 b. Proferret
Christum venisse in
carne Deum, quem
[suppliciter]
mente rogemus intima

8 a. Et voce petamus sedula,
ut nobis obnixe faveat.

8 b. Nociva cuncta submoveat
semper profutura imploraus,

9. Ut consortes ipsi simus
in aula fruentes Dei
visione per saecula.

Miss. ms. Noviomense saec. 14. Cod. Abbavillen. 7. A. — Miss. Noviomense imp. Rothomagi 1506. B. — 2 b. 2 palam tibi A. — 3 a. 3 dulcemque ad A. — 6 a. 3 mundi. — 6 b. 4 in fehlt A. — 7 a. 1 Unde Herodes A. — 7 a, 2 sq. sic ampleeti meruit vertice. — 8 b. 2 imploret AB. — Betreffs A war ich auf Misset Weale (Anal. Lit. II, Nr. 821) angewiesen; ob in A die Strophen 7 u. 8 so abgeteilt sind, wie Misset-Weale sie vorlegen, weifs ich nicht. Jedenfalls gibt B das Richtigere.

173. In Decollatione s. Iohannis Baptistae.

1 a. Celebretur dies ista,
Qua praecursor et baptista
Triumphat martyrio.

1 b. Nobis via fit virtutis,
Via vitae, spes salutis
Eius decollatio.

2 a. Hunc emissa vox de caelis,
Hunc insigne Gabrielis
Cecinit praeconium;

2 b. Et, qui missus est Mariae,
Sacerdoti Zachariae
Tulit idem nuntium.

3 a. Patrem sensit non sensatus,
Creatorem nondum natus
Et adludens puero.

3 b. Qui sentire se nequibat,
Solem clausum iam sentibat,
Virginis in utero.

4 a. Natus puer, iuris norma,
Legum sator, vitae forma,
Patri vocem reddidit.

4 b. Hic de Deo prophetavit,
Cui viam praeparavit
Nascenti de virgine,

5 a. Non promissa Dei crediderat,
Unde vocis usum perdiderat,
Quia tarde credidit.

5 b. Cognitus in populis
Floruit miraculis
Et virtutum germine.

6 a. Iubar novum fulsit mundo,
Cum de ventre non fecundo
Prodiit fecunditas

6 b. Gratulatur gens remota,
Nec eius [est] minus nota
Quam Christi nativitas.

7 a. Mundi mundus fugit curam,
Vitam purus duxit puram
Mundus omni crimine.

7 b. Mundo timens inquinari,
Ne vel vita maculari
Levi posset famine.

8 a. Hic desertum praecelegit,
Ibi vitam solus egit
Et se fecit minimum;

8 b. De quo constat esse verum
Inter natos mulierum
Hunc fuisse maximum.

9a. Qui a mundo se mundavit,
Regem mundi mundus lavit
In Iordanis flumine,

9b. Nec pro Christo renuit,
Tingere quem meruit,
Suo tingi sanguine.

10a. Gentes eum esse Deum
Crediderunt, quem viderunt
Esse mundi lampadem.

10b. Quem tyrannus ille magnus
Contemnebat, sed timebat
Propter Herodiadem.

11a. Sanctitatis homo mirae
Regi nolens consentire
Corrigebat, quem redire
Voluit a scelere.

11b. Inde locus fuit irae,
Regem fecit obsaevire;
Sanctum sprevit et perire
Maluit, quam credere.

12a. Quadam die cultor mali
Suo gaudet in natali;
Dum natale celebratur,
Praecursoris caput datur
Saltatrici praemium.

12b. Veritatis praeco bonus,
Quem suscepit Dei thronus,
Mortem subit pretiosam,
Decollatur, et in rosam
Commutatur lilium.

13. Praeco bone, praeco Christi,
Quem secutus praecessisti,
Tu pro nobis intercedas
Et venire nos concedas
Ad perenne gaudium.

Miss. Nannetense imp. Venetiis 1482. A. — Miss. Nannetense imp. Rothomagi 1520. B. — 2a, 1 vox emissa B. — 10b, 2 l. vielleicht: Non temnebat. — 11b, 2 obvenire A. — Melodie offenbar: Laudes crucis attollamus", mit Kürzung der Schlufsstrophe.

174. De s. Iohanne Evangelista.

1. Evangelistam Iohannem
collaudent christiani.

2a. Agnus reducens oves
per Iohannis dolium
reconciliavit
peccatores;

2b. Mors est victa Iohanne,
qui veneno potatus
per vestem mortuos
sanat vivos.

3a. Dic nobis, Maria,
verba Christi dulcia
In cruce tunc morientis,
quem diligebat,
tecum videntis.

3b. „Mulier, sis mater,
et filius, Iohannes".
Dilectionis es mater,
cognatus Christi
factus est frater.

4 a. Hic vernans rosa martyrum,
lilium virginum,
vox altissima
praedicantium.

4 b. Iesu dulcis, qui Iohannem
dilexisti vere,
tu nobis, victor
rex, miserere.

Miss. ms. Romanum saec. 15. Cod. Parisin. 851. A. — Miss. ms. Franciscano-Romanum saec. 15. Cod. Parisin 9445. B. — Miss. ms Franciscano-Romanum saec. 15. Cod. Bruxellen. 15 074. C. — 2 a, 3 reconcilia tibi B. — 2 b, 1 et vita Johannem ABC. — 2 b, 2 per mortuos vestem ABC. — 3 b, 3 is mater ABC. — Melodie: Victimae paschali.

175. De s. Iohanne Evangelista.

1 a. Verbi vere substantivi
Caro, cum sit in declivi
Temporis angustia,

1 b. In aeternis verbum annis
Permanere nos Iohannis
Docet theologia.

2 a. Dum magistri super pectus
Fontem haurit intellectus
Et doctrinae flumina,

2 b. Fiunt ipso situ loci
Verbo fides auris voci.
Mens Deo contermina.

3 a. Unde mentis per excessus
Carnis sensus supergressus
Errorumque nubila

3 b. Contra veri solis lumen
Visum cordis et acumen
Figit velut aquila.

4 a. Hebet sensus exsors stili,
Stilo scribit tam subtili,
Fide tam catholica,

4 b. Ne de verbo salutari
Possit quidquam refragari
Pravitas haeretica.

5 a. Verbum, quod non potest dici,
Quod virtute creatrici
Cuncta fecit valde bona,

5 b. Iste dicit ab aeterni
Patris nexu non secerni,
Nisi tantum in persona.

6 a. Quem Matthaeus de intactae
Matris alit casto lacte
Cum labore et aerumna,

6 b. Quem exaltat super cruce
Cornu bovis, penna Lucae
Ut serpentem in columna,

7 a. Quem de mortis mausoleo
Vitae reddit Marci leo
Scissis petris, terra mota,

7 b. Hunc de Deo Deum verum,
Alpha et O, patrem rerum,
Sollers scribit idiota.

8 a. Cuius lumen visuale,
Vultus anceps, leves alae,
Rotae stantes in quadriga

8 b. Sunt in caelo visa prius,
Quam hic esset vel illius
Formae capax vel auriga.

9 a. Illi scribunt Christum pati
Zelum, inde vim Pilati
Cum corona spinea;

9 b. Hic sublimis tractu pennae
Tractat Christi ius perenne
Cum ultrici framea.

10a. Pennis huius idiotae
Elevantur regis rotae
Secus animalia,

10b. Et caelestes citharoedi
Se prosternunt patris sedi
Canentes Alleluia.

Collect. ms. Victorinum saec. 15. [13. 16.] Cod. Parisin. 14872. — 1a, 2 Caro comsit. — 2b, 2 fides amis. — 9a, 2 Celum. — 9b, 3 ultricis. — 10b, 3 Modulantes, dann corrigiert Canentes. — Cfr. Gautier, Adam de Saint-Victor. 1894, p. 274.

176. De s. Iohanne Evangelista.

1a. Vertex evangelicus
Est, quem rector caelicus
Diligit prae ceteris;

1b. Hic abstractus nuptiis
Et intactus vitiis
Fontem bibit aetheris.

2a. Christi mortem aspicit,
Curam matris suscipit
Fervens vincit oleum;

2b. Haustum virus hebetat,
Mortuos revegetat,
Silicem dat gemmeum.

3a. Aurum dat ex virgulis,
Caeli Pathmos insulis
Aspicit mysteria.

3b. Latro per hunc resipit
Et purgatus recipit
Christi ministeria.

4a. Vocat cum apostolis
Et caelorum incolis
Hunc de carne Dominus.

4b. Mors morsu non tetigit
Ipsum, per quam attigit
Christi vultum comminus.

5a. Vates et apostole,
Martyr, virgo, recole
Vota te colentium

5b. Aquilinis protegens
Alis nos et subvehens
Ad terram viventium.

Collect. ms. Engelbergense saec. 13. Cod. Engelbergen. s. n. — Melodie offenbar: Veni sancte spiritus.

177. De s. Iohanne ante Portam Latinam.

1. Eia, carissimi,
agamus cum gaudio
Iohannis sollemnia,

2a. Quem Dominus posuit,
Quoniam sic voluit,
In tanta munditia,

2b. Ut servaret virginem
Illum sanctum hominem
Gratuita gratia;

3a. Et post apostolicum
Fecit duodecimum
Divina clementia,

3b. Cum patrem deseruit
Et ea, quae habuit,
Dereliquit omnia.

4 a. Felici commercio
Pro minuto pretio
Dimittens terrestria
Recepit caelestia.

4 b. In Domini gremio
Dormivit cum gaudio
In cena dominica
Fide fretus deica.

5 a. Cum per crucem
Mortis ducem
Superaret
Et damnaret
Rex noster et gloria,

5 b. Vocans fratrem
Sibi matrem
Commendavit,
Quam amavit
Vere super omnia.

6 a. Ex hac die
Pius pie
Custodivit
Et servivit
Sine qua iniuria,

6 b. Donec vita
Stabilita
Sibi fuit,
Et placuit
Deo dare praemia.

7 a. Propter fidem trinitatis
Et amorem deitatis
Exsulatus a patria
Pulsus et cum iniuria.

7 b. Ubi vacans Deo soli,
Raptus ad superna poli
Novit Dei mysteria,
Quae fiunt in ecclesia.

8 a. O Iohannes, Deo care,
A peccatis declinare
In hac vita
Fac nos ita,
Mereamur ut praemia,

8 b. Ut per opus pietatis
Cum augmento caritatis
Simus cuncti
Deo iuncti
In caelesti patria.

9. Ut haec fiant omnia,
Donet Dei gratia.

Miss. ms. Senonense saec. 13. Cod. Parisin. 10502. A. — Miss. ms. Senonense saec. 14. Cod. Londinen. add. 30508. B. — Miss ms. Senonense saec. 15. Cod. Parisin. 880. 2. C. — Miss. ms. Senonense saec. 15. Cod. Parisin. 864. D. — Miss. ms. Senonense saec. 15. Cod. Montis Pessulani Schol. Medic. 71. E. — Miss. ms. S. Laurentii Longoretensis saec. 14. Cod. Parisin. 1106. F. — Miss. Senonense imp. Senonibus 1556. G. — Miss. Senonense imp. Senonibus 1575. H. — 1 a, 1 Eia ist dreisilbig zu lesen. — 3 a, 2 Dicit GH. — 4 a, 2 inito F. — 4 a, 3 Commutans AB. — 5 b, 4 Quem E. — 5 b, 5 Vere fehlt H; supra C. — 6 a, 2 Plus hic pie D. — 6 b, 5 dare praemia F; auch 4 b, 4 hat nicht den Reim auf ia, wie sonst alle Schlufsverse jeder Halbstrophe; ferner 8 a, 5 hat das Reimwort „praemia", das also 2 Mal in dieser Sequenz vorkommen würde. — 7 b, 1 vacens F. — 7 b, 2 Raptus est ad D; suprema poli AF. — 9, 2 Dei donet GH. — Melodie: Mane prima sabbati.

178. De s. Iohanne ante Portam Latinam.

1 a. Iohannis Evangelistae
Laudando praeconia

1 b. Expendatur dies iste
In eius memoria.

2 a. Licet per martyrium
ipse non occubuit,

2 b. Tamen multiplicia
tormenta sustinuit.

3 a. Hic primo in oleo
missus est fervente,

3 b. Quod ei non nocuit
Deo protegente.

4 a. Post in Pathmos insula
misso in exsilio

4 b. Caelestium facta est
ei revelatio,

5 a. Quam scripsit Thiatirae,
Smirnae, Philadelphiae,

5 b. Epheso et Pergamo,
Sardis, Laodiciae.

6 a. Per hoc cunctis intimans
praelatis ecclesiae,

6 b. Quod resumant opera
purae innocentiae

7 a. Et commissa defleant
crimina cottidie,

7 b. Ut assequi gratiam
mereantur veniae,

8. Quam benigne conferat
rex misericordiae.

Miss. Biturícense imp. Parisiis 1493. A. — Miss. Biturícense imp. Parisiis 1522. B. — Miss. Briocense imp. Rothomagi s. a. [1502?]. C. — Miss. Macloviense imp. Rothomagi 1503. D. — 5 a. 1 Thiathirae B. — 5 b, 1 Pargamo ABD. — 5 b, 2 Sardis et A — D.

179. De s. Iohanne ante Portam Latinam.

1 a. Omni laude commendanda
Est et cunctis admiranda
Iohannis sollemnitas;

1 b. Haec est illa singularis,
Toti mundo salutaris
Praeclara festivitas.

2 a. Hic ad Christum venit tutus,
Cum unius verbi nutus
Et sentit et sequitur;

2 b. Dat primaevum Christo florem.
Cui pluens caeli rorem
Fructus vitae nascitur.

3 a. Fit reclinatorium
Iohanni sanctissimum
Pectus creatoris.

3 b. In signum munditiae
Custos matris gratiae
Fit et redemptoris.

4 a. Hic ad verbum patris raptus
Et in luce verbi captus
Vas fit sapientiae;

4 b. Dum de schola trinitatis
Portat verbum, verbo gratis
Doctor est ecclesiae.

5 a. Menti Christus sic inhaesit,
Liquor fervens quod non laesit
Ad Christi praesentiam.

5 b. Crebro Christus consolatur
Et in Pathmos relegatur
Ob verbi constantiam.

6 a. Vim naturae superat,
Dum, quas Crathon fregerat,
Gemmas reparavit.

6 b. Veneno non laeditur,
Per hunc vita redditur
His, quos virus stravit.

7 a. Vocat Christus praedilectum,
Longo senio confectùm
Ad aeternas nuptias.

7 b. Solum Christum hic amavit,
Unde sibi praeparavit
Vitae nunc delicias.

8 a. Intranstumbam, quidsitmortis
Dolor, nescit, nec mors fortis
Solvit hunc in corpore;

8 b. Vita morti digne cedit,
Sed surgendo statim redit
Vita Dei munere.

9 a. Ergo vere laudabilis
Prae cunctis et amabilis
Decantatur;

9 b. Iam a Christo prae omnibus
Hic atque in caelestibus
Honoratur.

10 a. Eia, doctor, flos sanctorum,
Inter choros angelorum
Ornas caeli curiam,

10 b. Omnes hic nos te laudamus,
Ut perducas, obsecramus,
Ad caelestem patriam.

Grad. ms. Praedicatorum saec. 14. Cod. Mus. German. 2440. — 6 b, 3 virtus. — 9 b, 2 hic et. — Melodie: In caelesti ierarchia.

180. De s. Iohanne Gualberto.

1 a. Sperne labem mundialem
In instante penitus,
Sume formam filialem
Te mundantem funditus;
Ignis, aether, aqua, solum
Se iam flectunt caelitus.

1 b. Circumcisus sic effectus
Sperne te solidius.
Cerne crucem terrae flexus,
Nihil est humilius,
Huius formae iam exemplar
Vide, si sublimius.

2 a. Pavimentum sic constratum
Percurratur moribus,
Et amoris condimentum
Perfundatur omnibus,
Qui Iohannis in exemplum
Rubus est in ignibus.

2 b. Hic coegit creatorem
Creaturam effici;
Deitatis dat dulcorem
Atque mentem refici,
Sperne indignum amorem,
Si vis divo proficí.

3 a. Tuis, pater, sic assiste
Filiis precantibus,
Ut locetur chorus iste
Sanctis in caelestibus.

3 b. Nec tuere nos desiste
Sub te militantibus.
Da, ut regnent per te, Christe,
Sanctorum splendoribus.

Miss. ms. Vallis Umbrosae anni 1471. Cod. Laurent. Conv. sup. 232. — 1 b, 3 crucem te reflexam.

181. De sancto Iudoco.

1 a. Patris almi
Iudoci contio
Nostra colat
festa cum gaudio.

1 b. Cui dedit
superna ditio
Tanti viri
frui praesidio.

2 a. Hic regali
natus prosapia,
Ad saniae
cum venit bivia,

2 b. Dextrum sequens
iter per omnia
Regnum sprevit
et mundi gaudia.

3 a. Christi verus imitator
Paupertatis fit amator;

3 b. Ex Britannis ad hos fines
Venit relinquens affines.

4 a. Qui, dum pie conversatur
Apud ducem et probatur,
Summo gradu sublimatur.

4 b. Hinc ad nemus transmeavit,
Feras secum non expavit,
Pisces, aves manu pavit.

5 a. Quadrum panem dat egenis,
Muneratur fides senis
Tot navibus victu plenis.

5 b. Mutat locum, sed non mentem,
Avem sternit insequentem,
Fontem facit erumpentem.

6 a. Ibi, divae visioni
dum cor habet sedulum,
Locum praescit requiei
ex tunc et in saeculum.

6 b. Hinc a Roma revertenti
caeca fertur obviam,
Cui lumen condonatur
per orantis gratiam.

7 a. Hic assistens ad altare,
Sacrans corpus salutare
Videt cuncta gubernantem
Dextram Dei consecrantem.

7 b. Huius viri caritatem
Atque miram sanctitatem,
Quo post mortem reservatur,
Incorruptum corpus fatur.

8 a. Quod dum male dux scrutatur,
Poena gravi mox multatur;

8 b. Abhinc caro terrae datur
Et a poenis tormentatur.

9 a. Tot virtutum operator
Mundae lucis et amator
Pro nobis sit exorator.

9 b. Inclamemus omnes Amen,
Quibus pater dat iuvamen
Peccatorum et levamen.

Miss. ms. Frisingense. saec. 14. Clm. Monacen. 23054. A. — Miss. ms. Frisingense saec. 15. Clm. Monacen. 8389. B. — 1a, 1 Sacris almi B. — 1a, 2 cantio B. — 1a, 3 colit B. — 2a, 3 Ad famiae A; Ad sametum B. — 2b, 1 Ex trium B. — 5a, 2 Munerat B. — 6a, 1 Ibi duae AB. — 6a, 3 Locum praestet B. — 6b, 2 obvia B. — 7a, 2 Sacras B. — 7a, 3 Vidit B. —7b, 1 Cuius A. — 7b, 4 Incorruptam A; Incorrupta B. — 8b, 2 fehlt A. — 9a, 1 operatur B. — 9a, 2 fehlt A. — 9b, 1 Inclamamus B.

182. De s. Iuliano Brivatensi.

1 a. Gloriosum
militis Iuliani
triumphum laetabunda

1 b. Harmonicae
vocis concentu colat
militans ecclesia.

2 a. Regione
triumphans aetherea
congratulatur haec
natalia pretiosa.

2 b. Spirituum
caelestium agmina
concordi personant
symphonia vere digna.

3 a. Quem Vienna
generosum tulit,
[Ferreolum huic
uni]vit
rerum similis cura;

3 b. Nam uterque
temporalis miles
terrenas contempsit
opes, ut
pertingat ad aeterna.

4 a. Tunc Crispinus consularis
Furens fidem impugnabat;
Lues dira.

4 b. Et quos poterat tormentis
Ad nequitiam trahebat;
Res ne[fanda].

5 a. [Et] iubet satellitibus,
Ut Iulianum perquirant

5 b. Atque caesis cervicibus
Reliquos magis terreant.

6 a. Perdere putat,
Quos vivificat,
Infidelis furia;

6 b. Victos autumat,
Sed Deus probat,
Quod haec est victoria.

7 a. Brivate vicus
est Arvernicus.
Quo secessit Iulianus,
Donec solvat mortis iura;

7 b. Qui [illum ibi
requi]rentibus
Occurrit imperterritus,
Fultus Dei armatura.

8 a. Quibus non renitens
rapitur
Et volens interficitur
Suspirans caelorum regna.

8 b. Corpus truncum humi
conditur,
Caput Viennam portatur,
Conscendit caelos anima.

9 a. Ad sepulcrum corporis
Fidentibus languidis
Certa salus reddita

9 b. Clare monstrat populis,
Quid hic reddat meritis,
Qui condidit omnia,

10. Cui honor est et gloria.

Offic. ms. S. Iuliani saec. 16. Cod. Remen. 291. — „Prosam hanc, propria quoniam decrat, adiunxit Petrus Bosquilius anno 1542.“ Hiermit ist wohl nicht gesagt, dafs Bosquilius auch der Verfasser sei; denn es scheint wenig wahrscheinlich, dafs im 16. Jahrhundert solche Reime gemacht wurden, wie sie in dieser Sequenz vorkommen. — Interessant ist, wie die Sequenzenform 1. Epoche mit Strophe 4 durch die Sequenzenform 2. Epoche abgelöst wird, freilich mit Versen, die nur Endassonanz aufweisen. Die umgekehrte Erscheinung sahen wir oben (unter Nr. 33) bei der Sequenz „Verbum salutis.“ —

183. De s. Iuliano Cenomanensi.

1 a. Iuliane inclite
Et praesulum
Omnis caterva,

1 b. Tibi psallat debite
Per saeculum
Gens haec, quam serva.

2 a. Suscipe nunc pia
Haec nostra
Clemens precata.

2 b. Curas ardentia
Hic membra
Prece beata;

3 a. Tuo praesidio
Sanantur aegroti
Et energumini;

3 b. Per te hospitio
Foventur ignoti
Sive peregrini.

4 a. Pater, omnium crimina
Per te sint dempta;

4 b. Subiungant pium agmina
Amen redempta.

Miss. Cenomanense imp. Parisiis 1494. A. — Miss. Cenomanense imp. Parisiis 1517. B. — 2 a, 2 Et nostra AB. — Zu Str. 1 a, 2 a u. 4 b cfr. Str. 7 a, 7 b u. 11 aus der Sequenz „Christo inclita candida“ (Anal. Hymn. VII, Nr. 118).

184. De ss. Iustina et Cypriano.

1. Laetentur viscera
hodie nostra,

2 a. Fulcita gloria
tantae sollemnitatis,

2 b. Virginis Iustinae
[h]ortante certamine.

3 a. Quam cunctipotens rex
ita suo
adnexuit lateri,

3 b. Ut terreno spreto
Christi sese
adderet consortio.

4 a. Thesaurum in fundo
haec nata
reconditum exemit,

4 b. Spiritus gladio
resecans
vitia nutantia.

5 a. Cuius pater meritis
Christi meruit
visitatu perfrui;

5 b. Cuius hostis meritis
Christi meruit
effici pedissequus.

6 a. O virgo Iustina
gloriosa,
quam dum cupit
magus capere,
victo hoste
ac demum docente
Christi vires captus est.

6 b. O victrix, in caelo
quam triumphat!
Nam, quem primum
habuit aemulum,
post meruit
patrem et socium in
passione inclita.

7 a. Nunc laureati pariter
hoste devicto
taeterrimo
per ensem
sunt adepti palmam.

7 b. Nunc in caelorum sedibus
locati cum
caelicolis
fruuntur
emerita gloria.

8 a. Iam superno repleti manna
ac immortali stola
praecincti,
servulorum preces
deferte ad Dei
patris dextram
Christo sedenti
ante saecla.

8 b. Ut omnes vestrae paternitatis
prece atque rogatu
adiuti
delictis exui
mereamur cunctis
apud illum,
qui caret omni
delicto.

9 a. O digna Dei potestas,
quae es sanctorum sola
perpetis triumphus,

9 b. Nos guberna per saecla,
ut iugia digni
capiamus praemia

10 a. Atque laeti
angelorum
iungamur collegio,

10 b. Cum quibus
in caelorum
maneamus aula,

11. In qua Christus regnat
solus cuncta per saecula.

Collectan. ms. Placentinum saec. $^{12}/_{13}$. Cod. Capit. Placentin. 65. — Mit Melodie, deren Anfang gleich ist jener von Anal. Hymn. X. Nr. 18. — 6 b, 7 passionem. — 7 a, 4 perhensem. — 8 a, 6 dexteram. — Abschrift von Rev. H. M. Bannister.

185. De ss. Iustina et Cypriano.

1 a. Ascendamus ad honestum,
O dilecti, diem festum
Hunc Iustinae virginis,

1 b. Cuius vita gloriosa,
Cuius mors est pretiosa
In conspectu numinis.

2 a. Dona quaerens potiora,
Virgo prudens et decora,
Hedesii filia,

2 b. Vita vixit angelorum,
Modo tenet Christi thorum
In caelesti patria.

3 a. Haec Christi gratiam
Discens per proelium
Matrem Cleoniam
Vocat ad filium.

3 b. Pater ab angelis
Et Christo monitus,
Per manum praesulis
Sanctis est additus.

4 a. Post haec templum frequentatur,
Sic a turpi adamatur
Agladio turpiter;

4 b. Sanctam petit in uxorem
Sed ad vim et ad furorem
Restitit viriliter.

5 a. Plenus malitiis
Atque flagitiis
Daemoniis tribus
Virginem fortibus
Temptat Cyprianus.

5 b. Pharmacum spargitur,
Sed crux imprimitur,
Hostis expellitur,
Magus convertitur,
Stat in fide sanus.

6 a. Praesul factus sanctam ipsam
Dominam et abbatissam
Constituit virginum.

6 b. Ille multis praedicabat,
Haec multos illuminabat
Convertens ad Dominum.

7 a. Sanctum iussit tunc suspendi
Et Iustinam male caedi
Comes Eutulinius,

7 b. Praesulem exungulari
Virginem exalapari
A spiculatoribus.

8 a. Sed cum grates dant in caelis,
Comes durus et crudelis
Iussit tamquam infidelis
Fieri sartaginem;

8 b. Quae cum fuisset succensa
Pice, adipe ac cera,
Mitti praecepit in ea
Praesulem ac virginem.

9 a. In qua manent illibati
Et in nullo violati;
Sed post haec sunt decollati,
Sic a Christo coronati
Urbe Nicomedia.

9 b. Inde Romam sunt delati.
Demum inde sunt translati
Et in crypta tumulati
Corpus sanctae, caput sancti
In urbe Placentia.

10 a. O Iustina, vas honoris,
Honestatis ac pudoris,
Cypriane, vas decoris,
Incorrupti flos odoris,
Formam datis saeculo.

10 b. Cypriane, o disserte,
O Iustina, nobis certe
Caeli portae sunt apertae,
Opem vestram nobis ferte
Iuncti cum theognito.

Collectan. ms. Placentinum saec. $^{12}/_{13}$. Cod. Capit. Placentin. 65. — Mit Melodie. — 2 b, 1 ursit. — 5 b, 1 Farme um [:]. — 9 b, 1 Roma. — Abschrift von Rev. H. M. Bannister.

186. In Translatione s. Iustinae.

1 a. Insigne praeconium
Vox resultet omnium
In Iustinae laudibus,

1 b. Cuius nunc, Placentia,
Ditaris praesentia,
Membris et virtutibus.

2 a. Sigefredo condonata
Huc a Roma sunt delata
Sub obtentu gloriae

2 b. Huius membra gloriosae,
Tam insignis, tam formosae,
Feliciter hodie.

3 a. Haec est illa corde sano
Virgo iuncta Cypriano
Sodalis in funere.

3 b. Quam tunc magus et protervus,
Daemonum ut erat servus,
Nisus est corrumpere.

4 a. Magus daemonem destinat,
Virgo crucis bravium,
Nam delusus sic festinat
Ad salutis gaudium.

4 b. Virgo fide roboratur,
Virtutibus emicat.
Magus pavet et miratur,
Daemon Christum praedicat.

5 a. Fit ex mago Cyprianus,
Ex gentili christianus
Et defensor fidei.

5 b. Virgo Christo consecratur,
Mater virginum creatur,
Pudoris flos nivei.

6 a. Sed quid multa referam?
Numquid egit perperam
Currendo certamina,

6 b. Tortores et vincula,
Liquores et spicula,
Carceris discrimina?

7 a. Paralytici nam duo
Destituti posse suo,
Fluxum passa sanguinis,

7 b. Surda, caecus et obsessa,
Cunctis salus est concessa
Almae nutu virginis.

8 a. Ad sepulchrum
tendentes virginis
Tari fluctus
terruit fluminis,
Tandem huius
precatu numinis
Portus praeparatur.

8 b. Sic in Pado
dimersus flumine
Manum sensit
cuiusdam feminae,
Qua deductus
tanto discrimine
Sociis donatur.

9 a. In hac ergo iucundemur
Et excelsum deprecemur,
Cui sit laus, gloria,

9 b. Ut hac nobis sit misertus,
Qui pro nobis est expertus
Dira mortis taedia.

Collectan. ms. Placentinum saec. ^{12} 13. Cod. Capit. Placentin 65. — Mit Melodie. — 9 a, 3 laus et. — Abschrift von Rev. H. M. Bannister.

187. De s. Iusto Lugdunensi.

1 a. Lauda Iustum confessorem,
Tutum, fidum protectorem,
Lugdunensis civitas;

1 b. Necnon omnis ecclesia
Iusti promat magnalia,
Quem attolit sanctitas.

2 a. Generosus a proavis,
Pater comes Andegavis
Iusti fuit praesulis.

2 b. Genus suum non obfuscat
Eius vita, sed coruscat
Moribus et titulis.

3 a. Alter Christus baptismate
Demonstratur a pneumate
Sub columbae formula.

3 b. Ab hoc infans illustratus,
A quo fuit generatus,
Lingua profert parvula.

4 a. O novitas praemaxima!
Natus infans die prima
Patrem suum indicat:

4 b. „Andegavis comes pater
Meus est, et uxor mater"
Populo notificat.

5 a. Praepositus hinc crematur,
Mater casta liberatur
Ab ignis incendio;

5 b. Haec immunis, hic combustus,
Inde fuit dictus Iustus
A iusto iudicio.

6 a. Viennensis diaconus,
Lugdunensis hic patronus
Invictus efficitur.

6 b. Diu rexit ecclesiam,
Sed tandem per invidiam
Daemonis expellitur:

7 a. Homo quidam insaniens
Quamplures interficiens,
Dum sensum recuperat,

7 b. Templi petit refugium;
Templo furens incendium
Plebs inferre properat.

8 a. Astans ibi Primor quidam
Reddi petit homicidam
A mortis periculo.

8 b. Credens Iustus reddit reum,
Plebs furensque traxit eum
Suspendens patibulo.

9 a. Alios absolvens sibi
Crimen istud vult ascribi,
Sed non suum facinus.

9 b. Apud Memphim hinc exsulat,
Suam crucem hic baiulat,
Ut praedixit Dominus.

10 a. Ecce, Iustus exsul factus,
Aliena culpa tactus,
Sponte sua, non coactus,
Cathedram deseruit.

10 b. Eius frequens imitator,
Fidelis comes, Viator,
Itineris consolator
Exsuli non abfuit.

11 a. Tunc verus Israelita
Factus firmus eremita
Cum fratribus se dat ita
Ut servus humillimus.

11 b. Licet absens esset, tamen
Dat civibus hic iuvamen
Assiduum per precamen
Ut pastor fidissimus.

12 a. Antiochum venientem,
In Aegyptum se sequentem
Praenuntiat, quia mentem
Sanctus replet spiritus.

12 b. Viatori morte tristi
Sic condolet: „Ut fuisti
Vitae comes, dono Christi
Sic eris et exitus.“

13 a. Clerus, cives quaerunt Iustum,
Ad locum solibus ustum
Deferentes, inde bustum
Locum donant non iniustum
Urbe sua nobili.

13 b. Iuste, praesul reverende,
Precantibus condescende,
Nos exaudi, nos attende
Et a malo nos defende
Precatu placabili.

Miss. Lugdunense imp. Lugduni 1524. A. — Miss. Lugdunense imp, Lugduni 1530. B. — Miss. Lugdunense imp. Lugduni 1556. C. — 5 a, 2 Casta mater B. — 8 a, 3 Abs BC. — 9 b, 1 huc exsulat B. — 12 b, 1 Viatoris C. — 13 a, 1 quaerunt istum ABC. — Mel: Lauda Sion.

188. De sancto Ivone.

1. Pangat et exsultet ecclesia,
quia eius sponsus

2 a. Hodie
suscepit in sua gloria

2 b. Ivonem,
confessorem de Britannia.

3 a. Nostris in temporibus
tota sua curia
quem Christus tantum amavit,
quod eum praeornaret

3 b. Scientia canonica
modicis temporibus,
ut tamen ipsa pauperes
oppressos defenderet.

4 a. Qui, cum in scientiae
margarita desudasset
et studium dimisisset
pro pauperum certamine,

4 b. Ipse desideriis
totis multum laboravit
et vocem suam exaltavit
pro ipsorum liberamine.

5 a. Ad officium eiusdem
cum constantia exstitit
postea assumptus
pro salute fidelium,

5 b. In quo tunc legitime et
sine alicuius exceptione
ius unicuique
reddebat debitum.

6 a. Quos in lege Dei
instruebat
et assidue verbis
divinis ipsos
imbuebat,

6 b. Et incarceratos
nocte que die
confortabat
et pro ipsis Deum
exorabat.

7 a. Tandem, cum ad
curam populi
destinatus fuisset,
et opera miseri-
cordiae complevisset,

7 b. Et pauperes,
debiles pro Deo
[clementer] fovisset,
et contemplationi
se continue dedisset,

8 a. Ipse Deus
mortuos et mortiferos
pro ipsius meritis
plures reddit liberatos

8 b. Et non solum
ante ipsius dissolu-
tionem, immo et post
clemens restauravit illos

9 a. In tantum, quod eius tumba
a fidelibus
summe honoratur
et devote frequentatur.

9 b. Ibi invocationes
exaudiuntur,
et ab eo illis
miracula impetrantur.

10 a. Propter quae ipsum
deprecemur humiliter,
ut pro nobis
assistat incessanter

10 b. Et ut in hac valle
miseriae et in mortis
agone
nos adiuvet libenter.

Sequent. ms. cum Commento saec. 15. Cod. Wratislavien. IV. Q. 81. — 2 a u. 2 b sind mit Str. 1 ohne Absatz verbunden. — 3 a, 4 sqq. quod scientia canonica eum praeordinavit. — 3 b, 3 ipsa suos pauperes. — 4 b, 1 sq. totis desideriis. — 8 b, 4 clementer. — 10 b, 4 adiuvat. — Je 2 Halbstrophen reimen immer im Schlufsverse; auch innerhalb der Strophen zeigt sich öfter ein Reim, wie z. B. 6 a, 2 u. 5; 6 b, 3 u. 5; dabei ist wenig Rücksicht darauf genommen, ob Reim und Versabteilung der Gegenstrophe dazu passen.

189. De sancta Katharina.

1 a. Concinna
voce modulemur
Katharinam,
conspicuam mira
formositate virginem,

1 b. Ad Nili
fecundi ostia
ex regali
ortam sanguine, cae-
licolarum regis nuptam.

2 a. Haec adulescentula
perpetuis undantem
scatebris artium
potavit laticem.

2 b. Nam Maxentii edicto
a diversis terrarum
oris citatis
oratoribus

3 a. Tullianae rivos
eloquentiae,
torrentem Demosthenis
superat facundia;

3 b. Latentis naturae
peritos rerum
sapientia sui
in stuporem convertit.

4 a. Nam Platonis,
Aristotelis dogmata
in sui cordis gerebat
haec penetralibus;

4 b. Mantuanus
ille Maro, vatum princeps,
se iudice carminibus
victum se dicebat.

5 a. Miratur occiduus
sol, fervens Aegyptus,
turifer
Arabs, doctae Athenae
doctrinam puellae.

5 b. Hanc venerare, cuius
ingenuum pectus
artium
bonarum, [scientiae]
incaluit aestu.

6 a. Nam ab opifice maris
atque terrae petendo
nullam patitur repulsam.

6 b. Ecce, poenas subitura
hac in rotis rigenti
exasperatis chalybe

7 a. Ipse pater trisulcum
ignem vibrans e nubibus,
quae densa axes infringunt
grandine.

7 b. Fac age, diva, precamur,
ne nos sulphureae Stygis
flamma suis corripiat
ignibus.

8. Sed te duce, virgo, neam
visere possimus
caelestis theatri choream.

Grad. ms. S. Elisabeth Wratislaviensis saec. 15. Cod. Mus. Silesiac. Fol. I 40 C. — 1b, 1 sq. fecundi Nili. — 1b, 5 steht vor 1b, 3. — 2a, 1 Haec adiit adulescentula. — 2b, 2 sq. a diversa t. ora. — 4a, 4 haec fehlt. — 4b, 4 diceret. — 6b, 2 hac fehlt. — 7a, 2 fibrans — 7a, 3 quae fehlt.

190. De sancta Katharina.

1a. Fecundatur virginitas
Matris Dei praesentia,
Est virginis fecunditas
Ex carnea materia.

1b. Decet decor virgineus
Deum in partu virginis,
Quod Deus factus carneus
Assumpsit formam hominis.

2a. Abiecto carnis titulo
Ab hoste non cognoscitur,
Sol obscuratur nubilo,
Crucis eclipsin patitur.

2b. Causam humani generis
Tractat Deus in homine,
Quem, Katherina, sequeris
Virgo natum ex virgine.

3a. Hunc tibi sponsum eligis
Mundi contemnens gaudia,
Quem puro corde diligis
Fidelis ab infantia.

3b. Tu sapientes superas,
Tyrannum patientia,
Tormenta quoque toleras,
Martyr Christi egregia.

4. Te deprecamur supplices,
Usus nostros multiplices,
Virgo gloriosissima,
Attende clementissima.

Miss. ms. Voraviense saec. 14. Cod. Voravien. 92 (35). — 2b, 1 Clausam. — 2b, 3 Quem Lucia sequeris; Lucia paſst nicht in den Reim, und namentlich 3b, 1 sqq. weiſst auf die hl. Katherina hin. — 3a, 1 Nunc. — Die Dichtung macht den Eindruck eines Hymnus.

191. De sancta Katharina.

1a. Sospitati dedit aegros
olei perfusio;

1b. Katharina Maxentium
confudit alloquio.

2a. Quinquaginta sapientes
convertit igenio,

2b. Qui mox Christum confitentes
plexi sunt martyrio.

3a. Hanc regina visitavit
carceris in medio,

3b. Quam corona decoravit
una cum Porphyrio.

4 a. Ergo laudes Katharinae
concinat haec contio,

4 b. Nam, qui corde poscit illam,
propulsato vitio

5. Sospes regreditur.

Miss. ms. S. Cornelii Compendiensis saec. 14. Cod. Parisin. 16823. A. — Miss. ms. S. Cornelii Compendien. saec. 14. Cod. Parisin. 17318. B. — Miss. ms. S. Cornelii Compendien. saec. 14. Cod. Parisin. 17321. C. — Grad. ms. S. Cornelii Compendien. saec. 14. Cod. Parisin. 17329. D. — 2a. 1 sapientis D. — 2b, 2 plecti AC. — 5 regreditur fehlt D. — Variationen der gleichen Sequenz werden folgen im Bande der „Tropi Antiphonales“ unter den Verbeten.

192. De sancta Katharina.

1 a. Ad palmam huius virginis,
Tam gloriosi nominis,

1 b. Psallat chorus fidelium
Petens huius subsidium.

2 a. Haec castitatis lilium,
Facta consors caelestium,

2 b. Regali stirpe genita,
Nobilior per merita,

3 a. In cuius pueritia
Litterali peritia

3 b. Est erudita primitus
Doctrina sancti spiritus.

4 a. Quinquaginta doctoribus
Cum ea disputantibus

4 b. Vitae proponit pabulum
Docens spernendum saeculum.

5 a. In Christi stat certamine
Pro eius passa nomine,

5 b. Palmam triumphi obtinet,
Vitam aeternam possidet.

6 a. Corpus ministri lacerant,
Quod movere non poterant,

6 b. In carne facto vulnere
Non cessat laudes canere.

7 a. Poenas lictoris respuit,
Dum arma Christi induit
Parata vitam reddere,
Qui venit hanc redimere.

7 b. Fiunt rotae cum studio,
Instat virginis passio,
Ministri regis saeviunt,
Tormentis hanc iniciunt.

8 a. Ad laudem huius virginis
Ictu caeduntur fulminis,

8 b. Circumstantes sunt stupidi,
Conversi multi perfidi.

9 a. Regis uxor compungitur,
Dum Katherina caeditur,

9 b. Eius anteit passio
Caelesti digna praemio.

10 a. Vellunt mammas de pectore
Afflicto diu corpore;

10 b. Demum mucrone caeditur,
Spiritus Deo redditur.

11 a. Ad Katherinae transitum
Duplex est signum proditum,

11 b. Lac emanat pro sanguine
In altum rapta virgine.

12 a. In cuius natalitio
Nostra petat devotio,

12 b. Ut eius interventio
Nos solvat a contagio.

Miss. ms. S. Waldetrudis Montensis saec. 15. Cod. Bruxellen. II. 2663. — Melodie: Interni festi gaudia.

193. De sancta Katharina.

1 a. Katharinae,
gloriosae virgini,
Totius
gratiae lumini
Cantemus praeconia.

1 b. Quinquaginta
quae devicit doctores,
Qui credunt
et fiunt martyres
Per ignis incendia

2 a. Virgo capitur,
Flagris caeditur
Et in carcerem truditur
Ad regis imperia.

2 b. Hanc Christus pavit.
Hanc visitavit;
Haec prece rotas prostravit,
Quae straverunt milia.

3 a. Mox virgo decapitatur,
Lac fluit, Veni cantatur,
Et corpus in Sina portatur
Per manus angelicas.

3 b. Oleum ex ipsa manat,
Quod plures languidos sanat,
A faece quae prece perducat
Nos ad sedes caelicas.

Miss. ms. Gemmeticense anni 1495. Cod. Rotomagen. 301. add. saec. ^{15} $_{16}$.

194. De sancta Katharina.

1 a. Virginis obsequio
Katharinae gaudio
Psallat tota contio
Clericorum;

1 b. Cordium devotio
Fragret Dei filio,
Deleatur livio
Peccatorum.

2 a. Ave, virgo regia,
Costi regis filia,
Cuius pollet gratia
Sanctitate.

2 b. Cui foetent daemonia,
Sordet idolatria,
Fulget in ecclesia
Claritate.

3 a. Ave, plena copiae
Sensus et audaciae,
Qua floruit sophiae
Disciplina;

3 b. Lux illuxit gratiae
Per te, victrix, hodie,
Per te digna veniae
Fit regina.

4 a. Ave, splendor fidei,
Non cedens rabiei
Tortorum neque Dei
Linquens legem;

4 b. Firmatrix nostrae spei
Sis coram nato Dei
Reconcilians ei
Suum gregem.

5 a. O vas flagrans odore,
Cuius fuso cruore
Mons Sinai corpore
Decoratur.

5 b. Dei dignos amore
Nos fac, caelestis orae
Quod cohors haec odore
Perfruatur.

Collect. ms. Claravallense saec. 15. Cod. Trecen. 1612. — Melodie offenbar „Mariae praeconio“, und dadurch auch als Sequenz erkenntlich.

195. De sancta Katharina.

1 a. O beata Katharina,
O praeclara laude digna,
Quae meremur,
Ne damnemur,
Repelle supplicia.

1 b. Fonti summae pietatis,
Qui nos lavit a peccatis,
Nos, benigna,
Prece digna
Clementer concilia.

2 a. Monte Sina corpus latum
Rorem stillat aegris gratum,
Quo multarum sanitatum
Dantur beneficia.

2 b. Rosa Christi praeelecta,
Rosa decens et perfecta,
Passionis falce secta,
Fac nos dignos venia.

3 a. Salve, salve, vas pudoris,
Vas caelestis plenum roris,
Mundum intus, clarum foris,
Nobile per omnia.

3 b. Fac nos sequi sanctitatem,
Fac per mentis puritatem
Contemplari trinitatem
Unam in substantia.

Collect. ms. Claravallense saec. 15. Cod. Trecen. 1612. — 1 b, 4 Prece pia. — Melodie: Verbum bonum.

196. De sancta Katharina.

1 a. Laetabundus
Te laudat fidelis chorus,
Katherina.

1 b. Qui devotus
Victrici tibi congaudet,
Katherina.

2 a. Fidei constantia
Superans Maxentium,
Katherina.

2 b. Mira eloquentia
Victrix eloquentium,
Katherina.

3 a. Tu adflicta verbere,
Taetro clausa carcere,
Katherina.

3 b. Sponsus, te dum visitat,
Pie te corroborat,
Katherina.

4 a. Te regina sequitur
Et morte progreditur,
Katherina,

4 b. Duce cum Porphyrio
Ducentena contio,
Katherina.

5 a. Fracta rotae machina
Multa sternit agmina,
Nec te laedunt fragmina,
Katherina.

5 b. Mox, ut collo plecteris,
Longius eveheris
A ministris superis,
Katherina.

6 a. L[ocari]s in Sina,
Ex te medicina
Fluit olei,
Katherina.

6 b. Ope nos divina
De mundi ruina
Semper protege,
Katherina.

Antiphon. ms. S. Petri Erphordiensis anni 1481. Cod. Rosenbergen. 62. add. saec. 15. — 4 b, 2 Et ducena. — Cfr. Anal. Hymn. IX, Nr. 262; letztere Sequenz zeigt reineren Reim, und so scheint diese eine Überarbeitung derselben zu sein.

197. De sancta Katharina.

1 a. Lucet fide,
Meritis, vita, spe, signis
Katharina,

1 b. Spernens sceptrum,
Idola, sic maris stella
Katherina.

2 a. Clara ex prosapia
Costi regis filia,
Katharina;

2 b. Artium scientia
Floruit puellula
Katharina.

3 a. Sistitur Maxentio,
Vinculis, ergastulo
Katharina;

3 b. Fami siti non obedit,
Tortori torta [non] cedit
Katharina.

4 a. Quinquaginta sapientes
Mutos fecit et credentes
Katharina;

4 b. Reginam cum Porphyrio
Beat in martyrio
Katharina.

5 a. Fit rotarum machina;
Paganorum milia
Caesa sunt, illaesa
Katharina.

5 b. Lac truncato capite
Effluit, aureola
Trina fulget glosa,
Katharina.

6 a. In Sina angeli
Hanc humant, olei
Finis dotatur
Katharina.

6 b. Doctrix, martyr, virgo,
Ora pro populo,
Pia sis clero,
Katharina.

Grad. ms. Calcariense saec. 15. Cod. Calcarien. s. n. A. — Grad. ms. Calcariense saec. 16. Cod. Calcarien. s. n. B. — Melodie: Laetabundus.

198. De sancta Katharina.

1 a. Ave, felix Katharina,
Felix martyr et regina,
Felix mundi medicina,
Felix regis filia.

1 b. Ave, virgo ter beata,
Miri sponsi sponsa grata,
Fide Christi decorata,
Fulgens quasi lilia.

2 a. Per te student sapientes,
Per te Christo credunt gentes.
Manus cuius confidentes
Laudent puerperium.

2 b. Prece rotas dissolvisti,
Vires regis contrivisti
Et reginae contulisti
Vitam et imperium.

3 a. Corpus caesum lac decorat,
Sepulcrum liquore rorat,
Quod transvexit et honorat
Angelorum curia.

3 b. Ora, virgo, supplicamus,
Ut in Christo sic vivamus,
Quod per Christum capiamus
Sempiternâ gaudia.

Orat. ms. Ellwangense saec. 15. Cod. Stuttgardien. 1 b 91. — 1 b, 2 Viri. — 2 b, 1 Per te totas. — 3 a, 2 Et sepulcrum. — Nach Ausweis der Melodie, nämlich „Verbum bonum“, offenbar eine Sequenz.

199. De sancta Katharina.

1 a. Diem festum celebremus,
Regem magnum adoremus,
Imperantem regibus;

1 b. Veneremur et reginam,
Quae suscepit Katherinam
Cum suis virginibus.

2 a. Orta tribu de regali
Flore vernat virginali
Martyr, quae nunc immortali
Praemiatur gaudio.

2 b. Sensu, fide praemunita,
Forma vultus insignita
Et ad plenum erudita
Literarum studio.

3 a. Haec pro lege Dei certat,
Sed conatur, ut subvertat
Caesar mentem virginis;

3 b. Videns stupet et miratur
Et stupore conturbatur
Mirae pulchritudinis.

4 a. Ad culturam idolorum
Movetur christicola;
Flecti nequit, sed deorum
Detestatur idola.

4 b. Caesar instat blandimentis,
Minis, prece, pretio;
Virgo multis argumentis
Resistit Maxentio.

5 a. Quinquaginta peritorum
Convocatur contio,
Sed confortat angelorum
Hanc invictam visio.

5 b. Hos aggressa confidenter
A primate incipit,
Qui consultus insolenter
Coram sancta desipit.

6 a. Victos iubet rex comburi;
Tunc periti perituri
Postulantes veniam

6 b. Fidem sanctae confitentur
Trinitatis nec verentur
Caesaris insaniam.

7 a. Stupefactus ad eventum
Praesentis miraculi
Valde timet detrimentum
Sui Caesar populi.

7 b. Christi saevit in ancillam
Crebro caesam verbere,
Post flagella iubet illam
Taetro claudi carcere.

8 a. Visitatur a regina
Sponsa Christi Katherina
Noctis sub silentio.

8 b. Et custode separato
A se procul praeoptato
Fruuntur colloquio.

9 a. Clam ingressa, clam recedens
Militumque princeps credens
Soli Christo militant;

9 b. Ab errore revocantur
Et a Christo visitantur.
Cuius sponsam visitant.

10 a. Eductam de carcere
Rex miratur vivere,
Qui cibum negaverat;

10 b. Virgo stat intrepida,
Cui columba candida
Victum ministraverat.

11 a. Capitalem
subit sententiam,
Virginalem
lac pudicitiam
Designans emanavit.

11 b. Ab angelis
in monte Sinai
Fertur, in quo
legem Adonai
Moysi propalavit.

12 a. Aegros reddit sospitati,
Sunt nonnulli liberati
Ab inimici laqueo
Sacro peruncti oleo,
Quod de sepulcro manat.

12 b. Sponsa Christi, nos exaudi
Assistentes tuae laudi,
Per te det nobis veniam,
Qui confert iustis gratiam,
Corde contritos sanat.

Miss. Bituricense imp. Parisiis 1493. A. — Miss. Bituricense imp. Parisiis 1522. B. — 1 a, 3 Impetrantem A. — 5 a, 4 Hanc iunctam AB. — 5 b, 4 decipit A. — 7 b, 2 caesam vulnere A. — 10 b, 4 Cibum A.

200. De sancta Katharina.

1 a. Veni, Costi filia,
Candens inter lilia,
Splendor Alexandriae.

1 b. Veni, virgo regia,
Nobilis, egregia,
Casta, regnans sobrie.

2 a. Disputatrix optima,
Legis pandens intima,
Doctores, quos arguit

2 b. Tendentes ad devia,
Veritatis in via
Datos igni posuit.

3 a. Tortoribus traditam,
Carceribus abditam
Porphyrius visitat

3 b. Adduxitque reginam;
Credentes Katherinam
Mox tyrannus flagitat.

4 a. Decollantur ideo
Spiritum dantes Deo,
Rota fit et frangitur.

4 b. Commendatur gladio,
Sed prius oratio
Pro suis efficitur.

5 a. Lac fundens et oleum
In Sinai per Deum
Fertur his mirantibus.

5 b. Virgo videns terminum,
Semper ora Dominum
Pro te memorantibus.

Miss. Tornacense imp. Parisiis 1498. A. — Miss. Tornacense imp. Parisiis 1509. B. — 4 a, 1 Decollatur AB. — Melodie: Veni sancte spiritus.

201. De sancta Katharina.

1 a. Omnis mundus
Laetabundus
Psallat cum laetitia;

1 b. Noster coetus
Cantet laetus
Remota tristitia.

2 a. Puro corde
Sine sorde
Colat haec festalia;

2 b. Die isto
Plaudit Christo
Costi regis filia.

3 a. Katherina
Laude digna
Currit ad palatium,

3 b. Laeta vadit
Et invadit
Superbum Maxentium.

4 a. Rex commotus
Fremit totus,
Minatur supplicium;

4 b. Illa ridet
Et deridet
Tyranni iudicium.

5 a. Rex astutus
Et versutus
Inquirit originem,

5 b. Blandis verbis
Et acerbis
Aggreditur virginem.

6 a. Virgo blanda
Et amanda
Respondit sophistice,

6 b. Quaestiones
Regis omnes
Solvit dialectice.

7 a. In palaestra
Contra sceptra
Non timet assistere;

7 b. Nullus homo
Est in domo,
Qui possit resistere.

8 a. Rex proponit,
Haec exponit
Illius problemata;

8 b. Obstupescit
Et pavescit
Rex ad eius dogmata.

9 a. Adducuntur
Et promuntur
Rhetores in publico,

9 a. Convertuntur
Coniunguntur
Cum coetu angelico.

10 a. O benigna,
Deo digna,
Supplex roga Dominum,

10 a. Funde preces,
Munda faeces
Peccatorum hominum.

11 a. Dies iste,
Iesu Christe,
Celebrantes foveat;

11 b. Summum bonum
Sit in donum,
Katharina faveat.

Miss. Lausannense imp. Lausannae 1493. A. — Miss. Lausannense imp. Gebennis 1505. B. — Miss. Lausannense imp. Lugduni 1522. C. — 6 b, 3 dialetice AC, dyaletice B. — 7 a, 2 sceptra ist kein reiner Reim zu palaestra; aber das gleiche gilt bei 6 b, 1 u. 2. — 8 a, 3 probleumata AB. — 11 b, 2 Sic AB; domum AC. — Melodie vielleicht „O beata beatorum“, aber dann wären Str. 5 u. 6 zu einer zu vereinen, und die Sequenz wäre um 3 Strophen verlängert.

202. De sancto Kiliano et sociis.

1. Pari concentu
trium martyrum

2 a. Kiliani,
Colonati
et Totnani rata
veneremur sollemnia

2 b. Atque piis
laudibus
eorum altisona
modulemur praeconia.

3 a. Qui aversantes terrea,
mundi frivola,
cuncta huius callis ludicra,

3 b. Sequendo Christi monita
iustis promissa
adepti sunt poli praemia.

4 a. Illius zelo flagrantes
ensi tyrannico
submiserunt colla

4 b. Et fusa cruoris unda
celsa conscenderunt
caeli palatia.

5 a. Ubi sanctorum turba
triumphat purpurata
in veste candidula;

5 b. Angelorum milia
concrepant ovantia
praedulci melodia.

6 a. Ergo ipsorum
iam voce consona

6 b. Crebris precibus
pulsemus veniam,

7 a. Ut reatus
nostri contagia
per horum gloriosa
solvantur merita.

7 b. Nostra quoque
dignentur nomina
perenniter conscribi
in caelesti aula,

8. In qua cum eisdem
semper canamus
regi aeterno gloriam.

Miss. ms. Lambacense saec. 15. Cod. Lambacen. 316. A. — Miss. ms. Lambacense saec. 15/16. Cod. Lambacen. 164. B. — 2 a, 1 sqq. die Eigennamen der Heiligen fehlen B (ob also vielleicht de Communi?). — 2 a, 3 vrata AB. — 5 a, 3 candida B. — 7 b, 4 aula fehlt A.

203. De sancta Kunegunde.

1. Legis laxet onera,
Species et genera
Nova dans et vetera,

2 a. Cui sub annis teneris
Virgam praebens umeris,
Ignem stringens Veneris,

2 b. Lucifer in superis,
Lux de luce miseris
Aptans bonos ceteris.

3 a. Sponso sponsa iungitur,
Nec hic nec haec polluitur,
Menda famae sequitur.

3 b. Videri quod colitur,
Per vomerum demitur,
Vis a vi depellitur.

4 a. O sacrum concambium,
Quo vitae compendium

4 b. Quaerit habens taedium
Martiale studium!

5 a. Sic sagena
Maris, vena,
Sic amoena,
Sic obscoena
Capit aquae varia;

5 b. Agnigena
Deo plena
Legis dena
Sine poena
Solvit virgo sobria.

6 a. O regina Kunegundis,
De profundis
Nos iucundis
Perfrui fac atriis;

6 b. O regina Kunegundis,
Moribundis
Ex his undis
Redde tutos vitiis.

7 a. Mundus perit
Et nec erit,
Finis venit, *Vae*, *Vae* serit,
Redit ad originem
Homo, cinis in cinerem.

7 b. Caro laedit
Et obedit
His, quae carnis lues edit,
Mortis imago ferit,
Sanguis sanguinem tetigit,

8 a. Ergo, virgo et regina,
Carnis huius de sentina
Aude preces et inclina
Dirae mortis paria,

8 b. Ut caelestis per te vestis
Detur maestis in his festis,
Cedat pestis, quae de gestis
Exigit supplicia.

Hymn. et Sequent. ms. Emmeramense saec. 15. Clm. Monacen. 14667. — 5 a, 1 Agni cena; zu Agnigena cfr. Christigena. — 7 a, 3 Vae saevit. — In dieser Sequenz bleibt manches Rätsel ungelöst.

204. De sancto Lamberto.

1 a. Laetabundus
Lamperto decantat chorus
Alleluia.

1 b. Regi regum
Exsultat in alvo sanctus,
Res miranda.

2 a. Oriuntur splendidi:
Lucerna de sterili,
Sol de stella;

2 b. O lucerna luminans,
Mundo semper rutilans,
Semper clara.

3 a. Sicut sol per radium,
Tu illustras saeculum
Pari forma;

3 b. Neque solis claritas,
Neque tua sanctitas
Fit corrupta.

4 a. Ludenensis oriens
Te praemisit veniens
Valle nostra;

4 b. Verbum vox altissimi
Nascendo praecurristi
Carne sumpta.

5 a. Stabolensis cecinit;
Benedictus Deus sit,
Gens conversa desinit
Esse caeca.

5 b. Iam cum sanctis omnibus
Gaudes in caelestibus,
Lampertus; ab angelo
Haec praedicta.

6 a. O felix, propera,
Prece nos libera,
Ne damnemur
gens misera.

6 b. Monstra cum dextera
Christum in aethera,
Hunc, quem genuit
puerpera.

Miss. ms. Lambrechtense saec. 15. Cod. Graecen. 299. — 2 b, 3 Fiunt clara. — 4 a, 1 Ludenensis, unverständlich; ob Ludenensis = Leodiensis? In dem Falle dürfte „Leodiensis" den kl. Hubertus, den Nachfolger des hl. Lambert, bezeichnen, der bekanntlich den Bischhofssitz von Maastricht nach Lüttich transferierte. — 5 a, 1 Sabolensis. = 5 b, 4 Vox praedicta. — Melodie natürlich „Laetabundus," aus welcher Sequenz manches entlehnt ist; so immer der Schlufsvers jeder Halbstrophe.

205. De sancto Lamberto.

1 a. Laus iucunda
Lamberto cantetur sancto,
Alleluia:

1 b. Quem caritas
Dilatavit et sanctitas
Admiranda.

2 a. Ortus de primoribus
Fit clarior moribus
Caeli stella;

2 b. Cuius vita praesulis
Exstitit mirabilis,
Semper clara.

3 a. Sicut sol in speculo,
Refulsit in saeculo
Pari forma;

3 b. Fidem veram docuit,
Fide Deum coluit
Incorrupta.

4 a. Dum Puppinum arguit,
Ad aram occubuit
Valle nostra.

4 b. Sublimatur Legia
Martyris egregia
Carne sumpta.

5 a. Dodo vivus putruit,
Mala morte corruit,
Soror fide caruit
Mente caeca;

5 b. Principis adultera,
Venenata vipera,
Perpetravit scelera
Haec praedicta.

6 a. Infelix, propera
Noxas exonera;
Cur damnaberis,
gens misera?

6 b. Iam super sidera
Sanctum considera
Cum matre pia
puerpera.

Grad. ms. Averbodiense saec. 15. Cod. Averbodien. s. n. A. — Miss. ms. Averbodiense saec. 15. Cod. Averbodien. s. n. B. — 5 b, 2 Veneat a vipera B. — Melodie wiederum: Laetabundus.

206. De sancto Lazaro.

1 a. Inter mira salvatoris
Signa et prodigia

1 b. Lazari atque sororis
Salus est egregia.

2 a. Hac in carne, hac in mente
Per Messiam resurgente
Suscitantur pectora,

2 b. Ut ad laudem conditoris
Et ad vitae sanctioris
Consurgamus opera.

3 a. A benigno salvatore
Suscitandus a sopore
Est dilectus Lazarus,

3 b. Qui transmigrans Gallilaeam
Invitatur ad Iudaeam
A sanctis sororibus.

4 a. Quo audito illic mansit,
Sed ad illas post haec transit
Lazarum se diligentem
Excitare dormientem;

4 b. Etsi dormit, salvus erit,
Etenim somnum re quaerit;
Sed, a Iesu dum aditur,
Iam defunctus invenitur.

5 a. Hinc, Maria dum adorat
Et utraque soror plorat
Turbae cum frequentia,

5 b. Fremit Iesus et turbatur
Atque coram lacrimatur
Et amoris gratia.

6 a. Inde lapis tollitur,
Mortuus egreditur,
Ligatus absolvitur
Christi ad imperia.

6 b. In spem paenitentium
A sorde foetentium
Unus discumbentium
It Iesus ad prandia.

7 a. Per hunc multi crediderunt
Et credendo revixerunt,
Ceterique convenerunt,
Ut viderent Lazarum.

7 b. Propter signum hoc praeclarum
Turbae Israelitarum
Acceptis ramis palmarum
Exceperunt Dominum.

8 a. At scribae et pharisaei,
Sacerdotes et Iudaei
Cogitarunt sanctum Dei
Trucidare Lazarum.

8 b. Sed tu, factor protoplasti,
Quae non erant, qui plasmasti,
Posses hunc, quem suscitasti,
Suscitare iterum.

9 a. Per hunc nos nunc, pastor bone,
Prima resurrectione
De intus vivifica

9 b. Et secunda post utrumque
Corpus nostrum spiritumque
Superne glorifica.

Miss. ms. Aeduense saec. 12. Cod. Semin. Aeduen. 125, add. saec. 14. A. — Miss. ms. Aeduense saec. 15. Cod. Semin. Aeduen. 131. B. — 4 b, 2 Enim AB; summum A; requerit AB. — 8 a, 1 Ac. B.

207. De sancto Lazaro.

1 a. Laetetur ecclesia
Caelestis beata,
Matrem laudet filia
Celebrans optata
Lazari sollemnia.

1 b. Exsultet Bethania,
Domus honorata
Ex Christi praesentia,
Pie visitata
Caritate socia.

2 a. Quam felix concordia
Fratris et sororum,
Ubi contubernia
Facit rex caelorum
Et sanctorum milia!

2 b. Mariae flagrantia
Odor unguentorum,
Marthae diligentia
Sapor est ciborum
Circa ministeria.

3 a. Quarum amicitia
Deus lacrimatur,
De mortis miseria
Frater suscitatur
Caelesti potentia;

3 b. Vitam post mortalia
Plebs cuncta miratur,
Ad tanta prodigia
Fides praedicatur
Et Dei magnalia.

4 a. Celebrantur gaudia,
Lazarus videtur,
Dum mors in victoria
Vivens absorbetur
Et mortis angustia.

4 b. Sedens ad convivia
Lazarus fatetur,
Quod Dei clementia
Mortuis medetur
Reddens vitae praemia.

5 a. Fusa caelo gratia
Frater et sorores
Fiunt in Provincia
Fidei doctores
In magna constantia;

5 b. Praesul in Massilia
Frater docet mores,
In misericordia
Solvit peccatores,
Facit mirabilia.

6 a. Ad caeli palatia
Digne exaltatur
Et vivens in gloria
Cum Christo laetatur,
Fruens boni copia.

6 b. Haec tua familia
Te, sancte, precatur,
Ut virtus propitia
Tua nos sequatur
Sitque semper praevia.

Misa. Massiliense imp. Lugduni 1530. — 2 b, 1 Maria. — 3 a. 2 lacrimantur.

208. De sancto Leodegario.

1 a. Martyris praeconio
Serviens cum gaudio
Fidelium contio
Iucundetur.

1 b. Pro Leodegario,
Martyre propitio,
Laudis exsultatio
Frequentetur.

2 a. Hic vivens innocue
Et castus continue
Dignus est praecipue,
Quod laudetur.

2 b. Hic stirpis ingenuae,
Literatus strenue,
Esse praesul Aeduae
Promeretur.

3 a. Fama tanti praesulis
Experta miraculis
Saeculorum saeculis
Commendetur.

3 b. Traditus ab aemulis
Fugam tulit exsulis,
Mox orbatus oculis
Non terretur.

4 a. Lingua sibi scinditur,
Sed, ut ante, loquitur,
Plebs per ipsum regitur
Et docetur.

4 b. Mox capite plectitur,
Sed mira res agitur:
Cadaver non quatitur
Nec movetur.

5 a. Ceteris quam pluribus
Fulget hic virtutibus,
Subvenit languoribus
Et medetur.

5 b. Huius ergo precibus
Plebs mundetur sordibus
Et in caeli sedibus
Collocetur.

Miss. Gebennense imp. Gebennae 1498. A. — Miss. Gebennense imp. Lugduni 1521. B. — 2a, 2 castis B. — Melodie: Mariae praeconio.

209. De sancto Leonardo.

1 a. Confessorem venerandum
Veneremur Leonhardum,
Cuius nomen tam iucundum
Floret in ecclesia.

1 b. Leo fortis, dum certavit,
Mundum, carnem, hostem stravit
Et se nardum declaravit
Odoris fraglantia.

2 a. Remigio commendatur,
A quo puer baptizatur
Et instructus decoratur
Divina scientia.

2 b. Huius crevit hortamentis
Adolescens puer mentis
In divinis sacramentis
Et virtutum gratia.

3 a. Fit medela languidorum
Nexus solvens captivorum
Et reginae dat Francorum
Salutis remedia.

3 b. Sanctitate vir insignis,
Qui praeclaris fulget signis,
Impetret nobis indignis
Sempiterna gaudia.

Grad. ms. Mosaetraiectinum saec. 15. Cod. Hagen. J. 8. — Melodie: Verbum bonum.

210. De sancto Leonio.

1 a. Gaude, plebs nunc Pictavensis,
Praeconia cum recenses
Patroni magnifica,

1 b. Pange metris, voce, mente,
Non recise sed attente,
„Pater," dic, „salvifica."

2 a. Terras linquens caelos cepit,
Caelis multorum recepit
Votorum precamina.

2 b. Pater, ausculta, Leoni,
Omni te genere toni
Sonant nostra carmina.

3 a. O quam probant et declarant
Magnum vatem et enarrant
Doctorum oracula!
Hilarius absque mora,
Cum mortis adesset hora,
Leonio plebis lora
Commisit per saecula.

3 b. Fili, sumens plebis curam
In hac urbe profuturam,
Inquit, o assumito.
Vita fulgens et doctrina
In huius mundi labina
Preces et dogma propina,
Curam plebis gerito,

4. Ut per te glorificetur
Trinus Deus et ametur
Et a cunctis honoretur
Factor mundi, Dominus.

Missale Pictavense imp. Parisiis 1526. — 2a, 1 caelo. — 2b, 2 sq. genere tonant nunc nostra.

211. De sancto Livino.

1 a. Sollemni vos induite,
Filiae Sion, chlamyde;

1 b. Induit stolam gloriae
Martyr Livinus hodie.

2 a. Iure terris veneratur,
Caelis dignus qui probatur
Tali privilegio.

2 b. Caelesti alimonia
Donatur mater gravida
Spiritus officio.

3 a. In lucem partu edito
Sol novae lucis radio
Mundum replet gaudio.

3 b. Dextra signat iam renatum,
Et divina vox beatum
Praedicat indicio.

4 a. Dant puero praeconia
Prece pulsa daemonia,
Nutrix vitae reddita.

4 b. Dux et comes it angelus,
Pontus minax fit floridus
Et abyssus pervia.

5 a. O felix sacerdotium,
Cuius testatur meritum
Divina sententia!

5 b. Lepra iuncta paralysi
Intranti cedit praesuli,
Cuius comes gratia.

6 a. Sacros pedes veneratur
Mare, nauta reportatur,
Gaudet caecus lumine;

6 b. Post plectrum linguae perditum
Linguae manet officium,
Tortor perit fulmine.

7 a. Super orantis verticem
Columba stillat sanguinem
Mortem signans sanguine;

7 b. Christus astat et solatur,
Tortor instat, et mactatur
Vitam nactus sanguine.

8 a. Hinc cum victrici laurea
Intras gaudens aetherea.

8 b. Unde summa laetitia
Tibi plaudit ecclesia.

9 a. Sed plaudit specialius
Laude clerus et populus,

9 b. Quem singulari gratia
Tua fovet praesentia.

10. Communis est laetitia,
Communis sit et gratia.

Miss. Magdeburgense imp. Lubecae 1480. A. — Miss. Magdeburgense imp. Magdeburgi 1486. B. — Miss. Magdeburgense imp. Magdeburgi 1497. C. — Miss. Magdeburgense imp. Nurembergae 1503. D. — Miss. Merseburgense imp. Lipsiae 1502. E. — 2a, 2 caeli ABCD. — 2a, 3 Tanti CD. — 3b, 4 Dextera D. — 4b, 1 comes id AB, comes fit D, comes et E. — 5a, 1 O fehlt E. — 6b, 1 perditum fehlt E. — 7a, 1 vertice D. — 9a, 1 plaudat E. — 9a, 2 Gaude AB, Gaudet E. — Str. 10 lautet in E: In angusta via sumus | Tua prece tribue | Ut cum Deo mereamur | Sine fine vivere.

212. De sancta Lucia.

1. Alleluia.

2 a. Praefulgida
dicito margarita,

2 b. Unde tibi
facies tam decora?

3 a. Conditor creaturarum
cuncta fabricando
formosa

3 b. Hanc mihi concessit formam,
sibi statuens tam
decoram.

4 a. Cuius iussis ob-
secundando speciosa,

4 b. Ex hoc cupita
complens loca honoranda.

5 a. Adorno
coronas
possidens diademata
regia,

5 b. Inserta
coronas
fulvas honorabilium
pectora.

6 a. Pertinaci ferens
grave cordis
honoris inopia,

6 b. Colla pontificum
vestiens
pectorali fascia.

7 a. Praetendo figuram
sollicita

7 b. Ad vitae caelestis
felicia.

8. Cuius cives
simus in saecula.

Trop. ms. Nivernense saec. 11. Cod. Parisin. 9449. A. — Antiph. et Grad. ms. Nivernense saec. 12. Cod. Parisin. Nouv. acq. 1235. B. — 2b, 1 facias AB. — 3b, 3 decorem AB. — 4b, 1 Exoccupata AB. — 5a, 3 diademate A. — 5b, 2 coronans A. — 5b, 4 pectoras A. — 7b, 1 Ad fehlt AB. — Betreffs der Melodie vgl. die Bemerkung zu Anal. Hymn. XL, Nr. 29. — Der vielfach verderbte Text bleibt in den Strophen 5 u. 6 noch dunkel.

213. De sancto Ludovico Ep.

1 a. Silvam in silvis colere
Virtutum iubet ratio;

1 b. Ludovicum Karolinum
Extollat Franca natio,

2 a. Virginalis castitatis
Atque odoris lilium

2 b. Et regale maiestatis,
Humilitatis speculum.

3 a. O praeclare et amande
Et venerande pontifex,

3 b. Graduate, ordinate
Scandis, virtutum opifex.

4 a. Flos Minorum,
Praedux illorum,
Stella, lux errantium;

4 b. Os doctorum
Tam mortuorum
Micans sidus marium.

5 a. Intrat praesul
non per sanguinem,
Sed per precum
similaginem
Deum placans precamine;

5 b. O sacerdos,
florens ut rosa
Quem exclamat
patrem Tolosa
Dulci modulamine.

6 a. Gens leprosa
Hac de rosa
Excipit munditiam;

6 b. Navigantes
Fluctuantes
Nanciscuntur laetitiam.

7. Xenodoxis famulatur,
Visitat et exhortatur,
Profert vaticinia.

Grad. ms. St. Georgii Villigensis saec. 15 Cod. Carolsruhan. Geo. 8. — 2 a, 2 Ac. — 4 b, 3 Impetras sidus. — 5 b, 2 Et ut rosa. — 5 b, 4 patrem fehlt. — 6 b, 3 Porti nanciscuntur. — 7, 1 Zenodoxis. — Der Schlufs der Sequenz ist ganz verwildert; zunächst folgt nach 7, 3 eine Lücke; dann dieses Chaos: Dum in sinu tantae indolis flores mutatae ostendunt regem. Delicate miseris compati in panibus. O patrone, in agone nostrae cohorti sis via. Dirigens sorti tu miserere beatorum in caelesti gloria.

214. De sancto Maglorio.

1 a. Adest dies specialis,
Dies festus et natalis
Praesulis Maglorii.

1 b. In hoc ergo spiritales
Et ipsius speciales
Iucundentur filii.

2 a. Angelus hunc erudivit
Integrumque custodivit
Vas caelestis gratiae;

2 b. Cum sit magnus gloria,
Velut ex industria
Nomen habet gloriae.

3 a. Lucrum quaerens spiritale
Culmen rexit principale
Minoris Britanniae;

3 b. Fugit tamen nutu Dei,
Quo vacaret totus ei,
Regimen ecclesiae.

4 a. Curam tradens alii
Compos desiderii
Degit sub silentio,

4 b. Sic latere voluit,
Nec abscondi potuit
Lucerna sub modio.

5 a. Consul adest sed leprosus,
Ne lateret gloriosus
Pater sine gloria;

5 b. Preces eius lepram mundant,
Cuius iussis obsecundant
Aves, pisces, maria.

6 a. Vitae reddit mortuum,
Quem vorago fluctuum
Prius absorbuerat;

6 b. Ad huius arbitrium
Piscis turba piscium
Ministrans obtemperat.

7 a. Vultum reddens servulo
Victum reddit populo,
Navem rexit baculo,
Sed nec plaustro defuit.

7 b. Lingua mutae solvitur,
Servus pisci tollitur,
Vis hostilis vincitur
Et serpens occubuit.

8 a. Culpam donat hic levitae,
Angelus hunc pane vitae
Munit mortis pretium;

8 b. Hostes privat hic repente
Partim visu, partim mente,
Vita nequam filium.

9 a. Maglori pater, visita
Nos pietate solita,
Tuae preces et merita
Culpae relaxent debita.

9 b. Per te vincatur zabulus
Et vitiorum populus,
Per te victores saeculi
Christo vacemus seduli.

Miss. ms. Sammaglorianum saec. 15. in. Cod. Parisin. Arsen. 623. A. — Collect. ms. Victorinum saec. 15. [13. 16]. Cod. Parisin. 14872. B. — 1 b, 2 spiritales A. — 4 a, 3 Desit B. — 7 a, 2 dedit B. — 7 a, 3 texit B. — b, 3 Vix hostilis B. — 8 b, 1 Hostes fugat. — Cfr. Gautier, Ad. de St. Victor, 1. ed. II, p. 283.

215. In Translatione s. Maglorii.

1 a. Ad honorem
patris Maglorii
Spiritales
exsultent filii;

1 b. Sub pastoris
sacri praesentia
Gregem sacra
decet laetitia.

2 a. Primo Dei gratia
Translatum de Sargia
Recepit Britannia
Corpus sacratissimum.

2 b. Sub accessu litoris
Tactu sacri corporis
Pars mutatur arboris
In saporem optimum.

3 a. Claudus salit et laetatur,
Adulescens suscitatur
Custos monasterii.

3 b. Ad regna siderea
Scala patet aurea
Meritis Maglorii.

4 a. Votis illuc conscendamus,
Conscendentes gaudeamus
Et gaudentes erumpamus
In laudum praeconia.

4 b. Si quis votum vovit rectum,
Voto dabit hic effectum.
Qui vas Dei praeelectum
Fuit ab infantia.

5 a. Vas insigne, vas honoris,
Incorrupti flos odoris,
Honestatis ac pudoris
Formam praebet saeculo.

5 b. Virginali vernans flore
Caelos replet hic odore,
Regem cernens in decore
Mundi cordis oculo.

6 a. O Maglori, voto pari
Te studemus venerari,
Dum versamur in hoc mari,
Tua nobis suffragari
Dignetur clementia.

6 b. Circa gregem spiritalem
Curam gere pastoralem,
Nos ad terram pascualem
Tu per viam duc regalem
Sub Christi custodia.

Prosar. ms. Parisiense saec. ^{13}14. Cod. Commun. Assisien. 695. A. — Miss. ms. Sammaglorianum saec. 15. in. Cod. Parisin. Arsen. 623. B. — Hymn. et Prosar. ms. Marchianense saec. 15. Cod. Duacen. 123. C. — Collect. ms. Victorinum saec. 15. [13. 16.] Cod. Parisin. 14872. D. — 2 a, 2 Translatus de Sagia D. — 4 a, 2 Ascendentes D. — Cfr. Gautier, Ad. de S. Victor, 1. ed. II. p. 293.

216. In Translatione s. Marcelli.

1 a. Gaude, superna civitas,
Nova frequentans cantica;

1 b. Adcrescit tibi dignitas,
Murorum surgit fabrica.

2 a. Faber et fabri filius
Te restaurant in melius;

2 b. Fabri mens et industria
Relucet in materia.

3 a. In tua transit moenia
Marcellus, gemma praesulum;

3 b. Tibi praesens ecclesia
Praesentat hunc carbunculum.

4 a. Chorus concordi spiritu
Psallat in eius transitu;

4 b. Grex pastoris miracula
Retractet mente sedula.

5 a. Dum ferrum candens ponderat
Adhuc aetate tenera,

5 b. Calorem tactu temperat,
Ferri praedicit pondera.

6 a. Dum servus Christi praesuli
Ministrat aquae calicem,
Christus ad laudem servuli
Mutat in vinum laticem.

6 b. Nec minus est miraculum,
Quod succedit in ordine,
Dum ferens aquae vasculum
Haurit chrisma de flumine.

7 a. Vinum et chrisma praesulis
Praeferebant indicia,
Per quem baptisma populis,
Per quem sacratur hostia.

7 b. Gradu minor quam meritis
Vocem laxat antistitis,
Promotus in pontificem
Fert opem reo duplicem.

8 a. Sacris astans altaribus
Vinctum videt in populo,
Solvit a poenae nexibus
Et a peccati vinculo.

8 b. In serpente visibili
Triumphat invisibilem,
Sic Christus invincibili
Virtute ditat humilem.

9 a. Marcelle pater, respice
Nos pietatis oculo

9 b. Sub huius adhuc lubricae
Carnis gementes vinculo.

10 a. Te diligentes unice,
Te recolentes sedulo,

10 b. Consors lucis angelicae,
Caeli suscribe titulo.

Miss. ms. Parisiense saec. 14. Cod. Sangenovefian. 97. A. — Collect. ms. Victorinum saec. 15. [13. 16.] Cod. Parisin. 14872. B. — 2 b, 1 et fehlt B. — Str. 4 a fehlt B; dafür in Str. 4 b nach Vers 1 eingeschoben: Sub brevitatis summula und nach Vers 2: Voce decantet modula B. — 6 a, 1 Christi servus B. — 6 b, 3 Cum B. — 8 b, 3 Six B. — 9 b, 1 Hic huius. — Cfr. Gautier, Ad. de S. Victor, 1. ed. II, p. 302.

217. De ss. Marcellino et Petro.

1 a. Huius diei
clara sollemnia

1 b. Flores martyrum
reddunt celebria,

2 a. Qua presbyter
sanctus eximia
Marcellinus
fulsit constantia,

2 b. Cum exorcista
Petro socia
Passionis
rutilans gloria.

3 a. Harum rosarum purpura
Praesens vernat ecclesia,

3 b. Praedulcique fraglantia
Felix redolet Gallia.

4 a. Hora namque
sui plantaria
Spirans Austri
perflavit gratia,

4 b. Cuius inde
miti clementia
Fluxerunt
aromata dulcia.

5 a. Hinc martyrum
virtus egregia
Fragravit
sicut murrae copia;

5 b. Quorum effloruit
victoria,
Ut arbor
palmae, flecti nescia.

6 a. Grossos suos
tulit ficulnea,
Mala germinaverunt
punica;

6 b. Dedit flores
fructusque vinea,
Odorem fudit nardus
pistica.

7 a. Hi sunt, qui Deo
placens hostia
Se tradiderunt
ad supplicia

7 b. Laveruntque
vestimenta sua
In sanguine
agni vernantia,

8 a. Cum hysopo
cedrum offerentes
Atque cocci bis tincti
stamina.

8 b. Roboravit
istos fides et spes
Ardentes caritate
gemina.

9 a. Nam, beatus Petrus
exorcista
Dum signorum
coruscat gratia,

9 b. Cum sponsa credit et
familia
Artemius
sanata familia.

10 a. Marcellinus
presbyter lavacra
Populis
confert salutaria.

10 b. Hinc tormenta
martyres varia
Perferunt
Sereni saevitia.

11 a. Quibus decollatis
ad gaudia
Feruntur animae
caelestia.

11 b. Nobis ergo Christi
clementia
Per horum succurrat
suffragia.

Grad. ms. Cameracense saec. 12. Cod. Cameracen. 62 (61). — Mit Ausnahme von Str. 1 besteht jede Hallstrophe aus 2 Langzeilen von je 10 Silben (nur in der Str. 3 sind es 8); die Zeilen reimen, abgesehen von 8 a, 2, immer auf a. Nur technische Rücksichten bewogen mich, die 10silbigen Zeilen zu brechen, wobei es mangels einer regelmäfsigen Cäsur nicht möglich war, eine gleichmäfsige Brechung zu erzielen.

218. De sancta Margareta.

1 a. Haec est dies omni
laude prosequenda,

1 b. Dies haec in mente
iure retinenda.

2 a. Dies, in qua tenebras
Lucifer effulgens
Effugavit, maculas
Peccati indulgens.

2 b. Hac die Margareta
Passa caelos scandit,
Resultet ecccesia,
. . . . . .

3 a. Fuit quidem desponsata
Christo sponso sponsa grata
Et caelestis filia.

3 b. Virgo vere speciosa,
Velut sine spinis rosa,
Candens inter lilia.

4 a. Haec est, inquam, virgo prudens,
Quae caelesti sponso nubens
Respuit Olybrium;

4 b. Christum sequens mente pura
Diis dare negat tura,
Reputans ludibrium.

5. Caeli sponsus adamatur,
Patris domus refutatur,
Vilipendit praedia
Morti praescripta.

Miss. ms. Secoviense saec. 12. Cod. Graecen. 769. — 2 b, 1 Hac in die. — 5, 2 Patriae. — Die Sequenz ist sichtlich unvollständig.

219. De sancta Margareta.

1 a. Surge laudum ad concentus,
Ordo sacer et conventus,
Virginalis gloriae;

1 b. Pro triumpho Margaretae
Laudum favi stillent de te,
Carmina laetitiae.

2 a. Margareta, flos decoris,
Imitatrix caeli floris,
Castitatis formula,

2 b. Ad exemplum passionis
Gratiarum rigat donis
Et impinguat saecula.

3 a. Quam pudicam et formosam
Et in fide fructuosam
Impetit Olybrius;

3 b. Ut transplantet ad errorem
Eius fidem et pudorem,
Instat hostis impius.

4 a. Nunc suspensam ungularum
Mactat plagis, nunc virgarum
Scindit scissionibus;

4 b. Nunc in aquis, nunc in igni
Artat dolus hanc maligni,
Nunc addit carceribus.

5 a. Ibi fato dans draconem
Vinctumque terens daemonem
Psallit in victoria;

5 b. Expletura vitae cursum
Cor et manus levat sursum,
Orat cum fiducia:

6 a. „O, qui praees caeli thronis,
Da, qui meae passionis
Recolit memoriam,

6 b. Ad salutem mundo frui,
Post cum sanctis vultus tui
Perpetim praesentiam.“

7 a. Votis favens suae testis
Adest ipse rex caelestis
In columbae specie;

7 b. Quae deposcit haec, condonat,
Quibus datis hanc coronat
Ferri stratam acie.

8 a. Eia, martyr gloriosa,
Domini tam speciosa
Praedotata gratia,

8 b. In praesenti sic procura
Te laudantes, ut futura
Non amittant gaudia.

Miss. ms. Coloniense [?] anni 1319. Cod. Capit. Treviren. 154. A. — Miss. ms. S. Iohannis Hierosolymitani saec. 14. Cod. Friburgen. (Helv.) Inc. 325 (146). add. saec. 15. B. — 1 b, 2 fani B; stillant A. — 2 b, 1 Et B. — 4 b, 1 igne A. — 4 b, 3 adiit A. — 5 a, 2 tenens B. — 6 b, 3 praesentia B. — 7 a, 1 sui B. — 8 a, 1 mater B. — Die Kollation von B verdanke ich Rev. H. M. Bannister.

220. De sancta Margareta.

1 a. Urbs beata, Sion, gaude
Pio voto, iugi laude
Pia colens gaudia;

1 b. Celebretur dies laeta,
Virgo vicit Margareta
Triumphali gloria.

2 a. Quae gentili stirpe nata,
Fide Christo foederata
Sponsi nitit annulo;

2 b. Iuvenili vernans aevo
Dolum nescit, caret naevo
Crucis clara titulo.

3 a. Oves pascit, oves feta,
De gemello foetu laeta,
Rosam nectit lilio.

3 b. Quam de grege praedo raptam
Velut agnam aris aptam
Praesentat Olybrio.

4 a. Adamatur, sed amentem
Sic amantis spernit mentem,
Ridet tribunalia.

4 b. Blandimentis non seducta
Minas spernit, stat in lucta,
Christi fert dextralia.

5 a. Furit praeses, datus irae,
In obscurum iubet ire
Lucernam iustitiae;

5 b. Nocte saepta carcerali
Luce nitet virginali
Margarita gloriae.

6 a. Satan prodit ad conflictum,
Quem substernit virgo victum
Per crucis praesidium.

6 b. Genus prodit requisitus,
Dolos nudat, sed invitus,
Implorat effugium.

7 a. Fugam captat, loco cedit;
Ad tribunal virgo redit
Educta de carcere.

7 b. Idolorum spernit cultum,
Nec tyranni trucem vultum
Veretur offendere.

8 a. Flammis data velut aurum
Enitescit, cepit laurum,
Omni caret scoria.

8 b. Ignem vincit, aquis datur,
Sed nec aquis suffocatur;
Utrimque victoria.

9 a. Hanc de caelo vox confortat,
Dum columba laurum portat,
Triumphales titulos;

9 b. Unde gaudens et devota
Deo precum reddit vota,
Labiorum vitulos.

10 a. Ferro demum neci data
Caelos petit laureata
Corona iustitiae.

10 b. Regi regum sit laus digna,
Cui, virgo, nos consigna
Cum colonis gloriae.

Sequent. ms. Pragense (Arnesti de Pardubic) anni 1360. Cod. Capit. Pragen. P. 9. A. — Miss. ms. Cracoviense saec. 15. Cod. Capit. Cracovien. 3. B. — 1 b, 2 vincit A. — 2 b, 3 cara A. — 4 a, 1 sed amantem A. — 5 a, 1 datur B. — 5 b, 3 Margarita rosea A. — 6 a, 2 substerruit A. — 6 a, 1 datur B. — 8 a, 2 Enitescit caput aurum A. — 10 a, 3 Corona victoriae A. — 10 b, 3 Cum coronis. — Melodie: Gaude Sion quod egressus, aber mit Vermehrung der Strophenzahl. — Die erste Halbstrophe ist zu vergleichen mit Anal. Hymn. I, Nr. 136.

221. De sancta Margareta.

1 a. Iubilemus Christo melos,
Margaretam qui ad caelos
Vexit post victoriam.

1 b. Pax et salus nuntiantur
His, qui eius venerantur
Condigne memoriam.

2 a. Virgo paret quem beata,
Huic est haec consignata
Ante saecli tempora.

2 b. Verbum patris hanc ornavit,
Quando hic magnificavit
Et in caeli curia.

3 a. Res est mira, res insignis,
Torret sacros artus ignis
Nec mentem attenuat.

3 b. Caeli fusa virgo rore
Tanto gaudens in dolore
Christum regem invocat.

4 a. Radix pater vitiata,
Proles virgo Deo grata,
Margarita inclita;

4 b. De radice tam spinosa
Paradisi prodit rosa
Florens, rubens, candida.

5 a. Mira floris pulchritudo,
Quam honestat magnitudo
Septiformis gratiae.

5 b. Collaetemur huic flori,
De quo gaudent omnes chori
Virginalis gloriae.

6 a. Iesu pie, splendor patris,
Margaretae nos beatis
Iunge prece sedula;

6 b. Flos et fructus puellaris
Et corona virginalis,
Tibi laus per saecula.

Grad. ms. Strahoviense anni 1611. Cod. Strahovien. Mus. E 9 (H I 2). — 2 b, 1 oravit.

222. De sancta Margareta.

1 a. *Salve*, martyr gloriosa,
Margareta generosa,
Verae vitis balsamus;

1 b. *Ab aeterno* ordinatum
Vas, insigne, decoratum,
Castitatis thalamus.

2 a. *Salve*, agna sine felle,
Vas imbutum favo, melle,
Vas immensae gloriae;

2 b. *Nos* peccatis involuti
Flagitamus provoluti
Medicinam gratiae.

3 a. *Porta* nitens, gemmnis clara,
Sidus fulgens, templum, ara,
Hostia pacifica;

3 b. *Cinnamomum* redolens,
Sensu, cana, fide pollens,
Prudens et mirifica.

4 a. *Salve*, terra fertilis,
Odor suavis, utilis,
Rosa patientiae;

4 b. *Myrtus* temperantiae,
Stirps obedientiae,
Turtur innocentiae.

5 a. *Tu* contemnis iudicem,
Per cuncti opificem
Superans in omnibus;

5 b. *Flos* campi conteritur,
Cum Margareta caeditur
Paganorum manibus.

6 a. *Tu* in loco tenebroso
More petis amoroso
Sponsi amicitiam;

6 b. *Tu*, cum oras, hostem sternis
Quem confusum, virgo, spernis
Carnis per munditiam.

7 a. *Tu* tribunal despexisti,
Plagas duras derisisti
Fragili in corpore;

7 b. *Ebur* auro variatum
Cor in Christo solidatum
Mortis splendet tempore.

8 a. *Palmam* vitae apprehendis
Et cum Christo parvipendis
Huius mundi gloriam;

8 b. *Laus* te ornat virginalis,
Mucro stravit cum poenalis,
Aufert auro scoriam.

9 a. *Sol* probatus clarior
Passionis clibano,
Nive iam candidior
Veniens a Libano.

9 b. *Lux* ipsa iustitiae
Tibi lucet iugiter,
Immemor tristitiae
Visu ardes suaviter.

10 a. *Salve*, rosa rubicunda,
Sponsa agni tota munda,
Potens es in patria,

10 b. *Verbi* Dei praedicatrix,
Trinitatis contemplatrix
Intra caeli atria.

11 a. O beata, ne nos spernas,
Sed ardentes fac lucernas
Ad convivas et supernas
Ingredi feliciter.

11 b. *In* supremo collocata,
Post te trahe, Deo grata.
Ne nos mortis via lata
Rapiat hostiliter.

12 a. *In* extremo huius vitae
Formidantes reduc rite,
Ut de vera caeli vite
Degustemus sine lite
Suavitatis pocula.

12 b. *Iesu* bone, rex caelorum,
Preces audi peccatorum,
Da consortia bonorum,
Ut et te, Deum deorum,
Laudemus in saecula.

Miss. ms. Attilense anni 1450. Clm. Monacen. 3811. A. — Sequent. ms. S. Petri Salisburgensis anni 1603, Appendix ms. Miss. Romani imp. Venetiis 1513. (Bibl. Petrin. S II 14a.) B. — 3a, 1 clara gemmis B. — 3a, 2 templi ara B. — 8b, 2 cum fehlt B. — 9b, 1 Sol ipse AB. — 10a, 3 Potens nunc in B. — 12b, 4 et fehlt B. — Melodie: Salve mater salvatoris, aus welcher Sequenz stets das erste Wort jeder Halbstrophe entlehnt ist; dem entsprechend war 9b, 1 zu corrigieren.

223. De sancta Margareta.

1 a. O beatae Margaretae
Virginis sollemnia,

1 b. De palma cuius athletae
Laetatur ecclesia.

2 a. Haec gentili patriarcha
Nata Theodosio

2 b. Digna sacri flatus arca
Petitur Olybrio.

3 a. Cuius spernens minas, preces
Carcere recluditur;

3 b. Hinc non pavens miles neces
Flagris, virgis caeditur.

4 a. Sed, quia nec sic oboedit,
Laceratur pectine;

4 b. Nudis costis hinc procedit
Rivus rubens sanguine.

5 a. Post haec Ursus
Frendens rursus
Carceris in tenebras
Sanctam trudit,
Hanc illudit
In dracone satanas.

5 b. Quem vi crucis
Scindens trucis
Denudat insidias,
Cuius versa
Fraude mersa
Lymphis vicit balneas.

6 a. Ergo circumstantis gentis
Credunt quina milia,

6 b. Decollata qui pro Christo
Capiunt caelestia.

7 a. His astantem iunge plebem,
Ut per transitoria

7 b. In perenni mereamur
Exsultare gloria.

Grad. ms. Bocholtense saec. 15. Cod. Bocholten. L 6. — 7 a, 1 Tuis. — Melodie: O beata beatorum.

224. De sancta Margareta.

1 a. Titulus memoriae
Celebretur hodie
Martyris eximiae.
Margaretae;

1 b. Fermentum malitiae
Cesset et nequitiae,
Et ipsius gloriae
Congaudete.

2 a. Hanc fidei firmitas,
Hanc spei soliditas,
Hanc sincera caritas
Decoravit;

2 b. Virginalis castitas
Morumque sinceritas
[Atque mentis firmitas]
Hanc ornavit.

3 a. Haec sanguinem proprium
Propter Dei filium
Fudit et Olybrium
Mente sprevit;

3 b. Haec periclitantium,
In partu praegnantium
Adesse praesidium
Consuevit.

4 a. O mater eximia,
Cuncta pelle noxia
Contra nos pugnantia,
Virgo pura;

4 b. Per tua suffragia
Detur nobis gratia
Et in caelo gloria
Permansura.

5 a. Margarita diceris,
Margaritis ceteris
Virtute praeponeris,
Virgo digna;

5 b. Iam sponsum amplecteris,
Iam Christo coniungeris,
Nos Deo, quo frueris,
Reconsigna.

Prosar. ms. Marchianense saec. 15. Cod. Duacen. 123. — Melodie vielleicht: Mariae preconio.

225. De sancta Margareta.

1. Pange, chorus omnium,
nunc Margaretae triumphum.

2 a. Virginis huius pater
erat patriarcha
gentilium;

2 b. Haec Deum colit; pater
odit; fugit; nutrix
eam alit.

3 a. Cuius oves pascit,
cum praefectus
Olybrius transit.

3 b. Videns eam cupit
praecipitque
sibi praesentari.

4 a. Verba profert dulcia,
nec flectitur
virgo beata.

4 b. Minas infert impius,
nec formidat
neque terretur.

5 a. Furit hic iubetque
virginem incarcerari.

5 b. Vorat hanc draco, sed
signo crucis liberatur.

6 a. Post haec flagellatur
virgis, aere suspenditur,

6 b. Rastris laceratur,
comburitur, aquis mergitur.

7 a. Post decollatur et
in paradiso
collocatur.

7 b. Sit laus patri, nato
salus, flamini
sancto virtus.

Missale Noviomense imp. Rothomagi 1506. — 3 a, 2 cum hac. — 3 a, 3 Olymbrius.

226. De sancta Margareta.

1 a. Adest dies decora
Hac hora, qua per ora
Nostra memoratur

1 b. Margaretae series,
Cuius vita species
Perpulchra probatur.

2 a. Nobilis natalibus
Fuit, sed gentilibus,
Et Antiochena.

2 b. Cuius pulchritudine
Accensus libidine
Profert verba lena

3 a. Olibrius virgini.
Tantae turpitudini
Non vult assentire

3 b. Prece neque pretio;
Virginis responsio
Facit hunc saevire.

4 a. Christi fidem confitens,
Hic fidei renitens
Hanc incarceravit.

4 b. Exuta suspenditur,
Verberibus caeditur,
Sanguis terram lavit.

5 a. Sustinet in gaudio
Pro tanto martyrio
Virgo nec suspirat.

5 b. Carnem scindit durior
Ungula, tunc fortior
Ad caelos aspirat.

6 a. Ossa nuda, viscera
Vice patent altera;
Sic incarceratur.

6 b. Lumen clarius sole
Incarceratae solae
De caelo mandatur.

7 a. Signo crucis fugatus
Fuit transfiguratus
Daemon in draconem;

7 b. Formam sumpsit humanam,
Virgo percepit vanam
Hanc illusionem.

8 a. Hostem solo prostratum
Dimisit conculcatum
Dicto, cur venisset,

8 b. Servo nec consilio
Faveret, Olibrio
Nec dis oboedisset.

9 a. Virgo post haec crematur,
Aqua refrigeratur
Dolio ligata;

9 b. Terra mota, vinculis
Ruptis, a periculis
Exit nil gravata.

10 a. Duodecim milia
Fere credunt, varia
Mors illos mactavit.

10 b. Orat pro tortoribus,
Pro se deprecantibus
Preces impetravit.

11 a. Collum parat gladio,
Triumphat martyrio
Capite truncato.

11 b. Eius patrocinio
Secum in collegio
Nos iungat beato.

Miss. Briocense imp. Rothomagi s. a. [1502?]. A. — Miss. Macloviense imp. Rothomagi 1503. B. — Miss. Andegavense imp. Rothomagi 1543. C. — 3 b, 3 servire C. — 11 b, 3 Christus nos B.

227. De s. Maria Magdalena.

1. Exsurgat totus almiphonus
supercaelestium chorus
citharoedorum,
omnifarie Deo
eulogizans cum Alleluia.

2 a. Suave et
laudisonum una plus
solito subclangat in
iubilo organum
nostrarum invencularum,
chorea tympanistriarum;

2 b. Necnon, unit
quos catholicus omnes
uno una pneumate
christianismus, nunc
Mariae Magdalenae
congratulentur sollemniis.

3 a. Quae septeno
dudum daemone plena,
vesania
cursitaverat
pestilentiosa

3 b. Per andronas
lubricas Babylonis,
cuius gaudet
Bel gymnasiis
anathematicis,

4 a. Et ubi occursant
daemonia,
onocentauri,
dracones praevolucres
struthioque
simul collusitant,

4 b. Absonius ululae
lugubres
et elegizant,
et Sirenae delubris
voluptatis
coantiphonizant.

5 a. Pilosi et saltitant,
lamia catulos lactat,
foveam torvus
struit ericius,
ibix et corvus
cum onocrotalo
horrisonum una
discriminant;

5 b. Basiliscus sibilat,
cerastes et imperitat.
Genus id multa
minax, incarceraus
exterricula
quaeque dirissima
morsibus, experta
est Maria.

6 a. Demum tacta divinitus
memoria
Sion, dilecta matris
tot furias (ab)horrens
deserit metropolim
Chaldaeorum;

6 b. Iesum ardens medullitus,
quem festina
quaeritat mox iercarcham,
per quem liberetur
captiva phantasmatum
a phalange.

7 a. Sciens, ubi fuerit,
quid fecerit,
non erubuit;
sese amati
[ad] epulas contulit,
veniae fontem turpis
adiit, quo se lavaret;

7 b. Alabastrum attulit,
pedes Iesu
flendo compluit,
crinibus tersit
[atque] osculans unxit,
tot ferens holocausta,
quot prius oblectamenta.

8 a. Quam miseratus conditor
refugam suscipit,
refovet paraclitus
luctuosam,
diligentem diligit
dimissisque flagitiis
omnimodis liberrimam
ire praecipit.

8 b. Sic liberata bestiis
de Babylonicis
pedibus assederat
miserantis,
verbum eius audiens,
et intime soli vacans
theoriae arcem Sion
felix conscendit.

9 a. Cui Iesus
architectus
stratum tetragonum
dans aequilaterum,
totum crystallis
luminosum, sternit
igneis carbunculis;

9 b. Fundans saphyris
caeruleis
miris candidatam
et unionibus
iaspidibus et
propugnatam munit
gemmeis turriculis.

10 a. Anaglypharias
margaritis portas,
podismum cum plateis,
basilicas cum tricliniis
et illius omnia
aureola
mirificavit
tamquam vitrum perlucida.

10 b. Quam gemmis rutilam
et obrizo mundo
rex regit Emanuel,
divum ipse capitolium
urbis, manens omnia
in omnibus,
quos triumphali
comit inibi laurea.

11 a. Hac speculativa
iam plenarie
condelectans in aula,
fac, nos ut delectemur
in dilecto tuo,
suffragatrix
ardentissima, Maria,

11 b. Et ut letalibus
arreptos, heu,
vitiorum furiis
reddat nos sanae mentis
miserans, ut solet,
salutari
curando indulgentia.

12 a. Ut sic nequitiis
adversariis
fauste triumphatis
corona tecum
regni tripudiantes

12 b. Collaudemus una
et in cymbalis
iubilationis
Deum deorum
cum angelis in Sion.

Grad. ms. Eremitense saec. 11. Cod. Eremiten. 366. A. — Collect. ms. Admontense saec. 12. Cod. Admonten. 257. B. — 1, 3 citharae donum A. — 1, 4 omnifariam B. — 1, 5 elogizans B. — 2 a, 1 Suavis B. — 2 a, 6 choreo A. — 2 b, 1 Haec non B. — 2 b, 2 quos unisonus A. — 2 b, 3 pneumati B. — 2 b, 4 christianismi A. — 2 b, 6 congratulemur A. — 3 a, 2 daemone fehlt A. — 3 b, 2 publicas Babyloniis A. — 4 a, 1 Est ubi occursitant A. — 4 a, 3 onocentaurus A. — 4 a, 4 daemones A. — 4 a, 5 struthious A. — 4 b, 1 Absonus A. — 4 b, 3 cleyzant A. — Str. 5 a fehlt A. — 5 b, 3 — 6 a, 3 eine Lücke in A. — 5 b, 4 u. 5 unverständlich. — 5 b, 8 es B. — 6 b, 1 sq. medullitus quem fehlt A. — 6 b, 6 hac plange A. — 7 a, 2 quod faceret B. — 7 a, 4 amarius AB. — 7 a 5 epulis tulit A, oculis tulit B. — 7 a, 7 quod A. — 7 b, 5 osculis B. — 7 b, 7 quod B; prius et A. primitus B. — 8 a, 1 miserans AB. — 8 a, 2 suscepit A. — 8 a, 6 dimissamque A. — 8 b, 4 salvatoris A. — 8 b, 5 verbum illius AB. — 8 b, 8 ascendit B. — 9 a, 1 architectum A. — 9 a, 3 statim tetragonicum A. — 9 a, 4 aequilaterii A. — 9 a, 5 — 9 b, 4 eine Lücke in A. — 9 b, 5 lapidibus A. — 9 b, 6 propugnans A. — 10 a, 3 modismum, korrigiert in podismum B, potissimum A. — 10 a, 6–8 fehlt A. — 10 b, 4 divinum A. — 10 b, 6 his omnibus A. — 10 b, 7 quos pietatis A. — 10 b, 8 munit A. — 11 a, 4 nos et B. — 11 a, 5 et dilecto A. — 11 b, 2 arreptos fehlt A, arreptus B. — 11 b, 4 reddat nos fehlt A. — 11 b, 5 sq. ut — curando fehlt A. — 11 b, 7 curans B. — 12 a, 3 triumphans A. — 12 a, 5 regni fehlt A. — Nach 12 b, 5 folgt noch in A: ysus conaston eonon. — Ein Vergleich dieser Sequenz mit der Kreuzsequenz „Grates honos“ (Kehrein. Nr. 59) läfst kaum einen Zweifel, dafs beide vom gleichen Verfasser sind; als Verfasser der Kreuzsequenz gilt aber Hermannus Contractus.

228. De s. Maria Magdalena.

1 a. Ex arcano pietatis
Revocatur a peccatis
Peccatricis anima,

1 b. Cum ad pedes maiestatis
Munus offert caritatis,
Corde, manu, lacrima.

2 a. Convivantum domo plena,
Christe Iesu, pasceris,
Cum in ipsa Magdalena
Cor contritum ingeris.

2 b. Maesta venit, rubet gena
Pro reatu sceleris,
Et dolori laxat frena
Memor vitae veteris.

3 a. Ardet intus, extra plangit,
Lavat et abluitur.
Crine tergit, ore tangit,
Ungit et inungitur.

3 a. Aemulatur pharisaeus,
Aemulus convincitur,
Miseratur pius Deus.
Mulier absolvitur.

4 a. Sic in schola salvatoris
Aggreditur vas honoris
Lota contumelia,

4 b. Quam compellit vis amoris
Sui semper amatoris
Subsequi vestigia.

5 a. Martha servit, fatigatur;
Sed Maria iucundatur
Secus pedes Domini.

5 b. Lacrimosa iuxta crucem
Christum perdens perdit lucem
Sociata virgini.

6 a. Primo mane fert unguentum,
Vadit flens ad monumentum,
Mentem gerit sauciam,

6 b. Eius fletus hilaratur,
Prima venit et miratur
Resurgentis gloriam.

7. Iteremus et cantemus
Magdalenae gloriam.

Miss. ms. Romano-Franciscanum anni 1451. Cod. Univ. Patavin. 2203. — 2 b, 4 vitae. — 3 a, 2 lavit. — 3 b, 3 Miserator pius Dominus. — 4 a, 1 stola. — 4 a, 2 Aggreditur sichtlich falsch; ob verlesen? — 4 a, 3 contumeliae. — 4 b, 3 Sui sequi. — 5 b, 2 pendens perdit. — Abschrift von Rev. H. M. Bannister.

229. De sancta Martha.

1 a. Dies adest gloriosa
Marthae virginis,

1 b. Cuius festa pretiosa
Fulgent gaudiis.

2 a. Stirpe regia
Haec virgo processit
Syro patre genita

2 b. Et Eucharia,
Quibus post successit
Heres matre inclita.

3 a. In qua revera
declaratur,
quod nobilis fructus

3 b. Producatur a
generosa
stipitis plantula.

4 a. Igitur, in quantum
vis excrevit corporalis,
tantum accensa caelesti
gratia profecit fervor
spiritalis;

4 b. Ambulans in omni
sapientia de virtute
in virtutem, spiritui
tenerrimam sic subiecit
iuventutem.

5 a. Hoc modo devota
conversans puellula
Deum caeli, quem
domo cordis gerebat,
tandem pascendum
hospitio recipiebat,
cui sic
officiose serviebat,
ut sororis
vacantis opem
imploraverit.

5 b. Laborante qnidem
illa verbis divinis
haec intenderat,
cuius faciem semper
concupierat;
sic ambae redemptori
placere
desiderant, quia caelestis
pater illas
sibi in sponsas
adoptaverat.

6 a. Felix igitur
probatur tali praedita
quondam patrona
Bethania,

6 b. Amore cuius
redonatur [fratri] vita
[a Christo] Lazaro
pristina.

7 a. Immo felicior
est Marsiliae
praedicanda . . . .
. . . . . .
clara provincia.

7 b. Quae salutifero
virginis usa
consilio, cultum linquens
idolorum illustrata est
fidei gratia.

8 a. Revocatis
sic permultis ab
erroribus

8 b. Insistebat
semper virtutis
operibus.

9 a. Praeter panem
nil edebat,

9 b. Absque lympha
nil bibebat.

10 a. Tandem aqua suffocatum
Ad vitam restituit,

10 b. Draconisque feritatem
Necando comminuit.

11 a. O Martha beatissima,
Angelis
et hominibus gratissima,

11 b. Tua larga gratia
Caelitus
nobis impetrata venia

12 a. Illi prece nos reconcilia,
cui quondam praeparasti
convivia,

12 b. Ut sic mereamur introire
[ad civium] caelestium
hospitia.

Miss. ms. S. Floriani saec. 14. Cod. Florian. III 221 A. A. — Miss. ms. S. Floriani saec. 14. Cod. Florian. XI 394. B. — Miss. ms. S. Floriani saec. 15. in. Cod. Florian. XI 389. C. — 3 a, 3 quod nobis fructus C. — 3 b, 3 stirpis C. — 4 b, 4 subicit ABC. — 5 a, 3 Dominum caeli A. — 5 a, 11 imploravit C. — 8 a, 1 Revocata C. — 10 a, 1 aquis A. — 11 b, 3 impetra B. — 12 a, 3 ut hospita devota convivia ABC. — 12 b, 2 caeli ABC.

230. De sancta Martha.

1 a. Adest Marthae sollemnium,
Surgat vox in praeconium;

1 b. Vox nostra laudes concrepet.
Nec a voce mens discrepet.

2 a. Haec redemptorem gentium
Suscepit in hospitium,

2 b. Pavit opus opificem,
Fovit ancilla iudicem.

3 a. Quae, dum pararet fercula
stans ait Christo querula:

3 b. „Dic, ut ad ministerium
Soror praestet auxilium.“

4 a. Christus utramque praedicat,
Sed [primam] partem indicat;

4 b. [Marthae vitam] esse bonam,
Mariae probatissimam.

5 a. Est bona vitae practica,
Sed melior theorica;

5 b. Prima defectus inficit.
Secunda nunquam deficit.

6 a. O Christi felix hospita,
Mercede gaudens inclita,

6 b. Te Deus hospes hodie
Regno locavit gloriae.

„Liber [ms.] dictus Iosephina, compilatus de scientifico magistro Iohanne de Gerson, sacrae theologiae professore“ saec. 15. Cod. Mazarin. 3895. add. saec. 15 ex. — Überschrift: „Prosa de s. Martha.“

231. De sancta Martha.

1. Eia, recolamus
carmina Deo digna.

2 a. Chordas cordis temperemus,
sit pro chordis
cordium concordia;

2 b. Dulce melos demus, cuius
laus sanctorum
merces est gratissima.

3 a. Hodie
memoria iucunda
veneremur Martham,
matrem sanctissimam,

3 b. Quam factor
omnium, factus pauper,
caelo regnans, terris
elegit hospitam.

4 a. Secus pedes
vacat Maria,
haec procurat sobria
convivia.

4 b. Grata Deo
Marthae actio,
Mariae laudatur
contemplatio.

5 a. Gaudet ille
foetens Lazarus
se vocatum
ab inferis.

5 b. Caeci visu,
claudi donantur
gressu sanctae
Marthae meritis.

6 a. O Martha, nimium beata,
vita cuius miranda!

6 b. O fide firma, spe robusta,
caritate inclita!

7 a. Mirabilis in illa
emicuit gratia,
uti apostolorum
fit apostola;

7 b. Nam mortuos suscitat,
daemonibus imperat,
serpentes tollit, tactu
lepram mundavit.

8 a. Beatum praedicat
patrem angelorum,
quem [hic] pane pavit.

8 b. Postremum decurso
stadio fruitur
regno sidereo,

9 a. Pro parvis donata
maximis,
pro terrenis praemia
captans caelestia.

9 b. . . . . .
. . .
. . . . . .
. . . . . .

10 a. Christi cara, prece tua
nobis detur venia,

10 b. Ut ad illam, quam speramus,
te praeduce patriam

11. Pertingamus.

Miss. ms. Augustanum saec. 14. Cod. Mus. German. 22929. — 3 a, 3 veneramur. — 6 a, 2 admiranda. — 6 b, 1 O fehlt. — 7 a. 3 ut. — 7 b, 1 Nam fehlt. — 8 a, 3 que panem. — 8 b, 2 stadio praesentium. — 10 b, 2 te gaudere patriam. — Melodie: Eia turma; vgl. zu dieser Melodie Anal. Hymn. X, Nr. 238.

232. De sancta Martha.

1 a. Marthae ingens sanctitas,
Moribus ditata,
Est vera securitas
Fidelibus data,
In caelis parata.

1 b. Ipsius virginitas
Summe decorata,
Serviendi caritas
Deo fuit grata,
Quem est hospitata.

2 a. Serpens ille pavidus
Victus est per eam,
Signo crucis trepidus
Dimittens cavernam,
Qua steterat abditus,
Morte trucidatus
Atque prosternatus;

2 b. Vertens naves funditus,
Faciens procellam
Et absorbens fervidus,
Tollendo lucernam
Vitae navigantibus,
Ore propalatus
Et vorans elatus.

3 a. Fronto in altari stans
Plebe congregata
Raptus est sanctificans
Voce Dei facta,
Ut videret obitum
Et esset adiutor
Christi et servitor;

3 b. Scriptura testificans
Deifice facta,
Tumulum sanctificans
Ipsa exspirata
Evidens est speculum
Et vitae largitor,
Qui fuit sepultor.

4 a. Virgo sancta, populo,
Per quem visitaris
Tarrasconis oppido,
Ubi tumularis,
Impetra et subito
Regnum, quo locaris,

4 b. Ut refectus pabulo
Cibi salutaris
Cernat Deum oculo,
Cum quo gratularis
Celso in empyreo
Et glorificaris.

Grad. ms. Nurembergense saec. 15. Cod. Civ. Nurembergen. III 15 b. — 2 a, 3 Nam signo. — 2 b, 2 procella. — 4 b, 2 Civis saturaris. — 4 b, 6 glorificatus.

233. De sancto Martino.

1. Laudet Christum
iam contio nostra.

2 a. Qui beatum Martinum
replevit sua gratia

2 b. Et patronum nobis hunc
esse dedit per saecula.

3 a. Cuius recolimus
venerantes sollemnia,
beata precantes
eius nobis adesse
iuvamina.

3 b. Nam digne vertitur
in memoriam cunctorum
christicolarum, qui
posita hic patravit
miracula.

4 a. Nam caecis
visum, claudis gressus
reddidit officia

4 b. Et mancis
ac paralyticis
(re)paravit membra sana,

5 a. Necnon mortua
resuscitavit corpora.
Nam catechuminum
prostratus in prece pia,
virtute fretus diva,

5 b. Alium laqueo
captum morte satis dira,
Tertium viduae
natum reddidit in arva
spoliando tartara.

6 a. Mox turba gentilium
in Christum credidit magna;

6 b. Sed plura vir iisdem
zabulo intulit damna.

7 a. Idcirco
paradisi positus
gaudet in aula,
Regi regum permanens
gratus per saecula,
possidetque ardua.

7 b. Quapropter
eius colentes festa
hodie sacra
ab omni malo, Christe,
nos oratione (pia)
semper eius libera.

Miss. Matisconense imp. Lugduni 1532. — 1, 2 conscio. — 3 b, 4 patravit magna. — 6 b, 1 isdem. — 7 a, 5 saecla. — 7 b, 2 sq. hodie festa sacra.

234. De sancto Martino.

1 a. Excitetur plebs devota
Et intendat mente tota
Martini praeconio;

1 b. Confessorem veneremur,
Quem si digne confitemur,
Laudis est confessio.

2 a. O praeclarum iubar lucis,
Quam in laudem summi ducis
Et honorem militis

2 b. Cleri cura sic expendit,
Quod devotam se ostendit
Viri tanti meritis!

3 a. Gemma fulgens confessorum,
Sidus cleri, flos doctorum
Singulari luce morum
Illustrat ecclesiam.

3 b. Audi mores et mirare,
Viri vitam imitare
Et sic potes immolare
Gratam laudis hostiam.

4 a. Hic a cunis curae mitis
Et virtutum insopitis
Indulgebat studiis;

4 b. Nondum tamen vas signatum,
Vas acetis defaecatum
Parentum contagiis.

5 a. Vix a lacte sequestratur,
Cum errorem detestatur
Natalis Pannoniae;

5 b. Fit paterni spretor cultus,
Dei cultor et occultus
Amator ecclesiae.

6 a. Ut praetexta togae cessit,
Vir effectus morem gessit
Militari cingulo;

6 b. Nunquam tamen est elatus,
Fit minister, qui praelatus,
Dominante famulo.

7 a. Nudum videt et medetur,
Sed eodem se fatetur
Christus tegi pallio.

7 b. Munus grande, munus gratum,
Quod probatur commendatum
Tanto testimonio.

8 a. Dum Romanus militabat,
Unum unus attentabat;
Sed conversus pectus dabat
Solus virum milibus.

8 b. Ducem sprevit Iulianum,
Sprevit Martis ius profanum,
Se professus christianum
Immunem a caedibus.

9 a. Mundi pompam aspernatur,
Christo miles consecratur,
Praesul factus pastor datur
Plebi Turonensium.

9 b. Hoc pastore fraus expavit,
Livor cessit, lis cessavit,
Cuius favor soporavit
Condatense iurgium.

10 a. Ergo plausu singulari
Tam insignes, tam praeclari
Sonent actus terra, mari
In eius praeconia.

10 b. Pie pastor, pater bone,
Constitutis in agone
Spem virtutis et coronae
Tua dent suffragia.

11. Ut superna visione
Perfruamur, Alleluia.

Collect. ms. Gemblacense saec. 13. Cod. Bruxellen. 5527—34. — 2 b, 2 dedit. — 10 b, 2 Constitutus. — Cfr. Catal. Codd. Hagiograph. Bruxellen. I, 547 sq.

235. De sancto Martino.

1 a. Pater noster, pastor bonus,
Forma gregis et patronus,
Suae sortis sprevit onus
Adhuc catechuminus;

1 b. Christus nudus operitur:
O quam laete vox auditur:
Haec est vestis, qua vestitur
Angelorum dominus.

2 a. Adulescens sanctitatis
Arrianis confutatis
Fidem scribit trinitatis
Schola sub Hilarii.

2 b. Multos sanat et insanum,
In os cuius mittit manum,
Et eiecit sic profanum
Per os aurificii.

3 a. Lepram curat fugientem,
Osculatur accedentem,
Globum ignis fert ardentem
. . . . . .

3 b. . . . . .
Avis rapax advolavit,
Diem mortis prophetavit
Spiritu consilii.

4 a. Esto noster speculator,
Caeli vigil contemplator,
Trinae mortis suscitator,
Tria cura scelera.

4 b. Nos invadunt iam rapinae,
Lupi regnant in hoc fine,
Pater noster, o Martine,
Nos a malo libera.

Antiph. et Grad. ms. Nivernense saec. 12. Cod. Parisin. Nouv. acq. 1235. add. saec. 14. — 1 b, 2 laeti. — 2 b, 4 orificii. — 4 b, 1 Hos.

236. De sancto Martino.

1 a. Nostri patris et pastoris
Ad honorem sonet oris
Et cordis melodia,

1 b. Qui carnalis expers molis
Vultum videt veri solis,
Sol alter in patria.

2 a. Pater pie, filiorum
Miserere depressorum
Adhuc carnis sarcina.

2 b. Nam invasit lupus gregem;
Gregis pastor, lupi legem
A nobis elimina.

3 a. Sacro fonte nondum lotus
Caritate fervens totus,
Quod probas in pallio,

3 b. Gregem sacro fonte lotum
Fac ferventem, fac devotum
In tuo servitio.

4 a. Trinae cultor trinitatis,
Lepram sanans, sanitatis
Munus gregi tribue,

4 b. Ne grex lepra sit pollutus
Peccatorum vel imbutus,
Lepram mentis dilue.

5 a. Suscitator mortuorum,
Nos de morte vitiorum
Vitae reconcilia,

5 b. Ut tè duce sic regamur,
Quod post mortem perfruamur
Immortali gloria.

Miss. ms. S. Martini Turonensis saec. 15. Cod. Turonen. 195. A. — Miss. S. Martini Maioris Monasterii imp. Turonibus 1508. B. — Miss. S. Martini Turonensis imp. Parisiis 1529. C. — 1 a, 3 In cordis AC. — 3 a, 3 Quae AC. — 3 b, 2 ferventem et devotum B. — 4 a, 2 sana AC.

237. De sancto Martino.

1 a. Pauper mundo, dives caelo
Migravit a saeculo,

1 b. Cuius virtus lepram solo
Sanavit in osculo.

2 a. Cuius vitam decoravit
Morborum curatio;

2 b. Cuius Deus subiugavit
Daemones imperio.

3 a. Cuius Christus declaravit
Se vestitum pallio;

3 b. Cuius tres resuscitavit
Mortuos oratio.

4 a. Cuius vita ceterorum
Lux est et instructio;

4 b. Cuius funus angelorum
Sancto ministerio

5. Hymnis honoratur.

Miss. ms. Turonense saec. 15. Cod. Turonen. 191. — Str. 5 habe ich ergänzt aus dem 8. Responsorium des heutigen Martinus-Officiums im Brev. Romanum. Offenbar ist nämlich vorstehende Sequenz ursprünglich eine Verbeta gewesen, mit der Melodie: Sospitati.

238. De sancto Martino.

1. Gratuletur urbs devota
Turonorum mente tota,
Concordi laetitia.

2 a. Plebs resultet electorum,
Sonet et laus clericorum
In Martini gloria.

2 b. Omnis mundus iam laetetur
Et sincere veneretur
Ipsius sollemnia.

3 a. Et nos omnes iubilemus
Et iucunde celebremus
Eius natalitia,

3 b. Qui, cum nudi miseretur,
Christum tegit et meretur
Audire divinitus:

4 a. „Me Martinus hac contexit
Veste data“; quam inspexit
Post ostensam caelitus.

4 b. Hic dum staret ad altare,
Non cessabat exorare
Pro commissis ovibus.

5 a. Quem perfudit lux caelestis,
Cuius globus ignis testis
Exstat circumstantibus.

5 b. Febres fugat ope precum,
Aegros sanat, qui nos secum
Ducat praesul inclitus.

6 a. Ergo talem honoremus
Et instanter exoremus
Praesulem egregium,

6 b. Ut per ipsum valeamus
Adipisci, quod optamus,
Paradisi gaudium.

Miss. Cenomanense imp. Parisiis 1494. A. — Miss. Cenomanense imp. Parisiis 1559. B. — Miss. Redonense imp. Parisiis 1492. C. — Miss. Redonense imp. Parisiis 1523. D. — Miss. Redonense imp. Parisiis 1533. E. — 3 b, 2 miretur ACDE. — 5 b, 3 Ducet B.

239. De sancto Martino.

1 a. Archi-summi-praesulis
In Martini titulis
Gaudet orbis orbita,

1 b. Cuius canunt hodie
Per mundum ecclesiae
Tam praeclara merita.

2 a. Natus in Pannonia,
Altus in Italia,
Patronus in Gallia,

2 b. Sanctus ab infantia,
Mundus in militia
Miles contra vitia,

3 a. Partem sui pallii
Caesi ferro gladii
Nudo dedit obvio;

3 b. Qua tectus apparuit
Christus dicens: Induit
Me Martinus pallio.

4 a. In latrones incidit,
Per hunc latro credidit,
Illico christicola

4 b. Rediit in patriam,
Matri confert gratiam;
Pater colit idola.

5 a. In tribus ecclesiis
Diversis litigiis
Martinus eligitur,

5 b. Tandem Dei gratia
Praesul in Turonia
Repugnans efficitur.

6 a. O quam felix civitas,
Cuius haec sollemnitas!
O quam felix patria,

6 b. Cuius patrocinio
Pollet et auxilio,
Meritis et gratia!

7 a. Hos curat a febribus,
Illos a daemonibus,
Currunt paralytici;

7 b. Salus datur omnibus,
Qui sunt tacti manibus
Spiritalis medici.

8 a. Fusis Deo precibus
Cum lacrimis dulcibus
Mortuos tres suscitat.

8 b. Hic in carne positus,
Eius semper spiritus
In supernis habitat.

9 a. Veste data pauperi
Empto panno veteri
Se Martinus induit;

9 b. Dum sacrat mysteria,
Christus nuda brachia
Caelitus operuit.

10 a. Omnes fugat haereses,
Visitans dioeceses
Dat pacem ecclesiis.

10 b. Mox accensus febribus,
Iacens in cineribus,
Indutus ciliciis

11 a. Oculis ac manibus
Atque totis viribus
In caelum erigitur.

11 b. Satan torpet odio,
Nam Abrahae gremio
Martinus excipitur.

12 a. Te, Martine, petimus,
Quod, si petis, ibimus
Ad caeli palatia.

12 b. Ergo tuis precibus
Detur nobis omnibus
Peccatorum venia.

Miss. Morinense imp. Rothomagi 1516. — 2a, 2 Alitus. — 11b, 1 otio.

240. In Translatione s. Martini.

1 a. Haec festi duplicatio
Duplici digna gaudio
Duplicem reddat iubilum,

1 b. Ut cordium devotio
Et vocum concrepatio
Duplicem tergat nubilum.

2 a. Martini ordinatio
Dat generale gaudium,
Sed corporis translatio
Turonicis solacium;

2 b. Verum, si sit devotio
Humilis postulantium,
Cunctis adest suffragio
Virtutis participium.

3 a. Quod ei pontificium
Deus dederit, omnium
Concors probat electio

3 b. Et insani defensoris
Subita voce lectoris
Irrisa contradictio.

4 a. Quod a sancto perpetuo
Nutu Dei translatio
Facta fuerit hac die,

4 b. Virtus caelica testatur,
Quae attonitos hortatur
Sub abbatis effigie.

5 a. Huius igitur tam miri
Attollentes laudes viri
Ipsum devote precemur,

5 b. Ut moribus ordinati
Et a vitiis translati
Cum Domino gloriemur.

Miss. Briocense imp. Rothomagi s. a. (1502?). A. — Miss. Macloviense imp. Rothomagi 1503. B.

241. De sancto Materno.

1 a. Laudet Deum salvatorem,
Triumphantem et tutorem,
Militans ecclesia.

1 b. Nobis dedit fundamentum,
Quo non maius est inventum
Ducens ad caelestia,

2 a. Praestans quoque per Maternum
Iter verum et supernum
Aeva ad solacia.

2 b. Is a Petro missus praesul,
Cui comes binus consul,
Nobis ex Italia.

3 a. Maternus ac Valerius,
Hi duo et Eucharius
Erant in Alsacia

3 b. Verbum Dei seminantes,
Sed Maternum aggravantes
Febres et elogia.

4 a. Quadraginta tunc diebus
Ex humanis fuit rebus
Mira Dei gratia.

4 b. Sed a morte revocatus,
Populusque confirmatus
Iesu ex clementia.

5 a. Qui a Deo sic renatus
Trini gregis fit praelatus
Resecans zizania;

5 b. Hic tot annis praesidebat,
Quot diebus dormiebat
Iacens in elogia.

6 a. Qui, cum multos illustrasset
Et errores exstirpasset
Parum a Colonia,

6 b. Nocte quadam fastigatus
Et a plebe segregatus
Mansit in ecclesia.

7 a. Quemque duo adiere
Et coronam portavere
Caelique ex curia:

7 b. Tres post dies Christum
cernes,
Dicunt, velut sancti omnes
Omni absque furia.

8 a. Pater sanctus, cum vidisset
Haecque fratribus dixisset,
Degens in Almania

8 b. Voce Dei est vocatus,
Caelum petens coronatus,
Manens in Colonia.

9 a. Quod Treveri agnovere,
Ut Tongrenses perrexere
Magna cum maestitia,

9 b. A Colonis petierunt,
Quo pastore voluerunt
Frui cum laetitia.

10 a. Certant illi, certant isti,
Quos, Materne, direxisti
Hac scientes velle Christi
Disponentis omnia.

10 b. Senex tandem apparebat,
Quem nec prius quis videbat,
Iussu Dei is dicebat
Verba haec egregia:

11 a. Navi corpus illud date
Nec vectorem adunate,
Nam clarebit sic probate
Dei praescientia.

11 b. Fluxu navis hunc sumpsere
Roris prope litus vere
Treverenses, qui sincere
Rore privat corpora.

12 a. [Bone pastor], o Materne,
Caeli civis aeviterne,
Natos vallis hodiernae
Vera urbis sempiternae
Transfer ad solacia.

12 b. Et fac servos summi ducis,
Quos redemit morte crucis,
Post hanc vitam verae lucis
Rebus frui non caducis
In aeterna saecula.

Miss. ms. S. Elisabethae Wratislavien. saec. 15. Cod. Mus. Silesiaci. Fol. I 83 c. — 3a, 3 Elsatia. — 7b, 2 Ducunt. — 10a, 3 Hac (= hac via, ratione). — 11b, 2. Zu dem Namen Roris vgl. Acta SS. Sept. IV, 392 (N. 197 ff.). — Melodie: Laudes crucis.

242. De sancto Materno.

1 a. Veni, sancte spiritus,
Per quem mundum inclitus
Maternus edomuit;

1 b. Qui doctus divinitus
Trevirensem primitus
Fide gentem imbuit.

2 a. Vice Petri fungitur
Et a Petro mittitur
Ad partes Germaniae;

2 b. Ibi se gentilium
Dei per auxilium
Obicit fallaciae.

3 a. Huic sanctus Valerius
Simul et Eucharius
Eliguntur socii.

3 b. Vitae viam indicant,
Christi nomen praedicant
Sordes vitant otii.

4 a. Maternus miraculis
Et virtutum titulis
Clarens morbos depulit;

4 b. Daemonibus imperat,
Claudis gressum reparat,
Caecis visum attulit.

5 a. O vir ineffabilis,
Praesulum flos nobilis
Et decus ecclesiae,

5 b. Te rogamus cernui,
Fac nos tecum perfrui
Vultu regis gloriae.

Miss. Coloniense imp. Parisiis 1504 A. — Miss Coloniense imp. Parisiis 1514. B. — Miss. Coloniense imp. Parisiis 1520. C. — Miss. Coloniense imp. Parisiis 1525. D. — 3a, 1 Hinc BC. — 4a, 3 Clarens fehlt. D. — Melodie offenbar: Veni sancte spiritus.

243. De sancto Mauritio.

1 a. Pretiosa mors sanctorum
In conspectu Domini

1 b. Martyrum est Thebaeorum
Et laus suo nomini;

2 a. Qui tot simul coronavit
Corona martyrii

2 b. Et ad caelos sublimavit
De terra exsilii.

3 a. Hi Thebaei, servi Dei,
Nullius criminis rei
Moriuntur,
Nunc sequuntur
Agnum sine macula;

3 b. Qui viventes inter gentes,
Quae Caesaris sunt, reddentes
Et, quae Dei,
Reddunt ei,
Regnabunt in saecula.

4 a. Quorum vita gloriosa,
Quorum mors est speciosa,
Quorum passio beata,
Quibus morte vita data;

4 b. Quorum virtus admiranda,
Quorum fides adoranda,
Quorum vota consecrata
In caelis sunt collocata.

5 a. Qui, dum Caesaris proelia
Sequerentur in Gallia,
Iussi sunt sacrificia
Offerre et daemonia
Adorare crudelia.

5 b. O mira patientia
In eis et potentia!
Spectantes ad caelestia
Despiciunt terrestria,
Spernunt praecepta regia.

6 a. Et respondens Mauritius,
Qui erat primicerius,
Dixit regis militibus:

6 b. Sciat Caesar egregius
Nos esse servos illius,
Qui virginis est filius.

7 a. Tunc Caesaris insania
Saeva dictat imperia
Atque mori sanctos iussa
Dat| post Christi vestigia.

7 b. Quos tota caeli curia
Accepit cum laetitia
Et duxerunt ad superna
Caelorum [hos] palatia.

8. Hi pro nobis intercedant,
Et Christo sit gloria,
Qui regnat in saecula.

Miss. Xantonense imp. Parisiis 1491. A. — Miss. Briocense imp. Rothomagi s. a. [1502?]. B. — Miss. Macloviense imp. Rothomagi 1503. C. — 3b, 5 Regnabant A. — 7a, 3 iubet ABC. — 7b, 3 Et ad superna duxerunt A.

244. In Translatione ss. Maurorum.

1a. Militans ecclesia
Concipit in gratia
Prolem, quam per nimia

1b. Tormentorum genera
Veluti puerpera
Parit in tristitia.

2a. Post partum non meminit
Pressurae, quae desinit,
Et dolor maestitiae

2b. Mutatur in gaudium,
Quod in coetu civium
Patet Mauritaniae.

3a. Christiani, quoniam
Spernunt idolatriam,
Cadunt ictu gladii,

3b. Serentes in lacrimis
Et pressuris plurimis
Metunt fructum gaudii.

4a. Laetare, Colonia
Sancta, cuius moenia
Sacrarunt martyrio

4b. Pro fide catholica,
Dum Maximianica
Saevit persecutio.

5a. Quorum intercessio
Nos purget a vitio;
Sacro claudens exitu

5b. Maurorum memoria
Patri, proli, gloria
Sit cum sancto spiritu.

Grad. ms. S. Gereonis Coloniensis anni 1424. Cod. Mus. Archiep. Colonien. VI 5. A. — Miss. ms. S. Cuniberti Coloniensis saec. 15. Cod. Darmstadien. 837. B — Miss. ms. Belisianum saec. 15. Cod. Bruxellen. 9786—90. C. — 1b, 2 purpurea C. — 4a, 3 Satiarunt C. — 4b, 2 Maximiniaca B. — Melodie: Veni sancte spiritus.

245. De sancta Maxentia.

1. Psalle, pia contio,
Sanctae mentis studio
Virginis sollemnia.

2a. Victrix patientia,
Florens pudicitia
Hanc ornavit gloria;

2b. Pura conscientia,
Criminum victoria
Praefulget Maxentia.

3a. Pollens ergo meritis
Virginis et martyris
Miscet rosis lilia.

3b. Christus palmae virginis
Fusi simul sanguinis
Duplicavit praemia.

4 a. Haec est gemma virginum,
Cui sequi Dominum
Post sua vestigia
Dedit eius gratia.

4 b. Haec vas auri solidum,
Lumen caeli limpidum,
Stella solis praevia,
Vincens mundi gaudia.

5 a. Quae, dum credit
Et oboedit,
Nulli cedit
Nec mors laedit,
Quod spes monstrat praescia;

5 b. Christum amans,
Christum clamans
Mortem spernit,
Hostem sternit,
Calcat quaeque noxia.

6 a. O benigna, Deo digna,
Nomen Christi coluisti
Virtutum per merita,

6 b. Verbo legis informata,
Serto regis adornata,
Cuius fide praedita.

7 a. Carnem vexat infidelis,
Cor exsultat sed in caelis,
Laetitiae dispendia
Nulla facit memoria.

7 b. Ibi plene defaecaris
Iam secura de spe carnis,
Quae finita miseria
Tecum erit in gloria.

8 a. O fidelis advocata,
Iam in caelis coronata,
Tuum regem
Et hunc gregem
Ad pacem concilia,

8 b. Ut rex regum, summum bonum,
Cuius caritas est | thorum,
Ut te secum.
Sic nos tecum
Ducat ad caelestia.

9. Amen dicant omnia.

Miss. ms. S. Cornelii Compendiensis saec. 14. Cod. Parisin. 16823. — 6 b, 3 perdita. — 7 b, 2 secuta. — Melodie: Mane prima sabbati.

246. De s. Maximo Regiensi.

1 a. Plaude, felix et inclita
Virgo, mater ecclesia,

1 b. Christo sponso dulcisona
Laudum depromens carmina,

2 a. Qui martyrum purpurea
Te coronat victoria

2 b. Et illustrat perspicua
Confessorum per lumina.

3 a. Inter quos fulsit caelica
Praesul Maximus gratia,

3 b. Festa cuius insignia
Solaris reddit orbitá.

4 a. Hic ortus ut lux aurea
Mundi contempsit florida,

4 b. Apprime philosophica
Hausit fluenta trifida.

5 a. Post mundi linquens omnia
Iuga subit monastica;

5 b. Ob vitae sibi merita
Praesulis datur infula.

6 a. O summi regis gratia,
O sancti viri gloria!

6 b. Redduntur caecis lumina
Aegrotis et remedia.

7 a. Ad eius precem mortua
Vitam resumunt corpora;

7 b. Nam sua libens munia
Acceptat Christi gratia.

8 a. Stat miles ad certamina,
Zabuli frangit spicula,

8 b. In cuius mente placida
Virtutum fragrant balsama.

9 a. Signo crucis navicula
Disparuit phantastica.

9 b. Sed quis eius magnifica
Cuncta dicat miracula?

10 a. Ad tanti patris studia
Pullulat plebs monastica,

10 b. Et sub Christi militia
Castra florent insignia

11 a. Ut Iacob tabernacula
Et Israel tentoria,

11 b. Ut cedrorum plantaria
Fluenta prope limpida.

12 a. Post signorum magnalia
Et virtutum insignia

12 b. Carnis deponens onera
Sanctus conscendit aethera,

13 a. Ubi gaudet mirifica
Creatoris praesentia

13 b. In angelorum curia
Per festa immortalia.

14 a. Audi, pater, humillima
Filiorum praeconia;

14 b. Tua dulcis custodia
Nobis assit per omnia.

15 a. Fac, ut praesens familia
Inter sanctorum milia,

15 b. Qua frueris, perpetua
Tripudiet in gloria

16. Et caelesti symphonia
Deum laudet per saecula.

Miss. Morinense imp. Rothomagi 1516. A. — Miss. Morinense imp. Parisiis 1518. B. — Miss. Morinense imp. Rothomagi 1523 C. — 1 b, 2 depromis AB. — 5 a, 3 Iura A. — 8 b, 2 flagrant A. — Str. 10 a sqq. wurden als eigene Sequenz benutzt während der Festoktav des Heiligen.

247. De s. Maximo Regiensi.

In Octava.

1 a. Congaudentes exsultemus
Et beatum collaudemus
Omnes una Maximum;

1 b. Hinc psallentes confessori
Ab utraque parte chori
Concordemus plurimum.

2 a. Quia noster est patronus,
Concors fiat oris sonus
Et mentis devotio;

2 b. Nihil habens in se triste
Expendatur dies iste
In eius praeconio.

3 a. Ab aetate iuventutis
Vas effectus est virtutis,
Vas caelestis gratiae,

3 b. Sacris vernans institutis,
Verbum vitae et salutis
Propinans ecclesiae.

4 a. In draconem transformatus,
Vomens daemon ignis flatus
Exterrere voluit;

4 b. Signo crucis sed protectus
Sanctus signat suum pectus,
Et draco disparuit.

5 a. Fictae navis notat fraudem,
Daemon ei dum dat laudem
In humana specie.

5 b. Infinitos tot conflictus
Christi miles fert invictus,
Superat egregie.

6 a. Eius nota sanctitate
In Regensi civitate
Pontifex eligitur;

6 b. Reformidat pastor bonus
Tantae dignitatis onus,
Sed invitus trahitur.

7 a. Morbos sanat et languores
Et informat bonos mores
Coruscans miraculis.

7 b. Prece curat sauciatos,
Suscitat tres morti datos,
Visum reddit oculis.

8 a. Flatu suo canis perit,
Sanat, quem bos cornu ferit,
Tactu manus propriae.

8 b. Propter famam tot signorum
Fit concursus infirmorum
Totius provinciae.

9 a. Cum sic eius fama crescat,
Vana laude re tumescat
Exsulat a patria.

9 b. Terram petit Morinorum,
Ibi migrat, angelorum
Transit ad consortia.

10 a. In excelso laus auditur,
Aer vernis insignitur
Respersus odoribus.

10 b. Mox a clero convenitur,
Sanctus praesul sepelitur
Cum dignis honoribus.

11 a. Quidam pater flens precatur,
Sancti corpus ut tangatur
A defuncta filia;

11 b. Tangit, statim suscitatur,
Patris planctus terminatur
Absorptus laetitia.

12 a. O tot praesul meritorum,
Hunc psallentem tibi chorum
Christo reconcilia;

12 b. Mores nostros sic compone,
Ut in actu vel sermone
Non subrepant vitia.

Miss. Morinense imp. Rothomagi 1516. A. — Miss. Morinense imp. Parisiis 1518. B. — Miss. Morinense imp. Rothomagi 1523. C. — 4 b. 2 signa A. — 5 b. 2 miles eris invictus A.

248. In Inventione s. Maximi Regiensis.

1 a. Plebs, ad laudes prompta plaude,
Digne lauda dignum laude
Inter magnos Maximum,

1 b. Per quem patrem et patronum
Possidere possis thronum
Vitae lucidissimum.

2 a. Te virtutum lux accendat,
Ut commendes, quem commendat
Commendanda novitas

2 b. Anni novi, sed annorum
Novitatem mira morum
Castigat maturitas.

3 a. In Regensi rector urbe
Carus clero, carus turbae,
Clarus signis habitat.

3 b. Cornu bovis iugulatum,
Morsu carnis suffocatum
Aliosque suscitat.

4 a. Perit carnis exsufflatus,
Visus viget caecis datus,
Convalescit saucius;

4 b. Sanitatem sic adeptus
Gaudet aeger, sed deceptus
Latro furit impius.

5 a. Ergo, tantae bonitatis
Pastor, pande veritatis
Gregi tua viscera,

5 b. Interventu sanctitatis
Nos purgatos a peccatis
Et a poenis libera.

Miss. Morinense imp. Rothomagi 1516. A. — Miss. Morinense imp. Parisiis 1518. B. — Miss. Morinense imp. Rothomagi 1523. C.

249. In Ostensione s. Maximi Regiensis.

1 a. Gloriosi praesulis
Sit festiva singulis
Dies sancti Maximi,

1 b. In qua cum praeconio
Facta est ostensio
Viri praeclarissimi.

2 a. Quo in altum posito
Stella magna subito
Super ipsum claruit,

2 b. Quae cum solis radio
Cunctis die medio
Rutilans apparuit.

3 b. Stella Christum parvulum,
Stella Christi famulum
Declaravit populo;

3 b. Illa mundi Dominum,
Haec doctorem hominum
Cum magno miraculo.

4 a. Ostendit stella tribus
Orientis regibus
Ortum regis gloriae;

4 b. Sic tribus praesulibus
Sanctum elevantibus
Stella fulsit gratiae.

5 a. Tres viri magninomi,
Praesules Noviomi,
Ambiani, Morini,

5 b. Dum portant reliquias,
Visa stella gratias
Plebs dat summo numini.

6 a. O vir magni meriti,
Cuius actus incliti
Declarantur sidere,

6 b. Apud Deum obtine
Nos in Christo lumine
Semper tecum vivere.

Miss. Morinense imp. Rothomagi 1516. A. — Miss. Morinense imp. Parisiis 1518. B. — Miss. Morinense imp. Rothomagi 1523. C. — 5 a, 3 Ambianis AB.

250. De sancto Medardo.

1 a. Praesulis eximii
Matris Sion filii
Celebrent sollemnia,

1 b. Qui cum palma gloriae
Summi regis hodie
Transit ad palatia.

2 a. Hic sacerdos inclitus,
Iesu Christi praeditus
Speciali gratia,

2 b. Sanctitate claruit,
Nulla boni caruit
Pastoris industria.

3 a. Sensu puer senuit,
Viam vitae tenuit
Perstans in iustitia,

3 b. Pius, prudens, humilis,
Quietus et stabilis
Legis in custodia.

4 a. Summi gradus culmine
Sublimatus lumine
Dei replet atria,

4 b. Panem frangit parvulis
Verbi Dei, populis
Adponit cibaria.

5 a. Non pigrescit otio
Nec claudit sudario
Talentorum xenia.

5 b. Huius quippe tempore
Sacro crescit foenore
Domini pecunia.

6 a. Refrenatur sedulo
Castitatis cingulo
Lumborum lascivia.

6 b. Arcetur a stabulo
Lupus eius baculo
Furumque perfidia.

7 a. Alumnos ecclesiae
Caelestis militiae
Informat ad praelia.

7 b. Hostes tuba ductili
Deterrendo vigili
Propulsat excubia.

8 a. O ducem praecipuum,
O pastorem strenuum
Caeli dignum gloria.

8 b. O quam iuste praefuit,
Cuius tantum profuit
Sagax providentia.

9 a. Huius aucta studio,
Munita praesidio
Resultet ecclesia;

9 b. Huius natalitio
Votiva cum gaudio
Solvendo praeconia.

10 a. Cuius hora funebris
Radiat in tenebris,
Dum supercaelestia

10 b. Luce fusa caelitus
Locum sancti transitus
Ornant luminaria.

11 a. O Medarde, praesulum
Decus atque speculum,
Christo nos concilia,

11 b. Ut post viae stadium
Vitae nobis bravium
Concedat in patria.

Miss. Tornacense imp. Parisiis 1498. A. — Miss. Tornacense imp. Parisiis 1509. B. — Miss. Tornacense imp. Antverpiae 1527. C. — Miss. Tornacense imp. Parisiis 1540. D. — 1 b, 1 palme D. — 3 a, 3 Praestans BCD. — 3 b, 3 in fehlt B. — 6 a, 1 Refernatur B. — 9 a, 3 Resultat D. — 10 b, 3 Ornat. ABCD.

251. De ss. Monulpho et Gondulpho.

1. Sanctorum antistitum
Recolamus meritum
In hymnis et laudibus.

2 a. Viri Deo dediti
Refulserunt, editi
De mundi prioribus.

2 b. Per vitam laudabilem
Ortum suum nobilem
Ornaverunt moribus.

3 a. Venerandi praesules,
Aulae Dei consules
Et praecones iudicis,

3 b. Verbi dantes pabulum
Informabant populum
Exemplis magnificis.

4 a. Studebant inserere
Fidem et evellere
Spiritali vomere
Cultum idolatriae.

4 b. Plebs edocta caelitus
Dono sancti spiritus
Hosti claudit aditus
Suae quondam patriae.

5 a. Operibus ostendebant,
Quia vere diligebant
Iesum super omnia;

5 b. Miris signis effulgebant,
Caelestibus inhaerebant
Mente bene conscia.

6 a. Ab hac luce separantur
Et a Christo coronantur
Operum per merita.

6 b. Corpora sunt haec beata
Servatio sociata,
Sed honore subdita.

7 a. Servatius, vir propheta,
Noster fortis est athleta,
Qui dando beneficia
Mundum replet laetitia;

7 b. Isti duae sunt olivae,
Candelabra lucis divae,
Velut rosae vel lilia
Redolent in ecclesia.

8 a. O Monulphe, cum Gondulpho
Iam potitus es triumpho,
Apud Christum gregem istum
Clementer concilia,

8 b. Ut fons summae pietatis
Nos mundatos a peccatis
Ad supernae claritatis
Perducat concilia.

9. Amen dicant omnia.

Miss. ms. Mosaetraiectinum saec. 15. Cod. Haagen. J. 10. — 7 b, 2 Candelabra lucentia. — Melodie: Mane prima sabbati.

252. De s. Nicasio et sociis.

1. Ecce, pulchra

2 a. Canorum resultet
voce Alleluia,

2 b. Intimans requiem
sanctorum inclitam.

3 a. Felix stat nimium
angelorum rutilans
caterva.

3 b. „Sancte, sancte, sancte
Deus“ laude proclamat
aeterna.

4 a. Sedibus ter quaternis
apostolorum sedet
contio fulgida,
tribus et linguas iudicatura.

4 b. Martyrum inde sacra
legio coronata
caelesti praeminet
clarissimum decus in curia.

5 a. Hi sunt milites,
qui mundi
superarunt regna

5 b. Atque mitia
fecerunt
immitium corda.

6 a. Honorum serta
dantur sanctis digna,
Qui vel prudentes
perpetrarunt iusta,
vel fide constantes
spreverunt tormenta;
Ergo habent
caelestia regna,

6 b. Ubi perenni
triumphant gloria
Atque dulcia
depromunt cantica
arte lauditiua,
voce dulcitiua,
Regi Christo
submittentes colla.

7 a. Multum recitaris
laude caelestium
atque frequentaris
in choro virginum,
Alleluia,
dulcimode
te decantant
martyrum agmina.

7 b. Laus tibi sit semper,
Christe, per omnia,
qui caelesti sanctos
canentes cithara
foves luce
tui mira;
unde tibi
proclamemus una:

8 a. Da nobis aeterna
caeli gaudia.

8 b. Ubi cantemus omnes
Alleluia.

Miss. ms. Beccense saec. 13. Cod. Parisin. 1105. — 6b. 1 Tibi. — Die Sequenz ist eine Bearbeitung der Prosa gleichen Anfanges in Anal. Hymn. VII. Nr. 116. — Vgl. die Bemerkung zur Sequenz Lyra pulchra (Anal. XL. Nr. 52).

253. De sancto Nicolao.

1 a. Nicolaum harmoniae
Trinae laudent ierarchiae
Praesens et ecclesia;

1 b. Nam hunc laudant vita pura,
Florens virtus, mens secura,
Nobilis prosapia.

2 a. Prima die stans erectus
Culmen signat et profectus
Non cadentis gratiae.

2 b. Infans hic, cum ieiunavit
Raro sugens, inchoavit
Bonum abstinentiae.

3 a. Florem servat iuventutis
Illibatum et virtutis
Sic transcendit verticem.

3 b. Vox de caelis hunc commendat
Vere dignum, ut ascendat
Praesulatus apicem.

4 a. Formam praebens sanctitatis
Et affectum pietatis
Cunctis est amabilis.

4 b. In hoc sanctos hic transcendit,
Nullus mira tot ostendit
In signis mirabilis.

5 a. Vivens vitam dat defunctis,
Liquor tumbae salus cunctis,
Multis hic dat gratiam.

5 b. Ergo nostri miserere,
Qui te laudant, hos tuere
Et perduc ad gloriam.

Grad. ms. Dominicanum saec 14. Cod. Mus. Germanici 2440.

254. De sancto Nicolao.

1 a. Eia, qualis est et quantus
Apud Deum iste sanctus,
Qui in terra positus

1 b. Tot virtute meritorum
Fulsit et miraculorum
Dignitate praeditus!

2 a. Nam in cunis ad praemia
Suspirabat caelestia
Ieiunando parcius;

2 b. Hinc adulescens studio
Propulso semper vitio
Cor dedit attentius.

3 a. Surgens inde currit tute
In virtutem de virtute
Dignus ad praesulatum,

3 b. Voce vocatus caelica
Vita rexit angelica
Digne pontificatum.

4 a. Vita sancti quam benigna,
Quanta sit et laude digna,
Sanctitatis probant signa;
Tumba fundit oleum,

4 b. Quo liniti mox curantur
Aegri, quovis teneantur
Morbo, capti liberantur
Eius per suffragium.

5 a. Nautas inde naufragantes,
Iam de vita desperantes,
Liberavit et de mari
Manu duxit salutari
Portus ad praesidia.

5 b. Gloriose Nicolae,
Nos ad portum maris trahe,
Ne procellis involvamur,
Sed ut tecum erigamur
Ad aeterna gaudia.

Grad. ms. Dominicanum saec 15. Cod. Bruxellen. 6435. — 3a, 2 De virtute in virtutem. — Mel.: Salve mater salvatoris (deutsche Fassung u. gekürzt).

255. De sancto Nicolao.

1. Nicolai Myrae laudes
intonant christiani.

2 a. Agnus nutrivit oves,
bis in sabbato cuius
lacte ieiunavit;
o mira res!

2 b. Vox caelica praesulem
nuntiavit mirando;
infans bullonibus
manet vivus.

3 a. Dic nobis, navita,
quid fecit per maria?
Ad portum absque remis
hic est refugium
cunctae gentis.

3 b. Clerici sunt testes
et puellae non tristes.
Succurrit suis spes nostra;
promptus est in mari
et in terra.

4 a. Credit verius Deo soli
baculo fallaci
Et paganus
custode veraci.

4 b. Scimus tumba defluere,
quod medetur vere.
In gestis, Christe,
nostri miserere.

Miss. Noviomense imp. Rothomagi 1506. — Melodie: Victimae paschali.

256. De sancta Odrada.

1. Odradae recolentes laudes
imitemur virginem.

2 a. Servire
Deo vovit annis
puerilibus,

2 b. Laudando
contemptu terrenas
sprevit nuptias.

3 a. Gloriam mundanam
prudenter
contempsit transitoriam,

3 b. Puellares iocos
devitans,
genus venustans moribus.

4 a. Memorias visebat
sanctorum
saepe terens et orans,

4 b. Ieiunia frequentans
profusis
ad inopes manibus.

5 a. Fertilibus tempus
distinxit laboribus,
Antiqui serpentis
praecavens
astutias, nullum
faciendum relinquens.

5 b. Gloriam internam
ornavit sollicita
Habere supernam,
parata
lampade exspectare
venientem sponsum.

6 a. Beata
haec sponsa, quae, cum
venerit sponsus, sic
ei occurrerit.

6 b. Probata
ut aurum igne
crematum, odio
novercae conflatum.

7 a. Dilanianda
a patre relegata
malignae nequam consilia
signo crucis sunt elisa,
ferae mutatae.

7 b. Sed summus pater,
nesciens mala data
dare petenti, mox oranti
fontis venas de arena
dedit sterili.

8 a. Transitus sui praescia
de morte ad vitam
exhalavit
praesentem.

8 b. Revelata facie re-
gem videt gloriae
apud fontem
vitae residens
aeternae.

9 a. Mirando tractu Alem
recepit depositum
clara dote
resurgendum.

9 b. Cum quisque iuxta cursum
accipiet bravium,
da, Christe, te
stipendium

10. Precibus beatae Odradae.

Psalter. ms. Alemnense saec. 15. Cod. S. Petri Buscoducen. s. n. — 2a, 2 sq. puerilibus annis. — 7a, 5 fere mitata. — Melodie: „Mater“, somit gleiches Schema wie die Notkersche Sequenz „Congaudent angelorum chori“, freilich mit den Abweichungen, wie sie gewöhnlich in den Schlufsstrophen der Sequenzen mit dieser Melodie sich zeigen; man vergl. unter anderem hierzu Anal. Hymn. VIII, Nr. 6; IX, Nr. 6; 180; 186; daneben VII, 14; IX, 371; X, 169; XL, 4.

257. De sancta Opportuna.

1 a. Arte metri, prosis, tonis,
Cunctis pangat psaltes sonis,
Clerus totus Pictavensis
Opportunae Sagiensis
Laudes et praeconia.

1 b. Godograndus exaltetur
Praesul, Opportunae frater,
Et a cunctis rogitetur:
Nobis pie assis, pater,
Mala sunt immania.

2 a. Stella sicut claritate
Multis fulgida praelucet,
Sic ceteras caritate
Tu vincis Christi virgines.

2 b. O quam probat et decorat
Sororem Basilicanus,
Quem defunctum videns plo-
rat,
Suas erectum per manus.

3 a. Ambo iusti, ambo recti,
Hic praesul, haec sponsa
regis,
A quo sunt duo electi
Sequentes praecepta legis.

3 b. Opportuna purissimo
Flore florens virginum,
Coelibatu [iuncta] Christo
Durum gessit proelium.

4 a. O quam gratus eius color
Virtutum sub veste nigra!
Aromata vincit odor,
Eius manus est impigra.

4 b. Flore vernans virginali,
Choris manens caelestibus
Et honore speciali
Agni iuncta [est] gregibus.

5 a. Mixtio dulcis in illa,
Pulchra membris, maior fide,
Gratiae redundat stilla;
Qui es doctus, pange, fide.

5 b. Tensis nervis concinamus
Et utrumque veneremur,
Opem cunctis postulemus,
Ambo conferant hodie.

6 a. Opportuna, tu succurre
Multis nunc languentibus
Gutturibus nimis dure,
Lensis et inguinibus.

6 b. Militanti plebi tuae,
Opportuna, provide,
Deo grata, fac, sint acta
Et agenda consule.

7 a. Fuga famen, pelle pestem
Et pro servis posce pacem,
A nobis expellas hostem
Et fidei serva mentem.

7 b. Quae cum Christo gloriaris,
Opportuna gloriosa.
Supplicibus quaeque dona
Da gratiae per merita.

Miss. Pictaviense imp. Parisiis 1541. — 1 b, 2 Praesul steht nach frater. — 2 a, 3 lucida praefulget. — 5 a, 3 ceteras Christo fixas. — 3 b, 2 virginei. — 4 b, 2 Choro manens est caelesti. — Nach 5 a, 4 folgt noch: Cum celsis agminibus. — Nach 7 b, 2 folgt noch: sponsa Christi. — 7 b, 4 Succurre gratiae. — Trotz der auf gut Glück gewagten Änderung am Texte bleibt diese Sequenz ein Machwerk, das sich durch nichts weniger als „Arte metri" auszeichnet.

258. De sancta Ottilia.

1. Celsum carmen
puris ex pectoribus
personent

2 a. In die natali
ovantes
Ottilae devotae
virgines.

2 b. De cuius exortu
laetantur
plurima famularum
agmina.

3 a. Per illam etenim
splendescunt virginales
normulae;

3 b. Haec exstat exemplum
specimenque bonorum
omnium.

4 a. Spernens penitus
misera
saeculi gaudia,
gestiens Christi
pauperiem sequi,

4 b. Spemque in Deo
funditus
validam iaciens
credula eius
sectatur monita.

5 a. Haec virgo Deo
sponsata exstitit,
Domuit corpus
saevis ciliciis,
virginale templum
praeparans castae
filio virginis;

5 b. Omnia probra
secans agonia
Callidi hostis
calcavit iacula,
tropaea insignia
referens crevit
virtutum gemmulis.

6 a. Emeritam
haec ducens vitam in
supremo cacumine,
solo corpore
terris manens
spiritu semper petivit
sanctos caelicolarum
ordines.

6 b. Sacrosancta
Ottilia, reddis
sedibus angelicis
animam patris
ex inferis
ignibus, duros molliens
genibus instar nivis
lapides.

7 a. Pia domina,
Ottilia, et clara,
coetibus
coniuncta sanctorum,
precare nobis semper
veniam,

7 b. Atque thalamis
nunc caelitus commanens
splendidis,
nos terris manentes
foveas protegasque
in aevum,

8. Lucida tibi iuncta
precibus Lucia.

Miss. ms. Raitenpuchense saec. 15. Clm. Monacen. 12203. A. — Miss. ms. Tegurinum saec. 15. Clm. Monacen. 19560. B. — Hymn. et Sequent. ms. Emmeramense saec. 15. ex. Clm. Monacen. 14667. C. — 1, 1 Celsum natalis carmen B. — 1, 2 ex fehlt B; pectoris A. — 2a, 1 natalis AB. — 2a, 4 virginis AB. — 2b, 2 laetamur C. — 2b, 3 plurima fehlt C. — 3a, 1 illam aeterni C. — Strophe 3b mit 3a zu einer Strophe vereint AB. — 3b, 1 Haec arescant A. — 3b, 2 speciesque B. — 4a, 5 pauperum sequi vestigia B. — 4b, 1 Domino ABC. — 5a, 1 Et virgo B. — 5a, 2 desponsata C. — 5b, 1 proba B. — 5b, 2 sectans B. — 5b, 7 gemmula C. — 6a, 1 sq. Haec emeritam AC, Haec emeriticam B. — 6a, 5 terrena B. — 6a, 7 sancta C. — 6a, 8 ordines fehlt C. — 6b, 6 dura C. — 6b, 7 sq. instar vivi lapidis C. — 7a, 1 Eia C. — 7a, 4 sanctorum fehlt C. — 8, 1 Ottilia tibi B.

259. De sancto Pantaleone.

1 a. Clara dies et insignis
renovat Christi
magnalia;

1 b. Chorus noster laetus plaudit
Pantaleonis
pro gloria.

2 a. Cuius decor floruit
constantia
spiritali gratia;

2 b. Nam in aevo tenero
certamina
toleravit gravia.

3 a. Euphrosyni
medicinam renuit,
Hermolai
documenta tenuit.
Simulacrorum
cultum respuit
nec expavit supplicia.

3 b. Serpens nequam
signo crucis crepuit,
Morsu cuius
puer vita caruit;
Miserum vitae
dum restituit,
sacra petit mysteria.

4 a. Quem dum patrantem tam pia
cernit Caesaris
insania,

4 b. Minis addit suspendia
saeva tortorum
nequitia.

5 a. Caro rastris laceratur,
latus urunt incendia;

5 b. Martyr orat, Christus astat,
manus lassatur impia.

6 a. Sic deridetur
tyrannica saevitia,

6 b. Sic gloriatur
martyris patientia.

7 a. Nova parat Caesar
tormentorum genera,
fervet igne plumbum
et sartago ferrea,
sed divina consolatur
martyrem praesentia.

7 b. Lapis collo nexus
natat super aequora,
manu Christi ductus
martyr captat litora;
hinc laudanda salvatoris
exsistit clementia.

8 a. Leones adorantes,
leopardi venerantes
lingebant vestigia;

8 b. Illaeso stante martyre
rota salit et infelix
corruit perfidia.

9 a. Oliva fructum protulit,
cum iustus ensem pertulit,

9 b. Pro cruore lac saliit;
sic scandit ad caelestia.

10 a. Gloriose martyr, ave,
supplicibus tuis fave
impetrata venia,

10 b. Ut post huius finem vitae
mereamur tecum esse
in caelesti gloria,

11. Agmina fidelia
ubi canunt Alleluia.

Miss. ms. Compendiense saec. 14. Cod. Parisin. 16823. A. — Grad ms. Compendiense saec. 14/15. Cod. Parisin. 16828. B. — Miss. ms. Compendiense saec. 14. Cod. Parisin. 17319. C. — Miss. ms. Compendiense saec. 14. Cod. Parisin. 17321. D. — Grad. ms. Compendiense saec. 14. Cod. Parisin. 17329. E. — 2 b, 1 Iam AC. — 3 b, 5 sq. Miserum restituit dum vitae D. — 4 b, 1 Finis C. — 7 a, 3 ferret ignem C. — 7 b, 6 exstitit AD. — Str. 9 a u. b. bilden eine Strophe in allen Quellen. — 9 b, 1 Cruor ut lac prosiliit E. — Melodie: Sacrosanctae hodiernae festivitatis. Von dieser Andreas-Sequenz zeigt der Aufbau der vorliegenden insofern eine Abweichung, als die Strophe 9 eine Erweiterung ist, und Str. 10a eine Gegenstrophe samt Schlußklausel 11 erhalten hat. Im übrigen zeigen beide Sequenzen den Übergang von den Prosen der ersten zur zweiten Epoche.

260. De sancto Pantaleone.

1 a. In concordi melodia
Cordis, oris symphonia
Hymnizetur voce pia
Dei miseratio;

1 b. Oda caelis haec laudatur
Et in terris invocatur,
Sed in Orco non moratur
Talis invocatio.

2 a. Hanc prophetae cecinerunt,
Confessores docuerunt,
Martyresque consenserunt
Sancti cum solacio;

2 b. Ab hac quidam decoratus,
Qui Pantaleon vocatus,
Illa nam cognominatus
Hinc patebat ratio.

3 a. Nam mundanum thema vanum
Contemnebat et discebat
Dogma veri regis feri
Morans in palatio.

3 b. Non renatus, sed hortatus
Fide sana Christiana,
Suscitavit, quem prostravit,
Aspidis inflatio.

4 a. Ergo spernens paganismum
Et se sternens ad baptismum
Baptizatur, undae datur
Sacra renovatio.

4 b. Statim fidem praedicabat,
Caecos idem illustrabat,
Corque patris plenum atris
Lucis intrat natio.

5 a. Scorto fraudum rege tristi
Iste laudum verbo Christi
Sanat claudum, per quod isti
Datur tormentatio.

5 b. Circa lumbum lampas urens,
Plantis plumbumque comburens,
Mare summum, post haec furens
Belluarum statio.

6 a. Ortas flammas non sentivit,
Calens plumbum calcans ivit,
Mare supra transilivit,
Huic ferarum oboedivit
Rabida gregatio.

6 b. Unde mille credidere,
Occiduntur una fere;
Cruces, rotam paravere,
Qua quingenti periere
In convallis spatio.

7 a. Tandem sanctus decollatur,
Lacte collum irrigatur,
Spata primo duplicatur,
Et sicariis dabatur
Fidei creatio.

7 b. O quam digna, quam beata
Miseratio vocata,
Quae Pantaleoni data!
Per quam nobis sit collata
Iugis exultatio.

Grad. ms. Sanctense saec. 15. ex. Cod. Sancten. s. n. — 1 b, 1 hoc. — 6 a, 1 tristi fehlt. — Zu vergleichen ist die Sequenz gleichen Anfanges auf Mariae Heimsuchung (Anal. Hymn. X, Nr. 92). — Hier wie dort ist das gleiche Akrostichon „Iohannes Scouto“. Konnte es dort noch zweifelhaft erscheinen, ob das Akrostichon mit „Iohannes“ schliefse und der Rest der Initialen zufällig einen allerdings eigentümlichen Namen ergebe, so ist dieser Zweifel durch vorstehende Sequenz behoben. Beide Sequenzen, die gleichen Stil und gleiche Melodie aufweisen, sind vom gleichen Verfasser; auffallend ist nur, dafs sie in zwei so verschiedenen Quellen sich vorfinden.

261. De sancto Pantaleone.

1. Pantaleonis gloriosis
iubilantes meritis
foveamur,

2 a. Quem fides
Christi praeclarum
suscitavit medicum;

2 b. Qui pestes
varias divina
virtute dispulit

3 a. Imbuit
caeli numen
rector quem et siderum,

3 b. Lavacro
tinctum sancto
in caelos eripuit.

4 a. Per signum crucis
quando revexit serpentis
viru stratum morte iuvenem,

4 b. Animam cari
genitoris puer sanctus
cepit fidei reticulis.

5 a. Quando negati
luminis honorem
caecis oculis
retulit,

5 b. Sistitur invictus
animo per fidem
sceptriferis
vultibus.

6 a. Tura rex
praecipit furiosus
sanctum litare
numinibus.
Fortis exsultans agonis
sui agit
athleta titulos;

6 b. Laqueis
duci concupiscit; dum
carnem subicit
suppliciis,
libenter perennis ob spem
vitae vincit
poenarum genera.

7 a. Ungulas
et faces carnifex
sancto martyri
fremens intulit.

7 b. Adfuit
servo Deus, sparso
caelitus imbre
flammas reprimens.

8 a. Sartaginis
poenas irrisit, cum
bulliens
plumbum non sensit.

8 b. Elementa
suis destituta
languerunt
efficacia.

9 a. Baiulus dum fluctibus
martyris adnexum
saxo corpus
mare litori
repente restituit,

9 b. Bestiis proponitur
sanctus discerpendus;
sed mitescens
feritas Dei
reveretur martyrem.

10 a. Rotalis machina in
caelum porrigitur
discissura pugilem;

10 b. Incineratur moles;
pereunt mox ipsa
gentium multa milia.

11 a. Ensis ceu
cera mollis iugulum,
quod negaverat,
tandem triumphali
fine precanti detulit.

11 b. Pantaleon,
inclite martyr Christi,
devotos tibi
famulos iugibus
Deo commenda precibus.

Appendix ms. saec. 16. in. Miss. Hildensemensis imp. Nurembergae 1499 (in Bibl. Mus. Hildensemen. Nr. 365). — Mit Melodie. — 3 b, 2 tinctus. — 4 b, 3 fidem. — 6 b, 2 sq. carnem dum. — 8 a, 4 sentiit.

262. De sancto Patricio.

1 a. Dei per Patricium
virtus declaratur,
Cuius mira sanctitas
miris commendatur.

1 b. Novi fontis oculos
latice rigatus
Caecus visum recipit
et fit literatus.

2 a. Sanctus in Hiberniam
puer captivatur,
Aurum monstrat angelus,
auro liberatur.

2 b. In somnis per angelum
monitus redire,
Mirantur et matribus
parvulos vagire.

3 a. Germani Patricius
subditus habenis
Profuit in Gallia
annis quadragenis.

3 b. Romae factus pontifex
angelo dictante
Celsa tenet Morion
Domino praesente.

4 a. Dat in visis Dominus,
sacris ut statutis
Dirigat Hibernicos
in viam salutis.

4 b. Altari dum insidet,
mare transportatur,
Leprosus navigii
genus admiratur.

5 a. Bailus daemonibus
magus elevatus
Ad pedes Patricii
moritur prostratus.

5 b. Altare maleficum
fuso sacramento
Tellus ultrix sceleris
sorbet in momento.

6 a. Praesumens Patricium
gladio ferire
Flumine conspicitur,
videtur perire.

6 b. Instat praesens, radiat
manus radiorum,
Ut augeri faciat
copiam equorum.

7 a. Cuius a consociis
letum simulatur,
Moritur Patricius
et sic honoratur.

7 b. Dei praesul Patricius
puro servato
Post quaeque pueri
via concremato.

8 a. Pastor sacer abigit
gregem venenatum,
De sancto Patricio
Deum honoratum.

8 b. Sacri causa corporis
populus armatur,
Interiectis fluctibus
furor temperatur.

9 a. Advectus mirabili
genere vecturae
In Duno Patricius
datur sepulturae.

9 b. Cuius, nobis Domine,
meritis adiutis
Perpetis indulgeas
gloriam salutis.

Missale ms. Kilormicense saec. 15. Cod. Collegii ss. Trinitatis Dublinen. B 3. 1. — 3 a, 3 Gallis. — 4 a, 2 ut tuistis. — 4 b. 1 dum incenderet. — 5 b, 1 Altare male sine. — 5 b, 2 fusso. — 6 a. 3 conspicit. — 6 a, 4 videt. — 7 a, 1 conseiis. — Str. 7 b ist derart verdorben, dass sie nicht herzustellen ist, obschon die Tatsache, auf welche sie anspielt, bekannt ist: Der Engel Victors mahnt aus brennendem Dornbusch den Patricius, nach Dunum zu gehen. — 9 a, 1 Adventus. — 9 a, 2 uecturae. — 9 a, 3 Indomo potius. — 9 b, 1 Erue nobis. — 9 b, 3 indulgeat.

263. De sanctis Patronis.

1. Hos Deo dignis attollat
laudibus ecclesia,

2 a. Quorum verbis, actibus sacris
et exemplis in melius
commutavit mores
et studia.

2 b. Nos, Christe, tibi concilia
horum placatus per
suffragia.

3 a. Et quorum est memoria
per saecula
mundo celebris,
in tui laude nominis
nobis sit iucunda.

3 b. Horum da nobis precibus
pulsantibus
fructum operis
et [nos] a culpae veteris
maculis emunda.

4 a. Ut mundati
a peccatorum sordibus
devotissimi
eorum laudibus
iugiter inveniamur
adnuente clementia
superna;

4 b. Ut cum stola
immortalitatis duplici
post incolatum
labentis saeculi
introire cum beatis
valeamus in gaudia
aeterna,

5. Interventu horum
suffulti gratia.

Miss. ms. Subense saec. 12. Cod. Semin. Lincen. s. n. add. saec. 15. A. — Miss. ms. Pataviense saec. 15. Cod. Sanctae Crucis 21. B. — Hym. et Sequent. ms. Emmeramense saec. 15. Clm. Monacen. 14667. C. — Miss. Pataviense imp. Augustae 1503. D. — Miss. Pataviense imp. Augustae 1505. E. — Miss. Pataviense imp. Viennae 1509. F. — 1, 1 dignos. B — F — 2 a, 1 verbo E. — 2 a, 2 et doctrinis. A. — 3 a, 4 in tuo BCF. — 4 b, 1 Et A. — Überschrift „de Patronis“ AC, „de ss. Valentino et Maximiliano“ BDEF.

264. De ss. Patronis Hildensemensibus.

1 a. Laudes Deo concinamus,
Patronorum attollamus
Praeclara magnalia.

1 b. Domus huius advocatos
Sacra nobis sorte datos
Laudemus cum gloria.

2 a. Summum patrem atque natum,
Utriusque sacrum flatum
Voce, voto supplici

2 b. Unum trinum veneramur,
Quo plasmamur et salvamur
Gratia praenobili.

3 a. Omnis Alpha et O boni,
Nostrae tu devotioni
Fervidus irradia.

3 b. Quidquid sapit atque spirat,
Tibi psallat, benedicat,
O maiestas inclita.

4 a. Auge fidem, caritatem,
Spem largire, da virtutem,
Vita, decus omnium.

4 b. O crux sancta, veneranda,
Nos consigna, salva, sana,
Terens mundi pretium;

5 a. Purpurataque gemmata,
Unda Christi venustata
Sacro fusa corpore,

5 b. Carnem, mundum triumphare
Satanamque superare
Da potenti numine.

6 a. Praeelecta o Maria,
Virgo pia, nos in via
Guberna, christifera.

6 b. Aufer culpas, morbos tolle,
Rege mores et extolle
Supra caeli sidera.

7 a. Omnis coetus angelorum,
Assistentes saeculorum
Regi aeternaliter,

7 b. Propulsantes inimicos,
Exhibete vos amicos
Nobis temporaliter.

8 a. Iam insignes vos, Bernwarde,
Ac sodales, Godeharde,
Epiphani, praesules,

8 b. Impetrate sanctitatem,
Pacem, terris ubertatem,
Obsecramus supplices.

9 a. Nobis, omnes sancti Dei,
Vates atque apostoli,
Confessores, martyres,

9 b. Vosque, flores virginales,
Mansiones aeternales
Praeparate caelibes.

Miss. Hildensemense imp. Nurembergae 1499. A. — Miss. Hildensemense imp. Nurembergae 1511. B.

265. In Commemoratione s. Pauli.

1 a. Sancte Paule, merita
Tua colentes inclita
Refove clementius

1 b. Ac sanctis in scripturis
Apertis et obscuris
Instrue nos clarius.

2 a. Praedicator optime,
Contra morbos animae
Dic, qualis sis opere.

2 b. In labore saepius,
In aestu frequentius
Vinctus et in carcere.

3 a. O lux apostolica,
Adhuc nobis indica
De tuis excessibus.

3 b. Raptus in paradisum
Humanum vincens visum
Fruebar caelestibus.

4 a. Ora tuis precibus
Sicut olim fletibus
Pro sanctis viventibus;

4 b. Flecte tua genua
Ad patrem, ut venia
Detur paenitentibus.

5 a. Da post vitae terminum
Angelorum Dominum
Sine fine cernere;

5 b. Da virtute flaminis
Non gravari infimis,
Sed superna quaerere.

Grad. ms. Monasteriense saec. 15. (Privatbesitz). A. — Miss. Monasteriense imp. Coloniae 1489. B. — 1 a, 2 ist vielleicht zu lesen: Tis colentes. — 5 b, 1 virtute spiritus, wahrscheinlich eine ähnliche Korrektur wie bei dem mifsverstandenen „Tis“ in 1 a, 2. — Es sei ausdrücklich bemerkt, dafs weder A noch B in 3 b, 3 die falsche Lesart „Fruebaris„ haben, wie nach Misset-Weale (Anal. Lit. I, p. 225) zu glauben ist.

266. De sancto Paulo.

1 a. Lactabundus
Paulum laudet omnis clerus,
Alleluia,

1 b. Quem convertit
Cunctorum regum rex verus,
Res miranda.

2 a. Mundo Christus oritur,
Verus vera nascitur
Sol de stella;

2 b. Sole nox expellitur,
Paulo lux infunditur
Semper clara.

3 a. Paulus mores instruit
Ac errores destruit
Pari forma;

3 b. Lux doctrinae celebris
Pauli nullis tenebris
Fit corrupta.

4 a. Populos illuminat,
Tenebras eliminat
Valle nostra.

4 b. Verbum patris praedicat,
Id, quod passum indicat
Carne sumpta.

Cantion. ms. incert. orig. saec. 14. Cod. Florentin. Conv. sup. II. I. 212. — Mit Melodie, natürlich Lactabundus. — Leider fehlen die zwei schlufsstrophen infolge einer Lücke in der Handschrift. — Abschrift von Rev. H. M. Bannister.

267. De sancto Peregrino.

1 a. Gaude, plebs Autrica,
Quam fraus inimica
Quondam sub antiqua
[Vinxit] idolatria;

1 b. Solve tuo patri
Laudes, cuius atri
A vinclis barathri
Solveris industria.

2 a. Nos quoque singuli
Canamus seduli
Praesenti praesuli
Canticum laetitiae,

2 b. Cuius praesentia
Conferens gaudia
Spes et laetitia
Praesentis ecclesiae.

3 a. Gaudet urbs Romana
Partu tantae prolis,
Qua deorum fana
Cadunt cum idolis;

3 b. Magis Autricana
Diu tenta dolis,
Qua relinquens vana
Iuncta Christicolis.

4 a. Hunc Sixtus destinat
Ad partes Galliae,
Quem lux illuminat
Caelestis gratiae,

4 b. Granumque seminat
Verbo prudentiae,
Daemonis terminat
Fraudes nequitiae.

5 a. Diebus singulis,
Christum dum praedicat,
Poenis non modulis
Afflictus dimicat.

5 b. Lictor in vinculis
Martyrem implicat
Tandemque praesulis
In caput vindicat.

6 a. O Peregrine,
Martyr benigne,
Servis in fine
Impetrato veniam,

6 b. Prece decora
Iudicem ora,
Nobis implora
Verae lucis copiam.

Miss. ms. S. Dionysii saec. 14. Cod. Parisin. 1107. — 1 a, 1 Autrita. — 3 b, 1 Atritana. — 3 b, 2 tanta. — 5 b, 1 Litor. — 6 b, 2 Indicis ora. — Melodie: Ave Maris stella, | Mellis caeli cella (Anal. Hymn. IX, Nr. 88).

268. De sancto Petro.

1 a. Pasce, Petre, oves Christi,
Quas in cura suscepisti,
Nam a Christo didicisti,
Quod sis pastor ovium.

1 b. Tu es petra fundamenti,
Tu columna firmamenti,
Firma robur nostrae menti
Tuum per subsidium.

2 a. Claves caeli, Petre, geris,
Regnum Christi promereris,
Dum de Christo confiteris,
Quod sit Dei filius.

2 b. Plenitudo potestatum
Tibi datur, et est ratum,
Quidquid ligas, est ligatum
Dei vinclo firmius.

3 a. Quidquid solvis, est solutum,
Quod tueris, hoc est tutum
Ad unius Dei nutum
Firmans moderamina.

3 b. Ergo nostri miserere
Et ope iuva sincere,
Solve vincla et tuere
Sempiterna saecula.

Miss. ms. Beckense (Leodiense) saec. 15. Cod. Bruxellen. 3782. — Melodie: Verbum bonum. — Vgl. Anal. Hymn. VIII, Nr. 265; die zwei dort benutzten gedruckten Quellen zeigen manche Abweichungen.

269. De sancto Petro.

1 a. Verbum Dei incarnatum
Et in mundo conversatum
Curam cepit agere,

1 b. Velle patris ut impleret,
Mundi culpam ut deleret
Pietatis opere.

2 a. Nam, dum mare visitavit,
Illic Petrum invitavit
Ad capturam hominum.

2 b. Veni, Petre, post me, inquit;
Ille statim cuncta linquit
Sequiturque Dominum.

3 a. O quam bonum, quam iucundum
Petro sic liquisse mundum,
Salvatore socio

3 b. Pios mores imitari,
Sancte semper conversari
Declinato otio.

4 a. Vultus mitis, una mensa,
Vitae dogma, Petre, pensa,
Quam praebent clementiam:

4 b. Tu de fonte salvatoris,
Imitator pii moris,
Hauris sapientiam.

5 a. Dum Iesus, qui nil nescivit,
Fratres de se requisivit,
Sentiant quid populi,
Ipsique discipuli
Qualem esse dicant,

5 b. Iesum sciens Petrus vere
Primus audet respondere
Hunc talem existere,
Ut creaturae singulae
Digne benedicant.

6 a. Tu es, inquit, Christus, Dei
Vivi natus, compar ei
Iuris in dominio;

6 b. Fluens ex te verbum vitae
Felix, qui custodit rite
Pectoris in scrinio.

7 a. Dum sic Petrus confitetur,
Dici felix promeretur
Patre iam propitio;

7 a. Qui dum lucem dat internam,
Capit Petrus rem supernam
Carnis carens vitio.

8 a. Ex tunc ipsum Simonem
Fecit Iesus principem
Coapostolorum.

8 b. Et cum cura ovium
Potestatem clavium
Regni dat caelorum.

9 a. Inde coepit coruscare,
Factis miris praedicare,
Dum a Christo mittitur,

9 b. Cuius iuri mancipare
Plurimos ac baptizare
Pia fide nititur.

10 a. Christi post ascensionem
Celebrat divisionem
Coetus apostolicus.

10 b. Petrum Emath cathedravit,
Ubi fit, dum praedicavit,
Populus catholicus.

11 a. Romae tandem sedes datur,
Illic magus adversatur,
Quem necat nequitia.

11 b. Hinc Neronis fremens ira
Adhiberi Petro dira
Praecepit supplicia.

12 a. Quem ad caelum crux transmisit,
Cui Christus, quae promisit,
Dat aeterna gaudia;

12 b. Quo perducat Petri prece
Puros nos a culpae faece
Salvatoris gratia.

Grad. ms. Praedicatorum Dusseldorpensium saec. 15. Cod. Dusseldorpen. D. 11. — 12 a, 2 Christus quem.

270. In sancti Petri ad Vincula.

1. Psallat vox cuncta

2 a. Rectori regenti
decenter universa,
qui corroborat suos,
ne succumbant, vernulas;

2 b. Potenter sustentat
amoris sui flamma,
ut non flagra terreant
eorum praecordia.

3 a. Ad propaganda sacra
documenta promptus Bariona

3 b. Petrus Herodiana
detinebatur versutia,

4 a. Olim umbra
carceris positus densa.

4 b. Praesens anni
testatur dies rotata

5 a. Fuisse sub custodia
Vinctum pro cura
a Deo collata
pastorali, non pro debita
nequitiae poena.

5 b. Precabatur ecclesia,
Ut solveretur
pastor absque mora,
ne periclitarentur rudes
in fide assumpta.

6 a. Est virtus
invicta
et salus
amplissima Christus,
sapientia summa,

6 b. Catenis
astrictum
qui sua
militem immensa
resolvit clementia.

7 a. Proferri series debet
ereptionis mira,
acta Dei potentia:

7 b. Vinclorum pondere membra
vix ferens adgravata
capit somnum noctis hora

8 a. Poli celsa ianitor,
detentus absque noxa.

8 b. Sacer fulgida nuntius
descendit ab aula,

9 a. Pellens taeterrimas
Clausi carceris umbras
praesentia adventus
clara sui,
tenebris contraria.

9 b. Luce enim magna
Circumfultus omnia
taetri loci obscura
ita fugat
velut solis claritas.

10 a. Adpropians, propter quem
advenerat, excitat;

10 b. Latere tacto monet,
mature ut exsurgat,

11 a. „Indumenta
tua“ inquiens
„citus tibi circumda; ne
paveas.“

11 b. Nexus cadunt
Dei gratia;
angelum sequitur recta
semita:

12 a. Praevius caelicola,
ut Petro fiat
id audacia.

12 b. Fidelis christicola
omnis praedicet
Dei opera,

13 a. Qui sic Petrum liberat.
Ille visum, non actum,
se contemplari putat.
Nil difficultatis obstat;

13 b. Transeunt custodias,
Panditur mox ianua
cuntibus ferrea;
Procedunt constanter una.

14 a. Secum mirans Petrus
talia fratres visitat.

14 b. Fidelium super
hoc exsultat ecclesia.

15 a. Emunda famulantium
tibi contagia,

15 b. Petre, profusa ad Deum
precis instantia,

16 a. Ut fruamur gloria

16 b. In aeterna patria.

Trop. ms. S. Ebrulphi saec. 12. Cod. Parisin. 10508. A. — Miss. Sosmense imp. Parisiis 1547. B. — Nach 5 b, 1 eingeschoben: Deum maerore afflicta AB; mit gleicher Melodie wie 5 b, 1. — 6 a, 1 Ast B. — 7 a, 3 aperta Dei B. — 9 a, 3 sq. passim praesentia clara adventus AB. — 10 a, 1 Adpropians AB. — 11 a, 3 citius A. — 12 a, 2 sq. id fiat AB. — Nach 13 b, 4 beigefügt: Angelus petit supera AB; mit gleicher Melodie wie 13 b, 4. Vgl. die Bemerkung zu 5 b, 1. — 15 a, 1 famulantum B. — Melodie: Fulgens praeclara (Anal. Hymn. VII, Nr. 44; letztere Sequenz gab festen Anhaltspunkt zum Ausscheiden der beiden nicht zugehörigen Verse nach 5 b, 1 und 13 b, 4. — Cfr. Anal. Hymn. VII. Nr. 127 u. 147.

271. In s. Petri ad Vincula.

1 a. Deo detur laus aeterna
Sollemnitate hodierna,

1 b. In qua Petrus a catenis
Est liberatus et a poenis.

2 a. Rex Herodes Iacobum
Occiderat,
Ut placeret Iudaeis,

2 b. Apostolumque Petrum
Ligaverat
In catenis ferreis.

3 a. En, angelus
adest, Dei nuntius
Petrum solvens,
quem ligarat impius;
Dormientis
percusso latere
Dixit ei:
„Festina surgere."

3 b. In carcerem
subintrante angelo
Lux effulsit
in carceris angulo,
Apostoli
dirumpens vincula
Et portarum
[tollens] obstacula.

4 a. Sic angelus hunc eduxit
Et in urbem laetum induxit;

4 b. Sic delusus est Herodes
Et milites, Petri custodes

5 a. Tunc angelus hunc dimisit,
Petrus fratres mox invisit.

5 b. Viso Petro apostoli
Gaudent, factores symboli,

6 a. Gratulantes
Atque dantes
Domino gloriam

6 b. Propter suam
Mellifluam
Misericordiam.

7 a. Audi, Petre, firma petra,
ab inferni via
Nos retrahe et absolve
divina gratia,
Cui ligandi et solvendi
data est potentia.

7 b. Tibi Deus ire dedit
super aequora
Et omnium infirmorum
sanare corpora,
Aperire et claudere
caelestia palatia.

8 a. Petre, palmes verae vitis,
Nos absolve, pastor mitis,
Ab omni spurcitia;

8 b. Nos absolve nosque munda
Nosque perduc ad iucunda
Sanctorum consortia,

9. Ut semper nos gaudeamus
Cum Christo in gloria,
Cantemus Alleluia.

Miss. Morinense imp. Rothomagi 1516. — 1 a, 2 In sollemnitate. — 3 b, 1 carcere. — 4 a, 2 duxit. — 9, 3 Et cantemus.

272. In s. Petri ad Vincula.

1 a. Gaudia
nobis opima

1 b. Aetheris
semper condona,

2 a. Cuius inclita
per orbem iura

2 b. Potentum sceptra
subicis fera.

3 a. Quem nunc venerans
pie vox nostra

3 b. Cantibus celsa
reddit neumata,

4 a. Suscipe sonos,
poscimus nostros,

4 b. Quos tibi voto
cecinit cohors

5. Et tuo
concede gaudia dono.

Miss. ms. Xantonense saec. 15. Cod. Londinen. Lansd. 450 A. — Miss. Xantonense imp. Parisiis 1491. B. — 3 b, 1 Celsa cantibus; stört die Endassonanz, die freilich auch in 1 b, 1 nicht gewahrt erscheint. — Die Dichtung war ursprünglich wohl eine Verbeta.

273. De ss. Petro et Paulo.

1 a. Isti duae sunt olivae,
Quorum chorus hic festive
Recolit sollemnia;

1 b. Pascunt, ardent et medentur,
Mentes pascunt, ne graventur
Doctrinae penuria.

2 a. Ardent igne caritatis
Et medentur praegravatis
Qualibet molestia;

2 b. Possunt vivos morti dare,
Morti datos suscitare
Freti Dei gratia.

3 a. Antiochus Petro sedem
Primam dedit, Remus aedem
Dignam reverentia.

3 b. Christum Petrus ut sequatur,
Crucem suffert et mercatur
Caelum per supplicia.

4 a. Pollet Paulus in doctrina
Oleoque miscens vina
Fulget in ecclesia.

4 b. Ense Paulum Nero stravit,
In lacrimis seminavit
Modo metit gaudia.

5 a. Ante Deum qui lucetis,
Candelabra, nobis detis
Clara frui regia.

5 b. Caeli claves, aperite
Caelum nobis et ad vitae
Nos ferte palatia.

Grad. ms. Compendiense saec. 14. Cod. Parisin. 16828. — 4 b, 1 paulum. — Melodie: Hodiernae lux diei. — Zu vergl. ist Anal. I, Nr. 75 welches Lied eine Sequenz ist), und XL, Nr. 321.

274. De sancto Quintino.

1. Festus est nobis hodie

2 a. Quintini
sanguine dies
agonistae sacratus,

2 b. Qui minas
Rictiovari
fide vicit divina.

3 a. Trochleas, oleum, picem,
adipem, faces,
ferreos resticulos,

3 b. Calcem, acetum, sinapim
clavosque decem
cum verubus duobus.

4 a. Demum gladio
exspiravit percussus
Viromandorum
in porta.

4 b. Quintine, frui
per te nobis det Christus
sui praesentia
in caelesti patria.

Sequent. ms. Ravennatense anni 1585—87. Cod. Classen 360 (139. 5. 8). — Miss. Parisiense imp. Parisiis 1585. B. — 3 a, 2 fasces.

275. De sancto Quintino.

1. Martyri Quintino laudes
elevent servi sui,

2 a. Maxime, qui propria
Sunt eius ecclesia
Victimae paschalis
perceptores.

2 b. Cuius elevatio
Sit horum protectio,
Istius qui festi
sunt cultores.

3 a. Profert Eusebia,
Quod celat invidia,
Caput martyris, in flumine,
Et corpus novo
reparat lumine.

3 b. Testis est lucerna
Stans sub aquae laterna;
Huic Eligius tumulum
Novit temporum
post curriculum.

4 a. Credendum est Eligii
plus devotioni,
Quam sit Maurini
praesumptioni;

4 b. Scimus fabrum transtulisse
sacrum corpus vere.
Tu nobis, Christe,
rex miserere.

Miss. Noviomense imp. Rothomagi 1506. — 2 b, 2 Sit eorum. — Melodie: Victimae paschali.

276. De sancto Quintino.

1 a. Verbum pater eructavit,
Verbi rore germinavit
Quintinus ut lilium.

1 b. Regnum tenens hic supernum
Ibi floret in aeternum
Ante Dei filium.

2 a. Iste suis in diebus
Mundus, mundi carens rebus,
Mundus labe criminis,

2 b. Lege fulsit in divina
Quasi stella matutina
Medio caliginis.

3 a. Qui pro lege Dei sui
Est candentis passus sui
Dorsum ferri sudibus.

3 b. Nec tormentum sive necem
Fugit fixus ungues decem
Clavorum cuspidibus.

4 a. Dorsum rastris exaratur,
Exaratum irrigatur
Imbre sui sanguinis.

4 b. Cultor bonus hoc examen
Perfert propter pullulamen
Sacri verbi seminis.

5 b. Decollari cum iubetur,
Ut tyranni satietur
Inhumana rabies,

5 b. Cervix eius est abscisa,
Et volare hinc est visa
Columbina species.

6 a. Aulam caeli scandit ita,
In qua vera viget vita
Luce fervens sedula,

6 b. Cuius prece Deo grata
Stola vitae Deo data
Vivamus in saecula.

Appendix ms. saec. 16. post Miss. Belvacense imp. Rothomagi 1514. (In Bibl. Sangenovefiana). — 3a, 3 subdibus: zu 3a, 2 u. 3 vgl. in der Sequenz „Per unius casum grani“ (Anal. Hymn. XXXIX, Nr. 286. Strophe 8b, 1: „Sudes ferri suunt dorsum“; überhaupt sind manche Entlehnungen aus letzterer Sequenz. — Überdies sind die zwei ersten Strophen fast gleichlautend mit dem Anfange der Sequenz „Pater verbum eructavit“ (Anal. Hymn. XL, Nr. 184).

277. De sancto Quirino.

1. Eia, celebremus hodie
laude digna

2 a. Sancti Quirini, martyris
gloriosi,
sollemnia gratissima.

2 b. Hic vir nobilis Romanus
cuncta vitans
perfidiae umbracula,

3 a. Credenti populo
luce fulgens
clarissima
nova reduxit gaudia.

3 b. Reliquit idola
colens Christum
mente pura,
per quem peribunt mortua.

4 a. Gemit victus
hostis antiquus,
dolose quaesita
perdit spolia.

4 b. Vir divinus
sanctus Quirinus
per tormenta caeli
adit gaudia.

5 a. Cantet in hac die
cantica
plebs Nussiae caelestia,

5 b. Quia erat pene
perdita,
sed victrix nunc est inventa.

6 a. O pugna Quirini
beata,
qua redempta [est] Nussia!

6 b. Deum laudent nunc per
omnia
masculus atque femina.

7 a. Mirabilis Quirinus,
nos ut quiris divinus
defendens, ut consuerat,
pandens, quod erat

7 b. Fortissimus suorum
liberator servorum,
quos adiuvit gratia
de caelo facta.

8 a. Perdere venit hostis
saevus, quos voluerat,

8 b. Adduxit fortia castra
cum grandi armatura;

9 a. Sed victus in sua
curia
vidit multa milia
prostrata per tela,

9 b. In quibus fidebat;
contrita
est illius machina,
fugit turma sua.

10 a. O Quirine sanctissime,
salus nostra es vera

10 b. A Deo nobis gratiam
poscens et victoriam,

11. De qua tibi
laus sit aeterna.

Grad. ms. Nussiense saec. 15. Cod. Mus. Archiepisc. Colonien. VI. 11. — 6 b, 3 masculus et. — 11, 1 qua sibi. — Melodie: „Eia turma", somit nach dem Schema der Sequenz „Eia recolamus laudibus piis digna." Vgl. u. a. Anal. Hymn. X, Nr. 238.

278. De sancto Reinoldo.

1 a. Trinum Deum in usia
Nostra sonet harmonia
Consistentem unica,

1 b. A quo manat fons sophiae,
Qui Reinoldum theoriae
Haustu dulci debriat.

2 a. Iste miles veri David
Mundi campo decertavit
Non cassum cedens area.

2 b. Liam lippam fastidivit,
Agar domans concupivit
Rachelis effigiem.

3 a. Vera fide radicatus,
Caritate dilatatus
Et spe crucis ardua,

3 b. Cuius prece salus datur
Aegris, funus suscitatur,
Fugit pestilentia.

4 a. Iusti vitam livor zelat,
Clam necatur, stagno celat
Malleator saucium.

4 b. Sed insigne margaritum
Declaratur expolitum
Signorum praeconiis.

5 a. O Reinolde, martyr Dei,
In hoc salo nostrae spei
Portus sis et ancora,

5 b. Tua prece consequamur,
Qua te frui gratulamur,
Divinam praesentiam.

Miss. Coloniense imd. Parisiis 1520. A. — Miss. Coloniense imp. Parisiis 1525. B. — 5 a, 2 hoc solo AB; salum = mare. 5 b, 2 gratulemur AB. — 5 b, 3 Divina praesentia AB.

279. De sanctis Reliquiis.

1. Sancte, sanctorum vita et gaudium,

2 a. Suscipe tuorum laudes servorum
In commemorationem eorum,
Quorum reliquiae a laudandae vitae
Viro clemente Willibrordo sunt nobis allatae;

2 b. Quas angelica revelatione
Suscepit pro plurimorum salute
A papa Sergio semper memorando
Sublimatus archiepiscopatus officio.

3 a. Hae divinitus sunt augmentatae
A fidelium multitudine.

3 b. Per hos ergo fit virtus signorum
Et sanitas morum et corporum.

4 a. Caecorum oculi illuminantur,
Aures surdorum aperiuntur.

4 b. Et clausae mutorum linguae solvuntur,
Et gressus claudorum solidantur.

5 a. Leprosi mundantur.
Et aegri curantur;
Vera, inquam, salus cunctis rependitur,
Si eis debitus honor impenditur.

5 b. Quapropter sollemnem
His demus honorem.
Sanctae atque piae earum animae,
Pro nobis [Deum] semper intercedite.

6 a. Stantes corroborate, ne cadant,
Et lapsos adiuvate, ut surgant;

6 b. In hac vita [vos] nos custodite
Et post hanc ad aeternam ducite.

7. Quod dare dignare, sancte sanctorum.

Trop. ms. Epternacense saec. 11/12. Cod. Parisin. 10510. — 5 b. 3 Quos sanctae. — 6 b. 2 perducite. — Melodie in Neumen „Ad melodiam: Laudate Deum". Überschrift: „In commemoratione sanctorum." — Jede Halbstrophe besteht aus je zwei Zeilen (oder Zeilenpaaren), die bei gleicher Silbenzahl Endassonanz aufweisen. Aus technischen Rücksichten mufste ich darauf verzichten, Strophe und Gegenstrophe gegenüberzustellen, wie es sonst geschieht; die Verse oder Zeilen haben nämlich eine auffallend grofse Silbenzahl, während diese sonst in der Regel die Zahl 9 nicht übersteigt.

280. De sancto Remaclo.

1. Remaclus, vir nobilis,
Praesul venerabilis
Sanctitatis gloria.

2 a. Fulget in caelestibus
Cum sanctorum coetibus
Peracta victoria.

2 b. Ubi Dei visio
Omni plena gaudio
Consolatur omnia.

3 a. Sancti huius actio,
Huius praedicatio
Fit salutis nuntia,

3 b. Terrena despicere
Docens et acquirere
Paradisi gaudia.

4 a. Exstitit pro speculo,
Dum vixit in saeculo;
Huius Deo placita
Vita est intuita.

4 b. Ipsius religio
Fulget cum Eligio
Corporis munditia
Et virtutum gratia.

5 a. Nil terrenum ambiebat,
Quia vere diligebat
Iesum super omnia.

5 b. Cuius prece nos deflere
Valeamus et delere,
Quod mens timet conscia.

6 a. In Stabulo vir stabilis
Deo fuit laudabilis
Operum per merita.

6 b. Ad mansura sine fine
Suspirabat mens divinae
Servituti subdita.

7 a. Post labilis vitae cursum
Feliciter scandit sursum,
In caelesti militia
Receptus cum laetitia.

7 b. Veneremur hunc patronum
Obtinentem caeli thronum,
Qui ut rosae vel lilia
Redolet in ecclesia.

8 a. O Remacle, vernans rosa,
Grata tibi sit haec prosa,
Tu nos Christo die isto
Clementer concilia.

8 b. Praesul magnae dignitatis,
Ora fontem pietatis,
Ut nos omnes a peccatis
Mundet data venia.

9. Amen dicant omnia.

Miss. ms. Stabulense saec. 15. Cod. Bruxellen. 1848. — Melodie: Mane prima sabbati. — 6a, 1 Stabulaus. — Im übrigen sind viele Anklänge an die Sequenz „Augustinus (Antonius) humilis."

281. In Adoptione beati Remacli.

1 a. Confessoris incliti,
Militis emeriti
Recolamus bravium.

1 b. Voci nubat animus,
Dum Remaclo canimus
Insigne praeconium.

2 a. A primaevo vitae flore
Totam mentem in amore
Divino constituit;

2 b. Mundum gerens cor et purum
Florem mundi periturum
Tamquam lutum respuit.

3 a. Sancto viro commendatur
Moribusque informatur
Sanctus ab Eligio;

3 b. Forma, stirpe, vita clarus
Habitus est cunctis carus
In regis palatio.

4 a. Uti Trudo sancti viri
Consilio voce miri
Monetur oraculi,

4 b. Sancto Christi lapidato
Dare sua corde grato
Pollicetur praesuli.

5 a. Cum Tungrensi providus
Praeesset ecclesiae,

5 b. Hinc abscessit cupidus
Vitae solitariae.

6 a. Monachorum condidit
Duplex hic coenobium,

6 b. Quibus unam indidit
Legem et consortium.

7 a. His praesedit honestorum
Formam cunctis praebens
morum,
Plenus Dei gratia;

7 b. In hoc statu consummavit
Sanctus vitam et migravit
Ad superna gaudia.

8 a. O confessor gloriose,
Honestatis speculum,

8 b. Iaspis Christi pretiose,
Sanctitatis vasculum,

9 a. Apud Deum
Coetum reum
Tua prece
De hac faece
Sublatum concilia,

9 b. Ut coronet
Nos et donet
Cum beatis
Post aetatis
Cursum caeli gloria.

Miss. ms. Stabulense saec. 15. Cod. Bruxellen. 1818. — 3 a, 3 Sanctis. — 4 b, 2 corda.

282. In Translatione s. Ruperti.

1. Summi regis in laude,
Bavaria, plaude,

2 a. Qui tibi Rudpertum
destinavit
doctorem et apostolum,

2 b. Qui Deo te reddens
effugavit
fallentem te diabolum.

3 a. Huic princeps
credit cum plebe;
Deum praedicat,

3 b. . . . .
nam locum, ubi
primitus sedit,

4 a. Saltum de [flumine]
Rheno dedit
in Noricorum finem,
pulsus per plebem Wormatiae.

4 b. Postquam illis fidem
praedicavit
terris, pater idem pandit
iter Panoniis gratiae.

5 a. Principis
caelorum hic attraxit
ovilia, manipulis

5 b. Gentium
dum credentium Christi
succresceret familia.

6 a. Captivitatem,
quam satanas vinxerat,
hic emancipavit

6 b. Et redivivum
iam Christo baptismate
populum sacravit.

7 a. Celebret ergo
debitis in laudibus
gens ista patrem,
per quem solvitur fraudibus,

7 b. Et quo baptista
iam [purus] limphatico
caret errore
. . . . nefario;

8 a. Et tremens praesulem
Rudpertum veneretur,
cui ab angelis
honor exhibetur,

8 b. Qui eius sepulcro
praesentes astiterunt,
et post exsequias
mox signa viderunt.

9 a. Iam Domini Iesu
famulum
supplici voce
deprecemur,

9 b. Ut a dextris patris
Rudperti
ultimo die
collocemur.

10. In fine saeculi
pastor idem
semper sit nobiscum.

Miss. ms. Salisburgense saec. 15. Cod. Neoclaustren. XII A 5. — 4 a, 4 plebem uranicae. — 4 b, 4 inter Panoniis. — 5 a, 3 manipulis ist in der Hs. zu Str. 5 b gezogen. — 5 b, 3 succurreret. — 9 a, 1 Nam. — 9 b, 1 Et ad. — Durchweg ist in dieser Sequenz der Übergangsperiode der Reim beobachtet.

283. De sancto Samsone.

1 a. In Samsone
Deo sit gloria,
Quem abundans
illustrat gratia
Et superabundans;

1 b. Cui conceptus
ante primordia
Nomen dedit
visio nuntia,
Sterilem fecundans.

2 a. Hoc censeri
nomine meruit,
In Samsone
quae tanta claruit,
Virtus meritorum.

2 b. Quem distendit
virus infusio
Et chelydri
dira percussio,
Sonat „sol eorum“.

3 a. Ex defectu
mel magis sufficit,
Et de petra
latices elicit
Moyses secundus.

3 b. Innocuum
potatur toxicum,
Sacerdotem
vexat veneficum
Spiritus immundus.

4 a. Angelicos
secutus monitus
Exsilii
subit interitus,
Dives paupertatem.

4 b. Geminantur
privati gaudia,
Recipiunt
uxor et filia
Plenam sospitatem.

5 a. Serpens Dei
trahente famulo
Mansuescit
in eius cingulo,
Et lucente
tali miraculo
Convalescit
fides in populo.

5 b. Caecum sanat
petens palatium,
Ab obsesso
fugat daemonium.
Perit leo,
quem habet obvium,
Et reginae
mutatur odium.

6 a. Pietatis adfluentis
Pectus movet vox deflentis
Matris propter filium;

6 b. Matris dolor revocato
A defunctis sibi nato
Remigrat in gaudium.

7 a. Fratrum quies molestatur,
Sed clausarum castigatur
Avium garrulitas.

7 b. Prata vertens grex porcorum
Fit repente grex hircorum,
O miranda novitas!

8 a. O mirande transformator,
Nove rerum immutator
Sanitatum reparator,

8 b. Lux exempli, morum forma,
Ad virtutes nos reforma
Atque Christo sic conforma,

9 a. Ut in regno claritatis
Nobis sibi conformatis
Rex aeternae caritatis

9 b. Vitae donet praemia.
Amen dicant omnia.
Succurrat laetania.

Miss. Briocense imp. Rothomagi s. a. [1502?]. A. — Miss. Macloviense imp. Rothomagi 1503. B. — 1 a, 3 Quam A. — 3 a, 4 elisit A. — 4 a, 4 subiit A. — 5 a, 5 ludente AB. — 5 b, 5 Periit AB. — 5 b, 6 habuit AB. — 6 a, 3 Mater A. — 9 a, 3 claritatis AB.

284. De sancto Savino.

1 a. Adest nobis venerandus
Praesens dies et optandus
Toto mentis gaudio

1 b. De Savini, gloriosi
Patris nostri ac patroni,
Festo beatissimo.

2 a. Hic confessor Christi dignus
Prudens fuit ac benignus
In cunctis operibus.

2 b. Simplex, rectus et quietus,
Humilis et mansuetus
Omnibus fidelibus.

3 a. Placentinam urbem rexit
Vigilanter et protexit
Suis in temporibus.

3 b. In cultura conditoris
Contra bellum temptatoris
Monitis et precibus.

4 a. Haec fecit in spiritali,
Nec ob hoc in temporali
Defuit regimine;

4 b. Nam curans interiora
Servavit exteriora
Provido libramine.

5 a. Quadam vice Padus ruens
Super terram, undas urgens
Occupat ecclesiae

5 a. Praedia, possessiones,
Fructus omnes et labores
Editos ex semine.

6 a. Sed antistes Christi mirus,
Spe refulgens ut saphirus,
Mittit monitorium

6 b. Pado, mandans atque iubens,
Ut cessaret prorsus linquens
Suum territorium.

7 a. Flumen cessit et recessit
Et post haec nunquam excessit
Sui cursum alvei,

7 b. Sed de cetero sic stetit,
Sicut sanctus vir praecepit
In virtute Domini.

8 a. Pro hoc Christus, quem amavit,
Corpus sibi revelavit
Antonini martyris,

8 b. Monens, ut removeretur
Et in tumba conderetur
Victoris pontificis.

9 a. Unde clero convocato
Populoque congregato
Pergit ad ecclesiam.

9 b. Ubi mox sex advenerunt
Praesules, qui dicaverunt
Martyris memoriam.

10 a. Tali vita decoratus,
Tantis signis adornatus
Savinus clarissimus

10 b. Modo gaudet cum electis,
Modo sedet cum perfectis
In supernis sedibus.

11 a. Ergo, fratres, veneremur
Patrem nostrum et sectemur
Ipsius vestigia,

11 b. Ut in caelis collocemur
Et cum ipso gloriemur
Per aeterna saecula.

Collectan. ms. Placentinum saec. 12/13. Cod. Capit. Placentin. 65. add. saec. 13. — Mit Melodie. — 4 a, 1 Nec fecit. — Abschrift von Rev. H. M. Bannister.

285. De sancto Sebaldo.

1 a. Hymnum canat plebs iucunda,
Psallat clerus mente munda,
Plaudant simul laetabunda
Angelorum agmina

1 b. Summo regi, qui direxit
Atque Nuremberg invexit
Confessorem, quem dilexit,
Clara per miracula.

2 a. Coruscantem infinite
Mortem post et moram vitae,
Qui conscriptam tenet rite
Legendam cum historia.

2 b. Stirpe de regali natus,
Sanctitate comprobatus
Est a Christo collocatus
Ad caeli sedilia.

3 a. Serto paradisi florum
Coronatus beatorum
Inter turmas confessorum
Rutilat in gloria.

3 b. O Sebalde, Christi care,
Velis nobis impetrare,
Deus ut dignetur dare
Tecum caeli gaudia.

4. Praestet pater hoc et natus,
Praestetque amborum flatus,
Trinus, unus conformatus
Saeculorum per caecula.

Brev. ms. Trebonense saec. 15. Cod. Pragen. VI F 20. — 2 a. 3 u. 4 scheint entstellt zu sein. — Die Melodie „Verbum bonum et suave" bekundet, dafs es sich um Sequenz handelt, die als ein Hymnus benützt wurde; so dürfte auch die überschüssige Strophe 4 eine spätere Zutat sein. Besonders der Umstand, dafs sie eine Doxologie ist, begründet diese Vermutung.

286. De sancto Servatio.

1 a. Salus data Galliae
Dono Dei gratiae,
Beatus Servatius,
De genere Mariae
Illuxit ecclesiae
Solis uti radius.

1 b. Gaudium nostrae spei,
Sicut stella diei.
Fulsit in templo Dei,
In quo spem habent rei
Eius prece provehi
Aeternae requiei.

2 a. Tus ut ignis ardore
Dulcifluo odore
Circumquaque spargitur,
Sic istius dignitas,
Almiflua sanctitas
Per mundum extenditur.

2 b. Nam fulget virtutibus,
Quas Deus potentibus
Impendit fidelibus,
Ipsum requirentibus
Pro suis excessibus
Sancti huius precibus.

3 a. Mira abstinentia
Sugentis infantia
Praeter morem claruit.
In die ab ubere
Semel Dei munere
Lactatus abstinuit.

3 b. Spectabilis iuvenis,
In verbis, factis lenis,
Solimam aggreditur,
Christi factus hostia
Per multa ieiunia,
Quibus hic affligitur.

4 a. Hinc sacerdos effectus,
Cum angelo profectus
Fit urbi Tongrensium
Praesul, gemma praesulum;
Angelus dat baculum
In conspectu omnium.

4 b. Quantis signis claruit,
Quam sanctus apparuit
Hoc in episcopio,
Soli Deo est scire,
Cui studuit servire
Opere, consilio.

5 a. O sanctum pontificem,
O populum felicem,
Tali dignum pastore,
Regi caeli dilecto,
Ab angelo electo
Non hominum favore;

5 b. Qui haeresim Effratae
Catholico dogmate
Destruendam docuit;
Ipsum vero damnatum
Ob erroris reatum
Degradandum censuit.

6 a. Lapis altaris fractus,
Manu sacrata tactus,
Integer efficitur;
Populus a dracone,
Cuius vexatione
Perit, liber redditur.

6 b. Cum Roma revertitur,
Capitur et trahitur
Imperante Attila;
Ad solem exponitur,
Sed nequaquam laeditur
Obumbrante aquila.

7 a. Petro salutifero
Non impar clavigero
Meruit accipere
Potestatem tam gratam,
Per clavem ei datam,
Ligare ac solvere.

7 b. Nota Dei amicum,
Cui de caelo sericum
Angeli attulerunt;
Quem vivum dilexerunt,
Mortuo servierunt,
In caelum sustulerunt.

8 a. O beate Servati,
Commenda deitati
Servos tibi deditos;
Caeli iungens civibus
Tuis purga precibus
Peccatis implicitos.

8 b. Te quaerentes ex corde,
Expiatos a sorde
In extremis visita
Et, sicut consuevisti,
Introduc regno Christi
Per eum, qui est vita.

9. Da, Deus, ut sit ita.

Grad. ms. Averbodiense saec. 15. Cod. Averbodien. s. n. A. — Miss. ms. Averbodiense saec. 15. Cod. Averbodien. s. n. B. — Miss. ms. Parchense anni 1539. Cod. Bruxellen. II. 2347. 2. C. — 5 b, 2 In factis verbis C. — 4 a, 3 Tungrensium AB. — 5 b, 1 Eufratae AB. — 5 b, 3 censuit AB. — 6 b, 1 Dum C. — 6 b, 4 A solem C. — 7 b, 4 Et quem B. — 8 a, 4 iungens AB.

287. De sancto Sigismundo.

1 a. Inclite rex regum,
Tibi suppeditantur
Quaeque, nam rotundum
Regis mundum;

1 b. Ornatu qui regio
Limatoque gladio
Regem decoras
Sigismundum.

2 a. Hunc patronum pro solacio
Nostri cordis elegit ratio,

2 b. Angelino qui palatio
Residet; dinoscat omnis natio.

3 a. Nostris ergo mentibus
Medere tabentibus,
Ut consequamur caelica,

3 b. Neumata quo modulizant
Ac dulcisonarum tonant
Fidium angelica.

4 a. Eternarum negotiator
Mercium, curator
Tuorum, precamina funde,

4 b. Sit nobis ut portio
Tuo cum consortio,
Christi martyr, Sigismunde.

5 a. Pater et patrone,
Tu nos in agone
Ne deseras certaminis.

5 b. Occidamur ne mucrone,
Praemium sed coronae
Confer luctaminis.

6 a. Leoninis dum insultibus
Horrendis atque vultibus
Aspidis infestamur.

6 b. Offendi tu non sinas
Illius nos per minas,
Pie te exhortamur.

7 a. Nempe tu scis,
Quia potes, si vis,
Gubernare tibi modulizantes.

7 b. In imperantis solio
Peccati dempto lolio
Locet te laudantes

8. Ecclesiae per spatia
Ut fideles Christi gratia,
Constanter flagitamus.

Miss. ms. Alrispacense saec. 15. Clm. Monacen. 2873. A. — Miss. ms. incert. origin. saec. 15. Clm. Monacen. 23 276. B. — 3 b. 2 tonant dulcisonarum AB. — Das Akrostichon „Johannes Poloniae" nennt uns den Dichter, der identisch ist mit dem Johannes Volf Poloniae in der Hieronymus-Sequenz „Iucundare Sion" (oben. Nr. 156); übrigens verrät schon die gleiche, an Unebenheiten reiche Behandlung des Rhythmus und Reimes denselben Verfasser.

288. De ss. Silvano et Silvestro.

1 a. Gratuletur plebs fidelis,
In terra pax et in caelis
Deo detur gloria,

1 b. Qui Silvanum sublimavit
Et cum sanctis collocavit
In caelesti curia.

2 a. Hic est, per quem crediderunt
Veteremque reliquerunt
Errorem increduli.

2 b. Unus ex his, quos vocavit
Et per orbem delegavit
Pius auctor saeculi.

3 a. Romae Petrum est secutus,
A quo fuit constitutus
Seminator fidei,

3 b. Cui Silvester sociatur:
Per hos fides propagatur,
Per hos coepit provehi.

4 a. Cum Silvester decessisset
Desolatusque redisset
Ad Petrum discipulus,

4 b. Quo sepultus suscitatur.
Pastoralis ei datur
Virga sive baculus.

5 a. Ibant ergo praedicantes,
Verbum vitae seminantes
Totam per Italiam,

5 b. Claudis gressum restaurantes,
Caecis visum, effugantes
Omnem idolatriam.

6 a. Se Rodeva sanctis iunxit,
Quam caelestis pater unxit
Unctione spiritus;

6 b. Hanc Silvanus baptizavit,
Et hanc sibi desponsavit
Patris unigenitus.

7 a. His auditis perturbatur
Et, quo isset, sciscitatur
Sponsus eius saeviens;

7 b. Locum sibi designatum
Adit secum comitatum
Militum accipiens.

8 a. Fervens igne caritatis
Adest virgo; detruncatis
Naso, labris, auribus

8 b. Sanat eam vir virtutis,
Coram cunctis restitutis
Loco suo partibus.

9 a. Dum festinant recedentes
Et per viam gradientes
Milites, qua venerant,

9 b. Loco sicco demerguntur,
Renitentes relabuntur,
Surgere non poterant.

10 a. Omni ope destituti
Mox, ut sancti provoluti
Complexi sunt genua,

10 b. Supplicant, ut baptizentur,
Christum Deum confitentur,
Cui laus sit perpetua.

Miss. Bituricense imp. Parisiis 1493. A. — Miss. Bituricense imp. Parisiis 1522. B. — 7 a, 2 quo esset A. — 7 b, 2 Addit AB.

289. De ss. Simone et Iuda.

1. Dies festiva,
dies sancta,
dies praefulgida,
piorum votis exoptata,

2 a. Hodie de caelo
rutilans alto
gaudia reportat
toti felicia mundo
digneque colendos
exhibet patronos;

2 b. Quorum in honore
pulso tepore
dulci melodia
divinas mulceat aures
plebs pia, plebs sancta,
plebs benedicta.

3 a. Hi viri virtutum
ad clementis Dei nutum
Persidis dum regionem
fuissent ingressi,
semen verbi Dei

3 b. Sub spe non inani
in terram cordis humani
studiose miserunt
et falsa docentes
magos expulerunt.

4 a. Ad quorum doctrinam
salubrem et divinam
evacuato
gentilium ritu
fidei lumine Persis
illustrata,

4 b. Linquens nocituram
idolorum culturam,
ad cultum veri
conversa est Dei
divinis et eloquiis
mancipata.

5 a. Hi sunt viri
misericordiae,
Per quos curantur
multae miseriae,
Caeli ianitores,
orbis doctores,
ministri gratiae,
fidei lucernae,
duces incliti,
prorsus miraculosa
a Deo virtute praediti.

5 b. Hi virtuoso
suo precamine
Pestes morbosque
pellunt ab homine,
Caecos illuminant,
leprosos mundant,
virtute gratiosa
daemon expellitur,
mutus loquitur,
vita mortuis redditur,
claudus sano pede graditur

6 a. O gloriosi
Amici Dei,
O misericordes
languidorum mediatores,
ecclesiae columnae fortes,
Simon Chananaee
atque Iuda Thaddaee,

6 b. Quorum sollemnem
Agimus diem.
Vestrae pietati
supplicamus, ut Deo patri
nos commendetis et veniam
peccatorum nobis
orantes impetretis.

7 a. Audi nos,
Iesu, pro quibus
Iudae caritas preces edit;

7 b. Salva nos,
Christe, pro quibus
Simonis virtus intercedit.

8 a. O rex aeternae gloriae,
qui solus militantis es
adiutor ecclesiae,

8 b. Sanctorum piis precibus
esto tuae placabilis
et pius familiae,

9. Ut fide fideique
operibus redimita
tuaeque munita
protectionis gratia
feliciter ista
migret de vita.

Miss. ms. Cellae Principum anni 1487. Clm. Monacen. 7204. — 2a. 5 colentes. — 2b, 3 dulcia. — 3a, 3 praesides dum. — 5a, 9 duce. — 6b, 5 sq. et peccatorum nobis veniam. — 7b, 3 Simon intercedat. — Melodie natürlich: Ave praeclara; vielfach ist der Reim durchweg in den 2 ersten Versen jeder Halbstrophe) oder doch Assonanz zur Anwendung gelangt, wie dieses öfters in den Sequenzen nach diesem Schema der Fall ist.

290. De ss. Simone et Iuda.

1. Gaude, mater ecclesia,

2 a. Tali partu sponsa
Deo condigna;

2 b. Numerosa prole
gaudes, intacta.

3 a. Hac die
gemellum edidisti foetum,
Christo conregnaturum;

3 b. Nec tamen
soli scandunt senatum caeli
Simon atque Thaddaeus.

4 a. Nam Persarum ducunt secum
regem, ducem, populum,
Quos converterunt
praedicando
et dicta signis
validis confirmando.

4 b. Fana daemonum diruentes,
magica confutantes
Templa Domino
fabricarunt
et clerum cuncti
ordinis consecrarunt.

5 a. Ob hoc occisi
thronos possident poli
. . . . . .

5 b. Rursus venturi
causas censere mundi
in iudicio Dei,

6. Nobis, sancti, estote
pii precatores pro culpis
nunc apud Deum,
ut indemnes
simus in aevum.

Tropar. ms. Cremifanense saec. $^{12}/_{13}$. Cod. Cremifanen. 309. add. saec. 13. A. — Miss. ms. Pataviense saec. 15. Cod. Praedicat. Vindobonen. 18. B. — Miss. ms. Pataviense saec. 15. Cod. Hilarien. 8. C. — Miss. ms. S. Nicolai ad Strudem anni 1458. Cod. Hilarien. 10. D. — Miss. ms. Montisaprini saec. 15. Clm. Monacen. 5912. E. — 2a, 1 sponso A. — 3a, 2 addidisti B. — 3b, 1 Haec tamen. B. — 4a, 5 et fehlt ADE. — 4b, 2 magicam artem BCD, artem magicam E. — 5a, 1 occisi fehlt A. — 5b, 3 iudicio Domini E.

291. De sancto Sixto.

1. Laudes Christo
et sancto Sixto,

2 a. [Christo] ceu regi,
Sixto ut fideli
psallat ecclesia;

2 b. Huius sacerdotio
regnum perpetuo
stat a principio.

3 a. Hac (in) die
caelestis curia
Christo principi,

3 b. Romana
plaudat et congrue
Sixto praesuli,

4 a. Et machina
mundi trifaria
digne celebret gaudia,
quod regnat Dei gloria;

4 b. Nam deitas
trina et unica
sua praestitit gratia
sancti Sixti praeconia.

5 a. Alta Graecorum
ortus prosapia
iste christigena,

5 b. Apud Athenas
archiphilosophus
et vir magnificus

6 a. Platonicum post sophisma
hic apostolicum
secutus est
christianisma.

6 b. Hunc perfectum prudentia
miratur Graecia
necnon Roma,
mundi domina.

7 a. Valerianum
sprevit cum Decio
ecclesiastica
dans Laurentio;

7 b. Sacrificando
se hostiam vivam
adipiscitur
regni gloriam.

8 a. O mortis commercium
insigne,
quo fit per supplicium
vivens sacerdotium!

8 b. O virum mirabilem
et sanctum,
qui nil Christo praetulit,
quem totus excoluit!

9 a. Hic pontifex
et virtutum artifex,
qui se ipsum hodie
immolat,
post mortem vitam innovat.

9 b. Deus erat
illi semper in ore,
Deus in opere,
hinc inde
quem fovit Deus undique.

10 a. Gloria et honor
Domino Iesu Christo
sint et laudes debitae
sancto Sixto,

10 b. Cuius erectum est
cornu in sanctitate;
benedicamus Deum
in trinitate.

Miss. ms. Alrispacense saec. 15. Clm. Monacen. 2873. — 3 a. 3 principe. — 3 b, 3 praesule. — 9 a, 4 vel strenue immolat. — Melodie wohl: Almae festa (Anal. Hymn. X, Nr. 301); hier wie dort ist die Ungleichheit der Silbenzahl in der 2. Strophe.

292. De sancta Sophia.

1 a. Iucundum sit eulogium,
Quod neuma prodit cordium,
Cum caelestes ierarchiae
Festum hymnizent Sophiae.

1 b. Olympi ovat solium
Harum foetu nobilium,
Quas fovet, et eximiae
Alma mater ecclesiae.

2 a. Non deplorat puellulas
Poenis strictas tenellulas,
Dum has Sophia protulit
Et Domino libamen obtulit.

2 b. *Fides* supernas speculas
Pergirat et cavernulas,
Ustum cratem cum pertulit
Et mucronis sententiam subiit.

3 a. Videte nunc miraculum,
Quod *Spes* mundi umbraculum
Vase vicit conflatili,
Vento flante ignibili.

3 b. Summum floret signaculum,
Totale cum piaculum
Poena necat transibili
Charitas, sponsa dulcis Dei.

4 a. Quam dira mutilatio
Et manuum detruncatio
Potentem fecit heredem
Seraphicam tenens sedem.

4 b. En, pulchra velut ratio,
Cur Sophiam felix datio
Ad eius locavit pedem,
Qui caelicam regit aedem.

5 a. Septenis hoc fit necibus
Mundum linquens
suis cum faecibus,
Suas dum quaerit filias
Mater [atque] poli familias.

5 b. Oramus piis fletibus,
Ut demptis
Phlegetontis letibus
Sanctarum per reliquias
Nos tibi, Christe, frui facias.

Miss. ms. S. Apollinaris in Saczka saec. 14. Cod. Mus. Bohem. XVI B 8. A. — Miss. ms. Cracoviense anni 1438. Cod. Capit. Cracovien. 2. B. — 1 a, 2 prodit B. — 1 a, 3 caelestis B. — 1 a, 4 Festa hymnizant B. — 2 b, 1 superna speculans B. — 2 b, 2 Giravit B. — 3 a, 2 Spes vidit umbraculum B. — 3 b, 2 pinaculum B. — 4 a, 1 dura B. — 4 a, 2 manum B. — 4 a, 4 tenens fidem B. — 5 a, 1 hoc fehlt B. — 5 a, 5 Mater fehlt B. — 5 b, 1 fehlt A. — 5 b, 4 Sanctorum B. — 5 b, 5 fingi facias B.

293. De sancto Stanislao.

1 a. Sancte Dei pontifex,
Sis reorum opifex,
Patriae praesidium,

1 b. Boleslaus carnifex
Quem occidit, Christi lex
Dum sibi praedicitur.

2 a. Sed concisus gladiis
Illustratur radiis
Missae lucis caelitus;

2 b. Funeri obsequitur
Ales, dum insequitur,
Quidquid hoc prosequitur.

3 a. Reintegrat caelicus
Membra sparsim medicus
Laniata primitus.

3 b. Ad te clamant miseri,
Tu succurre celeri
Eis medicamine.

4 a. Functis vita redditur,
Leprae labes pellitur,
Oppressis pax mittitur;

4 b. Gressus beneficium
Claudis dans, officium
Ori muto tribuis.

5 a. Stanislae, plebibus
Largire fidelibus
Tuis sacris precibus,

5 b. Ut soluti nexibus
Peccatorum sedibus
Iungantur caelestibus.

Miss. Teutonicorum imp. Nurembergae 1499. A. — Miss. Posnaniense imp. Cracoviae 1524. B. — 1 b, 3 Sibi dum B. — 2 a, 2 Illustraris A. — 2 b, 3 Quidquid haec A. — 4 a, 1 Cunctis A, reddatur (ebenso Koniunktiv in 4 a, 2 u. 3) A. — 4 b, 3 Ora mutis A. — 5 a, 3 sanctis B. — 5 b, 1 solutae B. — 5 b, 2 Peccatorum sordibus A. — 5 b, 3 Iungamur A. — Melodie: Veni sancte spiritus.

294. De sancto Stephano.

1. Alma, benigne Deus,
pietate regens saecla,

2 a. Benedic omnia
tu corda clemens nostra,

2 b. Clare harmonia
te laudantia pulchra.

3 a. Dignanter
accepta servorum,
rex aeterne, praeconia,

3 b. Ex tua
concinit gratia
quae nostra praedulcis lyra,

4 a. Fortissima
concelebrans Stephani
protomartyris bella
per te definita.

4 b. Gaude, turba
levitica, mellea
concrepa nunc organa.
hac die exsulta.

5 a. Hostia viva
in Domino faciebat
iste signa
plebi magna;

5 b. In Iudaeorum
gente superba increpat
obdurata
iustus corda.

6 a. Karitas Dei
cuius replerat
mentis intima
et benignitas,
his vincebat
eorum insanas
victrici minas
patientia;

6 b. Laudum car[mina
sanc]tus integrat
dicens: „optima
Christi pietas.
ne statuas
i[llis haec pecc]atum
vulnera . .
. . . . .

7 a. M . . .
atria facit
rutilans . . .
[an]gelica

7 b. Nilque paven[s]
dicit cantica
citharaque can[it]
Davidica.

8 a. O beata
laus sanctorum sola,
Iesu, nostra
vota considera.

8 b. Prece sancta,
protomartyr, vera
in doctrina
nosmet corrobora,

9 a. Quem inflammata
petit turba
mole saxea

9 b. Rite praeclara
tollentem ad
alta lumina.

10 a. „Sacra", inquit, „regna
cerno patefacta
caelica,
Iustorum agmina
Christum laudantia omnia
in sempiterna saecula,

10 b. Tergentem crimina
Iesum, in dextera
paterna
Stantem, mirifica
clarum intueor corona
magna quoque potentia."

11 a. Ut impia
haec audivit turba,
quassat Stephani
membra valida;

11 b. Xristicola
stat fortis et orat,
felix praemia
petit aeterna.

12 a. Ymni melodia
te, Christe, collaudat

12 b. Zelo nostra tuba
tuo plenissima.

13. Huius patris per sancta
merita nos, Iesu, salva.

Trop. ms. Nivernense saec. 11. Cod. Parisin. 9449. — 5 a, 3 Stephanus iste. — Melodie: Aulae supernae (Anal. Hymn. VII, Nr. 163).

295. De sancto Stephano.

1 a. Rosa novum dans odorem
Ad ornatum ampliorem
Regiae caelestis

1 b. Ab Aegypto revocatur,
Illum sequi gratulatur,
Cuius erat testis.

2 a. Genus nequam et infaustum,
Qui se fecit holocaustum,
Afficit indigne

2 b. Eum, quod in Christum credit,
A quo tamen non recedit
Passionis igne.

3 a. Gaudet carne purpurata,
Flexo genu, voce grata
Pro Iudaeis orans,

3 b. Ut non illis imputetur,
Quia gratis pateretur,
Facinus ignorans.

4 a. Constitutum in spe certa
Certiorat rex aperta,
Quando Iesum vidit

4 b. Stantem patris in virtute,
Tunc ad petram pugnans tute
Parvulos allidit.

5 a. Uva data torculari
Vult pressuris maculari,
Ne sit infecunda;

5 b. Martyr optat petra teri
Sciens munus adaugeri
Sanguinis in unda.

6 a. Nos, qui mundi per desertum
Agitamur in incertum,
Stephanum sequamur,

6 b. Ut securi tanto duce
Trinitatis vera luce
Iugiter fruamur.

Prosar. ms. Parisiense saec. $^{13}/_{14}$. Cod. Commun. Assisien. 695. A. — Collect. ms. Victorinum saec. 15. [13. 16.] Cod. Parisin. 14872. B. — 2 b, 1 Et quod AB. — 3 b, 3 Populus ignorans B. — 4 b, 1 Tandem A. — 5 a, 3 Nescit A. — 6 b, 1 tanto dulce B. — Cfr. Gautier, Adam de St. Victor I, p. 223 sqq.

296. De sancto Stephano.

1 a. Laetabundus
Sit martyrum choro cantus
Alleluia.

1 b. Ecce, primus,
Nec secundus talis, tantus;
Res miranda!

2 a. Per protomartyrium
Capit testimonium
Sol de stella.

2 b. Fit regula testium,
Specula caelestium
Semper clara.

3 a. Sicut Christus precibus
Profuit hic hostibus
Pari forma.

3 b. Fidem probat actibus,
Quae nullis terroribus
Fit corrupta.

4 a. Angelus apparuit,
Sic mire resplenduit
Valle nostra.

4 b. Vere beatus fuit
Vir, cui caelum patuit
Carne sumpta.

5 a. Synagogae studia
Probatque consilia
Per scripturae studia
Esse caeca.

5 a. Per multa prodigia
Nimis mirabilia
Protestatur omnia
Haec praedicta.

6 a. Terrestris aspera
Noverca vulnera
Dat Ierusalem,
gens misera.

6 b. Caelestis libera
Beata munera
Pia tribuit
puerpera.

Miss. ms. Romanum saec. 14. Cod. Parisin. 827. — 1 a, 2 chorus. — 5 a, 3 studia, gleiches Schlufswort wie in 5 a, 1, erscheint verdächtig. — Melodie: Laetabundus.

297. In Octava s. Stephani.

1 a. Laetabundus
Grata voce pangat coetus
Alleluia;

1 b. Protomartyr
Mortem spernit, subit laetus;
Res miranda!

2 a. Stephanum constantia
Sua replet gratia
Sol de stella.

2 b. Huius per suffragia
Patrantur prodigia
Semper clara.

3 a. Satrapis ut sistitur,
Angeli conspicitur
Pari forma.

3 b. Martyris in odium
Mens errore testium
Fit corrupta.

4 a. Hostiam se dedicat
Hic Christo, quem praedicat
Valle nostra;

4 b. Dissecantes despicit,
Iesum stantem suspicit
Carne sumpta.

5 a. Legem novam approbat,
Synagogae reprobat
Figmenta, quae comprobat
Esse caeca;

5 b. Assistenti populo
Legati pro patulo
Convincit miraculo
Haec praedicta.

6 a. Condonet scelera,
Mente quem effera
Saxis obruit
Gens misera;

6 b. Possidet aethera,
Vitaeque munera
Dat, quem genuit
Puerpera.

Miss. Autissiodorense imp. Parisiis [1484?]. — Melodie: Laetabundus.

298. De sancto Stephano.

1 a. Post triumphum summi regis
Primus pugil novae legis
Nova bella ingerit.

1 b. Hic est Stephanus levita,
Qui de fide, nostra vita,
Cum Iudaeis disserit.

2 a. Almo plenus flamine
Solus in certamine
Stabat imperterritus,

2 b. Signa et prodigia
Faciens ingentia
Miles Christi inclitus.

3 a. Quod Iudaei dedignantes
Surrexerunt, disputantes
Cum eodem pariter;

3 b. Sed nequibant eius dictis
Contraire, quae ex scriptis
Probat mirabiliter.

4 a. Tunc gens illa misera,
Se ex sua litera
Superatam intuens,

4 b. Dissecatur cordibus,
Stridet in hunc dentibus
Motum suum innuens.

5 a. Sed, ut martyr roboretur,
Caeli patent, et videtur
Sibi Dei filius;

5 b. Quo audito plebs profana
Manus mittit ad insana
Irruens velocius.

6 a. Extra urbem pertrahit,
Saxis quoque obruit
Oratorem proprium;

6 b. Qui tunc flexis genibus
Magnis orat vocibus
Regem regum omnium,

7 a. Ut iisdem dimittatur,
Quod levita lapidatur
Sine causa nequiter,

7 b. Spiritumque suum prendat
Et eidem iam rependat
Praemium feliciter.

8 a. Et his dictis obiit,
Caelos victor adiit
Victurus perenniter,

8 b. Ubi Dei filium
Pro delictis omnium
Deprecatur iugiter.

Grad. ms. Modoetinum saec. 15. Cod. Capit. Modoetin. s. n. — 8 a, 2 abiit. — Zum Anfange vgl. Anal. Hymn. XXXIX. Nr. 321.

299. In Inventione s. Stephani.

1 a. Stephani, Gamalielis,
Abibon et Nicodemi
Festa dignis laudibus

1 b. Recolamus, quod fidelis
Gamaliel ipsos demi
Iussit suis scrobibus.

2 a. Sepulturae docens locum
Et per rosas et per crocum
Ac metallum calatorum

2 b. Nominatim certificans
Et his signis notificans
Reliquias singulorum.

3 a. Namque tres erant aurei,
Duo rosis albis pleni
Et tertius rubeis,

3 b. Quartus erat ex argento
Croco plenus; certitudo
Sic redditur de eis.

4 a. Gamaliel, Nicodemus
Albis rosis et Stephanus
Rubeis, auro signatur

4 b. Abibon quidem argentum
Et redolens crocus mundum
Ab utero protestatur.

5 a. Haec sancta revelatio
Facta est ter Luciano
Et sancto Migetio.

5 b. Sed cum magno gaudio
A Ierosolymitano
Praesule translatio.

6 a. In quorum translatione
Odoris emissione
Sanitas est multis data.

6 b. Et ab aere siccitas
Et a terra sterilitas
Divinitus est sublata.

7 a. Igitur, sancti praedicti,
Rogate, ut benedicti
Ascribamur in gloria

7 b. Et, dum vivimus, mundari
Mereamur et purgari
A peccati scoria.

Miss. Briocense imp. Rothomagi s. a. [1502?]. A. — Miss. Macloviense imp. Rothomagi 1503. B.

300. De sancta Theodosia.

1 a. Virginis eximiae
Festum Theodosiae
Recolat ecclesia,

1 b. Quam dotarunt hodie
Castitatis nuptiae
Visione regia.

2 a. Haec aetate tenera
Sprevit mente libera
Carnis lenocinia

2 b. Et datis muneribus
Iunxit se martyribus
Clausis in custodia.

3 a. Quorum sanctis precibus
Haurit a caelestibus
Agonis solacia;

3 b. Terrorem praetorii
Sprevit spes martyrii
Cum Dei fiducia.

4 a. Post haec luctam conserunt
Et de suis conferunt
Fides et perfidia;

4 b. Virgo causa fidei
Tolerat eculei
Poenas et suspendia.

5 a. Fides armat virginem,
Praeses amat sanguinem
Ferali sententia.

5 b. Diversorum generum
Poenarum et verberum
Concurrit instantia.

6 a. Laceratur uncinis
Sacrum corpus virginis
Lictoris insania,

6 b. Et suspensa crinibus
Fame et non dapibus
Vivit Dei gratia.

7 a. Inde flammis tradita
Et feris exposita
Vincit has et maria.

7 b. Tandem ictu gladii
Intrat terram gaudii,
Ubi pax et gloria.

8 a. Huius festum colimus
Et colendo psallimus
Sollenni laetitia.

8 b. Collaudemus igitur
Eum, pro quo patitur
Virgo Theodosia.

9. Deus, actor gratiae,
Astanti familiae
Donet vera gaudia.

Collect. ms. S. Lupi Trecensis saec. 10. et 11. Cod. Trecen. 1170. add. saec. $^{12}/_{13}$. — Mit Melodie.

301. De sancto Thoma.

1 a. Gratuletur
fidelis populus
Hac in die,
qua prudens famulus
Stola Thomas,
Christi discipulus,
Decoratur.

1 b. Laeta dies,
laeta victoria,
Qua beatus
Thomas in India
Lanceatus
victor in gloria
Laureatur.

2 a. Hic est Thomas,
quem Christus docuit,
Hic est Thomas,
cui latus praebuit,
Hic est Thomas,
qui nobis profuit,
Dum non credit.

2 b. Hic est Thomas
missus, ut praedicet,
Indos tamen
adire displicet,
Sed, cum Christus
se ducem pollicet,
Tunc obedit.

3 a. Hic est Thomas,
quem ad convivium
Regis servus
percussit nimium,
Sed mox canis
exstincti brachium
Asportavit.

3 b. Hic est Thomas,
qui post crepusculum
Portis clausis
intrans cubiculum
Benedicens
sponsam et sponsulum
Baptizavit.

4 a. Hic est Thomas,
qui Heliophorum
Vadens fecit
regem Gondophorum
Ac populum
processu temporum
Christianos.

4 b. Hic est Thomas,
qui paralyticos,
Claudos, caecos,
surdos, hydropicos,
Ruptos, mutos,
mancos, lunaticos
Fecit sanos.

5 a. Hic est Thomas,
qui deos despicit
Et a morte
defunctos elicit,
Ignes parat,
sed nihil proficit
Rex Mesdeus.

5 b. Hic est Thomas,
cuius imperio
Dei solis
liquescit fictio,
Quem transfixum
profano gladio
Vocat Deus.

6 a. Te rogamus,
o Thoma Didyme,
Firma fide
firmans firmissime,
Nos infirmos
fac fidelissime
Operari.

6 b. Te precamur,
o Thoma, propera,
Serva servos,
pressos exonera,
Post hanc vitam
da vita libera
Nos laetari.

Miss. Parisiense imp. Parisiis 1585. — 2 b, 7 Nunc.

302. De sancto Thoma.

1. Vox te iam nostra
collaudat, inclite Thoma.

2 a. Tibi Christus sanctum latus
dedit palpandum
nostris vulneribus
provisurus.

2 b. Hunc oportet, ut pulsemus
cum precibus,
nobis quo fiat
iudex pius.

Sequent. ms. Lunaelacense saec. 15. Cod. Vindobonen. 4977. — Vielleicht eine Nachahmung der Melodie „Victimae paschali“ in stark gekürzter Form. Ob unvollständig?

303. De s. Thoma Aquinate.

1 a. Iucundetur in hac die
Nisu toto mentis piae
Thomae plebs devotius,

1 b. Cuius ortum clarum vitae
Miris signis profert rite
Matri Dei nuntius.

2 a. Stirpem claram
Linquens infans, ut amaram
Rem detestans
saeculi lenocinium;

2 b. Morum gratus
Praedicator fit beatus,
Sic patuit
viri sancti praesagium.

3 a. Mater probat turri tutum,
Unde norat Dei nutum,
Hinc exsultat uberius.

3 b. Blanda voce ut anguilla
Titione caesa illa
It suggestrix celerius.

4 a. Pressa cruce humi stravit
Carnem, quam sibi rogavit
Muniri castitate;

4 b. Angelica manus cinxit
Lumbos eius et restrinxit
A luxus potestate.

5 a. Orans, mente Deo fixus,
Nullo fulcimento nixus
In aera cernitur;

5 b. O, quem probat vita pura,
Hic illaesus, a pressura
Carnis dum eximitur.

6 a. Christum crucis in tortura
Precans doctor mente pura,
Ut fremet eloquia,

6 b. Crucifixus fans de cruce:
Bene de me, Thoma, tute
Exarasti omnia.

7 a. Scandens cathedrae fastigium
Nunquam sensit pestiferum
Stimulum tumoris.

7 b. Curat febre furentem
Sangineque fluentem
Dei vis amoris.

8 a. Sidus missum caelo novum
Thomae signat mox transitum
De carnis ergastulo,

8 b. Migrat doctor, praedicator,
Veritatis exarator,
Datus huic saeculo.

9 a. Corpus praesul reddit sacrum
Fossae Novae occultatum,
Exsultat fratrum contio;

9 b. Fulget corpus miris novis,
Levat praesul divis donis,
Gaudet Tolosae regio.

10 a. Pie pater, fer solamen,
Qui fuisti in tutamen
Aegris, caecis, surdis, claudis,
Defer scutum bonae laudis
Ante strictum iudicium.

10 b. Thomas, iubar micans polo,
Duplum sertum fers in collo
Certantibus in agone,
Fac nos dignos mox coronae
Post huius vitae exitum.

Collect. ms. Praedicatorum saec. 15. Cod. Graecen. 347. — Mit Melodie. — 1b, 3 Mater. — 3b, 1 et anguilla. — 5b, 3 dum fehlt.

304. In Translatione s. Thomae Aquinatis.

1 a. In praesenti incolatu
Festa Thomae cum conatu
Celebret ecclesia.

1 b. Gloriosus hic est natu
Et excedens doctoratu
Scripturae facetia.

2 a. Cuius ortus prophetatur,
Matri suae dum adfatur
Homo plenus spiritu:

2 b. Erit frater praedicator,
Veritatis indagator
Pro salute populi.

3 a. Ab ordine rapitur
Et in turri ponitur
Sicque captivatur,

3 b. Per puellae speciem
Eius innocentiam
Turbare conantur.

4 a. Sed, cum ignis titione
Necnon bona ratione
Effugavit feminam,

4 b. Humili prostratione
Et magna devotione
Petit continentiam.

5 a. Ab angelo consolatur
Et cum stola circumdatur
Exsistens in carcere;

5 b. Sicque Thomas praeservatur
Nec in carne maculatur
A funesto scelere.

6 a. Petrus, Paulus veniunt,
Intellectum conferunt
Thomae dubitanti.

6 b. O quam magni meriti,
Cui cives caelici
Tales astant sancti!

7 a. Nullo prorsus fulcimento
Sustentatus, elevatus,
Sursum stans in aere.

7 b. Crucifixus commendabat,
Quod de ipso scriptitabat
Tam venusto schemate,

8 a. Et mercedem promittebat,
Quam ab ipso deposcebat
Pro laboris praemio.

8 b. Nil terreni praeoptabat,
Solum Christum affectabat
Habere pro gaudio.

9 a. Laudes ergo decantemus
In hac die, iubilemus
Voce plena;

9 b. Psallat mater ecclesia
Pro doctoris scientia
Tam amoena.

10 a. Nunc ergo nos emendemus,
Sanctum Thomam invocemus
Prece semper sedula,

10 b. Ut Iesu Christo conregnemus,
Ad promissa aspiremus
Sempiterna gaudia.

Sequent. ms. Praedicatorum saec. 15 Cod. S. Ignatii Noviomagen. 55. — 4 a, 3 Effugatur. — 9 b, 2 sapientia. — Mel.: In caelesti hierarchia.

305. De s. Thoma Cantuariensi.

1 a. Gaude, gemma praelatorum,
Consolator peccatorum,
Psalle cum tripudio;

1 b. Omnes tibi congaudendo
Iubilemus, te promendo
Carminum praeludio.

2 a. Praesul Christi gloriose,
Thoma, martyr pretiose,
Sanctitatis speculum,

2 b. Vernas tuos semper rege,
Ne damnemur falsa lege,
Sol illustrans saeculum.

3 a. Stella splendens matutina,
Per quam lucet lux divina,
Taetram pellens nebulam,

3 b. Te produxit stirps Anglorum
. . . . . .
Strictam tenens regulam.

4 a. Honor tuae puritatis
Dat candorem castitatis
Et decorem gratiae;

4 b. Aetas tuae iuventutis
Ornamentum est virtutis
Et lux pudicitiae.

5 a. Numen verum te vocavit
Tamquam Aaron, quem formavit
Sacro sacerdotio,

5 b. Rore caeli dum purgavit
Tuam mentem, quam rigavit
Animae devotio.

6 a. In te signum
Fulget dignum,
A Maria,
Matre pia,
Consutum cilicium.

6 b. Capellano
Mox devoto
Corde sano,
Nisu toto
Tu reddis officium.

7 a. Diffamatur, fiunt plura,
Quae negantur a natura;
Sic cedunt miraculo;

7 b. Surgit sanus, qui gravatur
Febre, simul et curatur
Claudicans in baculo.

8 a. Tandem martyr trucidatur,
Modulamen inchoatur
Fletus et tristitiae;

8 b. Sicque luctus permutatur,
Dum ab angelo prosatur
Canticum laetitiae.

Miss. ms. Stubenbergense saec. [13/14 et] 15. Cod. Graecen. 281. — 6 b, 3 Corde sacro. — 7 a, 1 Ut famatur. — 7 a, 2 negantur avatura. — 7 a, 3 Sed cedunt miracula. — 7 b, 2 Febres — 8 a, 2 Medolanum.

306. De sancto Udalrico.

1. Pangat hymnum

2 a. Udalrici
felix ecclesia mater;

2 b. Tellus, mare
vel aethra plaudat ovando.

3 a. Cives caelorum
tripudio
gratulant nostrum

3 b. Nam Udalricum,
dum coetui
proprio sanctum

4 a. Coniungunt,
laeti gaudia
celebrant mundi.

4 b. Qui mundum
sprevit mundano
principe tempto.

5 a. Hic praesul
supernae semper
intentus patriae

5 b. Lubrica
praesentis vitae
contempsit gaudia.

6 a. Te nunc, inclite
praesul Udalrice
Christi, precamur,

6 b. Qui plura mitis
caelestis gratiae
dona largiris,

7. Nos et hunc locum
tuere.

Grad. ms. Augustinorum saec. ^{12}13. Cod. Turicen. Rhenov. 55. add. saec. 13. — Str. 4 b bildet einen Hexameter. — 6 b, 1 Ut qui. — Melodie: Stans a longe.

307. De sancto Udalrico.

1 a. Fundatur in
sapphiris ecclesia,
In theoreticis
viris solida,

1 b. Quae lapidis
colorem aërium
In caeleste mutat
desiderium.

2 a. Huius arcis
propugnacula
Ex iaspidis virore
sunt munita;

2 b. Hic in veri
defensione
Doctores interno
vernant amore.

3 a. Portas eius in lapidibus
Sculptas posuit Dominus,

3 b. Quia per hos ad fastigium
Plebs properat credentium,

4 a. In quorum vita
exprimitur,
Quod doctrina loquitur;

4 b. Sculptis pares sunt
lapidibus
Variis virtutibus.

5 a. Ex quibus praesul Udalricus,
Sapphiri theoria praeditus,

5 b. Ab ipsis primis floribus
Aethereis redolet fructibus,

6 a. Nec robur amittit iaspidis
Castimoniae palmam
retinens viridis;

6 b. Non enim admittit marcidum
Pudor in atriis intus
remittens habitum.

7 a. Quae igitur
de sursum est Ierusalem,
Per huius patris
vitam imitabilem.

7 b. En, aditur
frequentia fidelium
Acsi per portae
splendentis introitum.

8. Ad cuius civitatis gaudia
Nos tua, Christe, perducat gratia.

Sequent. ms. cum Commento saec. 15. Cod. Maihingen. II 1 IV° 11. — 1b, 1 Qui. — 2a, 4 munitae. — 2b, 1 Illum in. — 3a, 1 lapides. — 3b, 1 ad ungtium [!]. — 6b, 1 maridum. — 6b, 3 remictens.

308. De sancto Udalrico.

1a. Universi iubilemus,
Divum praesulem laudemus,
Genitum proceribus;

1b. Infans aeger ablactatus
Udalricus, confortatus
Piis fulget moribus.

2a. Dogma capiens salutis
Claustro Wibrath fatis tutis
Antistes praedicitur;

2b. Adalberoni traditus,
Virtute lucens penitus
Curiae praeficitur.

3a. A summo hinc pontifice
Susceptus honorifice
Hedrae fugit apicem;

3b. Sublimatus in mandritam
Annos per quindenos vitam
Mire duxit supplicem.

4a. Lexivernae visionem
Complens bis ostensionem
Dextrae summae recipit.

4b. Petri, Afrae gaudet ore
Vir devotus in sopore,
Se obsessum eripit.

5a. Reti leti duos prendens,
Ternum daemone offendens
Punit sacrilegium.

5b. Pacans Caesarem cum nato
Duce Hunnico prostrato
Templum mox egregium

6a. In honore Afrae struit;
Hortulanus poenas luit,
Sanctus quas praenuntiat.

6b. Ossa sacra Thebaeorum
Pluriumque beatorum
Gregi suo sociat.

7a. Caducum morbo liberat,
Oleo visum reparat,
Quo et se delibuit.

7b. Vindicem it non rigatus,
Ast Danubio ablatus
Prece Thar detumuit.

8a. Uires pedum moniali
Reddens via synodali
Pauper nummo valuit;

8b. Captam coniugi univit,
Quiris exhumatus vivit,
Baculo fons patuit.

9a. Servos Orci ligat verbis,
Itineribus acerbis
Corrigit iconimum.

9b. Reni animas redemit,
Ursum sagmas ferre premit
Principem magnanimum.

10a. Anno dicit moriturum,
Absolutos in securum
Tres remittit saeculum.

10b. Scit nepotem exspirasse
Et Conradum non migrasse,
Compar orbis speculum.

11 a. Infirmatus missas canens
In cubiculo post manens
Fraglat linquens spiritum.

11 b. Udalrice, Christo care,
Sempiternum evitare
Stude nos interitum.

Grad. ms. ss. Udalrici et Afrae anni 1490. Cod. Mus. Episc. Augustan. s. n. A. — Grad. ms. Augustanum saec. 15. Cod. Mus. Episc. Augustan. s. n. B. — 3b, 2 Annos post B. — 5a, 2 Terminum A; ist ebenso unverständlich als das besser in den Reim passende „Termum" B. — 5b, 1 Duce huni comprostrato A. — Vgl. Hoeynck, Gesch. der kirchl. Liturgie in der Dioecese Augsburg: Augsburg 1889, p. 386. Dort ist die Sequenz aus A mitgeteilt. — Bei Morel, Nr. 549, findet sich ein Bruchstück der Sequenz aus dem Codex Brander, mit dem schrecklich entstellten Anfange: „Sublimatus in mansionem . . . visionem" (cfr. 3b, 1 und 4a, 1).

309. De sancta Ulphia.

1 a. Ulphiae gloriam
Celebrent laudibus
Eius memoriam
Novis et cantibus
Exornent virgines;
Terrae concentibus
Adplaudant caelites.

1 b. Alta consilia
Pudici pectoris
Gestaque fortia
Tenellae virginis
Quis non mirabitur?
Digna praeconiis
Quae vox aptabitur?

2 a. Splendore generis
Eminet inclita,
Iuncta divitiis
Formae praestantia.
Cunctis prodigium;
Fiunt tot munera
Ipsi contagium.

2 b. Mundus allicions
Offert divitias,
Ostentat blandiens
Opum fallacias.
Plus adversaria
Urgens ad nuptias
Adest familia.

3 a. Annis sed primulis
Iam se virgineo
Instinctu numinis
Strinxerat vinculo.
Quid iuvat furere,
Satan? Non poteris
Promissa rumpere.

3 b. Timens naufragium
Et pacti conscia
Placentem nimium
Pia saevitia
Vultum dilacerat;
Nec sat, inedia
Se totam macerat.

4 a. Haud tamen propriis
Confisa viribus
Nec ab insidiis
Tuta latentibus
Decernit fugere
Et certaminibus
Sic finem ponere.

4 b. Cunctis impervium
Procul a patria
Quaerit hospitium;
Loca silvestria,
Consita vepribus,
Praebent tuguria
Densis in saltibus.

5 a. Amore fervida,
Imis recessibus
Dum latet abdita
Et a terrestribus
Se videns exsulem,
Vitam caelestibus
Ducit consimilem.

5 b. Eremi socium
Christi discipula
Habet Domitium;
Ductoris aemula
Terit vigiliis
Virgo corpusculum,
Terit ieiuniis.

6 a. Defessis artubus
Quies abnuitur,
Singulis noctibus
Somnus abrumpitur;
Via fit horrida,
Non minus pergitur
Ad templi limina.

6 b. Emissa caelitus
Que vox nunc assonat:
Exsurge citius,
En, sponsus te vocat,
Festina, quaesitam
Tantis agonibus
Suscipe lauream.

7 a. Salve, flos vallium,
Nostra spes, gloria,
Te turma virginum
Praetendens lilia
Salutat sociam,
Orantem Maria
Exspectat filiam.

7 b. Hanc tibi agnitam
Nunc gentem respice,
De novo deditam
Benigna suscipe,
Antiqua pietas
Te regnet auspice,
Regnet et castitas.

[Loriquet — Sellier], Nouvelle Vie de sainte Ulphe, vierge patronesse de l'église d'Amiens. Amiens, 1841; p. 230 sqq. — Leider ohne Angabe der Quelle, die anscheinend eine gallikanische ist.

310. De sancta Ursula.

1. Omnis spiritus laudet Dominum
In triumpho sanctarum virginum,

2 a. Quas olim Britannia
Misit ad angelica
Agmina

2 b. Sanguine purpureas,
Castitatis gloria
Candidas.

3 a. O beata saecula,
O beata tempora,
Tot colonis inclita,

3 b. Quot sanctarum corpora
Virginum sunt occisa
In urbe Colonia!

4 a. Eia, Sion caelica,
Leva nova cantica
Cum virginum chorea,

4 b. Quam regina Ursula
Ducit arcanissima
Agni per cubilia.

5 a. Gaude, mater Britannia,
Collaetare, Colonia,
Felix per tot milia;

5 b. Spe gratiarum iucunda
Resultet [vox] hymnisona
Tota nunc ecclesia.

Miss. ms. Admontense saec. $^{13}/_{14}$. Cod. Admonten. 751. add. saec. 14. A. — Miss. ms. Lambrechtense anni 1336. Cod. Graecen. 395. B. — Miss. ms. Lambrechtense saec. 14. Cod. Graecen. 703. C. — 2a, 2 Milia ad C. — 2b, 1 purpurea A. — 2b, 3 Candida A. — 3a, 1 saecula fehlt B. — 3b, 1 Quod ABC. — 3b, 2 sunt caesa AC, sunt caesi B. — 5a, 3 Felix milies per ABC.

311. De sancta Ursula.

1 a. Laetabundus
Exsultet virginum chorus,
Alleluia,

1 b. Regem regum,
Sponsum Iesum speculantum
In gloria.

2 a. Iesu amor vulnerat
Corda et mellificat
Suavitate;

2 b. Iesum in se sentiunt,
Corde ore concinunt
Dulcem Jesum.

Ie sum sponsum Ursula
Cum suis in gloria
Amplexatur;

3 b. Iesu sumunt osculum,
Transeunt in cor Iesu,
Fiunt unum.

4 a. Iesu, nobis osculum
Da, te per paraclitum
Tibi iungens.

4 b. Iesu, inter lilia
Rosasque haec milia
Pascis in te.

5 a. Iesu, sponse virginum,
Iesu, amor virginum,
O Jesu, cor virginum,
Has coronas.

5 b. Iesum sequuntur agnum,
Novum cantant canticum,
Canticum virgineum
Iubilando.

6 a. Iesu cum regina
Virginum divina
Laude potitae
gloriantur.

6 b. Iesu, sponsae vestis,
His nos iunge festis
Prece virginum
ante thronum.

Grad. ms. S. Gereonis Coloniensis anni 1424. Cod. Mus. Archiep. Colonien. VI. 5. A. — Miss. ms. S. Jacobi Brunensis saec. 14. Cod. S. Jacobi Brunen. 3. B. — Miss. Coloniense imp. Coloniae 1481. C. — Miss. Coloniense imp. Basileae 1487. D. — 1b, 2 speculantem A—D. — 2a, 1 Iesus B; amator BCD. — 3a, 3 Complexatur A. — 3b, 1 — Schluss fehlt B. — 4a, 3 Ubi D. — Melodie: Laetabundus. — Str. 2a, 1 sqq. findet sich als besonderer Sequenzenanfang in Chevaliers Repert. Hymnol. unter Nr. 9460.

312. De sancto Valentino.

1 a. Valentino, qui valenter
Superavit innocenter
Mundiales impetus,

1 b. Ritus cleri iam devotus
Populusque psallat totus
Concinendo dulciter.

2 a. Nam per annos pueriles
Rerum cultus sprevit viles
Vitaeque constantia

2 b. Peragravit mundo corde
Inventutem sine sorde
Palam Christum praedicans.

3 a. Idolorum confutando
Daemonium, prohibendo
In sculpturis latriam.

3 b. Aegris tulit sanitatem
Et oppressis libertatem
Veri Dei munere.

4 a. Hunc sibi iubet ocius
Coram produci Claudius,
Imperator hominum,

4 b. Ut negaret caeli Deum,
Idolis suggessit eum
Immolare victimas.

5 a. Quo recusante reprobus
Caedi mandavit fustibus
Deo gratum martyrem,

5 b. Fidei tamen constantis
Hunc iubet tormentis tantis
Post truncari capite.

6 a. Cui vota persolvamus,
Ut patronum habeamus
Potentem caelicolam,

6 b. Vitae nostrae qui lamenta
Miseratus et portenta
Quaeque pellas horrida.

7 a. Ne virtutes Satan frangat,
Morbida ne pestis tangat
Corpora vel animas,

7 b. Hoc petente nobis rectum
Iter detur et perfectum
Trinitati placidum.

Miss. ms. Wratislaviense saec 14. Cod. Civit. Wratislavien. M. 1160 add. saec. 15. — 3 a, 1 Idulorum. — 4 a, 1 Nunc sibi. — 5 a, 3 gratem. — 5 b, 1 tam constantis. — Hunc in tormentis. — 7 a, 1 frangit. — 7 a, 2 tangit. — 7 b, 1 potente.

313. De s. Valerio Trevirensi.

1. Laudem dicite, christicolae,
cum gloria;

2 a. Totis viribus canite
cordis vibra ac
spiritus laetitia,

2 b. Quia meruit gaudia
pater hic noster
hodie [sempiterna].

3 a. Iam transit tenebras
Phlegetontis,
liquit cuncta
mundi labentis ludicra;

3 b. Fuit de Simonis
clientela,
Eucharii
Maternique syncellita.

4 a. Cum quibus venit
quondam Roma
subiugando
colla Messiae prona;

4 b. Fervet fides,
dogmata sacra
reserantur
verbique praeconia.

5 a. Post haec missus venit
a Roma,
transit [ad] te, Elegia;

5 b. Rursus redit ad te,
o Roma,
propter Materni funera.

6 a. O Roma felix,
hinc exsulta
tota fovens praecordia;

6 b. Laetare et tu,
Elegia,
cuncta resumens gaudia.

7 a. Et si manet alia,
quae constet, Elegia,
quae sit, nostra declara,
clara Thalia.

7 b. Gratiae mira virtus
et gloria salutis,
quod nobis praecordia
lucent Materna.

8 a. Per te quoque fertur,
o Valeri, spes maxima.

8 b. Quam sunt festiva, quae
nunc colimus sollemnia!

9 a. Quae conservata sunt
caelitus
per divina promissa
atque colloquia,

9 b. Tu modo possides
caelica,
pater sancte, gaudia
et beneficia.

10 a. Christi semper salvifica
nobis confer munia,

10 b. Quae nos sua in patria
foveant per saecula;

11. Cum quo tibi
laus sit aeterna.

Browerus, Antiquitates et Annales Trevirenses 1. p. 161 sq. mit dem Vermerk: „Reddo hic pervetustam de S. Valerio hymnodiam, quam antiquis bibliothecae S. Eucharii membranis inscriptam ad posteros transmitti placuit." Leider ist es mir nicht gelungen, diese oder eine andere handschriftliche Quelle für vorstehende Sequenz aufzufinden. — Melodie offenbar „Eia turma" (vgl. oben Nr. 277), was Browerus, wie begreiflich, nicht erkannte: daher auch öfters bei ihm falsche Versabteilung. — 3a, 4 ludrica. — 3b, 1 qui fuit. — 6b, 1 Ama et. — 8a, 2 spes quoque maxima. — 8b, 1 Quae sunt. — 10b, 3 foveat.

314. De sancto Verano.

1 a. Superni patris gratia
Fulta mater ecclesia

1 b. Verani cum laetitia
Vera pangat sollemnia.

2 a. In hac iste miseria
Fulsit misericordia,

2 b. Miserendi qui viscera
Tulit cum gente misera.

3 a. Mundum, carnem, daemonia
Domans eius constantia

3 b. Mundi cursus et taedia
Transcurrit cum victoria.

4 a. Die quodam sic accidit,
Inter latrones cecidit

4 b. Certantes pari foedere
Sanctum de mundo tollere.

5 a. Confusa sed in aera
Vibrantis pendet dextera,

5 b. Quae per sanctum fit libera
Rogante turba cetera.

6 a. Quam felix est Iargolium
Ex istius praesentia,

6 b. Immo iucunda nimium
Per ipsum tota patria!

7 a. Nec languor est nec taedium,
Sed nec ullum supplicium,
Quin per sancti suffragium
Praestetur huic remedium.

7 b. Urbis praesul Cavallicae
Tantoque dignus apice,
Praesul erat in supplice
Et supplex in pontifice.

8 a. Miranda res: dum moritur,
Quo feratur, ambigitur,

8 b. Sed pallium, quo tegitur,
Viam monstrans extollitur;

9 a. Ad Sargiam quo praevio,
Quo invento navigio,

9 b. Cuncto sicco vestigio
Diviso migrat fluvio.

10 a. Hic sanctus, cuius merita
Novit Deus tam inclita,

10 b. Iam habet vitae praemia
Dei patris in gloria.

11 a. Illic ipse cum ceteris
Pro nobis oret miseris,

11 b. Ut nos iungat cum superis
Largitor summi muneris.

12 a. Nos hoc rogantes aspice,
O dominantum Domine,

12 b. Nosque sanctorum effice
Dignos beatitudine.

Miss. Parisiense imp. Parisiis 1585. — 7b, 1 Cavellicae. — Melodie: Interni festi gaudia.

315. De sancto Victore.

1. Martyris Victoris laudes
resonent Christiani.

2 a. Mortem ei intulit
ferox Maximianus,
Bonis, velit, nolit,
prodest malus.

2 b. Mors et vita duello
conflixere mirando,
Martyr Christi caesus
regnat vivus.

3 a. Dic nobis, athleta,
Quid vidisti in pugna?
Vexillum Christi regnantis
Et gloriam
vidi consolantis.

3 b. Cruciatus fortes,
Miracula sunt testes,
Ad cuius preces defuncti
Suscitantur.
sanantur infirmi.

4 a. Credendum est magis soli
ecclesiae sanctae, quam impiorum genti perversae.

4 b. Scimus ergo te regnare
Cum Christo, tecum collocare,
Victor dux, nos dignare.

Miss. ms. S. Victoris Parisiensis saec. 14. ex. Cod. Parisien. 14448. A. — Miss. S. Victoris Parisiensis imp. Parisiis 1529. B. — 4a. 2 sanctae fehlt A. — Melodie: Victimae paschali. — Cf. Gautier, Oeuvres poetiques d'? Adam de St. Victor. I, p. 94 sq.

316. In Susceptione Pedis s. Victoris.

1 a. De profundis proclamemus
Et devote collaudemus
Victoris victoriam;

1 b. Menti insit verus amor,
Quo procedat sanctus clamor
Ad martyris gloriam.

2 a. Dextri pedis susceptio,
Istius sancti portio
Novum parit gaudium;

2 b. Quae pars in multis probata
Nobis fuit praesentata
Per manus fidelium.

3 a. Ex quo constanter calcavit
Et idolum Iovis stravit
De ministri manibus.

3 b. Quem incidi ocius
Iubet iudex impius
Suis satellitibus.

4 a. Sed, infelix hominum,
Nescis contra Dominum
Nil valere fraus tua?

4 b. Gressum rectum figere
Dei virtus propere
Facit gratia sua.

5 a. O fidelis anima,
Hic percipe, intima
Quanta vis sit fidei:

5 b. Quod naturae deficit,
Fides pura perficit
Teste athleta Dei.

6 a. Completum est hodie,
Quod promissor gloriae,
Verus sol iustitiae,
Fons misericordiae
Sic ait discipulis:

6 b. Quidquid petieritis
Patrem, impetrabitis,
Dum sic crediderits
Et bene egeritis.
Ut convenit famulis.

7 a. Fides sine operibus
Nihil prodest homini
Apostolis testantibus,
Vicariis Domini;

7 b. Uti corpus inutile
Est anima absente,
Sic de homine simile
Est fide indigente.

8 a. Animemur ergo, fratres,
Sanctos imitemur patres,
Pias admiremur matres
Calcantes terrestria;

8 b. Conemur totis nisibus
Fidem amplecti cordibus,
Bonis adiunctis moribus
Sperantes caelestia.

9 a. Sancti ex fide vixerunt,
Qua mundi regna vicerunt
Et aeterna meruerunt;
Fides facit omnia.

9 b. Montes transfert, morbos pellit
Ac tempestates repellit,
Vires daemonum compellit,
Tollit quaeque noxia.

10 a. Haec confirmat sanitatem,
Haec roborat castitatem,
Haec exornat dignitatem,
Haec conservat caritatem,
Copulat collegia;

10 b. Haec splendet in infantibus,
Haec floret in iuvenibus,
Haec apparet in senibus,
Haec refulget in gradibus,
Custodit officia.

11 a. O fidei huius dator,
Atque eius pius sator,
Verus cordis habitator,
Doni tui munerator,
Vota nostra suscipe;

11 b. Fac nostras in te ferventes
Fidei calore mentes,
Nos agonem recolentes
Victoris et congaudentes
Tecum, secum accipe.

Collect. ms. Victorinum saec. 15. Cod. Parisin. 15163. — Mit Melodie. — 7b, 1 Ut. — 7b, 4 Fide carente, aber letzteres Wort über einer Rasur. — Überschrift: „Prosa pro die susceptionis pedis gloriosissimi patroni nostri Victoris, composita a quodam religioso s. Victoris tunc subpriore.“ Gemeint ist wohl der Subprior Godefridus, von dem wahrscheinlich auch die Agatha-Sequenz (oben Nr. 25) und die Engelsequenz (oben Nr. 34) stammen. Die „Susceptio pedis“ fand statt unter der Regierung Karls V. von Frankreich, somit zwischen 1364—1380. — Ein Bruchstück dieser Sequenz ist aus gleicher Quelle mitgeteilt von Gautier, Adam de St. Victor, II, p. 25 sq.

317. De sancto Vigilio.

1 a. Salve, dies gloriosa,
In qua Sion speciosa,
Sponsa Christi generosa,
Gaudet in Vigilio.

1 b. Civis urbis Tridentinae,
Gentes huic transmarinae
Sunt coniunctae tam divine,
Roma gaudet filio.

2 a. Hic convertit Briscianos
Veronensesque paganos
Esse fecit christianos
Et destruxit idola.

2 b. Vidit manus angelorum
Trinas animas suorum
Dantes gaudio coelorum
Verus mundi incola.

3 a. Demum pergit hinc Randenam
Et pro Christo suffert poenam,
Praeparatam laude plenam
Sedem cernit caelitus.

3 b. Gesta ferens Caesar gaudet
Et fugare hostes audet.
Pastor, salva nos, ne fraudet
Hostis ille perfidus.

Miss. ms. Romanum anni 1468. Cod. Carolsruhan. Pm. 8. — 1b, 2 Gentis. — 2a, 2 Verenenses. — 2b, 3 gaudia. — Melodie: Verbum bonum.

318. De sancto Vincentio.

1 a. Vincens, ut evinceret
Et coronam sumeret,
Exivit Vincentius.

1 b. Mundum, carnem, daemonem,
Vincientes hominem
Evicit potentius.

2 a. Mundi transitoria
Fallacique gloria,
Fracto fulta stipite,

2 b. Corporis illecebris
Et impudicitiis,
Spurco foedis tramite,

3 a. Daemonis tyrannide,
Daciano praeside
Totisque saevitiis,

3 b. Carcere, latumiis,
Furiis, ferociis,
Verberum suppliciis,

4 a. Igne, crate, furculis,
Testulis et ungulis
Evictis viriliter,

4 b. Post tormenta varia,
Bestias et maria
Vicit mirabiliter.

5 a. Sic et sic, ut vinceret
Et coronam sumeret,
Exivit potentius.

5 b. Nos pugnantes adiuvet,
Ut vincentes societ
Beatis Vincentius.

Sequent. ms. Praedicatorum saec. 15. Cod. S. Ignatii Noviomagen. 55. — 4 a, 2 Testibus. — Mel.: Veni sancte spiritus.

319. De sancto Vincentio.

1 a. Sacram diem attentius
Celebremus, Vincentius
Qua vicit supplicia.

1 b. Vincenti dicit Dominus,
Ut hunc vicisse novimus:
Ista dabo praemia:

2 a. Edere de ligno vitae,
Coronam dabo vitae,
In albis incedere.

2 b. Columnam in templo meo
Faciam hunc, throno meo
Mecumque sedere.

3 a. Stellam matutinam,
Stolam sibi binam
Et manna absconditum;

3 b. Nomen eius non delebo
De libro vitae, sed augebo
Nomen eius inclitum.

4 a. His donis gaudet ideo
Vincentius, in eculeo
Quod laetanter vicerit.

4 b. Vicit poenis in acerbis,
Vicit ustus, vicit verbis,
Eo, quod meruerit.

5 a. Angelorum obsequio
Fovetur et alloquio
Demulcetur in carcere;

5 b. Carceris obscuritas
Fugit, et fit claritas,
Custos coepit credere.

6 a. Sancti narrant Augustinus
Et Ambrosius non minus
Huius martyris gesta.

6 b. Tenditur, traditur, uritur,
Animus non exuritur
Ob iudicis suggesta.

7 a. Fit testarum asperitas
Mira florum suavitas,
Dum super testas linquitur;

7 b. Dum nullis poenis vincitur,
Ad mollem lectum trahitur,
Quo Christi martyr moritur.

8 a. Cuius corpus eicitur
In campo, sed munitur,
Ne bestiis devoretur;

8 b. In aquas submergitur,
Sed ad litus revertitur,
Ut sepulturae detur.

9 a. Praeses Dacianus
Factus est insanus
Ob martyris victoriam,

9 b. Dum se victum cerneret,
Huncque martyr sperneret
Mutans poenam in gloriam.

10 a. O miles invictissime,
Te poscimus piissime,
Ut tuum hoc certamen

10 b. Precetur nobis gratiam
Et peccatorum veniam,
Ut nos salvemur, Amen.

Miss. ms. Ultraiectinum saec. 15. Cod. Ultraiectin. 402. — 1 b, 2 vicisse provimus. — 6 b, 1 Tonditur.

320. In Inventione s. Vincentii.

1 a. Omnis homo gaudeat,
Pacem mundus habeat,
Iubilet ecclesia.

1 b. Festiva Vincentii,
Martyris egregii,
Fulgent natalitia.

2 a. Qui mundus a vitiis
Literarum studiis
Datur ab infantia.

2 b. Vinctis ferro manibus
Et compede pedibus
Sudat sub custodia.

3 a. Verum Deum praedicat,
Falsos deos abdicat
Miranda constantia.

3 b. Dacianus igitur
Furit, dum confunditur
Levitae facundia.

4 a. Eculeo ponitur,
Membratim extenditur,
Rumpuntur vitalia.

4 b. Ignem cratis superat
Igne, quo repleverat
Eum Dei gratia.

5 a. Multa mortis genera
Caro suffert tenera
Forti patientia.

5 b. Sanctum sanctus spiritus
Consolatur caelitus,
Dolor fit remedia.

6 a. Retruso ergastulo
Stupendo miraculo
Astat caeli curia.

6 b. Testarum duritia
Florum fit fragrantia,
Lumen replet atria.

7 a. Dum Deus de praemio.
Praeses de supplicio
Vice tractant varia,

7 b. In lecti mollitie
Mutat poenas gloriae,
Terrenis caelestia.

8 a. Proiecto a facie
Hominum et bestiae
Serviunt et maria:

8 b. Avis servat mortuum,
Mare fert innocuum
Ad terrarum spatia.

9 a. Tuis, martyr, precibus
Salva nos ab hostibus,
Dele nostra vitia.

9 b. Duc nos ad palatia,
Ubi cum laetitia
Cantemus Alleluia.

Miss. Matisconense imp. Lugduni 1532. — 6 b. 3 repletur. — 8 a. 3 Deverunt et macia: deserviunt ist dreisilbig zu lesen.

321. De s. Vincentio Ferrerio.

1 a. Gaude, Christi ecclesia,
Festa ducens sollemnia
Tanti huius confessoris,

1 b. Qui in caelis coronatus
Est patronus nobis datus
Iesu dono salvatoris.

2 a. Zelo tractus supernorum
Statum petit professorum
Sub sancto Dominico;

2 b. Hunc ingressus et professus
Per virtutes est progressus
Ordine mirifico.

3 a. Vincentius recte dictus.
Per quem homo est devictus
Mira cum victoria.

3 b. Lucis armis communitus,
Cruce Christi insignitus
Nulla pavet iacula.

4 a. In studiis sic profecit,
Quod profunda patefecit
Divina sacraria.

4 b. Laurea condecoratus
Omnibus est norma factus
Clarae sapientiae.

5 a. Veritatis praedicator,
Sacrae legis aemulator
Verbi fulsit gratia.

5 b. Mira virtus in sermone,
Splendor, calor ut in sole,
Cuius ut mel eloquia.

6 a. Nulla mens ita obscura,
Nulla corda ita dura
Tenebris malitiae,

6 b. Quae non mutet et resolvat
Ac illustret et inducat
Ad vota paenitentiae.

7 a. Hic errores pravitatis
Verbo vicit veritatis,
Splendore scientiae.

7 b. Sicut verbo firmamentum,
Sic exemplo ornamentum
Factus est ecclesiae.

8 a. Quam illustrat et adornat
Et dilatat et fecundat
Gentium multitudine;

8 b. Voci vita concors fuit
Implendo, quidquid docuit,
Excelso morum culmine.

9 a. Admiranda patent signa
Tam post mortem quam in vita
Divina potentia,

9 b. Quae naturam cum transcendunt,
Argumenta clara reddunt
Huius sanctimoniae.

10 a. Vita functi reducuntur,
Caeci, claudi reponuntur
Ad membrorum munia;

10 b. Surdi, muti reparantur,
Aegri cuncti liberantur
Per eius suffragia.

11 a. O Vincenti pretiose,
Nos exaudi, gloriose,
Pro tua clementia;

11 b. Fac tuis sanctis precibus
Sociari caelestibus
In aeterna gloria.

Miss. Praedicatorum imp. Romae 1622. A. — Miss. Praedicatorum imp. Romae 1639. B. — 1 a, 2 Festa fehlt B. — 4 b, 2 est fehlt B. — 10 b, 3 Per ipsius AB. — Nach Strophe 10 b folgt noch eine Halbstrophe, die ohne Gegenstrophe ist und spätere Zutat zu sein scheint:

Gaude, felix Valentia,
Quae Dei providentia
Tanto resplendes filio.

11 b, 2 Sociari caeli civibus AB.

322. De sancto Virgilio.

1 a. Laudet Dei filium
Docta per Virgilium
Plebs huius provinciae.

1 b. Christi colens vineam
Hic salutis lineam
Genti dat iustitiae.

2 a. Iuvavensis exsule
Sedes tanto praesule
Illustrari meruit;

2 b. Hinc directis nuntiis
Fidei Karinthiis
Ianuas aperuit.

3 a. Producens idoneos,
Corrigens erraneos
Hos ad vitam revocat,

3 b. Additis doctoribus
Agnos cum pastoribus
Certis caulis collocat.

4 a. Deinde flos hominum
Transiit ad Dominum,
Sed morte non aruit;

4 b. Nam signorum numero
Post mortem innumero
Caelo vivens claruit.

5 a. Nos, Virgili, respice,
Tuum gregem refice,
Nobilis opilio.

5 b. Sis nobis ut paries,
Ad caelos ut aries
Duc nos ab exsilio.

Miss. ms. Salisburgense saec. 15. Cod. Mus. Germ. 22932. — 1 b, 2 salutis vineam. — 1 b, 3 Genti dedit. — 4 a, 2 Transit. — 5 a, 1 Vis. — Melodie wohl: Veni sancte spiritus.

323. De sancto Vito.

1. Laudes Deo patri
et filio Iesu Christo
spirituique sancto,

2 a. Cuius dono Vitus,
sanctus puer,
emicuit.

2 b. . . . . .
. . . .
. . . .

3 a. Genere claro
Romano
militiae natus.

3 b. Qui, dum septennis
fuisset
et Christum coleret,

4 a. Mirum dictu, a patre
suo tantillus
multas patitur
iniurias:

4 b. Verum a praeside
Valeriano
diversis mancipatur
suppliciis.

5 a. Invitus denique
puer patri redditur
tamdiu mulcendus,

5 b. Quousque cymbalis
virginum tinnulis flecti
posset organicis.

6 a. Qui nec ludorum choris
aut epulis
animo fractus
cessit idolis,
sed cultum
superni
regis diligens
mansit immobilis.

6 b. Praesidis manum sanat
aridam,
Hylam privatum
visu illuminat:
laudanda,
miranda
res et omnibus
gentibus stupenda.

7 a. Quod puer septennis
patrem proprium
contemnit et poenas despicit;

7 b. Et bene septennis,
nam septiformis
plenus spiritus gratia.

8 a. O sancte Vite,
aeternae vitae
consortes nos pie
constitue,

8 b. Qui regis natum
sanas vexatum
potenti virtute
verborum.

9 a. Sed e contra
imperator
recompensat
malum pro bono;

9 b. Hunc destinat
cruciandum
cum tormento
flammae ardentis,

10 a. Nisi prius consentiret et
tus offerret
idolorum ritu iuxta
morem legis impiorum.

10 b. Hinc ferae proponitur Vitus
devorandus;
sed leo ut ovis mitis
pedes infantis delinit.

11 a. Tandem mandatum tale est
datum, ut puer
in catasta torqueretur

11 b. Tamdiu, donec viscera
viderentur; sic
[in] caelum pius migravit.

12. Sit Deo, factori nostro,
potestas, victoria,
honor, laus et gloria
in saeculorum saecula.

Sequent. ms. S. Petri Salisburgensis saec. 16. Appendix Miss. Romani imp. Venetiis 1513 (In Bibl. Petrina Salisburgen. IV. F.). — 6a, 8 immobiliter. — 10b, 4 delinivit. — 11b, 2 videns. — Melodie: Psallite.

324. De sancto Vito.

1 a. Vitus puer cupit sisti
In caelis cum servis Christi
Fidem eius sitiens,

1 b. Septimo anno quam gliscit
Et bis seno bene discit,
Tormentum perficiens.

2 a. Ylas namque, pater eius,
Suadet illi, malo peius,
Fidem Christi linquere;

2 b. Quantum sibi promittebat
Aut terrores inferebat,
Non valebat vincere.

3 a. Hoc praefecto nuntiatur,
Puer statim advocatur
Et de fide quaeritur;

3 b. Constans stat respondens ei:
Cultor sum unius Dei,
Fides non deseritur.

4 a. Amor Christi parvum urit;
Quod cum novit praeses, furit.
Sanctum iubet caedere;

4 b. Huius manus aridatur,
Prece Viti sana datur
Nescientis laedere.

5 a. Domo patris stat inclusus,
Luce diva fit perfusus,
Quam cum Ylas respicit,

5 b. Excaecatur et clamavit;
Infans Deum exoravit,
Patri visum reficit.

6 a. Transit mare, ut a Deo
Fit praeceptum, et cum eo
Modestus, Crescentia;

6 b. Per quos Deus mira fecit,
Quosque pavit et refecit
Aquilae praesentia.

7 a. Vocat Caesar sanctum natum,
Qui se obtulit paratum
Eius sanans filium.

7 b. Ferro sancti constringuntur
Et sic vincti intruduntur
Carceris exsilium.

8 a. Inde Christus hos redemit,
Plumbum fervens non peremit
Hos nec leo rugiens.

8 b. Tandem sanctos torquet ligno
Caesar, multo viso signo
„Vae, vae“ clamat fugiens.

9 a. Agonistae Christi fortes,
Vestri simus ut consortes,
Exorate Dominum.

9 b. Quodque sorde exuamur
Et ut sorte perfruamur
Aeternorum civium.

Miss. ms. Ratisbonense saec. 15. Cod. Veteris Capellae Ratisbonen. 1990. — 4 a, 2 cum fehlt. — 6 a, 3 Modestus et. — 6 b, 2 Quousque ponit. — 9 b, 3 Aeternorum omnium.

325. De sancto Vito.

1 a. Edoctus Dei flamine,
Virilis et probamine
Ratus perseverat

1 b. Vitus duodennis puer,
Spernit idola, quo pater
Hunc crebro verberat.

2 a. Praefectus eum fustibus
Iussit caedi, caesoribus
Aruerunt brachia;

2 b. Praefecto manus aruit,
Quae sibi tunc convaluit
Viti per suffragia.

3 a. Dicit praefectus ad patrem:
Corrige hanc tuam prolem,
Ut non male pereat;

3 b. Pater iunxit hunc puellis,
Ludis vanis et missellis
Hunc mutare cogitat.

4 a. Clauso in cubili Vito
Fraglat odor suavis cito
Replens omnes in domo;

4 b. Pater circa Vitum stantes
Vidit septem coruscantes,
Excaecatur illico.

5 a. Prece Viti sed sanatur
Pater nec melioratur,
Vivum vult occidere;

5 b. Vitus ad terram aliam
Ductus, altus per aquilam
Coepit miris nitere.

6 a. Diocletiani natus,
Daemonibus pessumdatus,
Per Vitum eripitur;

6 b. Nolens diis sed offerre,
Caesar iubet hunc perferre
Tormenta; includitur

7 a. Carceri et compeditur,
Leoni datur, et ignitur;
Haec et multa superat.

7 b. Tandem Vitus cum Modesto,
Crescentia mox in modesto
Ligno triumphaverat.

8 a. Aer fremit, terra tremit,
Nubes pluunt, terra ruunt,
Multos necant homines;

8 b. Caesar fugit, victus mugit
A parvo it, se percutit.
Per angelum martyres

9 a. Vehuntur eis quoddam
flumen,
Orantes divinum numen
Deo reddunt animas.

9 b. Corpora sed tutelantur
Angelis, quae tumulantur
A Florentia; taetras

10 a. Ut repellant potestates,
Hos rogemus, sanitates
Cum fortuna impetrent,

10 b. Et post mortem nos ad polum
Iuvent, ut cernamus solum,
In quo cuncta relucent.

Miss. ms. Hospitalense anni 1427. Cod. Paulan. 26. 1. (9. Hospit. memb. 7.) A. — Miss. ms. incert. origin. saec. 15. Clm Monacen. 23272. — B. 1b, 1 duodenus AB. — 1b, 3 Hunc fehlt B. — 2b, 2 convaluit tunc AB. — 3a, 2 hanc fehlt AB. — 5b, 3 miris sidere AB. — 8b, 2 Apernoit se A; Aparvoid B. — 9b, 3 A florenti ateras B. — 10b, 1 polos A.

326. De sancto Viviano.

1 a. In honore Viviani
Sollemnizent christiani
Grata dantes gaudia;

1 b. Venerentur et collaudent
Confessorem, in quo gaudent
Fidei concordia.

2 a. Sicut spina profert rosam
Sine spinis speciosam,
Gens pagana protulit;

2 b. Hunc regalis stirps produxit,
Et de nocte lux illuxit
Obscuraque reppullit.

3 a. Postquam filius nequivit
Dici, ius hunc stabilivit
Xanctoniae comitem.

3 b. Sed contemnens comitatum
Totum figit anhelatum
Ad polorum limitem.

4 a. Pompam spernens saecularem
Togam vestit regularem
Tonso crine capitis.

4 b. Lege Dei meditatur,
Beatus vir vocitatur
Pro fidei meritis.

5 a. Legit, studet in divinis,
Vacat missis matutinis,
Egenis compatitur.

5 b. Tantae fulgens sanctitatis
Xanctonensis civitatis
Pontifex assumitur.

6 a. Bonus, pius, mansuetus,
Indiscretis vir discretus
Refulget virtutibus.

6 b. Nam puerum exspiratum,
A vipera sauciatum
Tollit mortis morsibus.

7 a. Ad hunc veniens leprosus,
Ore, corde lacrimosus,
Voti compos exstitit.

7 b. Aridas habentem manus
Signo crucis Vivianus
Sospitati praestitit.

8 a. Orat praesul, exauditur,
Ab angelis urbs munitur
Armatorum specie;

8 b. Visis Gothi revertuntur,
Quidam unda submerguntur
Timoris pernicie.

9 a. Boves clepit fur vesanus.
Insensatus et profanus,
Super quibus Vivianus
Tolosam pervenerat;

9 b. Reum furti se fatetur
Et fateri non veretur.
Dum in loco detinetur.
Quo furtum commiserat.

10 a. Applicante mercatore
Pretioso cum cruore
Vivianum cum tremore
Daemones vociferant.

10 b. Per ordinem rem scientes
Civitatis sapientes
Reliquias reponentes
Diem festum iterant.

11 a. Post haec migrans ex hac vita
Fidelis Israelita
Intravit ad nuptias.

11 b. Ad quas, pie, nos, confessor,
Stans pro nobis intercessor,
Pervenire facias.

Miss. Xanctonense imp. Parisiis 1491. — 1 a, 2 Sollemnizant. — 1 b, 1 collaudant. — 2 b, 1 regulis. — 3 a, 1 Dici. — 3 b 2 Totum fugit. — 6 a, 2 In discretis.

327. De sancta Walburga.

1 a. Virginitatis lilio
Sponsatur Dei filio
Walpurga, regis filia,
Ducens genus ab Anglia.

1 b. Ut sit miranda saeculis
Claris signorum titulis.
Defertur honor caelitus,
Nulli secundus habitus.

2 a. Dum mensis lumen deficit,
De caelo lumen elicit,
Negat custos ecclesiae,
Mutatur nox meridie.

2 b. Sanat aegram desperatam,
Sepulturae destinatam,
Dum blanditur canis ei,
Ponit modum rabiei.

3 a. Ut nefas plectat turpiter,
Duo cohaerent fortiter,
Dum occisus homicidae
Vulnus excepit perfide.

3 b. Mutus fatur, surdus audit,
Caecus videt, mancus plaudit,
Curatur epilensia
Et minor apoplexia.

4 a. Mira res, aegros sanat
Unctionis stilla,
Quae salubris emanat
Virginis mamilla.

4 b. Signa vincunt numerum
Digna recenseri,
Sicut motus siderum
Nequit exhiberi.

5. Ora, virgo, virginem,
Matrem sponsi tui,
Ut concedat hominem
Castitate frui.

Miss. ms. Eistettense saec. 15. Cod. Civit. Nurembergen. IV 86 A. — Miss. ms. Eistettense saec. 15. Clm. Monacen. 23054 B. — Missale Eistettense imp. in Eystett 1494. C. — Missale Eistettense imp. Nurembergae 1517. D. — 2 a, 4 Mutatur vox A; Mutatur lux B. — 2 b, 4 modum B. — 4 b, 3 modus A.

328. De sancto Wendelino.

1 a. Laudes almo Wandalino
Personemus mirifico
Voce plena.

1 b. Clama petens suffragia
Eius sequens vestigia,
Plebs egena.

2 a. Sed tu, pater pie, bone
Pastor gregis et patrone,
Prece semper sedula

2 b. Apud curiam summi regis
Derelicti vices gregis
Commenda per saecula.

Missale Trevirense imp. Coloniae 1498. A. — Missale Wirceburgense imp. Coloniae 1509. B. — 1 b, 1 Clara petens B. — 2 b, 1 Apud curam A. — Dies sind die letzten zwei Strophen der Sequenz de s. Dominico mit dem Anfange In caelesti hierarchia auf Wendelin übertragen; daher der schlechte Reim, der 1 a, 1 und 1 a, 2 bindet.

329. De sancto Wiberto.

1 a. Laetetur ecclesia
Sollemni melodia
Recolens magnalia
Redemptoris.

1 b. Monachorum agmina
Voce promant inclita
Guiberti praeconia
Confessoris.

2 a. Hic abundans praediis
Et vita laudabilis
Effulsit et nobilis
Stirpe clara.

2 b. Ut Deo serviturum
Acquireret populum,
Fundavit coenobium
Dote cara.

3 a. Hic tendens ad supera,
Parvipendens terrea
Se reliquit et sua
Mente pura.

3 b. Hic a cultu daemonum
Errores Hungarorum
Convertit ad Dominum
Voce vera.

4 a. Regulam, quam devovit,
Fideliter tenuit,
Vitam quoque finiit
In Gorzia.

4 b. Sed beatum patronum
Nos semper protecturum
Huc misit tumulandum
Virtus alma.

5 a. Guiberte, nos emenda
Et Deo nos commenda,
Ut sibi sine menda
Serviamus.

5 b. Ut sanctorum praemia
Per tua suffragia
Cum Christo in gloria
Capiamus.

Miss. ms. Gemblacense saec. 15/16. Cod. Bruxellen. 5237. — 2 b, 4 Dote clara. — Melodie: Mariae praeconio.

330. In Elevatione s. Wiberti.

1 a. Psallamus pariter
Christo sollemniter
Carmen laetitiae,

1 b. Qui Guibertum sanctum,
Caelo coronatum
Corona gloriae,

2 a. Insignem etiam
Fecit per gratiam
Signorum saeculo.

2 b. Hic stirpe nobilis,
Vita laudabilis,
Fulgens in populo,

3 a. Contemptis omnibus
Plenus virtutibus
Vita monastica,

3 b. Migrans in Gorzia
Vectus ad propria
Visuit caelica.

4 a. Caecis claritatem,
Captis libertatem
Meritis tribuit,

4 b. Clausis dedit gressum,
Daemone obsessum
Sanum restituit.

5 a. Aegris dat medelam
Mutisque loquelam
Et surdis auditum.

5 b. Ligatus caelitus
Fur fit et cognitus
Per eius meritum;

6 a. Nec solvi potuit,
Donec restituit
Furtum, ut decuit.

6 b. Tot et tantis signis
Guibertus insignis
Mundo innotuit.

7 a. Cuius elevatur
Corpus et locatur
Hodie decenter;

7 b. Haec dies ornatur
Atque consecratur
A Deo pariter.

8 a. Quattuor cum signa
Fiunt in hac digna
Elevatione,

8 b. Guiberti meritis
Iustique iudicis
Miseratione:

9 a. Primo crux monstratur,
Secundo sedatur
Hostis divinitus;

9 b. Tertio caecatur
Et illuminatur
Mulier caelitus;

10 a. Quarto exaudita
Per sancti merita
Quondam fit alia.

10 b. Hinc caelo et terra
Guibertus aeterna
Fulget memoria.

11 a. O pie patrone,
Mortis in agone
Sis pius opifex.

11 b. Ut tuis meritis
Iudex nobis mitis
Sit summus artifex.

12. Amen dicant omnia.

Miss. ms. Gemblacense saec. 15to. Cod. Bruxellens. 5237. — 1 a. 2 Cum Christo. — 2 a. 1 Insigne. — 4 a. 1 Caecis characterem. — 9 a. 2 Sedantur. — 10 a. 3 ist unverständlich. — 10 b. 1 Hic.

331. De sancto Wigberto.

1. Laudes pangamus regi,
redemptori Christo,

2 a. Hac die devotis
famulatum
exhibentes praeconiis

2 b. Beati Wigberti
gloriosis
gratulanter sollemniis.

3 a. Hic Christi sacris
oboediens monitis
~~~~~~~~~~

3 b. Affectus carnis
omnes secuit ense
divisionis piae.

4 a. Casam
~~~~~~~~~~
pudici cordis mundando
summae trinitati
hospitium praeparat;

4 b. Nudam
Christi crucem
ipse nudus assecutor
ferens, crucifixus
assecla crucifixi.

5 a. Spreverat patriam,
~~~~~~~~~~
cognatos amore Dei

5 b. Spargere cupiens
lucis semina nobis
sedentibus in tenebris.

6 a. Ducatum pergendi
ad Christum praebuit
verbis et exemplis

6 b. Praesentari suo
satagens Domino
lucro geminato.

7 a. Hodie
sanctus Wigbertus
carnis ergastulo
~~~~~~~~~~
~~~~~~~~~~
liber abiecto
~~~~~~~~~~
secreta caeli petit;

7 b. Caelicis
congaudentibus
iungitur civibus,
factus curiae
consul angelicae
senator ipse
fit Ierusalem consors
senatoribus ipsis.

8 a. Confessor inclite,
continuo precatu
servulos proprios
tuere clementer

8 b. Et locum, tuorum
nunc cinerum custodem,
dextris successibus
pacis vise libens;

9 a. Salutem languidis,
maestis laetitiam,
veniam da lapsis,

9 b. Ut gloriosorum
tui sublimia
gesta meritorum

10. Laetabundi semper
digne celebremus,
o Wigberte.

Collect. ms. Tegurinum saec. 12. Clm. Monacen. 18956. — Mit Melodie in Neumen, nämlich „Captiva“; vgl. Anal. Hymn. XXXIV, Nr. 5 und XL, Nr. 332. —

332. De sancto Willibrordo.

1 a. Sit tibi laus et honor, doni septemplicis auctor,
1 b. Qui spiras, ubi vis, qui sanctificas tibi, quos vis.

2 a. Qui caelos ornas et septem munera donas,
2 b. Per quae sunt omnes sancti facti locupletes,

3 a. Ac locupletatus Willbrort est, gente Britannus.
3 b. Hic prius [est] notus mundo, quam conditus ortus,

4 a. Cognitus ante suae matri sub oromate lunae,
4 b. In teneris annis maior se robore mentis

5 a. Cognatos, patriam patriarcha reliquit ut Abraham;
5 b. In cosmi partes exsul venit boreales.

6 a. Est in pontificem delectus, missus in urbem,
6 b. In dominatricem mundi totius et arcem;

7 a. Est et apostolicus caelesti famine doctus,
7 b. Quis, cuius meriti, quid vellet, quare veniret.

8 a. Sit tibi doxa, decus, nostrum, paraclite, pignus;
8 b. Est Willbrort iunctus tibi praesulis ordine functus.

9 a. Est appellatus clemens, donis cummulatus,
9 b. Est nactus sedem Traiecti pontificalem.

10 a. In virtute tua gessit miranda stupenda,
10 b. Dulcifluum siccis fontem produxit harenis.

11 a. Barbariem Fresiae lustravit lumine vitae,
11 b. Indomitam gentem verbo domuit Walichrensem.

12 a. Est ictus gladio nec laesus sanguine fuso;
12 b. Martyr, apostolus est, confessor, virgoque vates.

13 a. Est Epternacum sibi sortitus poliandrum,
13 b. Claret ubi signis, quot harenis, quot mare guttis.

14 a. Huius pro meritis te mentibus insere nostris,
14 b. Sis rector, fautor, summi charismatis auctor.

Trop. ms. Epternacense saec. $\frac{11}{12}$. Cod. Parisin. 10510.

333. De sancto Wunibaldo.

1 a. Ad altaris sacramenta
Sit vox concors, mens intenta,
Sit pacis concordia,

1 b. Ubi sub panis specie
Corpus Christi cottidie
Sacrant verba mystica;

2 a. Accedit ad elementum
Verbum, fit sic sacramentum
Sanguinis salutaris.

2 b. Ad talem cibum et potum
Wunebaldus se devotum
Sacris exhibet aris.

3 a. Hic quadratam ponens mensam
Vitalem signat expensam
Quattuor virtutibus;

3 b. Infra sacra mysteria
Divina ministeria
Sensit de caelestibus.

4 a. Legem sub certis regulis,
Non in saxeis tabulis,
Sed in corde reproborum
Scribit docens viam morum;

4 b. Auro conflatum perfide
Vitulum terit lapide
Frangens vota barbarorum
Et culturam idolorum.

5 a. Redit domus exasperans,
Pravos mores contemperans
Ad cultum omnipotentis
Verbo post tergum monentis;

5 b. Irriguum superius
Dat pater et inferius,
Dum luget cor paenitentis
Bis compunctum in lamentis.

6 a. Natus regis se servilem
Dives reddit et exilem
Intrans in exsilium.

6 b. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .

7 a. Recedit manetque talis,
Ut sit sanctis coaequalis,
Redit ad caelum spiritus
Manetque signis inclitus.

7 b. O confessor pie Christi,
Qui certum diem praescisti
De caelo tui transitus,
Tuere nostros exitus.

Append. ms. post Miss. Benedict. imp. Spirae 1498 (Erlangen). – 2a, 1 sq. Accedit verbum ad elementum, fit ibi sacramentum. — 2b, 3 extribearis. — 5b, 3 cor permittentis. — 7a, 4 Manet.

334. De uno Martyre.

1. Alme mundi

2 a. Creator atque redemptor
iuste, maiestas summa,

2 b. Gloriosus Deus saecla
manens per infinita,

3 a. Qui choris adornatus
angelicis
horumque pollens laude,
dignatus es revisere
infima rura,

3 b. Ut fornace retrusos
Aegyptia
potenti clemens manu
liberares de tenebris
et mortis umbra,

4 a. Virginali thalamo
suscepisti
mortalem formam

4 b. Hancque cruci affigi
pro salute
passus es nostra,

5. Praebens inclitis
martyribus exempla
Hausti calicis
a te bibere pota,
subiendo verbera,

6 a. Quibus das
aeterna
pius praemia,

6 b. Fruantur
quo tecum
luce perpetua.

7 a. Quorum Alleluia
secutus est collegia

7 b. Divina impulsus
misericordia dextra
Felix tuus athleta,

8 a. Percipiens
tyrannorum sacra iugula,

8 b. Unde feliciter
permanet in gloria.

Collectan. ms. Placentinum saec. ^{13}14. Cod. Capit. Placentin. 65. — Mit Melodie: „Iustus ut palma maior.“ — 6b. 1 Fruatur. — Abschrift von Rev. H. M. Bannister.

335. De uno Martyre.

1. Optime fons et origo
nominis christiani,

2 a. Agnus, pastor et ovis,
rex, sacerdos et hostia
reconciliando
peccatores,

2 b. Fac nos flores, flos ipse,
cuius floribus non desunt
candor liliorum
sed nec rosae.

3 a. Dic nobis, tyranne,
Tortor atrox et magne,
Athletam Dei viventis
Emolliri putas
in tormentis?

3 b. Contra Dei testes
Quid catasta, quid restes?
Provecti sunt, non despecti;
Non cruentavit crux,
sed candidavit.

4 a. Torculari calcato vivum
emanat oleum,
sic tribulata
palea granum.

4 b. Martyr Christi, suspirantes,
qua frueris vere,
ad veram vitam
nosque tuere.

Sequent. ms. Praemonstratense saec. 14. in. Cod. Mus. Bohem. XIII. A 14. A. — Miss. ms. Praemonstratense saec. 14. Clm. Monacen. 23265. B. — Miss. ms. Attilense anni 1454. Clm. Monacen. 3311. C. — Miss. ms. Montisaprini anni 1466. Clm. Monacen. 5912. D. — 3a. 1 Sic nobis C. — 3b. 2 catastae A. — 3b. 4 sq. sed crux A. — 4a. 1 vinum BD. — 4a. 2 manat A: olivum BC. — 4a. 3 sint tribulata A, sed tribulata C. — 4b. 1 suspirantis BCD. — 4b. 2 fruaris A. — 4b. 4 Vite tuere CD (weil hier auf das Fest des hl. Vitus). — Melodie: Victimae paschali.

APPENDIX.

FRATRIS N. HAMELII VICTORINI
ET
ANONYMI RAVENNATENSIS
SEQUENTIAE.

I. Sequentiae Fratris N. Hamelii Victorini.

336. De Praesentatione B.M.V.

1 a. Adunetur totus chorus
Et multorum sit concentus
In laudis praeconium.

1 b. Virgo, templum trinitatis,
Sacrarium deitatis,
Nobile triclinium,

2 a. Consecratur et effertur
Et in templo dedicatur
Virgo sancta in hac die.

2 b. Cui debetur honor, virtus,
Humi iacet, sicut nardus,
Mater pacis, clementiae.

3 a. Anna mater parit gnatam,
Post tres annos hanc oblatam
Effert Deo primitias.

3 b. Paranymphus concepturam
Praedicavit, parituram
Post tantas inducias.

4 a. Anna mater post vicenos
Reportavit fructus sanos;
Germinavit sacrum florem.

4 b. Annis Anna parit gnatam,
Gnata profert salvatorem,
Rem miramur inauditam.

5 a. Stirpe nata de regali
Simul et sacerdotali
Duxerat originem;

5 b. Ipsa namque Deum magnum
Paritura egregium
Regem et pontificem.

6 a. Radix Anna, virga virgo,
Flos est Christus in hoc mundo,
Qui natus a principio;

6 b. Inter natos renascentes,
In hoc mundo vagientes,
Dotatus privilegio.

7 a. Obtulisti fructum ventris
Ultra tempus parientis
Mox in templo deitatis,
Dum habetur triennium.

7 b. Sed se offert et offertur,
Se praesentat, praesentatur,
Praesentata recipitur
In divinum obsequium.

8 a. Temetipsam obtulisti
Atque illi devovisti,
Obsequio subdidisti;

8 b. Neque satis est in templo,
Nisi sit in corde nostro,
Quem manere praecepisti.

9 a. In aetate puerili
Intrat virgo saepta templi,
Servitura praesentatur.

9 b. Annis tribus iam completis
Statim de domo parentis
Haec puella egreditur.

10 a. Per ter quinos scandit gradus
Et in templum tot ascensus
Parva puella graditur.

10 b. Devovere hanc parentes
In divinis mancipantes,
Statim votum statuitur.

11 a. Haec puella scandit templum,
Hoc in altum constitutum
Vera Dei ecclesia.

11 b. Veneratur domum Dei,
Efficitur templum Dei
Adhuc in infantia.

12 a. In ascensu demonstratur
Via, per quam ascendatur
Ad caeli palatia.

12 b. Ergo surgat et sequatur
Istam viam, qui moratur
In mundi miseria.

13 a. Ingreditur sanctum templum,
Quae futura Dei templum,
Altissimi, summi regis.

13 b. Intrat templum virginale,
Nunquam visum est aequale,
Quod construxit manus patris.

14 a. Neque propter flos odorem
Suum, non perdit decorem,
Cum odor emittitur;

14 b. Neque propter creatorem
Virginitatis candorem
Non perdit, cum nascitur.

15 a. O Maria, mater munda,
A peccato nos emunda,
Gratia tua repleat;

15 b. Munda templum nostri cordis,
Nil rancoris nec livoris
In ipso remaneat.

16 a. In hac die mox tuorum
Munda templa servulorum,
Sint munda habitacula;

16 b. Fac, sint corda nostra templa,
Cum sint lata satis ampla,
Sint pura tabernacula.

17 a. Gloriosa virgo, mater,
Tu quae prima, non est alter
Nec aequalis, sed arbiter
Inter Christum et fideles;

17 b. Vide artus fatiscentes,
Serva servos titubantes
Et in salo fluctuantes.
In pelago navigantes.

18 a. Esto maris nova stella,
Dum conturbat nos procella,
Apud Christum interpella
Pro nobis in periculo.

18 b. Fluctus surgunt magni maris,
Nos conducat stella maris
Ad portum securitatis
Confracto gubernaculo.

19 a. Virgo, mater singularis,
Quanta laude sublimaris,
Quanto fulges praeconio!

19 b. Mox concepta consecraris,
Consecrata praeservaris
Dei fulta auxilio.

20 a. O tu mater creatoris,
Funde preces cunctis horis,
Ut post istud saeculum,

20 b. Post cursum huius laboris
Beatis iungamur choris
Supernorum civium.

Collectan. ms. Victorinum saec. [13. 15.] 16. Cod. Parisin. 14872. — Mit der Angabe: „Auctor N. Hamelius Victorinus“ und der Jahreszahl 1574. — 9a, 2 Intra. — Der Reim beschränkt sich in dieser wie durchweg in allen Sequenzen des wortreichen und einer oft mehr als dunklen Sprache sich bedienenden Autors auf die Schlufssilbe. — Betreffs Begründung, warum so namenlos schlechte Reimereien dieses Victoriners hier Aufnahme fanden, vgl. Vorwort, S. 8 ff.

337. De Visitatione B.M.V.

1 a. Ave, sponsa deitatis,
Maria, fons pietatis,
Angelorum gloria;

1 b. Ave, felix et beata,
Sacerdotis sponsa grata,
Quorum iuga sterilia.

2 a. Fugit aetas iuventutis,
Venit tempus senectutis;
Redit aetas iuvenilis,
In utrisque fit virilis,
Tolluntur opprobria;

2 b. Clausa vulva, ne sit partus,
Qui spe quondam destitutus,
Aperitur, et fit partus;
In utrisque est iuventus,
Auferuntur ludibria.

3 a. Fidem praebet oraculo
Laetabunda et nuntio,
Festina prae gaudio
Perrexit in montibus.

3 b. Ubi mansit tribus tunc mensibus,
Delectatur suis conspectibus,
Statim rediit in propriis sedibus.

4 a. In publico festinabat
Et tumultus abhorrebat
Atque turbas fugiebat.

4 b. Maturate properabat,
Extra pedem vix trahebat
Nec a domo recedebat.

5 a. Venit maior ad minorem,
Venit hera ad ancillam,
Mater Dei ad matrem prophetae;

5 b. A maiore visitatur,
Et minori obsequitur,
Servit ista tunc ancillae.

6 a. Benedicta inter mulieres,
Benedicta super omnes,
Benedicta divina pignora;

6 b. Benedictus ventris fructus,
Benedictus eius partus,
Benedicta talia viscera.

7 a. Mater vocem prior audit,
Et virtutem puer sentit,
Dum Messiam tunc praesensit.

7 b. Gratulatur nondum loquens,
Iam adplaudit adhuc infans,
Ubi aetas deficit.

8 a. Ut venator sentit feram
Longe fere venientem,
Sic agnovit hunc praesentem;

8 b. Adhuc iacens sic inclusus
Est virtute odoratus,
Ibi sensit praesentiam.

9 a. Ubi vates egregius
Illud hausit profundius
Secretum mysterium,

9 b. Et parente acutiva
Illo non est perfectiva,
Dum movet tripudium.

10 a. Parvus miles
regem salutabat,
Virgo regem
in alvo gestabat
Inter artas
ventris angustias.

10 b. Pater portat
grave pondus,
Virgo gestat
leve onus
Nec patitur
naturae pressuras.

11 a. Non est pondus corpus gravens,
Sed est onus leve portans,
Quae portantem
portat omnia.

11 b. Visitavit tunc cognatam
Et habebat hanc germanam;
Quam ut novit impraegnatam
Virtute magnifica:

12 a. „Unde venit mater Dei,
Mater regis altissimi?“
Magna est laetitia.

12 b. „Qua gratia quove dono
Ingreditur haec in domo,
Ubi parva familia?“

13 a. Dum visitat, visitatur,
Dum salutat, salutatur,
Salutata resalutat
Honestis amplexibus.

13 b. Sacra miscent colloquia,
Verba conferunt dulcia
Et divina eloquia
De rebus sublimibus.

14 a. Admiremur novitatem
Et naturae dignitatem,
Magnam quoque maiestatem,
Fructum magnum allatura.

14 b. Nam sterilis est longaeva
Et in brevi paritura,
Virgo mater conceptura
Fusa mirante natura.

15 a. Anna parit supra tempus,
Illud vere Dei opus
Et est nobis mirabile.

15 b. Virgo parit nec est laesa,
Manet virgo sed intacta,
Et est opus laudabile.

16 a. Est ut thronus Salomonis,
Velut vellus Gedeonis,
Terra nunquam exarata,

16 b. Rubus ardens, non comburens,
Hortus clausus et conclusus,
Porta clausa obserata.

17 a. Eva prius
noverca posteris,
Illa mater salvatoris,
Ista mater praecursoris:

17 b. Prima parens nobis luctum
Sed secunda vitae fructum
Haec gaudium
in ortu infantis.

18 a. Sitis nostrum salutare,
Ob meritum singulare
Harum matrum visitare
Dono tuae gratiae.

18 b. Nunc apparens ventris fructus,
Nobis inter mundi fluctus
Sis via, dux et conductus
Virtute potentiae.

19 a. Visitare nos digneris,
Nos, si placet, consoleris;
In adversis confortetur,
Nec de nobis vindicetur
Tua fulti clementia,

19 b. Sicut quondam visitasti
Hanc germanam, quam amasti,
Obsequium impendisti
Et a malis protexisti,
Tua referta gratia.

Collect. ms. Victorinum saec. [13. 15.] 16 Cod. Parisin. 14872. — Mit der Chiffre des Auctors. — 13b, 4 Et rebus. — Wie in dieser Sequenz (Str. 3 u. 11), so werden wir noch öfter beobachten, dafs Strophe und Gegenstrophe in der Verszahl differieren, ganz abgesehen vom ungleichen Rhythmus (Str. 5, 10, 17).

338. De sancta Anna.

1 a. Ecce, tempus opportunum,
Convenimus nos in unum,
Ut in laude conditoris
Impendamus vires cordis.

1 b. Nequit satis admirari
Mens humana nec profari,
Quanta laude prosequenda
Mater matris salvatoris.

2 a. Anna, regum progenies
Et sacerdotum series,
In te virtutum species,
Sola mater sine pari;

2 b. Infecunda pro tempore,
Prope marcescens corpore,
Toto soluta vigore
Dono plena singulari.

3 a. Ex regali stirpe nata,
Coniugio copulata,
Consecuta tres maritos,

3 b. Et ex illa prole sancta
A saeculis inaudita
Fructus conferens optimos.

4 a. Anna mater, mater Anna,
Sunt tua dona magna,
Anna sonat gratiam;

4 b. Tota facta gratiosa,
Super omnes speciosa,
Magnam ferens laetitiam.

5 a. Haec in domo per vicenos
Cum marito vixit annos
Sine fructu coniugii,

5 b. Néque cessat a divinis,
Tota perfusa lacrimis
Audit quaestus opprobrii.

6 a. Bona sua conferebat,
Tripharie dividebat,
Partem templo et egenis,

6 b. Partem suae familiae
Reservabant, inopiae
Servis suis domesticis.

7 a. Et, sterilis quae non erat,
Paritura maledictam
Lex antiqua praedicabat,

7 b. Non ultricem manum suam
Porrigebat in naturam,
In peccato saeviebat.

8 a. Caelestis nuntius,
Cuius vultus angelicus,
Qui missus caelitus
Reddit certam de nuntio:

8 b. Concipies et paries
Nec similem reperies
Sic decretum consilio.

9 a. Annis Anna parit gnatam
Super omnes singularem,
Quod miratur lex naturae,

9 b. Et miratur totus mundus
Matris Annae ex Ioachim
Super partum geniturae.

10 a. Quae quondam sterilis,
Est modo fertilis
Dans fructum optimum.

10 b. Visitavit terram sanctam
Et replente foetu totam
Terra dedit fructum suum.

11 a. Anna parit tres filias,
Illa vocat has Marias,
Offert fructus primitias
In divinum obsequium.

11 b. Unus, bini et quaterni
Mundo nati et renati
Per ipsarum sanctarumque
Mariarum conubium.

12 a. Prima Christum, altera
Iacobum maiorem, Barsabam
Iustum cum Simone Iudam,

12 b. Tertia parit mater
Ioannem volucrem
Iacobumque maiorem.

13 a. O nobile collegium
Est sanctarum consortium
Et sororum sacrum trium,
Quarum nomen est Maria.

13 b. Est Maria stella maris
Sedans fluctus tempestatis,
Iungat regno claritatis
Post tanta suspiria.

14 a. Elisabeth, Sara, Rachel,
Anna matres, quae steriles
Pepererunt mirabiles.

14 b. Non ablatus erat partus,
Sed dilatus, modo datus,
Prodierunt nobiles.

15 a. Radix Anna, virga virgo,
Flos est Christus in hoc mundo,
Quem novimus profluxisse,

15 b. Radix Iesse coepit esse,
Gaudet mundus recepisse
Talem florem de radice.

16 a. O sorores vos germanae,
Custodite sero, mane,
Ne facinus tam immane
Patiamur in futuro,

16 b. Ubi mors est sine vita,
Poena gravis infinita,
Afflictio infinita,
Nulla quies a tormento.

17 a. Alma parens, mater Anna,
Mater pia et benigna,
Iuva tuis precibus,

17 b. Nos in mundo tam naufrago
Sine tuo praesidio
Agitamur in fluctibus.

18 a. Anna, parens matris Christi,
Ante Deum iube sisti
Post mundi naufragia,

18 b. Et miseris donet opem,
Sempiternam det requiem
Per tua suffragia.

19 a. Mater matris Christi,
Ex hoc mundo tristi
Post hanc vitam caeli
Ducas ad atria,

19 b. Ubi sine nocte dies
Et ex toto meridies,
Ubi quies et gloria.

Collectan. ms. Victorinum saec. [13. 15.] 16. Cod. Parisin. 14872. — Mit der Angabe: „Auctor N. Hamelius Victorinus". — 1 b, 1 Neque satis. — 18 a, 1 parens mater Christi. — Strophe 15 a ist gleichlautend mit Str. 6 a in Nr. 336.

339. De sancta Apollonia.

1 a. Admiremur recolentes,
Huius festum venerantes
Gloriosae virginis.

1 b. Toto corde, pari mente
Convertamus nos repente
In amorem certaminis.

2 a. Huius dies tam festiva,
In qua nobis primitiva
Redeunt sollemnia.

2 b. Haec est virgo tam insignis,
Cuius virtus mirabilis
Nobilis per omnia.

3 a. Haec ter senos agens annos
Fugit sinus iam paternos,
Applicat Bisantium;

3 b. Hanc suscepit tunc matrona,
Cuius nomen est Melota,
Ob furores gentilium.

4 a. Quam videns Cyrillus totus
Est turbatus, neque vigor ullus
Nil remansit tunc virium;

4 b. Totus raptus in amorem,
Totus captus in furorem,
Talem videns tunc decorem
Et dilexit hanc nimium.

5 a. Offert multa, spondet plura
Periturus peritura,
Sed vilescunt omnia.

5 b. Omne mundi ornamentum
Reputavit velut lutum,
Munera regalia.

6 a. Tunc Cyrillus se contemptum
Videns trahit ad tormentum,
Dicens esse christianam.

6 b. Illa Christum profitetur
Neque deos reveretur,
Habens intus mentem
sanam.

7 a. In horrendo carcere
Ingreditur intrepide,
Ubi tandem confortatur
Angelico solacio.

7 b. Post in templum deducitur
Et in sacrum conspuitur,
Ubi fulta reperitur
Divino praesidio.

8 a. Hanc sex lustris
ieiunam diebus
Praeses iubet
stare conspectibus
Atque duris
caedi verberibus.

8 b. A molari
dentes excutiunt,
Huius sanctae
labia praescindunt
Post tergum
revinctis manibus.

9 a. Suspenditur eculeo
Toto mirante populo,
Praeses iubet concremari;

9 b. Duris loris attrahitur
Et a tortore flagellatur
Neque potest commutari.

10 a. Orat virgo
devotis precibus,
Fundit preces
pro cunctis civibus:
In adversis
sperans solacium

10 b. Si quis memor
sit sui nominis,
Patiatur
dolorem capitis
Simul atque
laborem dentium;

11 a. Si fulguris.
vel aquae. vel ignis.
Aut si guttae,
sive vermis
Patiatur
incendium.

11 b. Vox de caelo
audita repente:
„Quae orasti
satis ingenue,
Exauditur
tuum suffragium."

12 a. Illa statim
elapsa manibus
In acribus
prorupit ignibus,
Continuo
flamma dispergitur;

12 b. Flamma furens
praesentes adurens
Et in flammas
ultra proiciens,
Non uritur
. . . . . .

13 a. Ingens fulgur emicuit,
Terra gravis contremuit,
Pars populi
diversa teritur.

13 b. Tunc Cyrillus mente captus
Furit, currit ut insanus
Et a vero
alienus moritur.

14 a. Corpus datur praeda brutis
Canibusque, lupis, ursis
Laniandum praesentatur
Nec tamen discerpitur.

14 b. Defertur ad litus maris,
Quod suscepit apta navis,
A Melota occultatur,
Et in cista reconditur.

15 a. Nautae putant
inesse thesaurum.
Soporatus
mergunt in profundum,
Qui servantur incolumes.

15 b. Surgit inde
horrida tempestas.
Illa caelum
commovet et undas,
Sic spe manserunt inanes.

16 a. Montem Tabor ascendentes
Ibi corpus referentes
Parant locum quiescenti;

16 b. Ibi multa fiunt mira
Et praeclara miracula.
Vota redduntur numini.

Collect. ms. Victorinum saec. [13. 15.] 16. Cod. Parisin. 14872 — Mit der Chiffre des Autors. — 6a. 2 Illam trahit. — 10b. 4 Simul et. — 12a. 2 illapsa. — 13b. 4 emoritur. — 14b. 3 oculatur. — 14b. 4 in costa. — Diese Sequenz ist umgearbeitet im Sequent. ms. Ravennatense anni 1585—87; Cod. Classen. 369 (139. 5. S. in folgender Weise:

1 a. Admiremur recolentes.
Diem festum venerantes
Gloriosae virginis.

1 b. Toto corde, pari mente
Convertamus nos repente
Ob laudem certaminis.

2 a. Erat longaevae aetatis,
Fugit actus voluptatis,
Applicat Bisantium.

2 b. Tunc suscepit hanc devota
Dulcis matrona Melota
Ob furores gentium.

3a. Totus turbatus Cyrillus,
Neque vigor mansit ullus
Neque quidquam virium;

3b. Ille raptus in amorem
Videns corporis decorem
Hanc dilexit nimium.

4a. Offert multa, spondet plura
Periturus peritura,
Sed vilescunt omnia;

4b. Omne mundi ornamentum
Spernit, aurum et argentum,
Munera regalia.

5a. Iste videns se contemptum
Illam trahit ad tormentum,
Proclamat christianam.

5b. Et haec Christum profitetur
Neque deos veneretur,
Habebat mentem sanam.

6a. Post tricenos astat dies,
Laeta remansit facies,
Et graviter caeditur.

6b. A molari excutiunt
Dentes, labia feriunt,
Post tergum praecingitur.

7a. Orat, ut memor nominis
Recipiat vim numinis
In dolore dentium.

7b. Prosilivit se in ignem,
Admirantur rem insignem,
Currens ad incendium.

8a. Rogus saevit in praesentes,
Flammas emittit ardentes,
Pars populi teritur.

8b. Corpus datur praeda brutis
Canibusque, ursis, lupis
Nec tamen discerpitur.

9a. Montem Tabor ascendentes,
Ibi corpus deferentes
Locum parant vigini:

9b. Ubi fiunt miracula
Vocata prece sedula
Pro gloria Domini.

340. De sancta Barbara.

1a. Gaude, turba fidelium,
Quam de stirpe traxit gentilium
Et in novum iunxit collegium
De gente barbarica.

1b. Gaude, felix et beata,
Gaude, urbs Nicomedia,
Qua triumphat agonista
De viris victoria.

2a. Pater tradit edocendam
Et in sacris imbuendam,
In qua fidem catholicam
Novit ab infantia.

2b. Virgo beata Barbara,
Gemma caeli pretiosa,
Sponsa Christi speciosa,
Dioscori filia.

3a. Ut agnovit pater saevus,
Fremit tamquam leo dirus,
Illam iubet custodiri;

3b. Quam agnoscit christianam,
Martiano illudendam
Statim mandat nuntiari.

4a. Haec in arta
turri retruditur,
Puella venusta,
decora facie;

4b. Quae a multis
adamatur,
Sed a nullo
contacta homine.

5a. Templum ingreditur,
Videns simulacra:
„Quid haec volunt, inquit,
Ista deaurata,
Quorum materia
Luto composita?

5b. Nam homo de terra
Trahit originem,
Nec caelum nec aer
Nec aqua a se sunt,
Sed summus artifex
Creat universa.

6 a. Si quondam dii nostri
fuerunt homines
Et sic ita nati,
nobis sunt aequales;

6 b. Neque divinitas
coepit nec desinit,
Quae semper idem est
nec facit similes."

7 a. Haec artificibus
Amplas tres fenestras
Praecepit fieri;

7 b. Statim ipsa videt
Furore nimio
Patrem commoveri.

8 a. Tres fenestrae
terram illuminant,
Per quas orbis
obscura rutilant,
Sic per eas
cuncta manifestant;

8 b. Tres fenestrae
trina divinitas.
Quarum est par
et aequa maiestas;
Per quam
elementa refulgent,

9 a. Quid de fide trinitatis
Et virtute unitatis
Et de Deo, quae sit notitia;

9 b. Est trina unitas
Et una trinitas,
Trinus in personis,
Una essentia.

10 a. Tres sunt unum in natura,
Neque minor una tribus,
Quibus est una deitas;

10 b. Habet una, quod alia.
Neque maius, neque minus,
Cuius est aequa maiestas.

11 a. Ut in sole, ut in unda,
Ut in pomo, ut in rosa,
In se semper sunt unita;

11 b. Neque sol sine radio,
Neque flumen sine rivo,
Semper manent indistincta.

12 a. Me nescire hic posse fateor,
Quam qui videt, cuncta videt,
Quam videre summa felicitas.

12 b. Quid sint unum, quid sint tria,
Quid unitas, quid trinitas,
Sola novit divinitas.

13 a. Praeses iubet hanc adduci
Et taurinis nervis laniari
Et per corpus
respergi sanguine.

13 b. Pater saevus comis trahit
Cum catenis
et clave retrahit
Taetro clausa carcere.

14 a. Per urbem trahitur
mirante populo,
Flagris atteritur
in hoc spectaculo
Nudata corpore.

14 b. Caelestis nuntius
assistit protinus,
Hanc vestit angelus
data sibi veste.

15 a. Qui operis
tu caelum nubibus,
Tu, qui terram
decoras fructibus,
Protege nos
ab his insultibus;

15 b. Operias
criminum defectus
Et in huius
tot mundi conflictus
Libera nos
ab his tumultibus.

16 a. Ne permittas
saevire tyrannos
Et virtute
confunde superbos,
Virgo, custodi nos
a gente barbara.

16 b. In capite
malleo tunditur,
In mamillis
acriter teritur,
Per latera ista
percutitur Barbara.

17 a. Vox de caelo repente cecinit:
Veni pulchra, veni laeta,
Veni, coronaberis;

17 b. Per labores, per tormenta,
Per tot mala insueta
Sponsum agnum sequeris.

18 a. Quod postulas, impetrasti,
Nec a vero recessisti
Et strenue decertasti
In hoc vitae stadio.

18 b. Tunc confertur palma victoriae,
Honor datur aeternae gloriae,
Quae vicisti fortem potentiae
In tanto proelio.

19 a. Haec oravit
petens suffragium;
Qui denegat
nullum obsequium,

19 b. In adversis
donans remedium
Semper adest
ferens auxilium.

20 a. Si quis memor
sit mei nominis,
Meditetur
opus passionis.
Nos qui sumus
caro atque cinis,
Te precamur,

20 b. Dum venerit
tempus examinis
Et abdita
patebunt hominis,
Ne districti
rigore iudicis
Feriamur.

21 a. Pater furens montem scandit,
Illa sponte collum tendit
Patris ictu caesa pugionis.

21 b. Descendendo fulmen rapit,
Quod nec pulvis ullus mansit
Nec quidquam corporis.

22 a. Ave, proles creatoris,
Ave, sponsa redemptoris,
Salve, serva redemptoris,
Angelorum nuntia.

22 b. Supplicat nunc chorus iste,
Per Barbaram, pie Christe,
Irasci nobis desiste,
Qui es vera venia.

Collectan. ms. Victorinum saec. [13. 15.] 16. Cod. Parisin. 14872. — Mit der Chiffre des Autors und der Jahreszahl 1574. — 10 b, 3 aequalis. — 13 b, 1 comes. — 16 b, 6 beata Barbara. — 21 a, 2 collem. — 22 a, 3 statt redemptoris (cfr. 22 a, 2) ist sanctificatoris zu vermuten.

341. De sancto Blasio.

1 a. Psallat mundus corde mundo,
Iucundemur in hoc mundo,
Laetetur ecclesia;

1 b. Vox canora nostri chori
Laudes promat conditori,
Qui disponit omnia.

2 a. Hic Blasius vocitatus
Vere blandus est vocatus.
Blanda profert eloquia;

2 b. Blandus verbo, blandus signis,
Blandus vita et insignis
Blanda profert colloquia.

3 a. Cultu morum adornatus
In Sebaste praesulatus
Apicem promeruit;

3 b. Fugit mundum timens mortem,
Poenam videns tam acerbam
Corpus occidi timuit.

4 a. Latitabat in speluncis
Et in antris tenebrosis
Fugiens martyrium.

4 b. Caelestis nuntius
Venit velocius
Ferens consilium.

5 a. Ad hunc aves veniebant
Neque tamen recedebant,
Obsequuntur imperio;

5 b. Aves pastum afferebant,
Sanctum senem nutriebant
Latitantem tugurio.

6 a. Ire iubet et recedunt,
Stare mandat, acquiescunt,
Mancipantur obsequio.

6 b. Ad hunc ferae confluebant,
Incolumes recedebant
Huius beneficio.

7. Si qua fera condolebat
Ad hunc cito fugiebat
Consecuta remedium.

8 a. Dum venatur, canes latrant,
Circumdantes antrum clamant,
Ut victores capta praeda;

8 b. Quod mirantur venatores,
Bestiarum praedatores,
Et videntur niti frustra.

9 a. Intrant servi in speluncam,
Senem vident consedentem
In medio bestiarum,

9 b. Neque possunt contingere
Neque ultra accedere
Propter coetus tot ferarum.

10 a. Videt lupum venientem
Et in porcum saevientem,
Tunc femina contristatur;

10 b. Lupus rapax rapit praedam
Et insurgit contra feram,
Illi mortem comminatur.

11 a. Orat sibi porcum reddi
Et in manus suas tradi.
Mulieris verba ridet:

11 b. Ne tristeris ullo modo,
Tibi lupus continuo
Scrofam vivam sanam reddet.

12 a. Mactat porcum et occidit,
Membra in frusta concidit
Condolens miseriae,

12 b. Non ingrata tanto bono
Partem offert sancto viro
Ligato in carcere.

13 a. Praeses iubet hunc astare,
Cito tura adolere
Atque deos adorare,
Quos colit gentilitas.

13 b. De carcere egreditur,
In conspectu statuitur,
Et non illum deterruit
Poenarum acerbitas.

14 a. Sublevatur eculeo,
Cruciatur miro modo,
Duris loris constringitur.

14 b. Neque timet comminantes,
Dura verba proferentes,
Nec movetur nec turbatur.

15 a. Sed ferreis pectinibus
Et asperis verberibus
Corpus eius atteritur;

15 b. Manat sanguis circumquaque
Parte fluens ex utraque,
Nec a fide dimovetur.

16 a. In profundo liquidarum
Corpus mergitur aquarum,
Neque tamen submergitur.

16 b. Stagnum signat signo crucis,
Tamquam terra immobilis
Aqua manet; plebs miratur.

17 a. Qui patitur nunc languorem,
Meditetur passionem,
Levabit dolorem gutturis;

17 b. Si qua vitae infirmitas
Sive mundi calamitas,
Solamen praestabit miseris.

18 a. Lictor vibrat tunc mucronem,
Martyr effundit cruorem,
Salutaris victima.

18 b. Post labores et conflictus,
Post dolores et anfractus
Caelos conscendit anima.

19 a. Esto custos tui gregis,
Ne declinet viam legis,
Sed sequatur legem regis,
Tandem regnet cum beatis
Post mundi pericula;

19 b. Esto praesens, o patrone,
Desolatis in agone,
Esto noster intercessor,
Vere martyr et confessor,
Per aeterna saecula.

Collectan. ms. Victorinum saec. [13. 15.] 16. Cod. Parisin. 14872. — Mit der Angabe: „Auctor N. Hamelius Victorinus". — 18 a, 2 Statim martyr. — 18 b, 3 Felix caelos. — Auch dieser Sequenz hat der Ravennate eine Umarbeitung und kürzere Fassung angedeihen lassen; sie lautet im bezeichneten Cod. Classen. 360:

1 a. Psallat chorus corde mundo,
Iucundemur in hoc mundo,
Laetetur ecclesia.

1 b. Vox canora nostri chori
Laudes promat conditori,
Qui creavit omnia.

2 a. Hic Blasius vocitatus,
Vere blandus est vocatus
Blanda dans eloquia;

2 b. Blandus verbis, blandus signis,
Blandus vita et insignis,
Dulcis ad colloquia.

3 a. Cultu morum adornatus
In Sebaste praesulatus
Apicem promeruit.

3 b. Fugit mundum timens mortem,
In speluncae intrat portam,
In antris occuluit.

4 a. Ad hunc ferae confluebant
Et ab illo recedebant
Iubente imperio,

4 b. Sanitatem capiebant
Et pabulum adferebant
Latenti tugurio.

5 a. Videt lupum venientem
Et in porcum saevientem
Femina, contristatur;

5 b. Lupus rapax rapit feram,
Adclamantem audit heram,
Bestia depraedatur.

6 a. Dum quis piscem inescaret,
Infixa spina turbaret,
Ante sanctum ducitur.

6 b. Semimortuus iacitur.
Morbo gutturis solvitur.
Puer sanus redditur.

7 a. Praesul iubet hunc astare,
Deos vanos adorare,
Quos colit gentilitas.

7 b. Constanter deos respuit.
Neque illum deterruit
Poenarum acerbitas.

8 a. Atrociter cruciatur.
Eculeo sublevatur,
Duris loris stringitur;

8 b. Sed ferreis pectinibus
Et asperis verberibus
Corpus eius feritur.

9 a. In profundis gurgitibus
Membra exponunt fluctibus.
Neque tamen mergitur.

9 b. Signo crucis signat stagnum.
Aqua stabat; factum magnum,
Virtus Dei noscitur.

10 a. Lictor vibravit mucronem,
Statim effudit cruorem
Salutaris victima.

10 b. Cum duobus infantibus
Detruncatis capitibus
Felix scandit anima.

342. De sancta Caecilia.

1 a. Gaude, Sion, et laetare,
Plaude, turba, iucundare
Sollemni laetitia.

1 b. Gaudet mundus mundam videns,
Quae immunda abiciens
Repletur munditia.

2 a. Virgo peccati nescia
Neque sceleris conscia
Refugit libidinem;

2 b. Quam videns Valerianus,
Mente captus ut insanus,
Amat pulchritudinem.

3 a. Pulchra, prudens et illustris,
Generosa, percelebris
Nobili prosapia,

3 b. Ex consensu fit amborum,
Sic voluntas est parentum.
Duxerunt conubium.

4 a. Horis scripturas diurnis
Simul etiam nocturnis
Gerebat in pectore,

4 b. Nec a precibus assiduis
Nec cessabat a divinis,
Tota rapta in amore.

5 a. Nupta venit
in publicum
Iuxta carnem
habens cilicium,
Nullum quaerens
extra solacium;

5 b. Extra tamen
auratis vestibus
Haec incedit,
compta monilibus,
Dissimulans
humanum gaudium.

6 a. Organis cantantibus
Atque modulantibus,
Una vox psallentibus,
Ut verbis utar:

6 b. Fiat cor mundum
Et corpus purum,
Immaculatum,
Ut non confundar.

7 a. Vacat Deo semper orans,
Cuius corpus pallore tabescens,
Et sic hostis evincitur;

7 b. Ieiuniis biduanis
Nec non minus triduanis
Eius corpus atteritur.

8 a. Caelestis nuntius
Assistit propius,
Servatorque carnis
turbavit intestinum.

8 b. Corpus habet illibatum
Et a nullo violatum,
Ab angelo custoditum.

9 a. Languet amans, cubat lecto,
Dumque iacet cubili secreto,
Revelat mysterium:

9 b. Est mihi divinitus,
Inquit, datum caelitus
Sicut verbum angelicum.

10 a. Si sit amor verus, amans
Nil committas sicut amens,
Sed sis amator vigilans,
Cavens detestabile;

10 b. Tunc ostensurus gloriam
Tibi promittens aeternam,
Sine fine permansuram,
Opus admirabile.

11 a. Caecus amans hanc amavit,
Hunc amare recusavit,
Sibi poscens alterum:

11 b. „Sponsus meus est in caelo,
Hic habere sponsum nolo
Edocta per angelum.“

12 a. In sepulcro latitantem
Et tyrannum fugientem
Invenit Urbanum;

12 b. Mortem sibi molientem
Et in cunctis trepidantem
Effugit profanum.

13 a. Quem videns Urbanus
Factus est humanus
In sponsum humilem,

13 b. Missumque divinitus
Agnovit titubantem
Iuvenem fragilem.

14 a. Seminator casti consilii
Et largitor tanti mysterii,
Seminum suscipe fructus,

14 b. Quos seminas in virgine,
Incoguita ab homine,
Divinos accipe partus.

15 a. Serva Dei, Caecilia,
Deservit cum familia
Aeterna poscens atria.

15 b. Aduncatur eculeo,
Ut apis alveario
Non indigens auxilio.

16 a. Sponsum habens ut leonem,
Quem sustinebat ferocem,
Cuius mores in amorem
Nititur inflectere;

16 b. Sicut ovis, sicut agnus
Immutatur inconsultus,
Qui in cunctis est modestus,
Potuit convertere.

17 a. Ecce, senex repente venit
Habens librum aurata litera;

17 b. Sic ita fatur: unus Deus,
Una fides, unum baptisma.

18 a. Affert coronas
De caelo latas,
Flore vernantes
A caelo magno,

18 b. Rosas candentes
Et albescentes,
Nunquam marcentes
A Deo summo.

19 a. Tu pudoris signaculum,
Tu candoris es lilium,

19 b. Tu decoris ornamentum,
Castitatis es sigillum.

20 a. Tu vitro purior,
Nive candidior,

20 b. Luna splendidior
Et sole clarior.

21 a. Dum aurora finem daret
Depulsa caligine noctis,

21 b. Sic fatur: Eia, milites
Christi, arma sumite lucis.

22 a. Operibus tenebrosis
Opus succedat virtutis,
Peius cedat optimo,

22 b. Testea conficere,
Aurea recipere
Pretiosius pessimo.

23 a. O flos iuventutis
Et opus virtutis,
Amittere vitam!

23 b. Non iuventus amittitur,
Sed amissa reperitur;
Appetere mortem

24 a. Vitam viventibus,
Non vitam mortuis,
Sed mortem mortuis
commutat in vitam.

24 b. Tu mortis minister
Et non vitae dator,
Vitam potes
auferre praesentem.

25 a. Est mihi felicitas
Et aeterna iucunditas
Vitam offerre iugulo;

25 b. Est mihi miseria
Et magna calamitas
Vivere in saeculo.

26 a. Sic tua potestas,
Virtus et maiestas
Sicut ventus evanescit;

26 b. Si pungatur uter acu
Et calore solvitur gelu,
Sic honor deficit.

27 a. Quidquid in se cernitur
Rigidum, incurvatur,
Redit ad nihilum,
Sic rigor deperit;

27 b. Sic honor mundanus
Est omnino vanus,
Sicut unda fluit.

28 a. In bulliente balneo
Non patitur, incenditur,
Et in ferventi dolio
Invenit remedium.

28 b. Non adurit calor ignis,
Neque nocet vis ardoris,
Neque sentit vim doloris
Habens refrigerium.

29 a. Ibi virgo
capite punitur,
Sed iam laeta
tota efficitur
Consummato proelio.

29 b. Ibi virtus
fit divina,
Cum plebs videt
tanta mira
In tanto supplicio.

30 a. Trina vice
extendit brachium,
Neque potest
contra consilium
Hanc ferire.

30 b. Nam lex iubet
non ultra progredi,
Et voluit
sic ita fieri,
Hanc manere.

31 a. Te precamur nos errantes,
Rege gressus vacillantes,
Nos qui sumus impotentes
In lacu miseriae;

31 b. Nos speramus in futuro,
Defende nos a maligno,
Praebe manum, offer opem,
Nos perducas ad regnum
gloriae.

Collectan. ms. Victorinum saec. [13. 15.] 16. Cod. Parisin. 14872. — Mit der Chiffre des Auctors. — Nach 8a, 1 folgt noch: custosque corporis. — 27a, 2 Rigitur incurvatur.

343. De s. Carlomagno Rege.

1 a. Gratuletur totus orbis,
Et sollemnis ista nobis
Dies sit laetitiae;

1 b. Felix ortus, felix partus,
Nunquam talis est auditus,
Nascitur rex Franciae.

2 a. Hic Carolus rex terrenus,
Imperator egregius,
Bellicosus pro populo,

2 b. Totus erat catholicus,
In armis erat strenuus,
Quos servat a periculo.

3 a. Claris ortus natalibus
Carolus, fortis viribus
Et fortior virtutibus,

3 b. Nationes extraneas
Et atroces vicit Turcas
Cum tantis infidelibus.

4 a. Magnanimus imperator,
Qui Gallorum est defensor,
Multa suis conferebat.

4 b. Et barbaros Sarazenos,
Aethiopes, Africanos
Baptizari faciebat.

5 a. Sarazenos, Aethiopes,
Africanos, Arabicos,
Persas vicit atque Turcas,

5 b. Et feroces incredulos
Mutavit in christianos
Legionum tot catervas.

6 a. Enses, tela, gladios,
Exerantes vibrat cultros
Contra hostes infideles;

6 b. Est devicta barbaries
Et barbarorum rabies,
Et devicit tot acies.

7 a. Egregius imperator,
Exercitus moderator,
Palmam defert victoriae;

7 b. Mille centenos barbaros
Et feroces Sarazenos
Vicit ductor militiae.

8 a. Nationes barbaricas
Et immites domat Turcas
Armatorum praesidio;

8 b. Hispaniam, Gallatiam
Commutavit christianam
Cum divino auxilio.

9 a. Prece regis ante Deum
Ruunt statim in profundum
Urbis superba moenia;

9 b. Tunc pagani perierunt,
Muratas urbes amittunt
Cum tota familia.

10 a. His auditis est commota
Illa terra barbarica,
Sponte facta sub tributo;

10 b. Pollicentur baptizari,
Iubent dona huic offerri
Auro misso cum legato.

11 a. Hastae ramis virentibus
Frondent sumptis radicibus,
Decoratae corticibus.

11 b. Sed milia quater dena
Morte privantur acerba,
Inseruntur martyribus.

12 a. Sollicite custoditur,
Ab armatis protegitur
Tanto fultus praesidio,

12 b. Protectores et custodes
Et ad caput et ad pedes
Sub noctis silentio.

13 a. Tantis factis excubiis
Quaterdeni in vigiliis
Stant, bis deni laeva, dextra;

13 b. Quo labore conservatur,
Neve damnum patiatur
Regis vita misera.

14 a. Sed in somnis apparuit,
Mundare locum monuit
Ab omni spurcitia.

14 b. Statim iubet rex mundari
Et ibi preces offerri
Cum summa reverentia.

15 a. Venerandus Iacobus,
Hispaniae apostolus,
Regem monet et hortatur:

15 b. Sepulturae mundant locum,
Peregrinis dant aditum,
Ubi sanctus deprecatur.

16 a. De peccato perpetrato,
Ne fieret in aperto,
Fundit preces Aegidius;

16 b. Dicens esse condonatum
Et ex toto iam remissum
De caelo venit nuntius.

17 a. Dum pro rege supplicatur,
Quo commisso premebatur,
Precibus sancti solvitur;

17 b. Impetravit, quod optabat,
Scelus istud confundebat.
Quod in Deum admittitur.

18 a. Quod fateri rex veretur
Scelus, scire promeretur;
Christus ei revelavit
Scelus, quod rex perpetravit.

18 b. Nam altari dum astaret
Dumque missam celebraret,
De supernis carta missa
Regis pandit huic commissa.

19 a. Hic horrendae rei reum
Videns crimen apud Deum

19 b. Iam pro rege supplex orat,
Cuius culpam non ignorat.

20 a. Nepos Rolandus moritur
Et lanceis configitur
Vera Christi victima.

20 b. Propagator tunc fidei
Semper egit causam Dei,
Caelos conscendit anima.

21 a. O Carole bellicose,
Huius vitae tenebrosae
Pertimemus pericula;

21 b. Fortes simus in adversis
Et humiles in prosperis
Per vitae curricula.

22 a. Post labores et sudores,
Post conflictus pretiosam
Resolutus est in mortem;

22 b. Ubi tandem cum beatis
Et in regno deitatis
Lucem videt sempiternam.

23 a. Cui rex regum regens mundum
Regnum donavit terrenum
In hoc vitae stadio,

23 b. Et de regno temporali
Hunc in regno triumphali
Sublimavit solio.

24 a. Ubi non vita mortalis,
Sed ibi vita vitalis,
Ubi reges coronantur,

24 b. Ubi secura requies,
Ubi sine nocte dies,
Ubi duces laureantur.

Collect. ms. Victorinum saec. [13. 15.] 16. Cod. Parisin. 14872. — Mit der Chiffre des Auctors u. der Jahreszahl 1575. — 1 a, 3 Dies est. — 18 b, 4 Regi. — Eine Überarbeitung dieser Sequenz ist die in Bd. XLII der Anal. Hymn. unter Nr. 261 mitgeteilte. Letztere hätte ihren Platz in dieser Anmerkung finden sollen.

344. De s. Guillielmo Archiepiscopo.

1 a. Gaudeat plebs Biturica
Nova proferens cantica,
Nova cordis praeconia.

1 b. Glorietur mundus totus,
Ut acervus conglobatus
Decantet cum melodia.

2 a. Ex nobili prosapia
Et honesta familia
Generatus est Gillelmus.

2 b. Hic praeditus est virtute,
Decoratus sanctitate,
Super omnes magnanimus.

3 a. Archipraesul Bituricus
Verus Dei est amicus,
Electus cum sententia.

3 b. Una vocum fit voluntas
Et consensus aequalitas
Cum summa concordia.

4 a. Bis effectus canonicus
Post haec factus est monachus,
Praesul urbis Bituricae.

4 b. Inter perfectos electus,
Virtutibus adornatus
Honoratur mirifice.

5 a. Videt clerum litigantem
In diversa distrahentem,
Turbatur conscientia;

5 b. Fugit mundum blandientem,
Plebs invenit latitantem
Cum magna patientia.

6 a. A teneris fugit mundum,
Fugit vanum et obscenum
Et claustrali sub clausura;

6 b. Claustro clausus et reclusus
Et a mundo est abstrusus,
Refugiens peritura.

7 a. Clarus mundo et celebris
Tamquam lumen in tenebris
Refulget in ecclesia.

7 b. Cleri confundit errores
Neque veretur terrores,
Quos minatur malitia.

8 a. Moderator est ovibus,
Verus custos Dei gregis,
Curam gerens ovium:

8 b. Est in sacris exauditus,
Sanctitate sublimatus
Pro salute omnium,

9 a. Non elatus in honore
Curam gerens in timore;
Plebs miratur Biturica.

9 b. In divinis totus raptus,
Vultum Dei contemplatus
Dona confert pacifica.

10 a. Servat claustri hic rigorem,
Nil retraxit ob honorem
Sicut in observantia.

10 b. Cilicina veste tectus
Super carnem amictus
Vivit in parcimonia.

11 a. Iubet corpus hinc transferri,
Cum fratribus sepeliri
Et non in hac ecclesia.

11 b. Nec a suis vult abesse.
Sed cum illis semper esse
In aeterna [memoria].

12 a. Plebs amata intrat templum,
Remoratur iuxta bustum
Et cum arta custodia.

12 b. At monachi accedentes,
Contingere non audentes,
Cedunt cum verecundia.

13 a. Omnis sexus omnis aetas,
Quibus inest maturitas
Audit mortem antistitis.

13 b. Fama volat circumquaque
Parte fluens ex utraque
Per plateas civitatis.

14 a. Et in cunis vagientes
Matres relinquunt infantes
Tota currit vicinia,

14 b. Ad tumulum properantes,
Manus pedes osculantes
Cum magna reverentia.

15 a. Dum convenit totus clerus,
Globus ignis est demissus
Instar stellae coruscantis;

15 b. Hora fere dimidia
Luce perfusus nimia
Percipit vim sanctitatis.

16 a. Est leprosis munda cutis,
Gressus rectos confert claudis
Et auditum reddit surdis,
Effugantur daemonia;

16 b. Hydropisis propulsatur,
Paralysis mox curatur,
Et debilis sospitatur,
Sanantur animalia.

17 a. O Guillelme, cleri gemma,
Cum praesulum turba summa
In his serva temporibus,

17 b. Dum blanditur prosperitas,
Ne nos frangat adversitas,
In his tantis turbinibus.

18 a. Dum volvitur mundi rota,
Mala premunt insueta,
Nulla vitae stabilitas,

18 b. Tempus vitae constitutum,
Nobis detur post terminum
Sempiterna felicitas.

Collect. ms. Victorinum saec. [13. 15.] 16. Cod. Parisin. 14872. — Mit der Chiffre des Auctors und der Jahreszahl 1575. — 16a. 1 Et — 16a. 3 redit. — Die Umarbeitung dieser Sequenz im Cod. Classen. 360 lautet:

1a. Gaudeat plebs Biturica
Nova profereus cantica,
Sanctorum praeconia.

1b. Adunetur totus clerus,
Christo fidelis et verus
Cantet cum melodia.

2a. Ex nobili prosapia
Et insigni familia
Generatur Guillermus;

2b. Hic praeditus est virtute,
Florebat in iuventute
Magnus et magnanimus.

3a. Canonicus bis effectus,
Post hoc monachus perfectus
Laudatur mirifice;

3b. Inter multos est electus,
Ad praesulatum provectus
Tunc urbis Bituricae.

4a. Servabat claustri vigorem
Nec laxatur ob honorem,
Ut in observantia;

4b. Cilicina veste tectus,
Vilis cultus et abiectus
Vixit in penuria.

5a. Iubet corpus inhumandum
Et alio transferendum
Ab illa ecclesia,

5b. Nec a suis vult abesse,
Sed cum illis semper esse
Aeterna memoria.

6a. Intrat templum plebs armata,
Iuxta bustum remorata
Servat cum custodia;

6b. At monachi accedentes,
Contingere non audentes,
Redeunt ad propria.

7a. Et in cunis vagientes
Matres relinquunt infantes,
Accurrit vicinia,

7b. Ad tumulum properantes,
Manus, pedes osculantes
Magna reverentia.

8a. Ad funus clerus insignis
Veniens descendit ignis
Instar stellae fulgentis;

8b. Hora fere dimidia
Resplenduit lux nimia
Super caput iacentis.

9a. Et leprosi mundabantur,
Mox claudi gradiebantur,
Aures aperiebantur,
Fugantur daemonia.

9b. Hydropisis propulsatur,
Et paralysis curatur,
Tunc debilis sospitatur,
Sanantur per omnia.

10a. O Guillelme, cleri gemma,
Qui praesulum factus stemma,
His serva temporibus,

10b. Dum blanditur prosperitas,
Ne nos frangat adversitas
In tantis turbinibus.

11a. A terrenis sit remota,
Ubi vita est commota
Et nulla stabilitas;

11b. Termino nostro transacto
Et cursu vitae peracto
Donetur felicitas.

345. De s. Iohanne Baptista.

1a. Ecce, dies triumphalis,
In qua nobis est natalis
Summi regis praecursoris;
Dies est laetitiae.

1b. Nos hanc diem veneremur
Et natalem admiremur,
In qua omnes gloriemur
De virtute prophetiae.

2a. Ortus tanti praecursoris
Multos movet et motoris
Iuncta est laetitia;

2b. Non est nostrae facultatis
Virum tantae dignitatis
Laudare per omnia;

3 a. Neque potest mens humana
Enarrare tanta mira,
Qualis sit in gloria;

3 b. Haeret lingua iam palato
Neque valet in aperto
Promere mysteria.

4 a. Tantae fuit probitatis
Nullus maior, nec aequalis
Unquam visus est in terris.

4 b. Mirabilis sanctitate
Sanctior[que] universis.
Cuius merces est in caelis.

5 a. Quod nec potest voce fari,
Negat aetas tunc proferri,
Gestu futura nuntiat;

5 b. Signo monstrat redemptorem,
Quem futurum salvatorem
Isaias cecinerat.

6 a. Hi venturum praecedentes,
Praecedentem subsequentes,
Clausa pandunt mysteria:

6 b. Hic praesentem, hi futurum
Illum esse rediturum:
Iudicabit tunc omnia.

7 a. Hunc prophetae prophetarunt,
Hunc venturum praedixerunt
Nuntiare Messiam;

7 b. Qui propheta credebatur,
Plus quam propheta profatur,
Manifestat praesentiam.

8 a. Pater mutus pugillarem
Petit, scribit singularem
Natum esse filium;

8 b. Culpa ligat, fides solvit,
Mater parit, pater credit,
Dicens esse paranymphum.

9 a. Non est partus hic ablatus,
Sed dilatus, modo datus;
Reviviscit nunc senectus.

9 b. Nondum loquens iam exsultat,
Nondum natus iam prophetat,
Exhorrescit hoc iuventus.

10 a. Adhuc clausus alvo plaudens,
Mox in gestu sic exsultans
Pro tanta laetitia;

10 b. Sermo venit salutantis,
Plaudit gestus tunc infantis
Messiae praesentia.

11 a. In aetate puerili
Sensu vigens praesubtili
Factus est cultor eremi.

11 b. Doces alta, clausa pandis,
Obserata modo solvis,
Tu propheta regis summi.

12 a. Est Iohannes mundo natus,
Mundi fugit apparatus
Et in Christo est renatus,
Sicut lex praecinuit.

12 b. Intrans mundum fugit mundum.
Quem agnovit, hunc immundum.
Ubi pedem cito trahit.

13 a. Occultatur et in mandra
Nec moratur mundum intra,
Inter feras vitam agit.

13 b. Latitabat in speluncis
Et in antris tenebrosis.
Tota vita sic permansit.

14 a. In ferarum
latebat tenebris
Et squalentis
eremi latebris,
Est exemplar paenitentis:

14 b. Ad hunc currit
tunc multorum
Tot concursus
populorum
Audire vocem salutis.

15 a. Est hirsutus et pilosus
Et incultus et pannosus,
Vili tectus tegmine,

15 b. Circa lumbos zona cinctus,
Circa renes est praecinctus,
Rudi vinctus ligamine.

16 a. Et de setis camelorum
Et corio bubalorum
Sibi confecit amictum;

16 b. Et tunicas atque vestes
Sibi parabat agrestes
Propter mundi hunc contemptum.

17 a. Et de cibis locustarum
In ardore adustarum —
Nec delectus est escarum —
Sumpsit in edulium;

17 b. Mel silvestre, lac agreste
Cibum sumpsit manifeste,
Potus parvus et modeste
Ad vitae subsidium.

18 a. Lautae fugit obsonium
Mensae, fugit apparatum,
Et humanum consortium
A Iohanne contemnitur.

18 b. Fugit dapes egregias
Et epulas regias
Velut immunditias
Totus obliviscitur.

19 a. Antra petit inter rupes,
Inter saxa, inter montes
Verus eremicola;

19 b. Atque rudes inter casas
Latitabat et condensas
Iohannes christicola.

20 a. Totus mortuus cum mundo,
Mortuus mundus est in illo,
Totus vivens erat Christo;

20 b. In se mortuus Christo vivens,
Mortem cum vita commutans,
Christus vivebat in ipso.

21 a. Vox clamantis in deserto
Cunctis est in manifesto,
Clamans clamore raucescit.

21 b. Rectos gressus et semitas
Domino parare vias
Sicut propheta praedicit.

22 a. Vox, quae transit tamquam nulla,
Cito fugit tamquam umbra,
Ille vero verbum manens.

22 b. Sit in nobis verbum, quod est,
Quod mutari nunquam potest,
Nunquam in se deficiens.

23 a. Verbum istud carnem sumens
Non est illud pertransiens,
Sed est istud perseverans;

23 b. Sit in nobis
delicta condonans,
Ad gaudia
post vitam perducens.

24 a. Non lux iste, sed lucerna,
Non sol lucens, sed aurora
Solis ortum praeveniens.

24 b. Ille iubar summi regis
Et praecursor novae legis
Lucem diei nuntians.

25 a. Non ferentibus splendorem
Christus praemisit lucernam,
Iubar lucis vitae solem.

25 b. In tenebris assuetus
Ob praeclaram noster visus
Est obtusus ante lucem.

26 a. Dum baptizat, baptizatur,
Dum expurgat, expurgatur
Vi purgantis omnia;

26 b. Dum baptizat Christum extra,
Baptizatur servus intra;
Magna sunt mysteria.

27 a. Nunc debeo baptizari
A te, vero expurgari,
Tu qui mundas me immundum;

27 b. Et immunda in me mundans
Et obscaena quaeque lavans
De immundo redde mundum.

28 a. Fons inundans,
Sis redundans.
Fons de fonte fundens,

28 b. Corda nostra replens,
Dura nostra fugans
Et tua dona donans.

29 a. Ille fons est,
iste vero rivus,
Sit in nobis
modo continuus;

29 b. Eius fluxus
nobis perpetuus
Nec arescens,
sed sit assiduus.

30 a. Sanctum Dei hunc verticem
Tibi datur
tangendi facultas;

30 b. Promptus esto et paratus.
Nunc concedit
divina maiestas.

31 a. Non sum dignus nec minora.
Immo minus me minora,
Visu solo aspicere,

31 b. Nec cervicem neque calceos.
Immo minus, neque pedes
Sola manu contingere.

32 a. Minister egregius,
Quo non est humilius,
Impendit circa Dominum
Servitutis obsequium.

32 b. In se quanto abiectior,
Tanto factus est dignior,
Quo se servum
Clamabat indignum.

33 a. Arguebat hic doctores
Vocans legis transgressores
Genimina viperarum;

33 b. Dum venerit furor irae,
Dabit flammas tunc sentire.
Tempus erit tenebrarum.

34 a. Arguebat hic Herodem
Nec veretur hunc eundem
Nec commotus ob furorem
Regis et adulterae.

34 b. Nullum palpat veritas,
Ne fiat iniquitas.
Sed servetur aequitas,
Nititur convertere.

35 a. O meretrix impudica,
Quare facta inimica
Iusti cruorem effundis?

35 b. Cur naturae iura solvis
Et animae atque famae
Discrimen incurris?

36 a. Iura solvis coniugati,
Contra legem coniugii
Ascendisti in cubile.

36 b. Tui fratris in uxorem
Cur sic agis rem obscaenam,
Opus detestabile?

37 a. Nulla lege tibi licet,
Immo magis tibi decet
Vitare adulteram;

37 b. Nullum tibi commercium,
Sed omnino fugiendum
Amplexari concubinam.

38 a. Adhortatur; sed puella
Petit dari in scultella,
Dum saltavit intra aulam,
Caput Iohannis Baptistae;

38 b. Sed in sanctum debacchatur
Insidias et molitur,
Herodias tunc nititur
Sic incesta retorquere.

39 a. Rex Herodes furibundus,
Quod miratur totus mundus,
Propter factum detestandum,

39 b. Statim mandat per ministrum
Caput eius auferendum,
Ut solveret iusiurandum.

40 a. Imponitur caput disco,
Quod afferre iubet cito,
Et ut vivus iudicatur,
Cuius vultus non mutatur.

40 b. Rex tyrannus contristatur
Et ex voto commovetur,
Tanto commisso peracto
Expavescit, exturbatur.

41 a. In aspectu terret gentes,
Conturbantur corda, mentes
Tanto peracto scelere;

41 b. Clamat sanguis sine voce
Et quod iustus fert iniuste
Propter scelus adulterae.

42 a. O lucerna mundo lucens,
Nos ad veram lucem ducens
Obvolutos caligine!

42 b. Lampas mundi, splendor caeli,
Nos, qui sumus facti caeci,
Tuo lustremur lumine.

43 a. Te precamur, ut lucernam
Illumines sempiternam
Lucis tuae radio;

43 b. Nos, qui sumus in tenebris,
In obscuris et profundis
Perfruamur praesidio.

44 a. Caecus mundus quaerens lucem
Te sequatur verum ducem,
Cordis nostri tu tenebras
Hodie illumina;

44 b. Et laetetur totus mundus,
Qui tamdiu fuit immundus
Et nunc petit, fiat mundus
Fultus gratia divina.

Collectan. ms. Victorinum saec. [13. 15.] 16. Cod. Parisin. 14872. — Mit der Chiffre des Auctors und der Jahreszahl 1574. — 28 a, 3 de fonde fondens. — 28 b, 2 Iura. — 42, 3 Obvoluti. — Zu Str. 12 b vgl. Str. 15 a in der Nicolaus-Sequenz Nr. 249.

346. De s. Iacobo Minore.

1 a. Gratulemur in hac die,
Quae est dies laetitiae,
Dies lucet pro tenebris.

1 b. Gratuletur plebs fidelis,
In qua nobis est natalis
Iacobi praecelebris.

2 a. Inter sanctos hunc elegit,
Cuius vita sic refulsit
Sanctior apostolis,

2 b. Et ab alvo sanctus prodit,
Mater flores tot produxit,
Cuius fructus mirabilis.

3 a. Iacobus ille iustus
Iuste Iustus nominatus,
Cuius fulsit mira virtus
Iusta reddens iudicia;

3 b. Est vocatus posterior
Neque potest esse minor
Nec ceteris inferior,
Est aequalis in gloria.

4 a. Hic dicitur frater Domni,
Cuius vultus est similis
Et virtute dissimilis,

4 b. Et huius sancti facies
Videbatur effigies
Domini salvatoris.

5 a. A primaevo sanctus erat,
Documenta sacra dabat
Verba sapientiae;

5 b. Cuius virtus, cuius mores
Non attraxit in errores
Per verba malitiae.

6 a. Propter vitae sanctitatem
Atque morum gravitatem
Huius fama redolebat,

6 b. Ac populis fidelibus
Ora tacta in vestibus
Sanitatem conferebat.

7 a. In sanctorum sacra loca
Et ingredi sacraria
Praeter illum non licebat;

7 b. Huius viri sanctitas
Atque morum integritas
Sic fieri exposcebat.

8 a. Est a vino abstemius,
Ab omnibus alienus,
Quidquid sensum mentis
vertit.

8 b. Usus fugit carnalium
Et carnale obsonium
Nunquam iustus manducavit.

9 a. Neque rasit caesariem
Antiquum consecrans morem
Scultello tonsario.

9 b. Totus raptus in precibus.
Habens callos in genibus
Sicut in calcaneo.

10 a. Non auratis est indutus,
Sed sindone est amictus
Coloreque niveo,

10 b. Nec corporis nutrimentis
Neque usus est fomentis.
Nunquam perfusus oleo.

11 a. A contactu omni purus,
Castitate adornatus
Carnisque conservator;

11 b. Fugit actus venereos
Atque tactus femineos
Virginitatis amator.

12 a. Manet carnis integritas
Et corporalis castitas
Illaesa pudicitia,

12 b. Nec consensus ullus mentis
Nec ad malum est proclivis,
Manet recti mens conscia.

13 a. Ille iustus per ter denos
In Solyma rexit annos,
Praesulatus inter summos
Apicem promeruit.

13 b. Fidem tenens christianam,
Totam in Christo firmatam,
Supra petram roboratam,
Nec a fide quis divertit.

14 a. Scandit pinnam templi iustus
Praedicare verbum iussus
Et ab alto demittitur.

14 b. Graviori lapsu ruit
Neque tamen cito perit.
Claudus tantum efficitur.

15a. Obruitur lapidibus,
Orat pro lapidantibus
Genu flectit et precatur:

15b. Dona culpam, dele noxam,
Illis redde innoxiam,
Factum istud remittatur.

16a. Hi nesciunt, quid faciunt,
Quando iustos percutiunt;
Cor illorum induratur.

16b. His peccatum ne statuas
Nec vindictam ullam sumas,
Oro supplex, ignoscatur.

17a. Fert iniuste iustus poenam,
Et atrocem ferens mortem
Huius crura confringuntur.

17b. Tactus ictu pugionis
Et cum pertica fullonis
Caput eius atteritur.

18a. Post agonum tot sudores,
Post poenarum tot labores,
Tyrannorum tot rigores,
Certamina tot fortia

18b. Defert palmam laureatam
Post hanc vitam temporalem
Ad gloriam triumphalem
Per angusta vestigia.

19a. Scandit caelos laureatus,
Ubi summus est senatus
Et aeternus principatus,
Perpetua memoria.

19b. Tu sis solaris radius,
Ut ascendat liberius
Ad caelos noster animus
Cum felici victoria.

20a. Esto rivus et canalis,
Ne pereat tunc carnalis,
Homo noster animalis
Perducatur ad gaudia,

20b. Ubi nec cras nec hesternum,
Sed est idem hodiernum,
Ubi salus, ubi vita,
Infinita est gloria.

Collectan. ms. Victorinum saec. [13. 15.] 16. Cod. Parisin. 14872. Mit der Angabe: „Auctor N. Hamelius Victorinus“ und der Jahreszahl 1574. — 7a, 1 sanctarum. — 15a, 3 flexit.

347. De s. Laurentio Episcopo.

1a. Congaudeat plebs pistica
Nova praeferens cantica,
Novum laudis praeconium,

1b. In natali filii regis;
Natus terra, natus caelis,
Novum ferens tripudium,

2a. De semine regio,
Ex regali conubio
Generatur Laurentius,

2b. Vir illustris et insignis,
Plus virtute praenobilis,
Quam genere egregius.

3a. Ex regali stirpe natus,
Regis, reginae filius,
Traxerat originem.

3b. Laurentius laureatus,
Laureata palma cinctus,
Laureatam defert palmam.

4a. Hunc elegit inter fratres
Neque tamen illi pares,
Dedicatur in divinis.

4b. Spreta domo temporali
Militiae clericali
Scribitur obsequiis.

5 a. Mundiales fugit fastus.
Mundi fugit apparatus
Spreta mundi militia,

5 b. Et honores fugitivos
Et favores plebeios,
Spernit vitae felicia.

6 a. Dum agitur electio,
Loquuntur de Laurentio,
Fama fuit notissima;

6 b. Fama volat sancti viri.
Qui consentit tunc honori,
Res est cunctis gratissima.

7 a. Fragrat odor sicut myrtus.
Famae fulget mira virtus,
Dum gerebat candidatum;

7 b. Summum esse sacerdotem
Nec regalem dignitatem
Nec ambivit principatum.

8 a. Episcopus est electus.
Nullo tamen est elatus
Honoris fastigio.

8 b. Quondam coetu clericali
Primus erat in regali
Nutritus palatio.

9 a. Plebis aura favorali
Cum clamore populari
Adclamatur egregio:

9 b. Consequenter est mutatus,
Potestate sublimatus
Felici commercio.

10 a. Moderator est ovilis,
Verus custos Dei gregis.
Curam gerens ovium;

10 b. Est in sacris eruditus.
Sanctitate sublimatus
Pro salute omnium.

11 a. Cum genere sit regalis,
Est ovibus socialis,
Nullo elatus honore;

11 b. Cum sit primus, fit ultimus.
Est cum grege commoratus,
Quasi unus fit de grege.

12 a. Intrat templum cito stultus.
Conturbatus ut insanus:
Tunc percussit hunc flagello.

12 b. Sollemnia dum ageret,
Et letale vulnus infert
Toto mirante populo.

13 a. Lympham petit sibi dari,
Statim videtur sanari
Nullo sacro intermisso,

13 b. Obsequium sic aequalem
Martyribus sanctis parem
Credens se praestare Deo.

14 a. Daemonia comprimebat,
Aegrotantes mox curabat,
Sanitates conferebat;

14 b. Fluctus maris compescebat.
Virtutibus coruscabat,
Haec precibus impetrabat.

15 a. Quinquennio stat in busto,
Qui latebat in angusto,
Manet corpus incorruptum

15 b. Nec solutum est iuncturis,
Fragrat odor sicut turis:
Factum istud inauditum.

16 a. Ad sepulcrum confugiunt
Et languescentes adeunt
Requirentes auxilium;

16 b. Caecus videt, surdus audit,
Mutus fatur, linguam solvit,
Consequentes remedium.

17 a. Et incedit recte claudus,
Currit, saltat sicut cervus
Reparatis viribus;

17 b. Et naufragis portus datur,
Spes amissa restauratur
Huius viri virtutibus.

18 a. Et leprosis munda cutis,
Et sanatur paralysis,
Effugantur daemonia,

18 b. Et defunctis vita datur,
Et debilis sospitatur
Et sanatur per omnia.

19 a. O Laurenti, cleri gemma,
Cum praesulum turba summa
In his serva temporibus,

19 b. Dum blanditur prosperitas,
Ne nos frangat adversitas
In his tantis turbinibus.

20 a. Dum volvitur mundi rota,
Mala premunt insueta,
Nulla vitae stabilitas,

20 b. Tempus vitae constitutum,
Nobis detur post terminum
Sempiterna felicitas.

Collectan. ms. Victorinum saec. [13. 15.] 16. Cod. Parisin. 14872. — Mit der Angabe: „Auctor N. Hamelius Victorinus“ und der Jahreszahl 1574. — 11 b, 2 Commoratns est cum grege. — 19 a, 1 clara gemma. — Die 3 Schlufsstrophen sind fast wörtlich gleich jenen in der Sequenz „Gaudeat plebs Biturica“ (Nr. 344).

348. De sancta Margareta.

1 a. Ecce, dies attollenda,
Dies votis prosequenda,
Dies plena laetitia.

1 b. Nos hanc diem veneremur,
In qua sanctae praestolemur
Virginis suffragia.

2 a. Haec beata Margareta,
Generosa stirpe nata,
Gratiosa pollens vita,
Dotata dulcedine.

2 b. Hanc praefectus adamavit,
Eam sibi accersivit,
Sociari [hanc] voluit
Visa pulchritudine:

3 a. Si libera, in uxorem,
Si ancilla, concubinam,
Sic mea permaneat;

3 b. Si nobilis et virilis,
Aut si condicio vilis,
Si utrumque habeat.

4 a. Tunc praefectus Olybrius
Est turbatus ut ebrius,
Meditatur ut acrius
Praefurens insania.

4 b. Illa Christum profitetur,
Ipsa palmam promeretur
Nec carcerem reveretur
Firmata constantia.

5 a. Statim iubet hanc recludi,
Duris loris mox vinciri
Atque eam cruciari
Et in arta detineri
Carceris custodia.

5 b. Non consentit adorare
Neque diis deservire;
Sicque iubet laniari
Eiusque membra torqueri;
Magna est insania.

6 a. Mortem Christus non renuit,
Pro me mori sic voluit,
Sua morte vitam dedit,
Quod diu desidero;

6 b. Eius amore accensa
Caritate inflammata,
In affectu tota rapta
Prae amore ardeo.

7 a. Nec se capit Olybrius
Et a mente alienus
Meditatur liberius
Videns pulchritudinem.

7 b. Hanc videntes flagellari
Sic deflebant cruciari
Et decore spoliari
Sanctam Dei virginem.

8 a. In eculeo levatur
Atque dire sauciatur
Et acriter flagellatur,
Nititur consummari.

8 b. Ferreis pectinibus
Iussit caram omnibus
Et duris verberibus
Sanctam laniari.

9 a. Manat sanguis circumquaque
Parte fluens ex utraque
Velut unda, velut rivus,
Sicut prorumpens fluvius.

9 b. Ipsam videns laniari
Nec a fide dimoveri
Neque tamen immutari,
Sic torquetur acrius.

10 a. O quale consilium!
Nolo vestrum consortium
Recedite et abite;
Est perversa monitio.

10 b. Haec, inquit, laniatio
Est corporis afflictio,
Et carnis cruciatio
Est animae salvatio.

11 a. O canis impudens,
Dire leo frendens!
Para aculeos
Et dentes ferreos
In sanctam virginem;

11 b. Vires tuas enervasti,
Robur tuum confregisti,
In certando defecisti
Neque tamen potuisti
Evincere fragilem.

12 a. Sterne, daemon tu superbe,
Cur insurgis tam acerbe,
Qui feminam non vicisti,
Cuius virtutem sensisti?

12 b. Statim miser evanescit,
Postquam abire concessit
Virgo, nam divina victus
Est virtute inimicus.

13 a. Caput premit haec draconis
Et in procinctu agonis
Percussus ictu mucronis,
Toto prostratus corpore.

13 b. Videt humi procumbentem,
Sternit pede haec iacentem,
Hanc vorare cupientem;
Toto confractus vulnere.

14 a. Statim efficitur
Secura puella,
In se laetabunda
De hac victoria,
Quae fortem vicerat.

14 b. Principem vicerat
Virtute divina
Nec posse valuit
Virtute humana,
Ministrum superat.

15 a. In horrendo carcere
Tandem virgo misere
Ingreditur libere,
Mira refulget claritas.

15 b. Certat virgo cum dracone;
Superatur in agone
Et vincitur a virgine
Draconis crudelitas.

16 a. Beata virgo facibus
Ustulatur ardentibus,
Ne aeternis ignibus
Cremetur in futuro.

16 b. Aufer motus insurgentes
Nostrae carnis prurientes,
Ne patiantur ardores
In alio saeculo.

17 a. In dolio gelidarum
Corpus ponitur aquarum,
Dolor crescat quo poenarum,
Tormenta sustineat.

17 b. Egreditur sana,
Tunc tremuit terra,
Plebs incredula
Ut fidem habeat.

18 a. Pro salute sua orat
Et pro perversis supplicat,
Ut signis memor nominis
Sentiat vim numinis;

18 b. Nullus a te expellatur,
Immo magis adiuvetur
Virtute tui luminis,
Redeat incolumis.

19 a. Dolor partus suae prolis
Gravat artus genetricis,
Incutit suspiria;

19 b. Se sentiat liberatam,
Ab onere absolutam
Post tanta martyria.

20 a. Memor esto nostrae sortis,
Dum venerit hora mortis,
Ne noceat noster hostis,
Astra petat spiritus.

20 b. De profundo vitiorum
Duc ad regna beatorum,
Et in coetu electorum
Conquiescat animus.

21 a. Lictor vibrat gladium,
Martyr offert iugulum
Aeternum quaerens epulum
In caelesti gloria,

21 b. Ubi quies, ubi vita,
Ubi cuncta sunt unita
In gloria infinita
In sempiterna saecula.

Collectan. ms. Victorinum saec. [13. 15.] 16. Cod. Parisin. 14872. — Mit der Chiffre des Auctors und der Jahreszahl 1574. — Str. 3b ist ganz unverständlich. — 8a, 4 Abnitur. — 16a, 3 sq. cremetur ignibus.

349. De sancto Nicolao.

1 a. Ecce, dies perennalis,
Dies ista triumphalis,
In qua status clericalis
Exsultat cum laudibus;

1 b. Adest tempus opportunum,
De nubilo fit serenum,
Tempus istud fit iucundum,
Expenditur in precibus.

2 a. Angelicae potestates
Et Seraphin legiones
Caritate ardescentes,
Vos orate pro omnibus.

2 b. Vos, agmina caelestium,
Beatorum spirituum,
Chorus dominantium,
Pulsate vestris precibus.

3 a. Nunc coetus apostolici
Patriarchaeque iucundi,
Confessores et martyres.
Adeste nobis supplices;

3 b. Chorus sacrarum virginum
Beatorumque omnium
Civium, simus heredes
Supernorumque consortes.

4 a. Properate nunc, lactentes,
Currat iuventus, impubes
Et tremuli, tardi senes,
Dum vivitis in vigore.

4 b. Omnis sexus, omnis aetas,
Quibus inest maturitas,
Ut laudes eius debitas
Concinat omni tempore.

5 a. Argolici recensentes,
Eius mira referentes,
Laudes sancti depromentes,
Praeclara beneficia.

5 b. Neque vox est neque sensus,
Nullae vires, nullum corpus,
Neque valet huius opus
Laudare per omnia.

6 a. Coenobitae, regulares
Et vos omnes saeculares,
Et ne sitis singulares
Psallentes cum melodia.

6 b. Adunetur totus chorus.
Noster coetus sit decorus,
Et concentus sit sonorus,
Cantet cum laetitia.

7 a. Nobilibus natalibus
Praenobilis, parentibus,
Nobilior virtutibus,
Ex nobili prosapia;

7 b. Clarus per progenitores,
Claruit per sacros mores,
Mundi fugit tunc favores
Adhuc in infantia.

8 a. Iuxta nomen Nicolai
Gloriosa laus populi,
Victoria inimici.

8 b. Laus in terra, laus in mari,
Laudes ferat conditori,
Qui factus est sine pari.

9 a. Nicolaus mirificus,
Mira gerens munificus,
Erga omnes beneficus,
Conferens beneficia.

9 b. Miris miranda succedunt,
Mirabiles laudes crescunt,
Dum virtutes percipiunt
Tota mirante Graecia.

10 a. Res est nova, res insignis,
Quod stat rectus, non declinis,
Tamquam firmus et stabilis
Et videtur immobilis
Adhuc in infantia.

10 b. Vagit infans, sed vagitus
Nunquam talis est auditus,
In balneo stat erectus
Tamquam puer iam perfectus,
Dei repletus gratia.

11 a. Bina die hebdomada
Carnis portat incommoda
Et substrahit alimenta
In hac vita misera.

11 b. Ille parum laute pastus,
Tota die sic ieiunus,
Ab ubere abstemius
In aetate tenera.

12 a. Et in cunis vagientem
Videt natum, blandientem,
Voce gestu adplaudentem
Cum summa laetitia.

12 b. Lascivias puériles
Devitabat inutiles,
Fugit actus iuveniles
Hic in adulescentia.

13 a. Totus raptus in amorem
Meditatur legem sanctam,
Non humanam, sed divinam,
Et cum omni prophetia.

13 b. Sed maturitate morum
Tempus vivebat aetatum,
Quod miratur clericorum
Coetus super omnia.

14 a. A primaevo iuventutis
Fugit actus vanitatis,
It per viam paupertatis
Ad alta fastigia.

14 b. Parentibus iam defunctis
Confert sua mox egenis
Et egenus cum beatis
Pervenit ad caelestia.

15 a. Servus Dei fugit mundum,
Quem agnovit, hunc timendum,
Fugit vanum et obscaenum,
Ubi pedem cito trahit.

15 b. Sed lucerna mundo lucens,
Cunctis veram lucem praebens,
Sub modio lumen ponens
Occultari non potuit.

16 a. Et immensum pondus auri
Sanctus offert genitori,
Ne puellae lupanari
Maritentur infamia.

16 b. Adest cunctis ferens opem,
Palmas tendit ad inopem,
Nec fastiditus pauperem
Propulsatur inopia.

17 a. Refulgentes tres puellas,
Venustate decoratas,
Super omnes speciosas
Servat a calumnia;

17 b. Atque thoro coniugali
Coniunguntur maritali
Dato dono spiritali
Pontificis gratia.

18 a. Statim fugit incognitus
Dispensator Nicolaus
Insequentem fugientem,
Quem agnovit mox praesentem.

18 b. Vide, inquit, ne loquaris,
Quamdiu hac vita moraris,
Ne te cunctis efferaris;
Laudem effugit humanam.

19 a. Summum patrem exorabant,
Continue flagitabant
Et precibus hunc pulsabant
Fundendo preces supplices.

19 b. Servum Dei Nicolaum,
Praesentantem in atrium,
In divinum mysterium
Elegere pontifices.

20 a. Neque aura favorali
Nec tumultu populari,
Divinitus clericali
Ascribitur officio.

20 b. Nec pretio, nec precibus
Eligitur ab omnibus,
Non humano, sed divino
Praeficitur indicio.

21 a. Ante fores invenerunt,
Eius nomen mox inquirunt,
Praestolantem cognoverunt
Nullo tamen indicante.

21 b. Nicolaus sum humilis,
Servus vestrae sanctitatis,
Verus cultor trinitatis,
Corde, voce praedicante.

22 a. Hunc elegit inter plures
Pontifices coaequales
Neque tamen inaequales,
Hunc ascivit super omnes;

22 b. Propter morum gravitatem
Provectus in pontificem,
Sublimatus in apicem
Stolam meretur duplicem.

23 a. In precibus vigilabat,
Fame corpus atterebat
Et feminas evitabat,
Quasi pestem fugiebat.

23 b. Ignorantes admonebat
Et inopes defendebat,
Delinquentes arguebat,
Probos semper confovebat.

24 a. Quondam nautae fluctuantes
Inter fluctuum turbines,
Saevitiam patientes
Naufragantur in pelago;

24 b. Sed valida est tempestas,
Caelum commovit et undas,
Inter fluctus et procellas
Resolvuntur a naufrago.

25 a. Inundantes fluunt aquae,
Et phaselum pulsant undae,
Propelluntur aliunde,
Circumfertur omni vento;

25 b. Pellunt undae, repelluntur,
Pulsant aquae, propulsantur,
Fere rates submerguntur.
Nulla quies a tormento.

26 a. Cuncta mortem intentabant,
Vitam morte commutabant,
Anchorae deficiebant,
Exspectantes naufragium;

26 b. In rupibus conquassantur,
Gurgitibus obruuntur,
Circumquaque agitantur,
Promittentes excidium.

27 a. Intumescunt fluctus maris,
Conturbatur statim navis
Et iactatur tot procellis,
Iam de vita desperatur.

27 b. In abysso fit descensus,
Mox in alto fit ascensus,
Praestolatur interitus.
Praeter mortem nil speratur.

28 a. Et confractis in antemnis.
Ruptis velis, armamentis,
Est amissa spes salutis,
Praestolantes auxilium.

28 b. Illos iuvat in precibus,
Fractis remis rudentibus,
Una voce clamantibus
Praesens adest dicens:
assum.

29 a. Sancte pater, siste gradum,
Nostrum ne fugas aspectum,
Praebe nobis te benignum,
Te vocamus, exaudi nos.

29 b. Te videre cupivimus,
Laudes tuas audivimus,
Toto corde diligimus
Libera nos tribulatos.

30 a. Gloriose Nicolae,
Nunc a malis nos abstrahe.
Affer opem, manu trahe,
Dum sumus in miseria.

30 b. Mala nocent, immo prosunt,
Et adversa nos comprimunt,
Ad te redire compellunt
Ob salutis remedia.

31 a. Statim unda famulante,
Illo navi imperante,
Nauta portum applicante
Per Dei clementiam.

31 b. Salva nave et mercibus
Cum tot salvis hominibus
Invocatus in procibus,
Agnoverunt praesentiam.

32 a. Caelum fit serenius
Et mare tranquillius,
Naves currunt velocius,
Cedit fragor et tempestas;

32 b. Aequoreos latices
Lacti nautae persulcantes,
Statim portum subeuntes,
Subsequitur serenitas.

33 a. Seges aegra negat victum
Et subtrahit alimentum,
Tollit victus supplementum,
Plebs vertitur in lamentum;

34 a. Nautae ventis vela dabant
Et ad portum applicabant
Et ad litus properabant
Disponente clementia.

35 a. Date centenos modios
Et implete cito coros,
Fames premit tot populos,
Relevetur penuria.

36 a. Ego vobis polliceor
Minoratum non exactor,
Nec rigidus erit censor,
Mensuratum inveniet;

37 a. Adest cultor trinitatis
Et amator paupertatis
Nicolaus pontifex;

38 a. Nam cohortes et phalangas,
Legionum tot catervas
Non veretur sanctus, eas
Et lictorem aggreditur.

39 a. O perversi vos iudices,
Tres iuvenes innocentes
Condemnastis ut nocentes,
Sunt immunes a crimine,

40 a. Non mucrone conterritus
Et audacter est ingressus
Et cum velata facie
Et cum defixo poplite.

41 a. Ecce, pater clericorum,
Norma morum, lux doctorum,
Duc ad regnum electorum
Post tanta pericula.

42 a. Et ex tumba marmorea
Atque crypta lapidea
Sacrum resudat liquorem
Sanans ac cunctis languorem.

33 b. Ecce, naves adveniunt,
In portu classes relinquunt,
Tendunt iter per devium,
Per pelagus tam immensum.

34 b. In portu Adriatico
Oneratae sunt tritico
Rates cum magno classico
Ad vitae subsidia.

35 b. Non audemus, sancte pater,
Mensuram dedit minister,
Ad Bisantum augustana
Remetimur stipendia.

36 b. Sed far alit per tres annos
Civitatis tot populos,
Multos confovit egenos,
Pro tempore sufficiet.

37 b. Vita, salus et levamen,
Maestis adest sublevamen,
Nostrae salutis opifex.

38 b. O impie ac crudelis,
Vultum nostrum non videbis,
Vide, ne tu moriaris,
Incepto comprimitur.

39 b. Hos iuvenes condemnatos
Incolumes et illaesos,
Statim vitae restitutos
Sine ullo discrimine.

40 b. Nemo audet tunc mutire
Neque possunt contraire,
Cuius vultum nec videre,
Salvantur a pontifice.

41 b. Huius vitae post laborem,
Quam quaesivit pretiosam,
Resolutus est in mortem
Post mundi curricula.

42 b. Languor fugit ac dolore
Sospes redit ex languore,
Vivit in eius odore,
Dum talem sensit dulcorem.

43 a. Accurramus in odorem,
Praegustemus hinc saporem,
Rapiamur in amorem;
Vitam confert aeternam.

43 b. Civis, hospes, peregrinus
Illic venit, extraneus,
Quisquis accedit infirmus,
Consequitur sanitatem.

44 a. Statim caecis visus datur,
Surdis auditus redditur,
Claudis gressus instauratur,
Paralysis effugatur;

44 b. Ubi multa fiunt mira
Et miranda miracula,
Nec inanis revertitur,
Ubi sanitas redditur.

45 a. Sed Barenses quaterdenos
Cum septeno mittunt servos,
Afferentes membra sancta
In oleo natantia.

45 b. A capite fons olei,
A pedibus fons lymphati,
Ut unguenta suavia
Profluunt redolentia.

46 a. Nicolae, sacerdotum
Honor, decus es praesulum,
Rege totum hunc conventum,
Ne ducatur ad tormentum,
Sed per tuum interventum
Solvatur a miseria.

46 b. Vide artus fatiscentes
Et sanie defluentes,
Morbos nostros languescentes
Et in salo fluctuantes,
Tempestates patientes
Et in arta custodia.

47 a. Opportunus esto portus,
Ne submergat statim pontus,
Sed ducatur exercitus,
Ubi summus est senatus,
Coronetur laureatus
In caelesti patria.

47 b. Ubi salus, ubi vita,
Ubi spes est reposita
Et praemia custodita,
Ubi bona stabilita
Semper erunt infinita,
Ubi quies et gloria.

48 a. Ubi non vita mortalis,
Sed ibi vita vitalis,
Ubi vita immortalis
Et regio aeternalis
Cum summa laetitia,

48 b. Ut fruamur summo bono,
Ubi bonum sine damno,
Malum versum est in bono,
Ne damnemur cum profano
In aeterna miseria.

49 a. Gloriosus episcopus,
Qui peregit bonum opus,
Securus scandit atria.

49 b. Ubi Deum in lumine
Et in supremo culmine
Nunc videt in essentia.

Collectan. ms. Victorinum. saec. [13. 15.] 16. Cod. Parisin. 14872. — Mit der Aufschrift: „Auctor Fr. N. Hamelius: prosa de s. Nicolao" und mit der Jahreszahl 1574. — Zu 15a, 1 sqq. vgl. Str. 12b in der Johannes-Sequenz Nr. 345. — 35b, 3 augustana. — Nach 49a, 2 folgt noch „Servus Dei Nicolaus".

350. De sancta Syria.

1 a. Tuba Sion iucundetur,
Et iucunde moduletur
Clerus in ecclesia;

1 b. Hac in die sponsa Dei
Summae datur requiei
Summa cum laetitia.

2 a. Virgo beata Syria
Caeli transit ad secreta
Felici victoria,

2 b. Cuius ope refulget Scotia,
Stet in fide, crescat in gratia
Consequatur caelorum praemia.

3 a. Laus est ista triumphalis,
Forma lucis aeternalis
Et exemplar gloriae.

3 b. Dies felix, dies laeta,
Qua beata Margareta
Mater Fiacrii, Syriae.

4 a. Natos praebes infecundis
Servatis mysteriis,

4 b. Iracundis pacem unis
Et in morte subvenis.

5 a. Hydropisis, stranguria,
Lapis, febris, hernia,

5 b. Surditas, pestis, scoria,
Caecitas, glaucomia,

6 a. Amentia, dementia,
Paralysis, furia,

6 b. Intercus, renes, dysuria,
Gutta, spasma, ftiria,

7 a. Gravella, fluxus, vesica,
Corpora malis nexa

7 b. Sanabuntur prece tua,
Precamur voce una:

8 a. O beata tu Syria,
Morborum medicina,

8 b. Post corpora dissoluta
Perduc nos ad aeterna.

9 a. Sis morborum medicamen,
Fessis esto sublevamen,
Tribulatis adiuvamen,
[Atque] maestis consolamen;

9 b. Lapsis detur solacium,
Desperatis spei spatium;
Esto nobis refugium
Adversus hostem impium.

10 a. O Syria, virgo pura,
Regia Scotiae filia,
Sancti Fiacrii soror,

10 b. Tu es stella eximia,
Praefulgens virginum gemma,
Campaniae laus et honor.

11 a. Ad sepulcrum confugiunt
Tuum populi et sumunt
Sanitatis remedium;

11 b. Omnium plena virtutum
Medicina aegrotorum
Fer miseris auxilium.

12 a. Praepotens es miraculis
Omnium auxiliatrix,
Sis infirmis advocata;

12 b. Sis cunctis clemens et pia
In corpore et anima,
Ut possideamus regna.

13 a. Vas electum, vas honoris,
Incorrupti flos odoris,
Angelorum grata choris,
Honestatis et pudoris
Formam praesta saeculis.

13 b. Palma fruens triumphali,
Flore vernans virginali,
Nos indignos speciali
Fac sanctorum generali
Vel subscribi titulo.

Collectan. ms. Victorinum saec. [13. 15.] 16. Cod. Parisin. 14872. — Mit der Chiffre des Auctors. — 4a, 1 praebet. — 6b, 2 tiria. — 9a, 4 consolatio. — 9b, 2 sperandi spatium. — Str. 4—8 incl. sind entlehnt der Sequenz „Ecclesia narrat tua“ (Anal. Hymn. XLII. Nr. 326).

351. De sancto Victore.

1 a. Admiretur Massilica
Plebs, fidelis, catholica,
Nova depromens cantica
In Victoris praeconium.

1 b. Gaude, domus Victorina,
Tua refulget doctrina,
Quod miratur Parisina,
Quae est prima urbs urbium.

2 a. Res est nobis mirabilis,
Is, qui quondam spectabilis,
Factus est despicabilis;
Factum est exsecrabile.

2 b. Huius tanta nobilitas
Ac tanti viri probitas
Et in gestis sagacitas
Tulit factum mirabile.

3 a. O infelix Massilia,
Tu infausta es patria,
In te facta crudelia;
Patrem tuum occidisti.

3 b. Non vereris protectorem
Accusare sanctiorem,
Hunc custodem et tutorem
Dignum morte iudicasti.

4 a. Scelus istud est horrendum,
Scelus, inquam, non dicendum
Nec populis enarrandum,
Quod patravit Massilia.

4 b. Patrem suum condemnavit
Et patronum iudicavit
Quique urbem expurgavit
Ab omni spurcitia.

5 a. Vir insignis et illustris,
Potens mundo, percelebris,
Qui pugnavit tantis lustris,
Iam securus de praemio;

5 b. Pugnat pugnam ut expertus,
Certat certum non incertus
Et, qui Christum est secutus,
Palmam defert de bravio.

6 a. Agonista nulli cedens,
In proelio gentes domans
Et fortiter dextra pugnans
Neque cedit in sinistra.

6 b. Ille Christum profitetur,
Ipse palmam promeretur
Nec tyrannum reveretur,
Dum decertat in palaestra.

7 a. Sanctus Victor est invictus,
Qui poenarum tulit ictus,
Inter mundi tot conflictus
Admirante Massilia.

7 b. Post tot plagas, post tot ictus
Semivivus est relictus,
Iam morti victor addictus
Suspirat ad praemia.

8 a. Terroribus nec tormentis
Conturbatur status mentis,
Nec movetur blandimentis,
Perstat in constantia.

8 b. Praeses furit in Victorem,
Christus sancto dat vigorem;
In hunc exercet furorem
Cum magna infamia.

9 a. Pede prosternit statuam
Nec adoravit luteam,
Fugat idololatriam
Cum stabili fiducia.

9 b. Hic in pede detruncatur,
Dum in terra propulsatur,
Statim praeses admiratur
Nec se capit prae furia.

10 a. Solo stratus, equis tractus,
In stipite colligatus,
Duris loris coartatus
Suspirat ad praemium.

10 b. Audit Christum consolantem,
Iniurias patientem
Et tormenta sufferentem,
Statim dicens: Ecce, assum.

11 a. Hic raptus a patibulo
Recluditur ergastulo,
Retruditur diluculo
Iam in arta custodia.

11 b. Prelo pressus a molari
Iubet caput amputari
Et cum laude singulari
Caeli conscendit atria.

12 a. Moriendo mortem vicit,
Ubi vitam acquisivit
Et cum Christo semper vivit,
Cum beatis in gloria.

12 b. Perdit victum temporalem
Habiturus aeternalem,
Flammam fugit infernalem,
Ubi gravis miseria.

13 a. Qui pro Christo moriturus
In aeternum est victurus,
Et cum Christo regnaturus
Cum perenni laetitia.

13 b. Qui pro mundo moriturus
Est cum mundo periturus,
Talem finem habiturus
Moritur in tristitia.

14 a. Qui pro Christo est occisus,
Ille mori mundo visus,
Sed cum Christo est confisus,
Iam percipit caelestia.

14 b. Qui pro mundo est occisus,
Victus remanet confusus
Et a mundo est illusus,
Statim perit cum gloria.

15 a. Is apparet mundo victus,
Qui pro Christo est convictus,
Immo remanet invictus,
Iam vivit nec emoritur.

15 b. Veneretur hic patronus,
Quem caelestis habet thronus,
Ad orandum assit pronus,
Promptus in auxilio.

16 a. Huius vitae post certamen
Largiatur adiuvamen,
Sit afflictis consolamen,
Maestis consolatio.

16 b. Claudis gressus revertitur,
Lux caecis restituitur,
Aegris salus effunditur,
Effugantur daemonia.

17 a. Mortuis vita redditur,
Mutis lingua resolvitur,
Hydropisis consumitur,
Restaurantur per omnia.

17 b. Omnis utriusque sexus,
Quem constringit culpae nexus,
Qui languore est complexus,
Tua cupit vestigia.

18 a. Victor, modo sublimaris
Et cum Christo gloriaris,
Super omnes nunc laudaris
In caelesti curia.

18 b. Tu insignis, Victor, miles,
Pertulisti poenas viles,
Respice nos imbecilles
In hac mundi miseria.

19 a. Verus miles eras, Victor,
Verus fidei professor,
Trinitatis verus cultor,
Veritatis mens conscia.

19 b. Bene, Victor, tu certasti
Et agonem consummasti
Neque fidem denegasti
In tam gravi certamine.

20 a. Palma tibi datur laeta,
Cui tot mala insueta,
Tu, qui fortis es athleta,
In Christi gaudes lumine.

20 b. Sic ubique victor es,
Caelo, terra potens es.
Tibi iure nomen est
Victor a victoria.

21 a. Super celsa ductus, Victor,
Qui in bello factus victor,
Modo noster sis conductor,
Ductor ad caelestia.

21 b. Victorinos nos perducas,
Et ad regnum nos conducas,
Post hanc vitam nos deducas,
Ubi tribunal gloriae.

22 a. O quam felix dies ista,
Qua triumphat agonista,
O quam vera, quam sollennis,
In qua Victor ad perennis
Aulae conscendit atria;

22 b. Ubi nec cras nec hesternum,
Sed est idem hodiernum,
Ubi salus, ubi vita,
Ubi pax est infinita,
Ubi Deus est omnia.

Collectan. ms. Victorinum saec. [13. 15.] 16. Cod. Parisin. 14872. — Mit der Angabe: „Auctor Fr. N. Hamelius" und der Jahreszahl 1575. — 4 b, 1 condamnavit. — 8 b, 4 Et cum. — 9 a, 3 idolatriam: dies ist freilich die meist vorkommende Form. — 14 a, 2 Ille mortuus mundo. — Zu Str. 15 a scheint eine Gegenstrophe, die im 4. Verse auf -itur endigt, zu fehlen. Bis zur Strophe 21 b ist nämlich von hier ab der Reim der Schlufsverse gestört. Ebenso scheint nach 21 b aus gleichem Grunde eine Halbstrophe zu fehlen. — Im übrigen erscheint diese Sequenz als die beste unter den sehr minderwertigen Dichtungen des Victoriners Hamelius. — Alle Sequenzen dieses Auctors, soweit sie im Cod. Parisin. 14872 sich vorfinden, sind hiermit zum Abdruck gelangt. Von den Sequenzen des Anonymus Ravennatensis, welche auf einer noch niedrigeren Stufe stehen, bringe ich im Folgenden nur einige wenige Proben, von denen es ohnehin zweifelhaft bleibt, ob sie Originaldichtungen oder Umarbeitungen sind.

II. Specimina quaedam Sequentiarum Anonymi Ravennatensis.

---

352. De sancto Ambrosio.

1 a. Summus praesul
Mediolanensis,
Ambrosius,
laudibus immensis
Decoratur.

1 b. Generatur
patre Ambrosio;
Tunc natalis
dies cum gaudio
Celebratur.

2 a. Cum in cunis
parvulus iaceret,
Volitantes
apes conspiceret,
Admiratur;

2 b. Favis mellis
scripturae futurus
Arrianam
doctrinam victurus
Praesignatur.

3 a. Vox infantis
clamat in aperto
Conferendam
cathedram experto
Et honorem.

3 b. Grandis honor,
sed est grave pondus;
Non ponderat
magnam curam mundus
Nec laborem.

4 a. Membra carnis
frangit ieiunio
Demptis festis
et cibo nimio
Abstinebat.

4 b. Pro captivis
ille redimendis
Vasa sacra
pro censu solvendis
Exponebat.

5 a. Clericorum
accitus in sortem
Dum fugeret,
quaesitus ad portam
Invenitur.

5 b. Hi parabant
illi insidias,
Per angustas
et per latas vias
Inquiritur.

6 a. Multas noctes
insomnes ducebat,
Manu sua
codices scribebat
Vir perfectus;

6 b. Caelestia
totus anhelabat,
In divinis
intentus vacabat
Intellectus.

7 a. Ingemiscit
videns pullulare
Malum ingens
et lucrum amarae
Vanitatis.

7 b. Minuitur
nulla inopia,
Satiatur
non rerum copia
In praelatis.

8 a. Honoratus
ille Vercellensis
Illum vidit
manibus expansis
Ad superna.

8 b. Per hunc sacra
offertur hostia
Et caelestis
illi patet via
Ad aeterna.

9 a. Sacro fonte
abluti infantes
Hunc sedentem
in sede videntes
Admirantur,

9 b. Ascendentem
digito monstrantes,
Et non posse
videre parentes
Contristantur.

10 a. Vitae diem
ultimum praescivit
Et victurus
ad regnum transivit
Claritatis.

10 b. Pretiosam
solutus in mortem
Numeratur
in sanctorum sortem
Cum beatis.

Sequent. ms. Ravennatense anni 1585—87. Cod. Classen. 360 (139. 5. 8).

353. In Translatione s. Augustini.

1 a. Summus praesul Hipponensis,
Civitatis Tagastensis
Augustinus pontifex,

1 b. Sacris edoctus literis
Nomen vitae dat posteris
Scientiae artifex.

2 a. Plebs Affrica flagellatur
Per barbaros, cruciatur
Armis et incendio;

2 b. Nulli sexui parcentes
Et omnia devastantes
Extremo excidio.

3 a. Post haec Hipponem venerunt,
Manu forti obsederunt
Castella et moenia.

3 b. Sunt exsules a patria,
Qui tulerunt incendia
In magna angustia.

4 a. Et sub tali miseria
Augustini mens anxia
Maerore afficitur.

4 b. Hic gladio trucidatos
Videt, alios fugatos,
Prae dolore moritur.

5 a. Finitis novem mensibus
Urbs capitur cum civibus,
A Gothis devastatur.

5 b. Sanctum corpus sepelitur,
In ecclesia ponitur,
A turbis honoratur.

6 a. Lugbrandus Longuoberdorum
Ob impetum barbarorum
Iubet a Sardinia

6 b. Huius corpus hinc transferri,
Alio loco transferri
Magna reverentia.

7 a. Laetitiam rex immensam
Habet, cum ad Ianuensem
Civitatem venerunt.

7 b. Adcurrit tota civitas,
Fit populis hilaritas,
Turbae obviaverunt.

8 a. Votum vovit rex fidelis:
Per hunc, qui regnat in caelis,
Si duci permiseris,

8 b. Dabo urbem Ticinensem,
Ante annum, ante mensem
Ibi honoraberis.

9 a. Et adventum audientes
Papienses venientes
Maximo cum gaudio

9 b. Corpus sanctum osculantur
Et oculis contemplantur
Magno cum tripudio.

10 a. Magne pater Augustine,
Praeceptor legis divinae,
Amator paupertatis,

10 b. Effice tuis meritis
Laxatis nostris debitis
Vivamus cum beatis.

11 a. Nos transferat ad superna,
Ubi vera est lucerna
Et summa laetitia.

11 b. Ex hoc mundo transferamur
Et ad caelum perducamur,
Ubi pax et gloria.

Sequent. ms. Ravennatense anni 1585—87. Cod. Classen. 360 (139. 5. S).

354. De sancta Cunegunde.

1 a. Est dies ista celebris,
In qua sexus muliebris
Egit mirabilia.

1 b. Virtus non est feminina,
Qua triumphavit regina
De viris victoria.

2 a. Nupta virgo Cunegundis
Infecunda cum fecundis
Refugit consortia.

2 b. Plus probatur virginitas,
Quam probata fecunditas
Inter matrimonia.

3 a. Libere massam conscendit,
Veritatem apprehendit
Visa innocentia.

3 b. Maria virgo salvavit,
A suspicione purgavit,
Ab omni infamia.

4 a. Amplexus vitat viriles,
Inhonestos actus viles,
Opera voluptatis.

4 b. Fugit copulam carnalem
In sociam maritalem
Vinculo castitatis.

5 a. Rarum inter coniugatos
In cubili congregatos
Sine carnis opere.

5 b. Illa quondam maledicta,
Modo ista benedicta
Sociali foedere.

6 a. Nupta terram adimplevit.
Innupta caelum complevit,
Suadetur castitas.

6 b. In caelo fiunt nuptiae,
Sponsae verae ecclesiae
Ubi est fecunditas.

7 a. Propter regnum se castrantes
Neque prolem exspectantes
Caelibes evaserunt.

7 b. Cupiunt esse steriles,
Ut sint in caelo fertiles,
Virgines permanserunt.

8 a. Matres parvulos gestantes
Et in grabatis portantes
Requirunt remedia.

8 b. Statim languentes sanantur
De sospitate laetantur.
Redeunt ad propria.

Sequent. ms. Ravennatense anni 1585—87. Cod. Classen. 360 (139. 5. 8).

355. De sancta Eulalia.

1 a. Nascitur de Barcinona
Iuvencula pulchra, bona,
De magna Hispania.

1 b. Martyr virgo Eulalia.
Non humilior alia.
Pertulit supplicia.

2 a. Annis tribus super decem
Praeparavit se ad necem.
Patitur crudelia.

2 b. Mala malus inhumanus
Auget, furit Dacianus
Prae cordis vesania.

3 a. Primo nodosis fustibus
Ex arbore cum stirpibus
Raptis nuda caeditur;

3 b. Et super lectum ferreum
Corpus tenerum, carneum,
Nudatum extenditur.

4 a. Oleum mammis funditur.
In calce viva ponitur
Graviter cruciatur.

4 b. Plumbum manus exurebat.
Fundens dolorem reddebat.
Virgo non urebatur.

5 a. De fragmentis testularum
Augetur dolor plagarum,
Corpus huius raditur.

5 b. Haec beata immobilis,
Firma manet et stabilis
In cunctis efficitur.

6 a. Post tot plagas et verbera
Sanantur sua vulnera
Sine medicamine.

6 b. In carcere est reclusa,
Ubi protinus perfusa
De superno lumine.

7 a. In poenis dixit „gaudeo“.
Dum calcem miscent oleo,
Deliniunt vulnera.

7 b. Ponunt in ignem ardentem,
In fornacem consummantem.
Feriunt per latera

8 a. Et per totam civitatem
Toto corpore nudatam
Ducunt cum infamia.

8 b. Tunc fideles animantur,
Ad martyrium moventur
Visa patientia.

9 a. Tandem percussa gladio
Caelos scandit cum gaudio
Ascendens ad aethera;

9 b. Sicut columba candida
Anima transit splendida
Super alta sidera.

Sequent. ms. Ravennatense anni 1585—87. Cod. Classen. 360 (139. 5. S).

356. De ss. Fusca et Maura.

1 a. Collaudemus constantiam,
Martyrum patientiam,
Sacra sint sollemnia.

1 b. Agamus festum perennem,
Quo Fusca apud Ravennam
Patitur supplicia.

2 a. Annis quinque supra decem
Ista concupivit necem
Pro aeterna gloria.

2 b. Haec nutrici revelavit
Secreta, manifestavit,
Quid in conscientia.

3 a. Unda lavit baptismatis,
Et unctione chrismatis
Perfusa solidatur.

3 b. Flagris asperis caeditur,
In carcerem reducitur,
Et victus denegatur.

4 a. Nititur hanc revocare
Pater et mentem mutare
A sua firmitate;

4 b. Pater ferire voluit,
Mater se interposuit
Commota pietate.

5 a. Mater demulcet loquelis
Cum matronis et puellis
Per blanda colloquia.

5 b. Nec minis nec blandimentis
Commutatur robur mentis,
Firmatur constantia.

6 a. Ministri vident orantem
Et angelum assistentem,
Territi redierunt.

6 b. Christianas profitentur
Et idola detestantur,
Morte se obtulerunt.

7 a. Maura rogat carnificem,
Suam auferat cervicem,
Et statim percutitur;

7 b. Percussa ferro necatur,
Vitam per mortem mercatur,
Per latus transfoditur.

8 a. Guttur offerunt lictori
Nec ad horam timent mori
Pro Dei iustitia.

8 b. Nautae noctu rapientes
Harum corpora portantes
Terra procul alia.

9 a. Actis annorum circulis
A gentilibus populis
Populatur patria.

9 b. Transferunt ad Venetiam;
Ob corporum praesentiam
Habetur memoria.

Sequent. ms. Ravennatense anni 1585—87. Cod. Classen. 360 (139. 5. S).

357. De sancto Herminigildo.

1 a. Levigildus
rex Wisigotarum
Gentem, trucem
more bestiarum,
Subiecit imperio.

1 b. Summi regis
Sigiberti natam,
Quam filius
habuerat gratam,
Iunxerat conubio.

2 a. Episcopum
mittit Arianum,
Confitetur
esse Christianum,
Negat sacrificia.

2 b. Iste regnum
terrenum despexit,
Ad caelestem
patriam evexit
Mentem ad caelestia.

3 a. Rex promissis
non potest flectere
Neque minis
animum vertere
Firmatum constantia.

3 b. Pater regno
terreno privavit,
Collum ferro
manus adligavit
In arta custodia.

4 a. Festo Paschae
superveniente
Ariano
ad hunc accedente,
Qui hostiam obtulit,

4 b. Si de manu
sacra perciperet,
Sic gratiam
patris reciperet;
Sed exire compulit.

5 a. Et securi
caput confringentes
Sic corpori
vitam auferentes,
Meruit caelestia.

5 b. Et lampades
nocte accenduntur,
Angelicae
voces audiuntur
Dulci cum melodia.

6 a. Hic de morte
nati paenituit
Et in corde
plurimum doluit
Magna cum maestitia.

6 b. Nam Richardus
non sequitur patrem.
Sed in fide
imitatur fratrem
Relicta perfidia.

7 a. Dumque granum
in terram cecidit,
Magnam messem
populo reddidit
In maxima copia.

7 b. Sic, dum regis
filius moritur,
Gens barbara
fidem amplectitur
Tota cum provincia.

8 a. Moriamur
in vita peccatis,
Resurgentes
simus cum beatis
Post vitae curricula.

8 b. Caro nostra
tandem moritura,
Qua mortua
resurget victura
Per aeterna saecula.

Sequent. ms. Ravennatense anni 1555—87. Cod. Classen. 360 (139. 5. 8). — 3b, 3 Colum.

358. De sancto Ignatio.

1 a. Summus praesul
est Antiochenus
Eloquio
gravis et amoenus,
Anhelat caelestia.

2 a. Ignatius,
divinus deifer,
Praedicando
factus est legifer
Docens evangelia.

3 a. Hic sacerdos
statim efficitur,
Praesul urbis
posthac elegitur
Communi sententia.

4 a. Et a loco
Romam perducitur,
Vinculatus
plurima patitur
Pro Dei iustitia.

5 a. Hic in cippo
ferreis ligatur,
Per triduum
fame cruciatur,
Maxima penuria;

6 a. Super prunas
nudus ambulavit
Neque plantas
pedum ustulavit,
Nulla fit adustio.

7 a. Hic leones
saevos provocabat,
Ad vorandum
illos invitabat,
Fit praeda leonibus.

8 a. „Sicut panis
molitus dentibus
Bestiarum
sic molar morsibus
Salutaris victima;

1 a. Tertius post
Petrum apostolum
Pro meritis
acquisivit polum
Et loca sublimia.

2 b. Iste fuit
Iohannis auditor,
Secretorum
factus est creditor,
Cognovit mysteria.

3 b. Epistolas
multas destinabat
Et ad fidem
multos invitabat
Divina scientia.

4 b. Comitatur
decem leopardis,
Ad torquendum
non est viris tardis
Datus pro custodia.

5 b. Et in dorso
plumbatis feritur,
Per latera
ungulis caeditur;
Magna fit iniuria.

6 b. Ignis ardens,
non aqua bulliens,
Intrepide
tormenta patiens
Cunctis admiratio.

7 b. Ignatium
tunc praefocaverunt,
Nullatenus
carnem tetigerunt
Omnibus mirantibus.

8 b. Ego Christi
sum purum frumentum,
Venter ferae
erit monumentum,
Mors poenarum ultima.“

9 a. Nomen Iesu
inscriptum literis
Hoc in corde
esse in aureis,
Ut dixit, invenerunt;

9 b. Curiosi
scrutari volentes,
Per medium
corpus dissecantes
Sic esse cognoverunt.

10 a. Christiani
corpus auferentes,
Hi permittunt
non contradicentes,
Terra procul alia.

10 b. Postquam tulit
dura certamina,
Coniungitur
inter tot agmina
Sanctorum in gloria.

Sequent. ms. Ravennatense anni 1585—87. Cod. Classen. 360 (139. 5. 8).

359. De sancta Lucia.

1 a. Pange praeconia
Beatae Luciae,
Assunt sollemnia
Summae laetitiae,
Plebs tota laetetur.

1 b. Urbs Syracusana,
Nobilis civitas,
Quam vexat vesana
Morbi infirmitas,
Per te sublevetur.

2 a. Ad bustum sanatur
Sanguinis fluvio,
Sanitas donatur
A Dei filio,
Quaternis vexata.

2 b. Si tu credideris
Fudisse cruorem,
Mater, sanaberis
Per meam sororem
A morbo levata.

3 a. Verbis seductricis
Iuvenis movetur,
Suasu nutricis,
Ut bonum speretur,
Docet commercium.

3 b. Facile seductus
Ad bonum ducitur,
Sperat esse fructus,
Ibi decipitur
Auctor vendentium.

4 a. Novit fallaciam,
Vocavit insanam,
Dicit stultitiam
Spernere humanam
Mundi voluptatem.

4 b. Legem Augustanam
Virgo contempserat
Et se christianam
Esse clamaverat
Servans castitatem.

5 a. Illaesa castitas
Manet in virgine,
Probata puritas
In hoc certamine
A Deo servatur.

5 b. Columna firmata,
Velut mons stabilis,
Non est commutata,
Sed immutabilis,
Ne virgo trahatur.

6 a. Vires iumentorum
Nec maleficia
Paria brutorum
Et veneficia
Unquam nocuerunt.

6 b. Oleum funditur
Nec adurit ignis,
Resina ponitur,
Res facta insignis,
Picem addiderunt.

7 a. Largitur egenis,
Quas habebat, opes,
Donans alienis
Fovebat inopes
Sua substantia.

7 b. Mundi blandimenta,
Terrena munera
Tamquam purgamenta
Argenti pondera
Spernit praesentia.

8 a. Percussa gladio
Mansit semiviva,
Exsultat gaudio
Futura conviva
Aeternae gloriae.

8 b. Clerus accersitus
Affert sacramenta,
Ascendit caelitus
Post tot detrimenta
Regnum laetitiae.

9 a. Lucia lucida,
Omnibus relucens,
Tamquam lux fulgida
Nos ad lucem ducens,
Ubi lux aeterna.

9 b. Lumen in lumine
Videns in gloria,
In caeli culmine,
Ubi laetitia
Et pax sempiterna.

Sequent. ms. Ravennatense anni 1585—87. Cod. Classen. 360 (139. 5. S).

360. De sancto Vitali.

1. Virtutes paschalis agni
depromant servi sui,

2 a. Vitalis et Valeriae,
Pari qui sub serie
Mundo genuere
binos fratres.

2 b. Horum primus Protasius,
Alius Gervasius
Sunt natura [atque]
forma pares.

3 a. Vitalis militans
consul Neronis capitur,

3 b. Qui tunc cum Paulino
in Ravennam transmittitur.

4 a. Ursicinus hinc vexatur,
Quem Vitalis
fide solidatur,

4 b. Voce cuius Ursicinus
Se confert ad
tormenta benignus.

5 a. Vocatus Vitalis
a Paulino consulari

5 b. Renuens idolis
cum Paulino differt fari.

6 a. Paulinus ministris palam
Iussit torqueri
sanctum Vitalem.

6 b. Specu datur submergio,
Sacerdotisque
consilio.

7 a. Saevo captus incendio,
Sacerdos sub impio
Fluctu, daemonio
Astu mergitur.

7 b. Post caeditur Valeria
Linquens sacrificia,
Quae sunt, Silvania
Neci traditur.

8. Vitalis et Valeriae
Duc nos in acie
Nobisque, pie rex,
miserere.

Sequent. ms. Ravennatense anni 1585—87. Cod. Classen. 360 139. 5. 8. — Der Anfang bekundet die Anlehnung an die Sequenz auf die hl. Genovefa, welche auf gleiche Weise anhebt (Anal. VIII. Nr. 170 und die nur in französischen Quellen sich vorzufinden scheint. Dieses bestätigt die Annahme, dafs der Schreiber und Verfasser vorliegender Sequenz ein Franzose ist, während der Inhalt der Sequenz darauf hindeutet, dafs der Verfasser in Ravenna lebte. — Melodie natürlich: „Victimae paschali" mit Verdoppelung der mittleren Strophen.

Berichtigungen.

S. 9. Z. 18 v. o. l. Frater st. Fraeter.
Nr. 44, Anm. l. Eia turma st. Eia turmina.
Nr. 103, Str. 2 b. 2 l. plaudant st. laudant.
Nr. 258, Str. 2 a. 3 l. Ottilliae st. Ottillae.
Nr. 323 ist identisch mit Nr. 362 im Bande XL. Weil Bannister den Anfang der Sequenz „Laus Deo patri" las statt „Laudes Deo patri", bemerkte ich anfangs nicht die Identität der beiden Sequenzen.

Register.

	Seite
Ad altaris sacramenta . . .	295
Ad caèleste praemium . . .	46
Adest dies decora	202
Adest dies specialis	192
Adest hodie festum nobis . .	57
Adest Marthae sollemnium . .	208
Adest nobis venerandus . . .	252
Ad honorem patris Maglorii .	193
Ad honorem salvatoris | Mens .	118
Ad honorem summi regis . .	114
Ad honorem trinitatis | De . .	54
Ad honorem trinitatis | Refulget	108
Ad laudem omnipotentis . . .	75
Admiremur recolentes	305
Admiretur Massilica	336
Ad palmam huius virginis . .	177
Ad tanti patris studia	221
Adunetur totus chorus . . .	299
Alleluia | Deus quoniam . . .	101
Alleluia | Praefulgida dicito .	191
Alma benigne Deus pietate . .	262
Alma parens Anna gaude . .	41
Alme mundi creator	295
Almi colamus Eucharii	127
Angele qui meus es custos . .	40
Archi-summi-praesulis	214
Arte metri prosis tonis . . .	229
Ascendamus ad honestum . .	170
Audi virgo Barbara	63
Ave felix Katharina	180
Ave praeclara mater Anna . .	44
Ave sponsa deitatis	301
Ave virgo generosa	65
Ave virgo martyr Christi . .	64
Ave virgo praegnans prole . .	6
Ave virgo quam beatam . . .	15
Beata es tua iam dicta . . .	66
Benedictus | Decantat in . . .	83
Caeli nardus | Fragrat signis .	86
Celebretur dies ista | Qua . .	100
Celsum carmen puris ex . . .	230
Chorus noster promat voces .	53
Christe Iesu Domine	83
Christianae virginis	92
Christo laudes concinamus . .	30
Clara claris | Sata prodit . .	114
Clara dies et insignis	231
Cogis linguam fari laudes . .	91
Collaudemus constantiam. . .	343
Concentu melodiae	22
Concinna voce modulemur . .	175
Confessorem venerandum. . .	189
Confessoris egregii	85
Confessoris incliti	249
Confessorum regi Christo . .	109
Congaudeat plebs pistica . .	325
Congaudent angelorum chori .	43
Congaudentes exsultemus | Et .	221
Contio trabeata | Agminibus .	21
Dei per Patricium	235
Deo detur laus aeterna . . .	242
De profundis proclamemus . .	280
Diem festum celebremus . . .	181
Dies adest gloriosa | Marthae .	207
Dies festiva dies sancta . . .	257
Divino balsamo | Mundus . .	13
Donatur miles laurea	134
Ecce dies attollenda	327
Ecce dies perennalis	329
Ecce dies triumphalis	319
Ecce pulchra | Canorum . . .	225
Ecce tempus opportunum . .	303
Ecclesiae doctor Ciceronis . .	149
Edoctus Dei flamine	288
Egregia sponsa Christi . . .	70
Eia carissimi agamus	163
Eia celebremus hodie	246
Eia qualis est et quantus . .	227

	Seite
Eia recolamus carmina	209
Eia septem fratrum	130
Eia summe sator	159
Eia voce praedicemus	52
Electum Eligium	117
Est dies ista celebris	341
Est hic panis gloriosus	14
Evangelistam Iohannem	161
Exaltemus Ieronymi	148
Ex arcano pietatis	206
Excitetur plebs devota	211
Ex lumine fit radius	125
Exsultet felix Graecia	26
Exsurgat totus almiphonus	204
Fecundatur virginitas	176
Felix Eliphi caelestis	121
Festus est nobis hodie	244
Fuit quondam Melitena	136
Fundatur in sapphiris	272
Gabrieli nuntio Regis	135
Gaudeamus exsultantes	93
Gaudeat plebs Biturica	317
Gaude Christi ecclesia	284
Gaude gemma praelatorum	271
Gaude mater ecclesia | Recolens	150
Gaude mater ecclesia | Tali	258
Gaude miles martyr gaude	138
Gaude plebs Autrica	239
Gaude plebs nunc Pictavensis	189
Gaude Sion et laetare Plaude	312
Gaude superna civitas | Nova	194
Gaudet clemens Dominus	156
Gaudet orbis et laetatur	51
Gaude turba fidelium	307
Gaudia nobis opima	243
Georgius veneretur	137
Germinabit germen iustum	139
Gloriosum militis Iuliani	167
Gloriose martyr Dei | O Erasme	123
Gloriosi praesulis	223
Gratiarum actio | Sit	41
Gratulemur in hac die	323
Gratuletur fidelis populus	267
Gratuletur plebs fidelis	256
Gratuletur totus orbis	315
Gratuletur urbs devote	214
Hac clara die turma festiva	130
Hac die festa tota	23
Hac in die gratulemur	68
Haec est dies laude	196
Haec festi duplicatio	216
Hic est contemptor regnorum	103
Hodierna die Christe	93
Hodiernae lux diei | Hildewardi	150
Hodiernae lux diei | In qua	25
Hodiernae lux diei | Nobis	58
Honor et gaudium	100
Hos Deo dignis attollat	236
Hos saepius visitavit	110
Huius diei clara sollemnia	195
Huius festi collaudetur	154
Hymnum canat plebs iucunda	253
In caelesti mansione	7
Inclite rex regum	255
In concordi melodia	233
In honore Viviani	289
In peccatis qui dormiunt	110
In praesenti incolatu	270
In Samsone Deo sit gloria	251
Insigne praeconium	171
Inter mira salvatoris	187
In vestitu deaurato	111
Invictum Christi militem	95
In voce angelica	63
Iohannis evangelistae	164
Isti duae sunt olivae	244
Iubilemus Christo melos	199
Iucundare mente tota	142
Iucundare plebs Corboliensis	141
Iucundare Sion canticis	146
Iucundemur senes	88
Iucundetur in hac die	269
Iucundum sit eulogium	260
Iuliane inclite	169
Katharinae gloriosae	178
Laetabunda Sion gaude	135
Laetabundus | Exsultet fidelis	99
Laetabundus | Exsultet virginum	276
Laetabundus | Grata voce	264
Laetabundus | Lamperto	185
Laetabundus | Moduletur	61
Laetabundus | Paulum	238
Laetabundus | Sit martyrum	264
Laetabundus | Te laudat	179
Laetentur viscera hodie	169
Laetetur ecclesia | Caelestis	188
Laetetur ecclesia | Sollemni	291
Laudabilem virum	120
Laudat Christum plebs	7
Lauda Iustum confessorem	172
Laudem dicite christicolae	277
Laudemus omnes Dominum	50
Laude piissima collaudemus	157
Laudes almo Wandalino	291
Laudes Christo et sancto	259
Laudes Deo concinamus	287
Laudes Deo modulemur	17
Laudes Deo nostro concinat	122

	Seite
Laudes Deo patri et filio	286
Laudes pangamus regi	293
Laudes tu cane Deo	36
Laudet Christum iam	210
Laudet Dei filium	285
Laudet Deum salvatorem	216
Laudum praeconia | Promat	69
Laudum praeconia | Solvat	155
Laus iucunda | Lamberto	186
Laus Mariae filio	24
Legis laxet onera	184
Levigildus rex Wisigotorum	344
Lucet fide | Meritis	180
Lux aeterna beatorum	18
Lyrae cordis | Concordet	145
Lyram tange concrepando	76
Magnae dies claritatis	45
Magnum patrem Benedictum	80
Mane pueritiae	23
Marthae ingens sanctitas	210
Martyr almus Antoninus	47
Martyres stabant in agone	20
Martyri Quintino laudes	245
Martyris praeconio	188
Martyris Victoris laudes	279
Mater alma perge trino	71
Militans ecclesia	219
Mittit ad virginem | Sanctam	112
Nascitur de Barcinona	355
Nicolai Myrae laudes	228
Nicolaum harmoniae	226
Nostri patris et pastoris	213
Ob Antonii honorem	48
O beatae Margaretae	200
O beata Katharina	179
Odradae recolentes laudes	228
O Iesu Christe ad sancti	158
Omnes celebremus	46
Omni laude commendanda	165
Omnis chorus | Ecclesiae	28
Omnis homo gaudeat	283
Omnis mundus | Laetabundus	183
Omnis spiritus laudet	275
Optime fons et origo	296
O quam felix dies iste	27
Organa plebs pia	81
Oris vocis melos demus	106
Pangat et exsultet	174
Pangat hymnum | Udalrici	271
Pange chorus omnium	202
Pange praeconia | Beatae	346
Pantaleonis gloriosis	234
Pari concentu trium	184
Pasce Petre oves Christi	239
Pater noster pastor bonus	212
Patris almi Iudoci contio	166
Pauper mundo dives caelo	213
Pia voce praedicemus	52
Plaudat orbis et ad caelos	116
Plaude felix et inclita	220
Plausu chorus incundetur	72
Plebs ad laudes prompta	222
Plebs fidelis Hermachorae	144
Plebs fidelis iucundetur	115
Plebs fidelis plaude melis	106
Post triumphum summi regis	265
Praesulis eximii | Matris	224
Pretiosa mors sanctorum | In	218
Psallamus pariter	292
Psallat chorus laetabundo	70
Psallat laeta supernorum	153
Psallat mundus corde mundo	309
Psallat vox cuncta	241
Psalle pia contio	219
Puer natus est Cyricus	102
Pulchrae Sion generosa	131
Quasi sol diluculo	133
Quem filiae Ierusalem	56
Quem solem invisibilem	77
Recolamus venerandam	35
Regem regum invocemus	151
Regi Christo iubilemus	74
Remaclus vir nobilis	248
Rex aeterne pie pater	19
Rex optimus et maximus	75
Rosa novum dans odorem	263
Sacra sacris concinentes	32
Sacrosanctae trinitati	18
Sacrum diem attentius	282
Salus data Galliae	254
Salutaris veni caris	132
Salvae virginis Mariae	15
Salvatorem collaudemus	152
Salve Anna veneranda	42
Salve dies gloriosa	281
Salve dies gloriosae	16
Salve dies quam sacravit	27
Salve lumen quod ex Mariae	15
Salve martyr gloriosa	199
Salve pater Dionysi	104
Salve rex regum Deus	140
Salve rosa claritatis	113
Salve rosa martyrum	66
Salve rosa puritatis	7
Sanctae matris Elisabeth	121
Sancte Dei pontifex | Sis	261
Sancte Paule merita	237

	Seite
Sancte sanctorum vita . . .	247
Sancti festa confessoris . . .	87
Sancti praesulis	Colentes . .	119
Sanctorum antistitum	225
Sator summe	Praeconia . . .	156
Septem sanctos veneremur . .	99
Sidus clarum	Fulget	98
Signiferi discipula	96
Silvam in silvis colere . . .	192
Sit tibi laus et honor doni . .	294
Sollemni vos induite	190
Sollemnizet cleri schola . . .	60
Solum gaude caelum plaude .	124
Sonet vox ecclesiae	82
Sospitati dedit aegros	176
Sperne labem mundialem . .	166
Splendor patris et figura . . .	55
Stephani Gamalielis	266
Summi principis sophia . . .	147
Summi regis ierarchia . . .	105
Summi regis in laude	250
Summus praesul est Antiochenus	345
Summus praesul Hipponensis .	340
Summus praesul Mediolanensis	339
Super mentem exsultemus . .	38
Superni patris gratia	278
Surge laudum ad concentus . .	197
Surge Sion iucundare	152
Thronus novus fabricatur . .	97
Tibi Christe	Laetus psallat .	145
Titulus memoriae	201
Tradit nobis festivale	78
Trinum Deum in usia . . .	247
Triplici tripudio	140
Triumphantis militia	128
Tuba Sion iucundetur	334
Turma gaude puellaris . . .	33
Turma plaudit caelica . . .	59
Ulphiae gloriam	274
Universi iubilemus	273
Urbs beata Sion gaude . . .	198
Ut sequamur pari zelo . . .	20
Valentino qui valenter . . .	277
Vale solidum mundi	72
Veni Christe caelitus	103
Veni Costi filia	182
Veni sancte spiritus	Per . .	217
Veni virgo Barbara . . .	63
Verbi vere substantivi . . .	162
Verbum bonum nuntiatur . .	44
Verbum bonum personemus Quo Agnetis	34
Verbum bonum personemus Quo Erasmi	125
Verbum salutis	Missum . . .	37
Verbum Dei incarnatum . . .	240
Verbum pater eructavit . . .	245
Vertex evangelicus	163
Victo mundi lubrico	89
Victori Blasio laudes	87
Vincens ut evinceret	282
Virginalis turba plaude . . .	34
Virginis eximiae	Festum . .	266
Virginis obsequio	178
Virginitatis lilio	290
Virgo fortis	Stirpis	29
Virtutes paschalis agni . . .	360
Vita fide signis gratum . . .	134
Vitus puer cupit sisti	287
Voce laudis Sion gaude . . .	62
Vocem laudis exaltemus . . .	90
Voto cordis melos demus . .	106
Voto pari gratulemur	29
Vox respondens moribus . . .	79
Vox resultet novi	126
Vox te iam nostra	268

Pierersche Hofbuchdruckerei Stephan Geibel & Co. in Altenburg.

ANALECTA HYMNICA

MEDII AEVI.

Herausgegeben

von

Clemens Blume und **Guido M. Dreves.**

XLV a

HISTORIAE RHYTHMICAE.

Liturgische Reimofficien

des

Mittelalters.

Achte Folge.

Leipzig.
O. R. Reisland.
1904.

HISTORIAE RHYTHMICAE.

Liturgische Reimofficien

des

Mittelalters.

Achte Folge.

Aus

handschriftlichen und gedruckten Quellen

herausgegeben

von

Guido Maria Dreves
S. J.

Leipzig.
O. R. Reisland.
1904.

VORWORT.

Die Quellen, aus welchen die in vorliegendem Halbbande nachgetragenen Officien geschöpft wurden, sind im wesentlichen dieselben, denen der Hymnenbestand des XLIII. Bandes dieser Analekten entnommen wurde. Es sei daher auf die einleitenden Worte jenes Bandes verwiesen. Bemerkt sei aufserdem, dafs dieser Folge von Reimofficien anhangsweise auch einige rhythmische Mefsformulare, oder Teile solcher Formulare, zugesellt wurden, darunter auch die von Mone in seinen „Lateinische und Griechische Messen“ mitgeteilte Missa VIII.

Die Bruchstücke gereimter oder doch rhythmischer Officien, denen man da und dort begegnet, lassen sich in drei Gruppen zusammenfassen. Sie sind entweder

1. Fragmente eines in allen seinen Teilen (oder doch zum gröfsten Teile) rhythmischen Officiums, von denen uns aber in den Quellen nur Torsos erhalten oder in Druckwerken nur Proben mitgeteilt sind. Solche Bruchstücke finden sich in Quellen, die ihrer Bestimmung nach nur Teile des Officiums enthalten konnten (Diurnale, Vesperale, Nocturnale), sowie in hagiographischen Monographien und Sammelwerken, besonders häufig in den Acta SS. So finden wir, um noch einiges zu dem Band XXVI, S. 7 ff. Bemerkten hinzuzufügen, in den Acta SS. Maii II, 55 drei Antiphonen aus einem Reimofficium auf den hl. Avertinus. Die erste dieser drei Antiphonen beginnt mit den Worten: Deus noster exaltat humiles.

Ein weiteres Bruchstück eines Reimofficiums treffen wir an Acta SS. Iulii III, 655. Es sind die fünf Antiphonen super Psalmos aus der ersten Vesper und die drei Antiphonen der

Vorlage gehabt. Ein Fingerzeig für diese (mindestens mittelbare) böhmische Herkunft gibt schon das Vorkommen des Husliedes Iesus Christus nostra salus (Anal. XLVb, Nr. 125), das indes auch aufserhalb Böhmens bekannt war. Einen weiteren gibt die Erwähnung der Literaten in dem Liede Adest dies celebris:

Pro literatis
Tibi paratis.

Dafs es auch aufserhalb Böhmens Literatengesellschaften (vgl. Anal. I, 27 u. f.) gegeben, ist nämlich mindestens sehr zweifelhaft. Endlich kommen unter den wenigen Liedern der Eberhardsklausener Handschrift zwei weitere vor, die entschieden böhmischer Herkunft sind, nämlich das Lied Omnium sanctorum festa recolamus, Anal. II, 126, und das Lied Katharina coronata (statt Dorothea coronata), Anal. XLVb, Nr. 156. Nach P. Bohn, der in den Monatsheften für Musikgeschichte 1897, S. 37 ff., eine kurze Beschreibung der Handschrift gegeben und einige Lieder aus derselben mitgeteilt hat, zeigt der deutsche Text „ein Gemisch von niederländischen und Moselaner-Dialekt." Diese Angabe entzieht sich meiner Kontrole. Ihre Richtigkeit vorausgesetzt, hätten wir also ein Schöpfen aus böhmischen Quellen anzunehmen.

In der Sterzinger Miszellenhandschrift, über welche Zingerle in den Sitzungsberichten der Wiener Akademie (Bd. 54 [1866], 293 ff.) berichtet, und aus der schon früher (Anal. XXXIII) mehrere Reimgebete mitgeteilt sind, befindet sich S. 29b noch das folgende Lied mit der Aufschrift: **Marnarii** de quinque vocalibus; de quinque vocalibus insofern, als die fünf Strophen des Liedes auf dieselben auslauten:

1. Iam pridem aestivalia
Pertransiere gaudia,
Brumalis saevitia
Venit cum tristitia,
Grando, nix et pluvia
Corda nunc reddunt segnia,
Ut desolentur omnia.

2. Nunc conticent aviculae,
Quae volebant in nemore
Cantica depromere
Et voluptates[1]) gignere,
Tellus caret gramine,
Laeto sol micat iubare,
Et dies currunt propere.

[1]) voluntates.

3. Ad obsequendum Veneri
Mens tota languet[1]) animi,
Fervor abest pectori
Et calor cedit frigori,
Maledicant hiemi,
Qui veris erant soliti
Amoenitate perfrui.

4. In omni loco congruo
Sermonis oblectatio
Cum sexu femineo
Evanuit omnimodo;
Tempori praeterito
Sit salus in perpetuo
Et gratiarum actio.

5. Prae lucis aurae transitu
Et tempestatis impetu
Tribulato spiritu
In gravi sumus habitu.
Ver, nunc tuo reditu
Refove, quos in gemitu
Reliquisti iam diu.

Diesem Liede füge ich ein anderes bei: ad salutandum cantorem in novo anno, weil sich dasselbe doch zu sehr dem weltlichen Liede nähert. Es steht in der Pariser Hs. 1139, einem Tropar von St. Martial in Limoges.

1. Annus novus in gaudio
Agatur in principio,
Magna sit exsultatio
In cantoris tripudio.

2. Anni novi principium[2])
Vox celebret psallentium,
Et cantorem egregium
Hymnus extollat omnium.

3. Anno novo in cantica
Recitentur[3]) organica,
Tota sonet ars musica
In cantoris praesentia.

4. Annum novum celebrantes,
Exsultantes et laetantes
Et cantorem venerantes
Gaudeamus congaudentes.

5. Anne nove, fit titulis
Hodie ineffabilis,
Tui cantor mirabilis,
Esto per saecla[4]) stabilis.

R°. Ad haec sollemnia
Concurrunt omnia
Voce sonantia
Cantoris gratia
Et vitae spatia,
Per quem laetitia
Fit in ecclesia.

Die den Schlufs dieser ersten Abteilung bildenden Cantiones Scholasticae (Nr. 98—109) sind sämtlich einer aus St. Victor von Paris stammenden Hs. Cod. Parisin. 11412

[1]) languent. — [2]) principio. — [3]) recitetur. — [4]) saecula.

1. Peractis vir nequissimus
In multis mundi partibus
Sanctorum cruciatibus
Aurelianus Aeduae
Se praesentavit finibus.

2. Erat ergo tunc temporis
Cuiusdam orbis principis
Puer praeclarae indolis,
Symphorianus nomine,
Mirando pollens [schemate].

3. Hunc pater Faustus nobilis
Puerum instructum literis
Baptizari constituit.

4. Regeneratur ergo [l: igitur]
In Christo fontis lavacro
Caelicolis agentibus
Benigno et Andochio.

5. Coepit puer profusius
Piis crescendo moribus
Divinae legis studiis
Vacare iam praecipuis.

Invitatorium.

Regi sidereo iubilemus corde benigno,
Qui superis sanctum sociavit Symphorianum.

In dem sonst prosaischen, aus der Schrift gezogenen Officium der hl. Maria Magdalena findet sich spätestens seit dem 11. Jahrhundert sehr häufig die folgende Antiphon, die noch Elision zeigt (nach Brev. ms. Secoviense saec. ^{11} ^{12}. Cod. Graecen. 770):

Fundans Sion in saphyris, rex Christe altissime,
Ac propugnans iaspidibus, te ex fide scientibus,
Memor Raab et Babylonis cum Maria Magdalena.
Confer nobisque ex illius pietatis magnalia
Ut et corde paenitenti nos alienigenas
His quandoque collaetari, miserator, perficias.

In demselben Officium begegnet man (nach Brev. ms. Benedict. Suecic. saec. 15. Cod. Upsalen. C 477.) noch der folgenden rhythmischen Antiphon:

Gloriosa iam per orbem rutilat sollemnitas,
Qua caelestem sumpsit vitam Maria Magdalena.
Luce vernans pretiosa turmas inter caelicas,
Cuius nos, Iesu benigne, iam tuere precibus,
Ut cum illa te laudare possimus per saecula.

Aus einem handschriftlichen Breviere von Remiremont (Cod. Spinalien. 164 saec. 16.) notiere ich die Antiphon auf Romaricus:

Pastor clemens Romaricus,
Dei servus et amicus,
Per Amatum eremitam
Spiritalem duxit vitam,

Quam devote sic finivit,
Quod caelestem acquisivit.
Ergo, Christe, te rogamus,
Cuius esse nos optamus,
Ut pro nobis sit confessor
Ad te pius intercessor.

Ein Responsorium auf die hl. Katharina von Siena entnehme ich dem handschriftlichen Liber divinae doctrinae der Heiligen, Handschrift des Dominikanerklosters zu Wien Nr. 19. saec. 15:

R. O spem miram, quam dedisti,
Dum vixisti (et), dum transisti,
Filiis, quos dilexisti,
Dum te ipsis profuturum
Post mortem promisisti,
Nos tuis iuva precibus,
Imple, mater, quae dixisti.
V. Quae tot signis claruisti
Et virtutibus fulsisti,
Nobis opem feras Christi.

Drei vereinzelt stehende Antiphonen auf die HH. Ausonius, Barbara, Christoph enthielt das 1542 zu Poitiers gedruckte Brevier von Saintes.

De sancto Ausonio.

A. O pastor huius patriae,
Ausoni, dux egregie,
Qui per gregem martyrium
Subisti, caput proprium
Deferens tuis manibus
Angelis comitantibus
A loco fusi sanguinis
Ad locum tui nominis,
Ora pro hac familia
Deum in caeli patria.

De sancto Christophoro.

A. O Christophore, respice
Nos pietatis oculo
Sub huius adhuc lubricae
Carnis gementes vinculo;
Te diligentes unice,
Te venerantes sedulo,
Consors lucis angelicae,
Caeli subscribe titulo.

De sancta Barbara.

A. O flos campi, lucida facies,
Te, Barbara, mirantur acies,
Te tuentes confortat species
Tua, per quam sit nobis requies.

Das folgende Responsorium, entnommen dem Psalt. ms. Valcidorense saec. $^{11}/_{12}$. Clm. Monacen. 13067, zeigt einen primitiven Rhythmus; dennoch möchte ich es hier notieren, da es von hagiographischem Interesse ist:

R. Mole gravati criminum
ad te confugimus,
Hugberte, abba egregie,
ne contingat nobis
cum pessima morte finire.
V. Impetra nobis, quaesumus,
de practeritis malis veniam,
de praesentibus emendationem
atque de futuris cautelam.

3. Eine letzte Art von Bruchstücken bilden solche, bei denen es zweifelhaft bleibt, ob sie der ersten oder zweiten der vorerwähnten Klassen angehört. Solcher Bruchstücke habe ich eine grofse Anzahl aus Cod. Colonien. 28. im Anhange zu Band XXVIII. der Analecta zusammengestellt. Einige weitere finden sich in dem reichhaltigen und oft benützten Cod. Darmstadien. 521. Es sind die folgenden:

De sancto Gerlaco, Comite Valkenbergensi. Zu den Band XIII S. 8 mitgeteilten Trümmern eines Reimofficiums auf diesen Heiligen bringt Cod. Darmstadien. zwei weitere:

A. O dexterae mutatio
Excelsi! phalerato
Evectus in dextrario
Asello insellato
Revehitur, cilicio
Induitur pro pallio.
Cuius in hoc exsilio
Nobis assit oratio.

R. Surgit, qui diu iacuit
In lecto peccatorum,
Et laetum gramen messuit
Ex semine dolorum,
Qui sic haberi meruit
Concivis angelorum.
V. *Qui seminant in lacrimis,*
in exsultatione metent.

De sancto Godefredo, Comite Cappenbergensi. Zu dem Anal. XXVIII, 297 Mitgeteilten ist die folgende Antiphon hinzuzufügen:

O quanta plenus gratia
Per clara fulget merita
Qui solum per intuitum
Effugavit daemonium.

De sancto Ludgero. Die folgende Antiphon findet sich nicht in dem Officium des Heiligen Anal. XXVI, Nr. 91:

Salve, confessor inclite,
Ludgere beatissime,
Caelesti fulgens schemate,
Qui facis Christo credulam
Pius plebem Saxonicam,
Frisonum gentem asperam
Tu facis Deo subditam.

„Lutardi confessoris, quondam comitis Cliviensis atque fundatoris ecclesiarum sancti Clementis in Wysschel ac sancti Quirini in Nussia anno Domini octingentesimo XXV°.“ Aufser dem Resp. O virum imitabilem, das Anal. XXVI, Nr. 95 mitgeteilt ist, die folgende, dort fehlende Antiphon:

O quam venerandus
Est iste sanctus
Regum progenie ortus,
Qui contempsit pompam saeculi
Et secutus est praecepta Christi.

De sancto Paulo Eremita. Weder in den Officien Anal. XXVIII, Nr. 44 und 45 noch ibid. S. 315 finden sich die beiden Antiphonen und das Responsorium, die hier folgen:

A. O quam mirifice,
Christe, coruscas,
Qui tam mirifice
Sidera fuscas
Exaltans humiles,
Gloriam caeli
Qui Paulo dederas
Iure fideli,
Qui par apostolis
Atque prophetis.

R. Exemplar morum
nec non speculum monachorum,
Paule pater, clarum
nos duc per iter tibi carum,
Huius deserti
fac nos intendere bellis,
Ut tecum certi
iungamur in aethere stellis,
V. Cernere fac tecum
Christum gaudereque secum.

A. O praeclara caeli stella,
Paule pater, seda bella,
In eremo quae patimur,
Ignis ardet, mordet serpens,
Gravat labor atque torpens
Mens (l.: Nos) Amalech insequitur;
Duc ad montem visionis,
Terram ad promissionis,
Supernam Ierusalem.

De sancto Silvestro. Eine Antiphon und ein Responsorium. Vgl. Anal. XXVIII, 320, wo andere Bruchstücke eines Reimofficiums mitgeteilt sind.

Silvester admirabilis,
Confessione nobilis,
Caput factus ecclesiae,
In sede Petri positus,
Eius quondam vicarius,
Consors ipsius gloriae,
Caeli gaudes in culmine;
Pios intende gemitus
Iuvando tuis precibus.
Qui talentum multiplicas,
Ut tuo regi placeas.

R. O praesul clarissime,
Silvester sanctissime,
Aeterno regi supplica,
Ut nostra regat tempora,
Cuius vita mirabili
Praeco esse meruisti;
V. Serva tuo precamine
Christi redemptos sanguine.

Schliefslich sei noch eines sehr jungen Reimofficiums erwähnt, welches zeigt, dafs die Liebhaberei für diese Art von Officien selbst durch die „Moderne" der Renaissance nicht ganz umzubringen war, was schon die ähnlichen Hinweise Anal. XXVI, S. 9 u. f. ins Licht setzen sollten. Dieses Officium auf den hl. Fortunat, Bischof von Todi, findet sich in Cod. Vatican. Ottobon. 584. saec. 17. in. Als Probe diene die Antiphon ad Magnificat in 1. Vesp.

Praesul Fortunate,
Spes tuorum civium,
Nitens lux Italiae,
Nobile depositum
Urbis Tudertinae,
Porta donum gratiae,
Christi patrocinium,
Quo feramur prospere
Ad caeleste regnum
Almo te ductore.

Die Inscriptio dieses Opus lautet: „Ad illustrissimum et reverendissimum D. D. Marcellum, S. R. E. Card. Ord. Min. Convent. Protect., Episcopum Tudertin. Officium s. Fortunati, Episcopi Tudertini . . . . per fratrem Iulium Arigonum Cremonensem eiusdem ordinis, servum humillimum, rhythmis deductum. Da Cardinal Marcellus Lante seit 1606 Bischof von Todi war, fällt also die Abfassung dieser Historia rhythmica in den Anfang des 17. Jahrhunderts.

München, den 1. Mai 1904.

Guido Maria Dreves.

HISTORIAE RHYTHMICAE.

1. Die Dominica.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Pro fidei meritis
vocitatur iure beatus,
Legem qui Domini
meditatur nocte dieque.

2. Iuste Deus iudex,
fortis, patiensque benignus,
In te sperantes
muni miserando fideles.

3. Surge et in aeternum
serva munimine sacro
Custodique tuos,
astripotens, famulos.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Naturae genitor,
conserva morte redemptos
Facque tuo dignos
servitio famulos.

2. Pectora nostra tibi
tu, conditor orbis, adure
Igne pio purgans
atque cremando probans.

3. Tu populum humilem
salvasti ab hoste, redemptor,
Atque superba tuo
colla premis iaculo.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Sponsus ut e thalamo
processit Christus in orbem
Descendens caelo
iure salutifero.

2. Auxilium nobis,
salvator, mitte salutis
Et tribuas vitam
tempore perpetuo.

3. Rex sine fine manens,
miseris tu parce ruinis
Praemia concedens,
aethera cuncta regens.

Brev. ms. Baiocense saec. $^{13}/_{14}$. Cod. Capit. Baiocen. 74. — Der Anfang des Officiums fehlt in der Hs. — In 3. Noct. **A** 1, 1 ut et thalamo. — **A** 3, 4 Et tua cuncta.

2. De Corona Spinea.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Gaude felix
mater ecclesia,
Assunt tibi
nova sollemnia,
Nam corona
quondam ingloria
Nunc per orbem
refulget gloria.

2. Corona contumeliae
Cruore regis gloriae
Sacro consecratur,
Veneremur opprobrium,
Quo salutis remedium
Mundo reparatur.

3. Exite, Sion filiae,
Videte regem gloriae
Sub coronae ludibrio,
Fert diadema spineum
Et sceptrum arundineum
Mundano spreto gaudio.

4. Coronam pulchritudinis
De carne sumptam virginis
Pro nobis Christus detulit,
Quae sub corona spinea
Pio cruore rosea
Vitae coronam contulit.

5 Christum eductum populo
Damnant crucis patibulo
Iudaei, viri sanguinum,
In vestitu purpureo
Illusum serto spineo
Mundi coronant Dominum.

Ad Magnificat

A. O coronae
miranda dignitas,
Poenas mortis
repellens debitas!
Tu spes lapsis,
infirmis firmitas,
Tu restauras
coronas perditas.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Assunt dominici
Serti sollemnia.
Laude multiplici
Plaudat ecclesia.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Christum sub serto spineo
Deridet plebs perfidiae,
Cuius cruore roseo
Sertum confertur gloriae.

2. Plebis fit abiectio
Decus angelorum,
Spinae sub opprobio
Datus rex caelorum.

3. Sertum contumeliae
Non abominatus
Florem sprevit gloriae
Spinis coronatus.

Responsoria.

1. Spina carens
flos spina pungitur,
Per quam culpae
spina confringitur,
Spina mortis
spinis retunditur,
Dum vita moritur.
V. Hac ludibrium
Hostis deluditur,
Mortis dominium
Per mortem tollitur.

2. Spinae poena
culpas exterminat,
Et dolores
dolor eliminat,
Mors[que] vitam
sub spina germinat
Et mortem terminat.
V. Inter spinas
honor illuditur,
Vita mortem
sub spinis patitur.

3. Flos de virga
natus virginea,
Puritate
nitescens nivea,
Sub punctura
marcescit spinea
Crucis in area;
V. Virga florem
virtutum genuit,
Per quem totus
orbis refloruit.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Gestat coronam spineam
Rex in derisum traditus,
Ut ad coronam auream
Nobis pateret aditus.

2. De torrente
bibens miseriae
Exaltavit
caput rex gloriae
Coronatum
spinis angustiae.

3. Regem Sibylla cecinit,
Quod ferret sertum spineum,
Hoc Iudaea non meminit
Spinae praebens aculeum.

Responsoria.

1. O miranda
regis dignatio,
Quae se spinae
subdit opprobrio;
Felix huius
spinae condicio,
Quae spinetum
purgat a vitio!
V. Flos, spineti
decus et gloria,
Pro spineto
suffert opprobria.

2. Mortis sceptrum comminuit
Vita, dum spinis pungitur,
Vitae coronam tribuit,
Dum sub corona moritur.
V. Christus spinae
punctus angustia
Nobis confert
coronae gaudia.

3. Coronat regem omnium
Iudaea serto spineo,
Stat inter spinas lilium
Vernans cruore roseo,
Spinarum culpae nescium,
Spinae punctum aculeo.
V. Sub decore
fulget purpureo
Corpus nitens
candore niveo.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. O felix punctio,
Quae vitam reddidit,
Cuius supplicio
Mors mortem perdidit.

2. Spinam rex non reppulit
Nec spinae dolorem,
Spinae sertum detulit
Nostrum ob amorem.

3. Rex sub spinae cuspide
Olim laureatus
Pretioso lapide
Fulget coronatus.

Responsoria.

1. Felix spina,
per cuius circulum
Fluit sanguis,
qui sanat populum,
Felix poena,
felix piaculum.
Quod salvat saeculum!
V. Spina, quae Christum cruciat,
Mundum a culpis expiat.

2. O coronae
tropaeum inclitum,
Sub quo vita
vicit interitum.
Tu tuorum
solamen militum
Et perennis
coronae miritum.
V. O praeclarae
signum victoriae,
Tuos serva
servos in acie.

3. Felix spina,
cuius aculei
Guttis rubent
roris sanguinei,
Vires frangunt
regis tartarei,
Seras pandunt
regni aetherei.
V. O spinarum
immensa gloria,
Quae tot nobis
praestant remedia!

2. Summum regem gloriae
Spinis coronatum
Ridet plebs perfidiae
Morti condemnatum.

3. O quam felix punctio,
Quam beata spina,
De qua fluit unctio
Mundi medicina!

4. Pungens spina vulnerat
Christum patientem
Et a morte liberat
Populum credentem.

5. Spinae rubent sanguine
Christum cruentantes,
Mundum lavant crimine
Caelum reserantes.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Adest dies laetitiae,
Quo diadema spineum
Regnum suscepit Galliae
Christi cruore roseum.

Ad Benedictus.

A. Ave, spina,
poenae remedium,
Servi decus,
regis opprobrium,
Tua plaga,
dolor, ludibrium
Vitae nobis
mercantur praemium.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O decus ecclesiae,
Gloriosa spina,
Sertum regis gloriae,
Mundi [medi]cina,
Praesentis angustiae
Dulcor et resina,
Te laudantes hodie
Serves a ruina.

Legend. ms. Laurentii Odonis Lincopen. saec. 14^{ex}. Cod. Dresden. A 182. — In 1. Vesp. A 4. 5 roseo. — In 3. Noct. A 3. 4 Fulget laureatus. — R 1. 2 per cuius tumulum. — Vgl. Anal. V Nr. 10 und 11.

3. De Sepulcro Domini.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Christum nunc laudate,
Qui omnia creavit,
Et tumbam honorate.
Quam sibi reservavit.

2. Laudate Dominum,
Nam sine fallacia
Eius in aeternum
Manet laus et gloria.

3. Lauda regnaturum,
Elisos erigentem
Nobisque profuturum,
Escam egenti dantem.

4. Deo nostro laudem
Da sparsos congreganti,
Malignorum fraudem
Potenter conculcanti.

5. Lauda, Ierusalem,
Qui in te benedixit,
Sic et tu, Betlehem,
Christum, dum homo vixit.

R. Ad cuius nutum floruit
Omnis creatura.
In ara crucis aruit
Egens sepultura.
V. In amore et fervore
Gaudete mente pura.

Ad Magnificat.

A. A cruce deponitur
Corpus vulneratum
Et unguentis ungitur
Ad tumulum praeparatum.

Ad Completorium.

Super Nunc dimittis.

A. Tumuli iucunda
Iugis fraglantia
Sicut laetabunda
Populi frequentia.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Alleluia, regem
Gloriose sepultum,
Venite, adoremus.

Ad Nocturnum.

Antiphonae.

1. Qui in tumba torridum
Corpus dormitare
Voluit refloridum
Potenter suscitare.

2. Deus exaudivit me,
Cum ipsum invocarem,
Quem et in maerore
Sensi redemptorem.

3. Magnum nomen Dei
Est notum in Iudaea.
Et pacis locus ei
Paratus est in ea.

Responsoria.

1. Ortus sol in Bethlehem
Est valde speciosus,
Occidit Ierusalem,
Hinc factus radiosus.
V. Dum sic redit
Sibi cedit
Aer nubilosus.

2. In horto quodam fuerat
Tumba dominicalis,
Ioseph quam exciderat,
Vir Christo specialis.
V. O praeclara
Tumba cara,
Nulla visa talis!

3. In cordis nostri tumulo
Christus sepeliatur
Et virtutum cumulo
Feliciter ungatur,
V. Cum scis, qualis
Hospes, talis
Digne custodiatur.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Laudemus nunc sepulcrum,
Christi locum nobilem,
In eo nam sepultum
Vidimus immobilem.

2. In sacro monumento
Christi corpus iacuit,
Undique unguento
Fraglans balsamizavit.

3. Hoc Ioseph cisterna
Sepulcrum figuravit,
In quo pax aeterna
Metipsa habitavit.

4. De Arimathia
Ioseph a spectabili
Est parata via
Christi tumbae habili.

5. Locus a locato
Clare serenatur,
Christo, Deo nato,
Laus, honor, virtus datur.

Ad Benedictus.

A. Sepulcrum praeelegerat,
Cum per prophetam dixerat,
Quod esset gloriosum;
Adcelerent ad quod plurimi
Et venerentur cernui
Miraculis famosum.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Gaudeant archangeli,
Laetentur et angeli
In hac festivitate,
Qua Christi tumba colitur
Et laudibus extollitur
Sacra sollemnitate.

Viat. ms. Wratislavien. anni 1412. Cod. Wratislavien. 1132. — In 1. Vesp. Ad Magn. A. 4 lies Ad tumbam oder paratum. — In Laud. Ad Bened. A, 4 lies Adeurrant? — Hymnen: In 1. Vesp: Rex gloriose nimium; Ad. Complet: De sepulcro irradiat.

4. In Praesentatione Beatae MV.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Utero materno
Fuit consecrata
Mundi redemptorem
Virgo paritura.

2. Offerunt in templo
Virginem parentes,
Ut voverunt, Deo
Eam mancipantes.

3. Pneumatis impletur
Gratiarum donis,
Veri adornatur
Templum Salomonis.

Responsoria.

1. Sancta priusquam nata fuit
pia virgo Maria,
Ventre parentis clausa creantis
pneumate plena,
V. Pulchra nimis Dominoque
placens,
formosa, decora.

2. Regum, pontificum
de stirpe suum capit ortum,
Pontificem Christum
regem paritura supremum;
V. Nobilis est genere,
sed nobilior probitate.

3. Trima gradus ter quinos
scandit ipsa libenter
Sola parentes non
exspectans se praeparantes;
V. Summo se teneris
Domino praesentat in annis.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Templi gradus trima
Quindecim ascendit,
Castitatem prima
Dominoque vovit.

2. Frequenter ab angelis
Virgo visitatur,
Quorum ab infantia
Vitam imitatur.

3. Seraphin et thronos
Vincit puritate
Superatque sanctos
Omnes pietate.

Responsoria.

1. Virginitatem prima
quae vovit virgo relinquens
Exemplum multis
postea virginibus;
V. Omnis ab intus gloria
virginis exstitit huius.

2. Norma fuit cunctis
vivendi spiritualis
Instituens vitam
duxit et angelicam,
V. In Domini lege
meditatur nocte dieque.

3. Simplex, pacifica,
prudens humilisque pudica,
Gratis ornata
moribus ipsa fuit;
R. Pura fide, patiens
spe, miro fervet amore.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Dono summi regis
Plena benedicto
Feminarum legis
Caret maledicto.

2. Sumens illud Ave
Gabrielis ore
Concipit intacta,
Parit incorrupta.

3. Mater opulenta,
Dulcis et benigna,
Nos tuo praesenta
Nato prece digna.

Responsoria.

1. Pneumatis imbuitur
doctrinis mente serena
Ac paradisi mortalis
praegustat amoena;
V. Haec genito patris
praeparatur mansio digna.

2. Virgo Maria, maris,
expers et criminis omnis,
Fit geniti patris
genetrix, quem non capit
orbis,

V. Cunctos praecellens,
speciali munere gaudens.

3. Absque dolore parit,
post partum virgo remansit,
Nutrit virgineo
de caelis ubere pleno;
V. Stella parit solem,
Gignit plasmata creantem.

4. Prudens, cunctis humilior,
In amore ferventior,
Prior est in vigiliis,
Frequentior in canticis.

5. Professione, corpore
Et mente virgo exstitit,
Quae florem pudicitiae
Post generare debuit.

Ad Laudes.

Antiphonae.

1. Plasmator caeli siderum
Lumen creat mirificum,
Cuius vita sanctissima
Illustratur ecclesia.

2. Munda ab omni crimine
Prodit ex regum germine,
Offertur a parentibus
Deo vota reddentibus.

3. Solis divinis usibus
Mancipanda prae ceteris
Magnis nitet virtutibus,
Custoditur ab angelis.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O Maria, flos virginum,
Rosa sine spina,
Inter spinas lilium,
Stella matutina,
Sole, luna clarior,
Mundi medicina,
Balsamo suavior,
Caelorum regina,
Gloria prae ceteris
Et honore digna,
Nobis prece miseris
Succurre, benigna.

Brev. Atrebatense imp. Atrebati 1595. — In 3. Noct. R 2. 5 Unctos praecellens. — R 3. 6 plamata creastem. — Zugehörige Hymnen: Ad Vesp. et ad Matut.: „Ut tibi laudes valeant fideles“; In Laud.: O nimis felix“.

5. In Visitatione BMV.

1. Ex motu infantium
Laus divina promicat,
Dum mater clementiae
Matrem Iohannis visitat.

2. A calore caritatis
Calefacta sterilis,
Dum vox sonat pietatis
Salutantis virginis.

3. Inquinata nulla sorde
Per carnis delicias,
Virgo carne, virgo corde,
Lavat immunditias.

4. Ab intus plena gratia
Fusa probat copia,
Foris digna ideo
Laudis et honoris.

5. Domini refugium
Fortiter accedit,
Cui patrocinium
Mariae procedit.

6. Quanto sese deprimebat
Sponsa fabri nobilis,
Tanto magis elucebat
Mater Dei humilis.

7. Ferax est terra Domini
Venter sacratae virginis,
Qui thesaurum fert homini
Nostrae parem imaginis.

8. Habens Christum fundamentum
Aurum, gemmam et argentum
Sic superaedificet,
Ut Mariam glorificet.

9. Deo decantent omnia,
Qui proles exstat virginis,
Elisabeth praeconiis
Effugat erronea.

10. Iuste lux orta gratiae
Mentem eius penetrat,
Cuius domum visitat
Per se sol iustitiae.

11. Novum tibi canticum,
Virgo, decantamus,
Ut te vitae viaticum
[Semper] habeamus.

12. Deus palam omnibus
Revelet clementiam,
Quando pro hominibus
Sumpsit carnis substantiam.

13. Cornu praeconis buccinat,
Regem novum annuntiat
Castris electorum
Et in domo Zachariae
Cornu frangens Ezechiae
Errores eliminat,
Vertitati sublimat
Cornua iustorum.

14. Exsultat infans utero,
Dum domum mater [et] virgo
Elisabeth intravit,
Iam se indicavit
Eius praecursorem;
Cuius beneficio
Humana condicio
Advenisse crederet
Mundi redemptorem.

Diurn. et. hymn. ms. Benedict. Suecic. saec. 15. Cod. Upsalen. C. 477. — Die Stellung dieser Bruchstücke im Officium läfst sich schwer erraten; doch scheint 13. die **A** ad Benedictus, 14 eine solche zum Magnificat zu sein.

6. De Beata Maria V.

In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

A. Trinitatis thalamum,
Angelorum gloriam,
Castitatis balsamum
Et lapsorum veniam
Laude totus et devotus
Chorus iste veneretur,
Dei matrem et precetur,
Ut nos ita sub hac vita
Mundos omni vitio
Caros reddat filio,
Quod ipsius prece pius
Piae matris regno patris
Ipsa duce vera luce
Frui donet et coronet
Ut dilectos et electos
Laurea triumphali.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Salutis matrem
adoremus virginem,
Cuius sanctitas mundo
Deum parit et hominem.

In 1. Nocturno.

Responsoria.

1. Mater casta, pia
rosa, mitis virgo, Maria
Concepit florem
nec perdidit ipsa pudorem,
V. Haec impraegnata
Christum parit inviolata.

2. Florem virga parit,
quam flos prius ipse creavit,
V. Teste prophetia
Deus est flos, virga Maria.

3. Virga dedit florem
castum servando pudorem,
Iustitiae solem,
patris per saecula prolem.
V. Gaudeat omnis homo,
quoniam peperit pia virgo.
Gloria divino
sit regi, nomine trino.

Prosa.

Pater per saecula
Sponsam ad oscula
Invitat virginem,
Adulescentula
Confestim credula
Gignit propaginem.

Res mira geritur.
Vilibus tegitur
Hic infans vestibus,
Quo solo regitur,
Quidquid concipitur
In mundi finibus.

Hostis perfidiam
Non per iniuriam
Hic fregit parvulus.
Precatur Mariam,
Matrem et filiam,
Fidelis populus,

Auferat haec molem,
frangantque precamina prolem.

In 2. Nocturno.

Responsoria.

1. Ave festiva ferculis
Salomonis conviva,
Regis aurea
conscendens triclinia,
Pro agni occisione
martyr purpurea mente,
Pro gratia
benedictionis
Argenteis
suffulta colonnis.

V. Monte Libano magis
candida virgo,
O quam terribilis
in ordine caritatis
Transiit per medias
Ierusalem filias.

2. Maria sacratissima,
Dei mater et hominis,
Roga natum, piissima,
Ne nos ob culpas criminis
Tradat in obscurissima
Loca poenalis fulminis.
V. Cuius praesidio
toti succurritur orbi,
Posce reis veniam
nobis cum prole beata.

3. Haec est mater triumphalis,
Mundi salus unica,
Cuius aula virginalis
Voce sub angelica
Verbo fecundatur.
Quod ex patris voluntate
Obumbrante spiritu,
Fracto nunquam aditu
Nec abscissa trinitate
Deus humanatur,
V. Ut nos salvet a peccatis,
Quos lex eius sauciat,
Et heredes faciat,
Suae pietatis.

Trinus honor trinitati
Detur, laus et gloria,
Cuius dante gratia
Deo sumus grati.

Prosa

Virgo sine simili,
Mater singularis,
Digna partu nobili
Vitae salutaris.

Tuam nobis gratiam
Praesta, quam optamus,
Fac, ut mundi gloriam
Mundi caveamus.

Virgo, mater regia,
Scimus ex te natum,
Per quem datur venia,
Cessat et peccatum.

Nobis placa filium.
Cuius sumus rei,
Ut in eius gaudium
Adiungamur ei,

Qui dignatur humilis
Nobis apparere,
Cum sit rex mirabilis,
Trinus, unus vere.

In 3. Nocturno.

Responsoria.

1. Aurea de spinis
processit vilibus olim
Virgula, flos cuius
roseus resplenduit ut sol.
V. Sentes Iudaeam
portendunt, virga Mariam,
Ex cuius flore
Messiam protulit ex se.

2. Sicut sol stellas
superat, sic virgo puellas,
Quae genuit prolem
superantem lumine solem.
V. Virgo, Dei genetrix,
assit lapsis reparatrix.

3. Rosa fragrans, lux solaris,
Virginale speculum,
Tu praesignans singularis
Castitatis titulum
Et propinans salutaris
Medicinae poculum;
Matris reae, mater pia,
Redimens interitum,
Templum patris es effecta
Ob virtutum meritum.
V. Ius naturae superari
Stupet per te virginem,
Quia Deum peperisti
Pariter et hominem.

Prosa.

Templum pudicitiae,
Nova stella maris,
Naufraganti lux viae
Partu salutaris,

Per te sol iustitiae,
Lapis angularis,
Hos coaptet gloriae,
Ubi gloriaris.

Roga patrem, filia,
Placa, mater filium.
Cum dulci melodia
Sibi vox psallentium

Per tua subsidia
Dari poscit bravium,
Quod non tollat dulia
Nec demergat vitium.

Efficaci tua prece
Omni nos emunda faece,
Sic collaudet te vox chori,
Ut coaptet se cor ori

Ob virtutum meritum.

Trop. ms. Martialense saec. 11.—14. Cod. Parisin. 1139. add. saec. 14. — In I Vesp. Super Ps **A**. 13 Ipso. — Ad. Magn. **A** Salve, regina misericordiae etc., die bekannte Antiphona maior. — Ad Noct. Vor **R** 1 ein anderes prosaisches: Benedicta et venerabilis es etc. — **R** 3, 8 nomini. — In 2. Noct. Vor **R** 1 ein anderes prosaisches: O Maria, ne timeas etc. — **R** 1, 5 occasione. — **R** 1, 10 suffulta colonis. — **R** 2 steht in der Hs. vollständig in 1. Vesp., hier nur der Anfang. Dort ist noch die Doxologie beigefügt:

Doxa, perennis honor, virtus, laus, summa potestas
Sit patri, genito sancto cum flamine sacro.

In 3. Noct. Ad Cantica **A** prosaisch: Speciosa facta es et suavis etc. — Vor **R** 1 ein anderes prosaisches: Salve, nobilis virga Iesse etc. — **R** 1, 5 Mentes Iudaeam. — **R** 3, 5 Et propugnans. — **R** 3, 11 superaris. — Prosa, v. 11 Cum dulcedi melodia. — Ibid. 12 Tibi vox. — Nach der 3. Noct. folgt Prosa ad Benedictus: Sub tuum praesidium etc., dann vier prosaische **AA**, als fünfte: **Alma redemptoris mater etc.**

Es folgen auf dies Officium, das augenscheinlich für den Sonntag bestimmt ist, die Officien der Wochentage. Unter den prosaischen Bestandteilen derselben finden sich folgende teils metrische, teils rhythmische Partien: Feria II. Ad Vesp.

R. Virga parens floris, via regia, forma pudoris,
V. Esto memor nostri, celebris medicina doloris.

Ad Magnificat

A. Mater patris et filia,
Mulierum laetitia,
Stella maris eximia,
Audi nostra suspiria.

Regina poli curiae,
Mater misericordiae.
In hac valle miseriae
Sis reis dona (l: vena) veniae.

Maria, propter filium
Confer reis remedium;
Bone fili, preces (l: prece) matris
Dona tuis regna patris.

Diese **A** ad Magnificat scheint aus drei Strophen eines Hymnus gebildet zu sein. — In 1. Noct. **RR** 3 und 4:

3. Ad nutum Domini nostrum ditantis honorem
Sicut spina rosam genuit Iudaea Mariam.
V. Ut vitium virtus, operiret gratia culpam

4. Mater Dei Maria, felici nomine digna,
V. Ora pro famulis nunc, benedicta, tuis.

Feria III. sind **R** 3 und **A** ad Vesp. in poetischer Form, nämlich Strips Iesse virgam produxit etc. Cfr. Anal. V, 50; Ave stella matutina Peccatorum medicina etc. Cfr. Mone II, 321. - Feria IV. sind **RR** 3 und 4 metrisch:

3. Sancta Dei genetrix et semper virgo, Maria,
V. Ora pro nobis ad Dominum domina.

4. Solem iustitiae, regem paritura supremum
Stella Maria maris felix processit ad ortum,
V. Cernere divinum lumen gaudete, fideles.

Feria VI. alles prosaisch. Dann Aliae Lectiones, zu diesen ein metrisches **R**, das dritte:

R. Candida virginitas, paradisi clara colonis,
Hortus conclusus florenti cespite vernans,
Cui merito mundus celebrat praeconia totus.
V. Quae meruit Dominum progenerare suum,
Ipsa suo nato nos reddat florida virgo.

Es folgen dann in der Hs. noch drei Lectiones mit ebensovielen rhythmischen **RR**; ob diese der feria VII. angehören bleibt ungewifs. Diese drei **AA** finden sich auch in Collect. ms. Martialense saec. [12. et] 13. Cod. Parisin. 5245. B:

1. Sit tibi laus, o benigna,
Tu es omni laude digna,
Digna indignos respice.
Indigni nos precamur te,
Ut tuum, qui creavit te,
Pro nobis ores filium.
Laetentur qui sperant in te,
Coram Deo et coram te,
In lumine viventium.
V. Tu regem regum omnium
Genuisti, ipsum per te
Habeamus propitium.

2. Ave, fulgens et praeclara,
Digna Deo, Deo cara,
Virgo Dei placens ei;
Ave, lumen nostrae spei,
Deum orans, mater Dei,
Illuc nobis locum para,
Ubi spes dat locum rei.
V. Absque te lux non est clara,
Sed bonis praesunt amara,
Mors vitae et nox diei.

3. O pium gaudium,
Dulce remedium,
Dum virgo filium
Pro nobis orat;
Unde scis, et quis ignorat,
Pro impiis pia pium,
Pro indignis digna dignum
Semper orat.
Orat pro me, orat pro te,
Orat pro suis, non pro se,
Semper orat.
Si suus es, securus es,
Suus ego sum, non nego.
Ergo plaude
Et in eius laude gaude,
Quae pro suis semper orat.
V. Plaudat coetus, non est metus
His, pro quibus semper orat.
Tace, fletus! iam sum laetus,
Immo gaudio repletus,
Quia virgo semper orat.

1, 7 Laetetur, qui sperat in te B. — Nach 3, 4 Semper orat B. — Nach 3, 4: Nisi pia subveniret | Orando, quis non periret? —

7. De Beata Maria V.

Lectio I.

1. Forma, decus puellarum
Et sanctior feminarum,
Regis iustitiae solem
Gaudes esse tuam polem.

2. Ut sanctus evangelista
Fideliter dicit ista,
Verum Deum incarnatum
Confitemur tuum natum.

3. Verba, quae dixit propheta,
Cognoscimus adimpleta,
Dat Deus benignitatem
Propter suam caritatem.

Lectio II.

1. Terra nostra dedit fructum
De caelestibus adductum,
Quo cibati et refecti
Universi sunt electi.

2. Hanc, ut psalmista praedixit,
Terram Deus benedixit
Avertens captivitatem
Et dans nobis libertatem.

3. Praefulgida maris stella,
Iesum Christum interpella,
Ut tua prece placatus
Nostros expurget reatus,

4. In mundo pro quo pressuram
Tu sustinuisti duram,
Martyrium passa forte
Illius conspecta morte.

5. Capta nimio maerore
Satiata es dolore,
Dum dator aeternae lucis
Toleraret poenam crucis.

Lectio III.

1. Tu assumptionis hora
Consurgens velut aurora,
Sicut cunctis est compertum,
Mundi relinquens desertum.

2. Adest angelorum coetus
Et Iesus occurrit laetus
In caelesti regno secum
Te locans, ut fuit aequum,

3. Inter claras margaritas
In caelesti sede sitas
Dans fulgorem claritatis,
Nil habens obscuritatis.

4. Sancta sic glorificata,
Dilue nostra peccata
Rogans regem sempiternum,
Ne cadamus in infernum,

5. Regnum sed possideamus,
In quo semper gaudeamus
Cum agminibus sanctorum
Per saecula saeculorum.

Tropar. ms. Martialense saec. 12. add. saec. 13. in Cod. Parisin. 3719. — Als Lectt. IV, V und VI aus dem Officium B. M. V.

8. De beata Maria V.

Ad Matutinum

Hymnus.

Quem colit et laudat, veneratur machina trina,
Qui caelum portat, mare portat, sidera portat,
Claudit et omne, quod est, conclusit virginis alvus.
Sit tibi, summe Deus, laus et benedictio, virtus.
Quem colimus sanctum, trinum venerantes et unum.

Lectio I.

Quis tibi condignas poterit persolvere laudes,
O genetrix pretiosa Dei, quae munere sacro
Languentem mundum, laesos lapsosque parentes
Ad vitam revocas confracto carcere mortis?
Munere tu solo mundo bona cuncta tulisti,
Principium sine principio, virgo, genuisti.

Responsorium.

Impar et exilis quamvis sit nostra, Maria,
Laus tantis meritis, exiles suscipe laudes.
V. Immaculata parens maculatas ablue mentes.

Lectio II.

Quae superos cives proprio praecellis honore,
Aures mo[nstrato] nostris precibus pretiosas;
Quod mens nostra timet, excusa, fer medicinam
Morbosae menti, veniae fons, spes miserorum.

Responsorium.

Salve, stella maris, vitae via, porta salutis,
Imis depressos, errantes corrige servos,
V. Cuius ad imperium caelestis curia pendet.

Lectio III.

Aegrotis medicina curis, tutela beatis,
Nos moderare vagos, stupidos rege, siste ruentes
Indoctosque doce, nutantes erige, tristes
Laetifica, laesos sana, succurre cadenti,
Mater, femineum sexum rege, consule clero,
Auxiliumque tuum levamen sentiat omnis,
Qui te corde pio matrem veneratur in orbem.

Responsorium.

Lumen laetitiae, limes pietatis, origo
Virtutis, veniae mater thalamusque pudoris,
Cuius ad ingressum redit aetas aurea mundo.
V. Virgo Dei solio residens et sede superna,
Ubere sacrato lactasti cuncta creantem,
Germine felici reddens, quod perdidit Eva.

Collect. ms. Llantoniense(?) saec. 13. Cod. Coll. Corp. Christi Oxonien. 59. — L I, 1 condignis. — L III, 2 siste sitientes. — R 3, 2 veniae ant. — Abschrift von Rev. H. M. Bannister.

9. De beata Maria V in Inventione Reliquiarum Baiocensium.

In 1. Vesperis.

R. Stirps Iesse virgam
produxit virgaque florem,
Et super hunc florem
requiescit spiritus almus,
V. Virgo Dei genetrix
virga est, flos filius eius.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. [O] specialis
virgo inter agmina
Virginum, gaude
munere magnifico.
Quae sola regem
regum ferre, Maria,
Digna fuisti
casta intra viscera,
Qui minoratus
paululum ab angelis.
Ex deitate-
que patri consimilis.

2. Caeli reginam
te iure, Maria, fatemur,
Ex cuius thalamo
processit iustitiae sol.

3. Virgo, creatoris
caelorum mater et orbis,
Innocuis manibus
mundo quoque corde beata,
Rite Dei pinguem
meruisti scandere montem.

Responsoria.

1. Prodiit ex Abrahae
generosa stirpe Maria,
V. Virgo creatorem
progenitura suum.

2. Virga tulit sicca
fructum virgoque pudica
Non operante viro
prolem tulit ordine miro,
V. Nam virgo pariens
inviolata manet.

3. Castitatis ad exemplum,
Virgo, Dei facta templum,
Ora patrem, filia,
V. Nos ut mundos a peccatis
Sua salvet gratia.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Gratia caelestis,
reparatrix totius orbis,
Diffusa est labiis
virgo Maria tuis;
Propterea regum
te rex benedixit in aevum
Et facit a dextris,
casta, sedere suis.
Aurea quam fulvo
vestis circumdata limbo
Ambit et exornat
riteque condecorat.

2. Sanctificans Dominus
templum Christus sibi dignum
Virgine matre satus
descendit ab arce polorum,
Cunctae cui gentes,
terrae simul omnia regna;
Gaude, Dei genetrix,
dicunt, he Kyria chere.

3. Aula, Maria, Dei
casta titulusque pudoris,
Porta Sion rutilis
semper fundata saphiris,
Quae sola cunctis
patuisti clausa tonanti,
Suscipe servorum
miserans pia vota tuorum.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Psallite cantantes
Domino nova cantica Christo,
Omnis et illius
nomen benedicito tellus,
Mundo virginea
quem florens protulit alvus.

Brev. ms. Baiocense saec. $^{13}/_{14}$. Cod. Capit. Baiocen. 74. A. — Brev. ms. Baiocense saec. 13. Cod. Capit. Baiocen. 73. B. — Brev. ms. Baiocen. saec. 15. Cod. Capit. Baiocen. 70. C.

In 1. Vesp. **R** ist diesem Officium nicht eigentümlich, sondern Entlehnung. — In 1. Noct. **A** 1, 12 qui A, qua B. — **R** 2, 3 virgo A. — **R** 3, 5 Salvet sua B. — In 2. Noct. **A** 1, 8 sedere tuis ABC, korrigiert in C. — **A** 2, 8 dicunt ei Kyria C. — **A** 3, 6 tonantis C. — In 3. Noct. **A** 1, 4 benedicto A. — Alles Fehlende prosaisch.

10. De sancto Alexandro.

In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

A. Ave, decus martyrum,
Ave, splendor siderum,
Alexander pie, bone;
Ave, caeli gaudium,
Ave, salus hominum,
Ductor viae, spes coronae,
Eductos de tenebris
Nos coniunge superis.

R. Gloriosa bella certaminis
Recolens ecclesia
Alexandri, Eventii et Theodoli
Venerantur merita,
V. Triumphalem titulum
Erigens ad sidera.

Ad Magnificat.

A. O vos flores pretiosi,
In conspectu Domini
Assistentes gloriosi
Cum palma martyrii,
Alexander, instar rosae
Stipatus Eventio
Et fulcitus specioso
Flosculo Theodolo,
Preces nostras exaudite,
Ut consortes fieri
Mereamur, subvenite,
Vestri pleni gaudii.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Christo, regi martyrum,
Laeti iubilemus,
Alexandrum martyrem,
Venite, laudemus.

Ad Nocturnum.

Antiphonae.

1. Alexander, ecclesiae
Pontifex Romanae,
Velut lignum frondibus
Sic viruit virtutibus.

2. Hunc sequens Eventius,
Fide constantissimus,
Caritate fervidus,
Spe regni fortissimus.

3. Quorum se collegio
Securus de praevio
Sociat Theodolus,
Poenis invictissimus.

Responsoria.

1. Quorum meritorum
specialis gratia
Corpus oppressorum
Levat de angaria,
V. Una trium horum
Celebris memoria.

2. Hi tres viri trinitatis
Unitatem, maiestatis
Praedicant imperium,
V. Trinum amant,
Unum clamant
Auribus fidelium.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. In camino caritatis
Martyres probati
Scandunt thronum claritatis
Lauro coronati.

2. Hymnizantes, iubilantes
Deo canunt dulcius,
Qui per Deum triumphantes
Ludunt in caelestibus.

3. In crucis angaria
Isti tres igniti
Mente ad caelestia
Oscitant in siti.

4. Hi cum tribus pueris
In camino passionis
Creatorem omnium
Benedicunt Dominum.

5. Laus immensa Deo,
sanctorum digna tropaeo,
Quorum martyrium
sanguine pingit humum.

Ad Benedictus.

A. Benedictus Dominus,
Qui beatum Alexandrum
Coronavit hodie,
Eventium et Theodolum
Simile ob meritum
Pari iungit gloriae.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O Christi martyres,
Nos in via fragiles
Prece sustentate,
Ne in fide debiles
Ruamus ad flebiles
Poenae praeparatae.

Ant. ms. Schaffnaburgense anni 1536. Cod. Bibl. Capit. Schaffnaburgen. 3. —

II. De s. Amando Lemovicensi.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Magnificet ecclesia
Amandi prodigia,
De quo caeli curia
Gaudet cum laetitia.

Ad 1. Nocturnum.

Antiphonae.

1. Beatus Amandus in viis
Peccatorum non adfuit,
Sed vivere in eremo
Secus Vigennam voluit.

2. Pastores obstupuerunt,
Dum Amandum invenerunt
Inter rupes habitare
In eremo sine lare.

3. Praesuli Lemovicensi
Roricio retulerunt,
Qualiter sanctum Amandum
In eremo invenerunt.

Responsoria.

1. Locus, ubi conversatur,
Commodoliacus vocatur,
Inter rupes positus
Iuxta Vigennae litus.

2. Roricius cellam ibi
Praecepit aedificari,
In qua beatus Amandus
Posset Deum venerari
Et vivere corde mundo
Segregatus ab hoc mundo.

3. Vir Amandus eremita
Tentabatur in hac vita,
Ut Deum respueret
Et idola coleret.

Ad 2. Nocturnum.

Antiphonae.

1. Cum Amandus invocaret,
Ut daemonem captivaret,
Iesum Christum, quem quaesivit,
Ipsum statim exaudivit.

2. Cellae portam propulsavit
Iunianus et clamavit:
Percipe, sancte Amande,
Verba mea et intende.

3. Ego vocor Iunianus,
Verus Dei christianus,
Qui destruo pugnatorem
Inimicum et ultorem.

Responsoria.

1. Cumque sanctum Iunianum
Vir Amandus recepisset
Et ipsum in fide nostra
Firmiter edocuisset,
Tandem spiritum Amandus
Redemptori reddidit,
Cuius corpus sepulturae
Iunianus tradidit.

2. Hugo, abbas Cluniaci,
Commodoliacum petens
Et ibi sancti Amandi
Vitam beatam audiens
Statim esse construendam
Basilicam disposuit,
Ubi beatus Amandus
Suam cellulam habuit.

3. Canonicis supradictis
Recedens Hugo praedixit
In cella sancti Amandi,
In qua ipse diu vixit,
Esse brevi ecclesiam
In eiusdem memoriam.

Ad 3. Nocturnum.

Antiphonae.

1. Cum ad Commodoliacum
Praefatus abbas revenit
Nec aliquid de capella
Esse factum adinvenit,

2. Tunc canonicus Ramnulphus
Promisit Amandi corpus
In eius cella quaerere
Et capellam construere.

3. Antequam corpus quaereret,
Triduum hic ieiunavit
Et in sancti Iuniani
Altari missam cantavit.

Responsoria.

1. Petrus levita, physicus,
Ramnulphi concanonicus,

Febris flamma cruciatus
Super arbore dormiit
Et a somno excitatus
Sanus factus abiit.

2. In tumuli apertione
Et corporis inventione
Ex membris sancti Amandi,
Confessoris venerandi,
Tantus odor emanavit,
Quod omnes vere languentes
Ad sepulcrum confluentes
Sospitati restauravit.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Amandus est nominatus,
Amans Deum et amatus
Per populum, quem docuit,
Et a Christo, quem coluit.

2. In lapide, qui est Christus,
Fundaverat fidem suam
Et in eo semper vixit
Et finivit vitam suam.

3. Dum Amandus ab hoc mundo
Feliciter exspiravit,
Eius corpus Iunianus
Iuxta petram tumulavit.

4. Beati corpus Amandi
Et eius reliquiae
Sunt inventae per Ramulphum
Die quartae feriae.

5. In caelis est elevatus
Amandus et laureatus
A Christo, cuius amore
Nitido vixit corpore.

Ad Benedictus.

A. Hodie canonicorum
Devotio ac sanctae manus
Sanctum corpus invenerunt
Amandi et transtulerunt
Iuxta thecam, in qua iacet
Sanctissimus Iunianus.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. In loco, in quo beatus
Amandus erat humatus,
Facta est ecclesia,
Per cuius suffragia
Datur ibi caecis visus
Et redditur maestis risus,
Languentibus sanitas
Et claudis stabilitas,
Dementibus ratio
Et mutis locutio.

Acta SS. Octob. VII, 845 sq. „Ex traditionibus mss. Ecclesiae S. Iuniani Commodoliacensis." Das Fehlende prosaisch. Zugehörige Hymnen: Gaude tellus illustrata (ad Vesp.), Amandi puris mentibus (ad Laud.).

12. De s. Antonino Apamaeensi.

Lectio II.

Germine conspicuo primis natalibus ortus
Floruit hic sanctus magnis virtutibus auctus.

Lectio III.

Denique caelestis doctrinae lampade fervens
Iura sacerdotii meritis poscentibus ipsis
Induit et Christo studuit servire tonanti.

Lectio IV.

Inde salutiferi spargendo semina verbi
Omnia perlustrat, caeli sed pondere fessus
Indiguit potu; sic verba precantia fundens
Figit humi baculum torrentis et excipit haustum.

Lectio V.

Hinc natale solum repetit, fanaticus error
Sub dictione truci quod adhuc vexarat enormis,
Sicque sacrilegos actus et frivola sacra
Destituenda monens, gladio truncatus in altum
Subruitur pelagus, superis concivibus auctus.

Lectio VI.

Perfida gens, agnosce Deum, quae talia cernis,
Deserit unda suum revoluto flumine cursum
Et servat stupefacta sacrum famulando thesaurum.
Tu quoque saeva manes nullis exterrita signis?
Aspice christicolas, ut laeto pectore plaudant
Exponantque vadis corpus venerabile siccis.

Lectio VII.

Quis reticere valet tanti miracula facti,
Quae sine vi supera nec fas est credere gesta?
Nam caput abscissum mox ut fluvialibus undis
Conicitur, statim nivei candoris ad instar
Caelitus assistunt volucrum duo corpora pulchra
Impositumque rati ducunt, mirabile dictu,
Remigio alarum, colitur qua iure perenni.

Lectio VIII.

Qui iusto sanctoque viro caeleste brandivum,
Gymnasium mortis forti certamine quondam
Rite triumphanti, rutilis concessit in astris
Hosteque devicto spoliis ditavit opimis
Atque coronatum victrici tempora lauro
Angelicis cuneis ascivit iure sodalem,
Cum quibus aeterna fruitur sine tempore doxa.

Collect. ms. S. Lupi Trecen. saec. 10. [et 11.] Cod. Trecen. 1170. — Lect. III. v. 2 Iure. — Lect. VIII. v. 7 tempora. — Die 1. Lectio des Officiums war jedenfalls de sacra scriptura. Man beachte, dafs die zweite Lection zwei, die dritte drei, die vierte vier Verse zählt u. s. f. Daraus geht hervor, dafs der 8. Lection ein Vers fehlt, was auch der Sinn bestätigt, da dem Satze der Nachsatz fehlt.

13 **De sancta Aurea.**

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Rosa rubens
et candens lilium
In beata
refulgent Aurea.
Dum insigne
virgo martyrium
Celebravit
in carne nivea.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Ad decus Domini,
Prolis virgineae,
Laus nostra virgini
Serviat Aureae.

In 1. Nocturno.

Responsorium.

3. Tibi, Christo,
dulce solacium,
Qui me clausam
per caeli nuntium
Ad aeternum
invitas gaudium
Exsolvo gratias.
V. Tu lux mihi
splendens irradias,
Tu iciunam
te ipso satias.

In 2. Nocturno.

Responsorium.

3. Nullum pavens
virgo supplicium
Torta torquet
Aurea Claudium,
Vincta demum
subit exsilium
Tendens ad patriam.
V. Exsul ergo
fertur in Ostiam,
Ubi Christo
se fecit hostiam.

In 3. Nocturno.

Responsorium.

3. Vanas spernens
virgo delicias
Et suscipi
ad agni nuptias
Praeparata
per poenas varias
Intrat in gloriam:
V. Ad beati
sponsi praesentiam
Transit sponsa
per aquam nimiam.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. A Roma missam Ostia
Sanctam suscepit Aream,
Remisit cum victoria
Ad patriam sidéream.

2. Cum sanctis Christi famulis
Instabat piis actibus,
Agonem suum sedulis
Christo commendans precibus.

3. Tormenta, plagas, vincula,
Dum forti fide tolerat,
Invicta Christi famula
Ministros Satan superat.

4. Post multiplex martyrium
In mare virgo mergitur,
Aeternae vitae bravium
Sic moriens assequitur.

5. Iam coetibus angelicis
Et choris iuncta virginum
Novis exsultat canticis
Laudans in caelo Dominum.

Ad Benedictus.

A. Ex regali
procedens linea
Regnum mundi
contempsit Aurea,
Sed ad regna
scandens siderea
Coronatur
fulgenti laurea.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Christi sponsa
nobilis, Aurea,
Per quam fulget
in terris Ostia,
Domo nobis
eductis lutea
Per te caeli
pateant ostia.

Per Hebdomadam.

Ad Benedictus.

A. Pretiosis
Aureae precibus
Insistentes
ipsius laudibus
Tuis, Christe.
dita muneribus.

Ad Magnificat.

A. Ad honorem
virginis Aureae
Diem festum
celebret Ostia,
Quae iam compos
lucis empyreae,
Hanc illustrat
celebri gloria.

Offic. ms. S. Aureae Ostien. saec. 15. Cod. Vatican. Regin. 1949. — Ad Matut. Invit., 1 Ave decus. — In 1. Noct. R 3, 10 sq. Tu ieiunantem ipso.

14. De sancta Barbara.

Ad Magnificat.

A. O Christi cultrix
ac vita lucida,
Virginali
pollens munditia,
Haec Barbara,
scrutatrix provida,
Virgo martyr
fulget in gloria.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Christum, regem eximium,
Magnificet ecclesia,
Qui nunc Barbarae solium
Sublimavit in gloria.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Haec Barbara emicuit
Omni docta peritia
Et frequenter exposuit
Quaedam in luce dubia.

2. Elegantia indolis
Sanctam se devovit
Christo atque a frivolis
Animam removit.

3. Tactum mundi lubrici
Barbara abiecit
Gregisque Dominici
Legem nunquam fregit.

Responsoria.

1. Verbum Dei,
fons sapientiae,
Splendor patris
et sol iustitiae.
Rigat montes
pluvia gratiae
Et illustrat
luce constantiae
V. Hanc Barbaram
genere nobilem
Tanquam firmam
et valde stabilem.

2. O anima sanctissima,
Qua contemplante dulciter
Corpus linquebat infima
Se baptizans feliciter.
V. Tunc liquidius cernitur
Virtus deitatis,
Dum Barbara renascitur
Nomine trinitatis.

3. Haec Barbara
crescit dulcedine
Abigendo
mundi saevitiam,
Sed quaeritur
tali indagine
V. Nec sequitur
cordis duritiam.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. O munus Dei gratiae
Ac maximum miraculum,
Pestiferae lasciviae
Nunquam sentivit stimulum!

2. Pastor ipsam indicat
Patri fugientem,
Quam terra mirificat
Signis adfluentem.

3. Barbara suspenditur
Versis sursum pedibus,
Caputque contunditur
Malleis atrocibus.

Responsoria.

1. Christi pia
tracta dulcedine
Mundum linquens
probatur turbine
Haec Barbara,
sacrata numine,
Vicit prorsus
pulsa libidine;
V. Ipsa pro culpa
orante pastoris
Versus est in
statuam marmoris.

2. De excelsis
fons sapientiae
Sic Barbarae
infudit copiam
Tamquam flumen
clarae scientiae,
Quae susceptam
refudit gratiam,
Dum fluentis
summae peritiae
Fidem defensavit
et hanc ecclesiam.
V. Mens fuit angelica,
Lingua fructuosa,
Vita apostolica
Morsque pretiosa.

3. O Barbarae
mira potentia,
Quae in vitam
mutat interitum,
Corporisque
sancta praesentia
[Improvisum]
depellit exitum
Restituta
formae decentia!

V. Vitae exspectans
supernum meritum
Implorata
Dei clementia
Statim sensit
salutis reditum.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Haec Barbara
repleta gratia,
Assueta
sacris miraculis,
Mundi et carnis
hostisque vitia
Fugat, data
exemplar saeculis.

2. Mentis innocentia
Flosque puritatis
Exstiterunt praevia
Suae sanctitatis.

3. Instante vitae termino
Vidit plura caelestia
Et revelante Domino
Novit parata praemia.

Responsoria.

1. Barbara, sidus aureum
Summi ac honoris,
Candorem servans niveum
Dono creatoris,
Decus habens virgineum
In supernis choris,
V. Tu speculum munditiae,
Servatrix innocentiae,
Tu flos pudoris.

2. Catholica fervida
Fidei zelatrix,
Constans et intrepida
Haeresis damnatrix,
Veritatis lucida
Doctrix et amatrix,
V. Verbo vitam indicat,
Signis crebris emicat
Legis aemulatrix.

3. Dum Barbara Christum quaerit,
Lictor caput sacrum ferit,
Sic triumphi palmam gerit,
Dum pro fide moritur.
V. Haec Barbara, pugil fortis,
Constans profert hora mortis
Fidem, pro qua patitur.

Ad Laudes.

Antiphonae.

1. Barbaram sollenniter
Christus sublimavit,
Cuius mente iugiter
Dominus regnavit.

2. Dies est laetitiae
Barbarae tropaeo,
Caelestes militiae,
Iubilate Deo.

3. Ad te de luce vigilat
Zelus Barbareus,
Sed nunc in caelis iubilat:
Deus, Deus meus.

4. Barbara nunc fruitur,
Acto vitae tramite,
Quae tam digne colitur,
Cuncta benedicite.

5. Barbara caelestibus
Flagrat claritate,
Pro suis virtutibus
Dominum laudate.

Ad Benedictus.

A. De iacente virtus crescit,
De sepulcro gratia,
De latente lux diescit,
De luctu laetitia,
Barbara dum innotescit
Mira dans prodigia.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Splendor Nicomediae,
Nobilis propago,
Deitatis regiae
Instar et imago,
Virtutis eximiae
Culmen et indago,
Nobis spem fer veniae,
Tu morum compago.

Brev. Ebredunense imp. Lugduni 1520. — Ad Matut. Invit., 4 solum. — In 1. Noct. **A** 2, 1 Eleganti — **R** 3, 8 cordis pueritiam. — In 2. Noct. **R** 1, 6 sacro numine. — **R** 3, 14 divina clementia. — In 3. Noct. **R** 1, 2 Sumendo ac honoris. — **R** 2. 5 lucidae. — In Laud. **A** 4. 4 Cuncta fehlt. — **A** 5, 1 Barbara fulget caelestibus. —

15. De sancta Begga.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O fundatrix Begginarum,
Gregem tuum dirige,
In odorem unguentorum
Christi fac nos currere.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Laudemus Deum nostrum in confessione sanctae matris Beggae.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Ardens flamma caritatis
Se decore castitatis
Sancta Begga induit,
Cui mundus florens viluit.

2. Relinquens aulas regias
Septem struxit ecclesias,
Ut Christo vacans caelica
Serviret cum laetitia.

3. Begga, mater piissima,
Aspirans ad caelestia
Christo dicavit plurima
Virginitatis agmina.

Responsoria.

1. Iuncta thoro Begga mater
Fructu prolium beatur.
Christo pie famulatur
Divitans ecclesiam.
V. Patricidam Gonduinum
Pie educat divinum
Docta verbum fertque trinum
Ex virtute meritum.

2. Persecutor dum parentem
Impie trucidat, mentem
Pia vidua dolentem
Munit patientia.
V. Flumen transiens secura
Fugit Christo servitura
Et pericula futura
Vincit ope caelica.

3. Iam soluta lege viri
Christi iugo vult muniri,
Romam petit erudiri
Pietate cupiens.
V. Sacra Christo reddens vota
Secum retulit devota,
Quas optabat mente tota,
Sanctorum reliquias.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Pie disponens omnia
Fert vitae necessaria
Begga mater clientibus
Mentemque dat caelestibus.

2. Mariae matris virginis
Exemplo praeit omnibus
Oboedientem, humilem
Castamque vitam praedicans.

3. Sic filiarum gloriam
Intus per Christi gratiam
Demonstrat, tota caelicis
Obtemperans oraculis.

Responsoria.

1. Cor ad Christum anhelabat
Et in loco, quem monstrabat
Dominus, septem fundabat
Pervigil ecclesias.
V. Ad salutem animarum
Iesu Christo devotarum
Piam vitam Begginarum
Postmodum instituit.

2. Ad exemplar Christi matris
Voluntatem summi patris
Fundamentum pietatis
Asseclas edocuit.
V. Castitatem mentis flore
Et humilitatem more
Observandam vult decore
Cum oboedientia.

3. Moritura mater pia
Caelum suscipit in via,
Quam calcavit cum Maria,
Virgine deipara.
V. Vocans turmas filiarum
Cibum petit animarum,
Sacramentum Christi carum,
Ultimum viaticum.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Humilis ancilla Christi,
Quem ferventer dilexisti,
Regnum eius percepisti;
Nos clientes respice.

2. Castam humilemque mentem,
Iugiter oboedientem,
Christo pie adhaerentem,
Mater, nobis impetra.

3. Begga, mater gloriosa,
Paradisi vernans rosa,
Esto nobis gratiosa
Apud Christum iudicem.

Responsoria.

1. Meritorum tota plena,
Christum flagrat mens serena,
Quae beatur vitae vena
Tendens ad caelestia.
V. Begga, mater pietatis,
Speculum humilitatis,
Ad profectum sanctitatis
Gregem tuum dirige.

2. Sancta mater, vivens caelo,
Nos clientes sacro zelo,
Dum artamur in hoc prelo
Carnis, praesens adiuva.
V. Tuae vitae institutum,
Sacra semita virtutum,
Ut sit nobis iter tutum,
Apud Deum satage.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Ave, mater speciosa.
clarior sideribus,
Cuius vultum ac decorem
concupivit Dominus,
Sancta Begga, Begginarum
mater, dives meritis,
Funde preces redemptori
pro tuis supplicibus.

Officia Sanctorum Archiepiscopatus Ultraiectensis et episcopatuum suffraganeorum. Coloniae 1641. — In 1. Noct. **R** 3, 4 Pietatem. — Ad Laudes alles prosaisch.

16. De sancta Berta.

In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

A. Inclitae martyris festa
Beatae colentes alma
Flagitemus, Christe, tuum
Nobis dari praesidium
Quo illius ope celsa
Vitae sumamus praemium.

Ad Magnificat.

A. Magnifice regem
laudemus cunctipotentem,
Omnis cui sexus,
aetas, genus, ordo sacratur,
Qui sibi praeclaram
delegit vivere Bertam,
Cuius maiestas
nos protegat ac benedicat.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Contio nunc hilaris
Domino iubilemus in hymnis,
Caelica qui sanctae
tribuit sponsalia Bertae.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Ad Domini nomen,
tota mirabile terra,
Emicuit nostris
in finibus inclita Berta.

2. Alma, diu thalamo
meritis coniuncta beatis,
Nos tecum veri
fac lumina capere solis.

3. Insons et mundi
felix habitudine cordis,
In montem Domini
precibus nos tolle pudicis.

4. Gratia te, mater,
caelestis iunxit ovanter,
Propterea Domino
nobis benedicta, faveto.

5. Facta Deo templum
te sanctificante beatum,
Fac precibus nostris
habitare in cordibus ipsum.

6. Sedes digna Dei
magnique habitatio regis,
In medio templi
recipi nos posce perennis.

Responsoria.

1. In sacrosanctae
sollenni lumine Bertae
Sursum cum manibus
voces et corda levemus,
V. Quo meritis, precibus
nos salvet conditor eius.

2. Sancta Dei Berta,
praedulcis Franciae alumna,
A summis procerum
generosum protulit ortum,
V. Cum carnis genere
mentis proba nobilitate.

3. Sponsa huic sponso
coniuncta, beata beato,
Par insigne animis,
Gumberto Berta sodalis,
V. Prole tamen cassa
latet, an sit et inviolata.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. In fundamentis
rite aedificata supernis,
Inter laetantes
ibi nos habitare preceris.

2. Psallat nostra Deo
socialis turma benigno,
Qui tantae matris
nos ditat munere digno.

3. Exsultet terra,
laetentur et atria nostra,
Quae Dominus gleba
pius illustravit honore.

4. Cantica quae Domino
modulis canis altisonoris,
Protege nos meritis
et nunc et in omnibus horis.

5. Sancte super Cherubim
residens oculosa, canoro
Carmine ter sanctum
modulantia numine simplo,

6. Suscipe, quas laudes
canimus tibi supplice voto,
Cumque tua sponsa
pie nos super astra levato.

Responsoria.

1. Desolata viro
migrante beata virago
Cuncta fere spreto
pede reppulit infima saeclo,
V. Permutans pullo
rutilantia flammea velo.

2. Dum sancta explorat,
quo diva habitacula ponat,
Angelico visu
super hac re certificatur,
V. Monstraturque locus
Vallis prius Aurea dictus.

3. Omnibus exstructis
dum mater tractat herilis,
Quisnam illuc Domino
famulatu militet ordo,
Virginibus saepta
visa est sibi virgo Maria,
V. Sic monstrando locum
monialibus instituendum.

In 3. Nocturno.

Ad Cantica.

A. Felix mater, ave
longaque in saecula gaude,
Vera Dei cultrix,
mundi fortissima victrix,
Oramus, domina,
sic accipe cantica nostra,
Ut tecum in superis
coniungas gaudia nostra.

Responsoria.

1. Temporibus priscis
aqua deerat sedibus istis,
Unde gravata [Deum]
dum sancta exposceret almum,
Fons certusque locus
sibi caelitus insinuatur,
V. Qui Virtus dictus
iacet ad tria milia passus.

2. Illuc cum libra
nummorum sancta profecta,
Postquam pro pretio
fuit illa solvere praesto,
Pertrahit arva colum,
sic ducit ad sua rivum,
V. Quo fluit usque hodie,
servans cognomina Librae.

3. Felix et Domino
gratissima Berta supremo,
Dum per multiplices
mundo obluctata labores
Testata est, Christi
quantum victoria possit,

Tandem martyrium
peragens petit alta polorum,
V. Quo divina videns,
etiam sine tempore gaudens,
Christo, cui placuit,
precibus nos iungere possit.

In Laudibus.

Antiphonae

1. Regnans cum Domino
virtute accincta virago
Cum grege sanctorum
gaudet sine fine dierum.

2. Alma Dei iubilans
et inenarrabile plaudens,
Nos prece iunge tibi
per pascua et atria regni.

3. Omnicreatori
benedictio personet omnis,
Quem superaxaltat
sanctorum contio casta.

4. O sacra, laudandum
laudans laudabile Christum,
Nos ipsum tecum
laudare exposce per aevum.

Ad Benedictus.

A. Christe, salus nostra,
tibi laus et gloria cuncta,
Qui nobis oriens
lux atque redemptio vera,
Nos tantae matris
donas praedivite gleba;
Cuius nos precibus
hinc abstrahe mortis ab
umbra.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Praeclari generis
meritique insigne beati
Berta triumphato
fausto certamine mundo
Libera sidereum
petit et palmata senatum,
Quo nos virtutum
curramus odore suarum.

Officia SS. Tresani, Gumberti et Bertae imp. Remis 1557. — In 1. Vesp. Super Ps. A, 2 Bertae colentes. — Ibid. 5 praecelsae. — In 1 et 2 Noct. R 1 prosaisch. — In 2 Noct. R 2. 6 Vallis Aurea = Monastère du Val d'Or d'Avenay. — In 3. Noct. R 4 prosaisch. — In Laud. Es scheint eine A zu fehlen und zwar die zum dritten Psalme: Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo. — Hymnus: Decus futurum gloriae.

17. De sancto Catervo.

Ad Vesperas.

Antiphonae.

1. Miles in Christi curia
Catervus militavit.
Ex qua magna stipendia
Ad eum reportavit.

2. Armis pugnare didicit
Caelestibus in proelio,
In quo triumphum habuit
Cum claritatis bravio.

3. Vexillum defert principis,
Ornatum Christi sanguine.
Per quod honorem militis
Adeptus est victoriae.

4. Ora pro nobis Dominum,
Miles Caterve inclite,
Et salva tuum populum
De tenebris miseriae.

5. In conflictu bellantium,
Pater Caterve, miseriis [sic]
Mundi, carnis et daemonum
Nobis succurre miseris.

Ad Magnificat.

A. O nobilis protector
Plebis Tolentini,
Caterve, miles inclite,
Per quem semper divini
Auxilii iuvamen
Sentimus in adversis,
Conserva nos in pace,
Consolamen da maestis
Et pie duc ad patriam
Christi regni caelestis.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Laudetur Christus Dominus
In hac die iucunda,
Qua [vota tibi] reddimus
Catervi sancti munda.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Hic vir in lege Domini
Mirifice plantatus
Dedit fructum dulcissimum
In via veri status.

2. Praeceptum Dei praedicans
Catervus cum fervore
Est in monte Domini
Collocatus cum sonore.

3. Quaerens pacem persequitur
Eam profuso corde
Et in virtute moritur
Sic absque ullo sorde.

Responsoria.

1. Catervus iste proelians
Adversus mundi vitia
Non terretur, sed glorians,
Cum bellat, de victoria,
Quam habuit, et iubilans
Tenet superna praemia.
V. Mundum, carnem suppeditans
Et zabulorum proelia,
Vexillum Christi baiulans
Vincit mundana crimina.

2. Per bona temporalia
Transivit sic beatus,
Quod non amisit praemia
Aeterna, hic fundatus
Enim erat et gratia
Altissimi locatus,
V. Et ideo in gloria
Cum immensa [laetitia]
Est digne coronatus.

3. Labentis vitae gaudia
Despexit miles Christi
Hic, Catervus, ut praemia
Posset habere iusti
Regis et transitoria
Reliquit mundo tristi,
V. Et ideo in gloria,
Domine, magna munera
Eidem contulisti.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Invocantem hunc Dominus
Virum sanctum audivit,
Quem in pace constituit
Et plene exaudivit.

2. Benedixisti, Domine,
Catervo tuo viro.
Quem voluntatis tuae
Coronasti scuto miro.

3. Super opera manuum
Constituisti, Domine,
Hunc famulum tuum
Catervum mirifice.

Responsoria.

1. Plebem commissam protege
Tibi, Caterve nobilis,
Quae sub tuo regimine
Defendatur in proeliis
Et ditari iuvamine
Sperat de caeli gaudiis.
V. Remove(cuncta)mala, Domine,
Amore huius militis.

2. Per te sumat precamina
Nostra Christus piissimus
Et auferat nunc crimina
A nobis ipse Dominus;
Caterve, tua gratia
Tuere nos divinitus
V. Et nobis caeli gaudia
Cum virtutum victoria
Impetra, pater, caelitus.

3. Placa prece altissimum,
Ne puniat iustissime
Nos, qui multorum criminum
Gravamur magno pondere,
Et nobis fer auxilium
In ultimo examine.
V. Nos sub tuum praesidium
Confugimus, ut Dominum
Roges, pater, piissimum
Pro nobis, miles inclite.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Iustus et pius Dominus
Iustum dilexit famulum.
De quo habent superi[us]
Angeli magnum gaudium.

2. In tuo tabernaculo
Habitavit hic beatus.
Deus, qui est iustitiam
Veraciter operatus.

3. De pretioso lapide
Coronatus in gloria
Catervus, cuius hodie
Recolimus sollemnia.

Responsoria.

1. Gaudeamus in Domino
Hoc festum celebrantes,
Omnes cum magno iubilo
Christum regem laudantes
Et cum ingenti gaudio
Viva voce cantantes.
V. Ut ab omni periculo
Catervi patrocinio
Nos defendat precantes.

2. Pro terrenis caelestia
Lucratur hic sanctissimus.
Pro caducis et praemia
Meretur miles inclitus
Aeterna et in gloria
Locatus hic divinitus.
V. Et sic superna gaudia
Per saeculorum saecula
Adeptus est superius.

3. Regis aeterni famulus
Plaudit in eius curia.
Catervus, miles inclitus,
Cui donantur munera
Caeli, et stat superius
In angelorum patria.
V. Hic est miles egregius,
Quem coronavit Dominus
In paradisi gaudia.

4. Supra petram firmissimam
Erat enim fundatus.

Ideo vitam propriam
Despexit hic beatus,
Nunc autem est in patriam
Lucis clare translatus
V. Possidetque laetitiam
Et infinitam gloriam
In caelo collocatus.

5. Dedit Catervo Dominus
Virtutes operare,
Qui sanat aegros saepius
Et claudos ambulare
Facit iste sanctissimus
Et cunctos sanat clare;
V. Et si rogatur, citius
Paratus est sanctissimus
Petita gratis dare.

6. Ortus hic ex prosapia
Nobili praefectorum
Ornatur et militia
Civium Romanorum,
Nunc sequitur consortia
Militum supernorum;
V. Quem susceperunt agmina
In paradisi gloria
Sanctorum angelorum.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Lucis decorem induit
Altissimus Catervum,
Quem in caelo constituit,
Ut vivat in aeternum.

2. Rutilat hic in gloria
Deo, cui servivit,
Et tenet nunc in patria,
Quae oculus non vidit.

3. Deus, Deus altissime,
Hic ad te vigilavit
Et verbo tuae gratiae
Catervus meditavit.

4. Benedicunt te angeli,
Christe, et de Catervi
Festo gaudent archangeli
Et cuncti tui servi.

5. Laudem dicit altissimo
In paradisi gloria
Et orat hic pro populo
Suo in Christi patria.

Ad Benedictus.

A. Respice nos et visita,
Pater Caterve, famulos
Et duc ad Christi patriam
Tuos fideles subditos.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Confugimus cotidie
Ad te, Caterve nobilis,
Nostras preces nunc suscipe,
Conserva nos in prosperis
Ac mala cuncta remove
A nobis tuis famulis.

Collect. ms. Caiet. Constantini saec. 17. Cod. Alexandrin. 96 (II). — In 1. Noct. **A** 3, 2 perfuso. — **R** 1, 3 territur. — **R** 1, 7 mundum crimina. — In 2. Noct. **R** 3, 2 puniat nos piissime. — In 3. Noct. **A** 2, 3 Dominus. — **R** 6, 1 hic extra prosapia.

18. De sancto Chrysogono.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Splendide Chrysogone,
Christi martyr pretiose,
Servos esse tuos
adversus effice tutos,
Cum pie credente
populo tua festa colente
Nosmet caelesti
commendans sedulo regi,
Caeli quo regno
dignos faciat miserendo.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Sanctorum regi
iubilemus carmine iugi,
Chrysogonum sanctis
qui iunxit in aethere turmis.

Ad Laudes.

Antiphonae.

1. Fortiter accinctus
Domino Chrysogonus almus
Ut fluctus nimios
homines superavit iniquos,
Esse docens templum
Christi per saecla verendum.

2. Se confessus ovem
Domini sibi concinit oden
Hic martyr, portas
sic intrans eius apertas.

3. Almus Chrysogonus
cum corpore mente que totus
Christum sitivit,
cuius magnalia vidit.

4. Cuncta creata Deum
benedicant nunc et in aevum.
Hunc testem cunctis
merito iunxit quia sanctis.

5. Christum cum sancto
pie Chrysogono reboando
Iugiter insomnis
laudato, spiritus omnis.

Brev. ms. Emmeramense saec. 15. Cod. Lambacen. CLXIX. — In Laud. A 4, 4 unixitque sanctis.

19. De s. Cypriano Tolonensi.

Ad Vesperas.

Antiphonae.

1. Adest dies laetitiae,
Patent caeli palatia,
Doctori novae gratiae
Nova confertur gloria.

2. Carnis liber ergastulo
Iam cum pastoris mercede
Caeli potitur pabulo
Clarusque doctoris sede.

3. Vivens refulget gratia.
Bina post finem laboris
Congaudet sanctus gloria
Vitae simul et honoris.

4. O pater sancte, filiis
Confer benedictionem,
Salutem nobis impetra,
Gratiae plenitudinem.

5. Consors caeli spirituum,
Pie pater miserorum,
Te nunc vota precantium
Iusta suscipe tuorum.

Ad Magnificat.

A. O pastor egregie,
Doctor veritatis,
Tu norma iustitiae,
Iudex aequitatis,
Speculum munditiae
Custos sanctitatis,
Nos ad regnum gloriae
Deduc cum beatis.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Cyprianus, vir optimus,
In Christo fidelissimus,
Caesarii discipulus
Fit, comes individuus.
Eiusque servat monita.

2. Plebs Tolonensis humilis
Nunc puro corde et supplici
Te precatur et obsecrat,
Ut te patronum habeat
Et vim precantis sentiat.

3. Clemens pater, filiis
Da salutem miseris
Et obtine virtutem
Resistendi vitiis.

Responsoria.

1. Sub magno patre militat
Caesario vir optimus
Et animo sanctissimus
Eius sequendo semitas.
V. Tanti patris
doctus colloquio
Sacri verbi
fulget eloquio
Tamquam lumen
non tectum modio.

2. Semen verbi, quod messuit,
Post sparsit abundantius
Et mercede, quam meruit,
Iam fruitur felicius.
V. Post labores requiem
Possidet in caelis,
Dei cernens faciem
Servus tam fidelis.

3. Dum caelorum
scandisti culmina
Post devicta
mundi certamina,
Laeta currunt
sanctorum agmina,
Modulantur
dulcia carmina.
V. O senator
caelestis curiae,
Memor esto
tuae familiae.

Ad Benedictus.

A. Mentis fulgor,
carnis nobilitas,
Decus morum
et ingenuitas,
Lux doctrinae,
pastoris aequitas
Ornant iustum
et mira caritas.

Ad Magnificat.

A. Ortum solem
divinae gratiae,
Munus datum
urbi Tolonicae,
Cyprianum
laudat plebs humilis
Et Deum o-
rat mente supplici.

Acta. SS. Octob. II, 166 sqq. Aus dem Officium de s. Cypriano anni 1618. Aus jenem Jahre stammt nach den Acta SS. a. a. O. die Verbesserung des alten in der Kirche von Toulon gebräuchlichen Officiums durch Antonius du Blanc. Die Anderungen, welche letzterer vornahm, scheinen sich vor allem auf die Lektionen zu beziehen; ob aber ausschliefslich? Alles im Vorstehenden Fehlende ist in der neueren Redaction de communi. — Zugehörige Hymnen: Numen supremi numinis (ad vesp.), O nostri vindex criminis (ad laud.).

20. De sancto Dionysio et sociis.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Gaude, felix Parisius,
Quam sanctus Dionysius
Decoravit martyrio;
Graeca laetare regio,
Quae tam clarum genuisti
Filium et eduxisti.

2. Dictus Areopagita
Hic Athenis infinita
Scientia praepollebat
Atque studium regebat.

3. Dum cruce Christus moritur,
Hic Athenis fert: „Patitur
Deus naturae, vel totum
Caelum modo diruitur.“
Miranda res, ut legitur,
Deum coluit ignotum.

4. Paulus Athenas veniens
Hunc convertit ad pascua
Veri; tamquam oboediens
Secutus est iussa sua.

5. Clemens papa destinavit
Sanctum versus Occidentem.
Ubi totam adornavit
Gallicanam fide gentem.

Ad Magnificat.

A. Gloriosis martyribus
Almisque, Dionysio
Ac sociis, nitentibus
In caelesti palatio
Plebs laetetur Gallicorum,
Nomini laudes eorum,
Lumini demus luminum.
Omnia quod vivificat,
Concinendo: Magnificat
Anima mea Dominum.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Invitati properemus,
Summo Christo laudes demus,
Qui de tenebris gentium
Vocavit Dionysium.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Beatus vir,
quem Deus minavit
Cum sociis
securum per mare,
Ut Gallicis,
sicut post patravit,
Verbum Dei
posset praedicare.

2. Cernentibus
ipsis pericula
Populorum
in idolatria
Dicunt simul:
„Divina gratia
Dirumpamus
eorum vincula.“

3. Tunc ingressi
per mundi climata
Paganorum
sedant feritatem,
Arguentes
hos per charismata:
„Diligitis
quare vanitatem?“

Responsoria.

1. Gratuletur ecclesia
Christo canens praeconia
Cum dulcisonis cantibus
Sub inclitis martyribus
Sacrisque Dionysio,
Rustico, Eleutherio,
Qui lauream meruere
Perenniter possidere.
V. Intrepidi praedicabant
Alte per totam Galliam
Tormentaque supportabant
Propter aeternam gloriam.

2. Dum Lisbius refutavit
Agri sui pecuniam,
In quo sanctus post fundavit
Devotius ecclesiam,
Ipse dicebat: O care,
Desiste nunc ab incepto,
Non licet aedificare
Templum in gratis accepto.

℣. Pauperibus erogare
Pretium velis affecto,
Iam verbo tibi directo,
Carissime, dico clare.

3. Agro vir empto fundavit
Templum in Christi nomine,
Ubi multas ampliavit
Secundo gentes ordine,
Restituens creatori,
Quos cernebat male mori.
℣. A daemone subtrahebat
Quam plurimos prodigiis,
Luculenter verbis diis
Iudicium exponebat.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. O rex Christe,
quam Dionysio
Scientiam
magnam tu dedisti!
Nam fertili
cognovit studio
Lunam, stellas,
quas tu fundavisti.

2. Memoria
tua redundabit,
Dixit, Deus,
apud omnes reges,
Laus super te
semper abundabit,
Nam bonorum
meorum non eges.

3. Rex aeterne,
super craticula
Servum igne
me examinasti,
Visitasti
nocte, per singula
Supplicia
cor meum probasti.

Responsoria.

1. Traditione parata
In hunc a pontificibus
Concurrebat plebs armata
Atrociter cum ensibus,
Sed hoc viso prosternebat
Se quisque vel fugiebat,
Quia caelesti lumine
Fulgebat plenus numine.
℣. Idola tunc destruuntur
A manibus, quae fecerant,
Et daemonum irascuntur
Turbae, quae prius riserant.

2. Illustres Dionysius,
Rusticus, Eleutherius,
Proterviter cruciati,
Dire sunt examinati
A principe: „Quem colitis,
Et quem Deum asseritis,
Dum mundus sic convertitur
Et idolum dimittitur?“
℣. Dio dono inspirati
Una voce trinitatem
Responderunt et beati
Christi Iesu maiestatem.

3. O mira res, in natura
Bestiae rabie dura
Excitatae ieiunio,
In quarum sanctus medio
Proiectus est, mansuetae
Sunt per crucis signaculum
Et sibi dantes osculum
Hunc dimittunt in quiete.
℣. Inter has feras, Domine,
Assis servo, precor, isti,
Qui nos de sacro sanguine
Tuo vere redemisti.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Dum ab ore
sanctorum divinus

Sermo fine
datur, decollati
Momento sunt
et glorificati.
Beata gens,
cuius est Dominus!

2. Ossa Deus
custodit eorum,
Nam ad mensam
matrona vocavit
Perditores
corporum sanctorum
Et furtive
corpora celavit.

3. Parisius
dum unda sanguinis
Fidelium
late circumiret
Peremptorum
sub dono flaminis,
Nullus erat,
qui tunc sepeliret.

Responsoria.

1. Vir sanctus melle dulcior
In clibanum proicitur,
Sed hic auro splendidior
A rogo post eicitur,
Dicens: Christi, fili Dei,
Precor, miserere mei.
V. Post a pravis tortoribus
Patibulum adpenditur,
Sed hic orationibus
Semper vacans invenitur.

2. O mirandum mysterium,
Carcere conficienti
Omnipotentis filium
Apparuit sacramenti
Constitutor videntibus
Cunctis hic existentibus,
Quem angeli circumdabant
Melodiisque laudabant.
V. Hunc Christus sanctum cibavit
Pane, quem consecraverat,
Divineque confortavit,
Pront alias fecerat.

3. Inclitus Dionysius,
Athleta fortis et pius,
Dum suam orationem
Peregit devotissime,
Recepit truncationem
A lanista durissime,
Et sic animam tradidit
Christo, qui cuncta condidit,
V. Cadaver duo milia
Vexit caput canentibus
Angelis verba dulcia.
Cunctis turbis mirantibus.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Paradisi ianua
Tibi, Dionysio,
Patet et in solio
Parata sedes tua.

2. Domino iubilate,
Nam dum credit Larcia,
Capitis prodigia
Sequitur fides rate.

3. Rex vero laetabitur
Sanctorum basilica,
Ubi melos canitur
A plebe catholica.

4. Benedicite Christo,
Qui meritis sanctorum
In orbe sanat isto
Copiam languidorum.

5. Laudate Deum, senes,
Virgines et iuvenes,
Qui fugat provincia
Martyrum daemonia.

Ad Benedictus.

A. Benedictus
sit rector omnium,

Dionysi,
qui te visitavit,
Tibi gratis
dans privilegium,
Ut tis lingua
fine peroravit,
Videlicet
sua petitio
Sive facta
tub tuo nomine
Adnuetur;
ergo subsidio
Tuo, posce,
simus in lumine.

Ad Magnificat.

A. Cleri progenies,
Domino nunc promere laudes
Alta voce tribus
nitere martyribus,
Larcia quos stravit
hodie vereque levavit
Horum natali
Christus in arce poli.
Ergo tu socii-
que rogate, sacer Dionysi,
Ut vir quisque Dei
possit amore frui.

Brev. S. Barnardi de Romanis imp. in Romanis 1518. — In 2. Noct. A 1, 3 fundasti. — In Laud. A 2, 2 crevit. — A 2, 4 fidem. — In 2. Vesp. Ad Magn 5 Laures quos.

21. De sancto Domnio.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Belliger iste sagax
pro lege Dei sua membra
Contulit ad mortem
moriendoque perculit hostem,
Nam petra Christus erat,
qua solidus steterat.

2. Martyr hic est verus,
pro Christi nomine corpus
Qui dedit tortorum
spernendo tela minarum,
Militiae palma
quem caelum sustulit alma.

3. Respuit hic mundum,
ludos floremque iucundum,
Cuncta caduca soli
librans et gaudia caeli,
Divitias illic
atque velut ore locavit.

4. Dum quis temptatur,
si non cadit, inde beatur,
Coronavit eum,
qui iudicat omne probatum,
Ex merito rutilam
dabit isti laude coronam.

5. Hunc Deus ornavit,
qui pro meritis adamavit,
Glorificaque stola
vestivit splendida colla
Ad paradisiacas
ducendo per aethera portas.

Ad Magnificat.

A. O quam sancta dies,
o quam festiva refulget,
Viribus, o, totis
castis celebrandaque votis,
Qua bonitate bonus
noster meat astra patronus,
Domnius, ad vitae
gaudia perpetuae.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Morte triumphali
superatis morsibus anguis

Christus ad celsi
remeavit culmina caeli.

2. Coetus apostolicus
divino lacte potatus
Dividitur multis
diversis partibus orbis.

3. At Petrus, ecclesiae
praelatus, in Antiochena
Multas virtutes
fecit ac dando salutes
Pluribus aegrotis
tenebris a corde remotis.

Responsoria.

1. Cum plebs innumera
simul, ut miracula vera
Viseret, affluēret
seu quod magis inde vigeret,
Contigit, accessit
Theodosius, accola civis,
V. Nobilitate cluens,
operum virtute [re]fulgens.

2. Hic Danae geniti
generosae prolis habenti
Natum se iunxit,
quam more suo sibi iunxit,
Qua subolem genuit
. . . . cia Domnius inquit.
V. Praestanti forma,
sed Christi postea norma.

3. Quippe suus genitor
velut almis cultibus auctor
Munere naturae
vitae spirando futurae
Ad Dominum saltus
dabat et gentiliter altus,
V. Qui fons est vitae
cunctis sine fine petendae.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Praedicat ut plebi
verbum Petrus ore tonanti,
Audiit attentus
neque mundi compede tentus
Discipulum Christi
petiit sub tempore noctis.

2. Cuius doctrina
rutilans pietate superna
Credidit in Christo
devota mente sequendo.

3. Ut fidei lavacrum
tangens sprevit simulacrum,
Domnius et mater
fiunt pariterque fideles.

Responsoria.

1. Aurea gemma solo
sidus radiabilis caelo,
Domni, qui resides,
quem tulit alma fides,
Auxiliare tuis
solita pietate ministris,
V. Magnificare tua
valeant ut festa per aethra.

2. Qui puer aetate
sed mentis nobilitate
Celsus apostolicis
copulavit se documentis,
V. Potans a puero,
vomuit quae postea mundo.

3. Iam fidei plenus
studio Petrus Antiochenus
Visus (est) adire Romam
gestorum laude sonora[m],
V. Luceat ut princeps
a prima luce deinceps.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Domnius a seniore Petro
suadente magistro
Venit Dalmatiam
Domino ducente Salonam.

2. Semina divina
spargens ubi voce benigna,
Purificat, mundat
plures baptismatis unda.

3. Mox quibus ablutis
capiendo verba salutis
Corda maligna tamen
conclamant pseudovatem.

Responsoria.

1. Dum trahit a morbis
dominam, quae dicitur, orbis,
Discipulos mittit
lati per climata mundi,
V. Ecclesiae natos
pariant quo multiplicatos.

2. Pirgus ad haec tumidus
dialectico turbine fixus
Obstitit atque fidem
sibi draco colorat eandem,
V. Cesset ut athleta,
Iesu ne vinea crescat.

3. Sed ne cathegoricus
palma laetetur iniquus,
Doctorum doctor
vires parat ille ministro,
V. Cui dicit: Os aperi,
per me quod scito repleri.

2. Namque sacerdotes,
Christum venerantibus hostes,
Maurilium quendam
pretio[que et] munere parant.

3. Romae praefectus,
qui daemonis arte refertus,
Aurum spernentem
neque sacrificare volentem
Discipulum Christi
permultat verbere tristi.

4. Christicolae plures
clamant pie compatientes:
Cur pereat saeve,
qui praedicat omnia vere?

5. Praeses ad haec motus,
nullo moderamine fotus,
Hos novies quinque
super aethera detulit ense.

Ad Benedictus.

A. Pontificum norma,
splendor pretiosaque gemma,
Serta venustatis
retinens cum martyrizatis,
Scandere celsorum
da nobis regna polorum,
Qui barathri claustro
puerum precibus revocasti.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Cum pius athleta
mundi fugit omnia laeta,
Martyrii palmam
Deus hunc invitat ad almam.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Corpora sanctorum
tumulantur honore piorum
Vertice sub montis,
vocitatur qui Macarontis.

Brev. ms. Romanae Curiae anni 1318. Cod. Vatican. 6069. add. saec. 14. — In 1. Vesp. **A** 2, 3 dedit tartarum. — **A** 4, 3 coronatur. — **A** 5, 5 paradisicas. — In 1. Noct. **A** 2, 2 potitus. — **A** 3, 1 Ad Petrus. — In 2. Noct. **A** 1, 6 tempore notis. — In 3. Noct. **R** 3, 4 ministros. — **R** 3, 5 Qui dixit. — In Laud. **A** 2, 4 munere arant. — Zu beachten in 2. Noct. **A** 1 das Akrostichon Adam.

22. De sancto Ettone.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Ad te, Christe, fili Dei,
Ad te clamant omnes rei,
Ut in hoc vitae stadio
Fessos idem paraclitus
Refoveat divinitus,
Etho cuius imperio
Caelestem sumpsit vitam,
Mentem iacentem visitet,
Consuscitet sopitam.
O quam felix Dei donum,
Quod perenne confert bonum!

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Etho Deum laudet,
per quem super aethera gaudet;
Nos igitur psalmis
illi iubilemus et hymnis.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Germine feta sacro
laetetur Hibernia, fructu
Quod tam multipli
regna superna replet.

2. Haec septem radiis
tenebras illuminat orbis
Sideribusque novis
latius emicuit.

3. Septem namque viros,
meritorum lumine claros
Edidit et claris
condecoravit avis.

Responsoria.

1. Ad laudem Domini
produxit Hibernia septem
Fratres, insignes
caeli quos gloria fecit;
V. Par spes, par animus
erat illis et Deus unus.

2. Hos decoravit honor
mundi fulgens et origo.
Sed magis ingenuos
dedit actio mensque beata
V. Dignos laude viros,
tibi, sacrum flamen, alumnos.

3. Horum de numero
venerandus claruit Etho.
Cum pia progenies
mores sacravit heriles.
V. Unctio sancta Dei-
que doctrix adfuit illi.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Voti concordes
effecit gratia fratres,
Quos spes atque fides
fecerat esse pares.

2. Hi natale solum
liquerunt, aequora Christo
Remige sulcantes
extera regna petunt.

3. Fluctibus emensis
nebulosi post iuga montis
Sacra Petri subeunt
cum prece, cum lacrimis.

Responsoria.

1. Traditus Etho sacris
animo vigili documentis,
Praedicat esse pium
super omnia quaerere Christum.

V. Mundum cum flore
divino sprevit amore.

2. Etho domum, patriam,
mundum cum flore relinquens
Verna bonus Domini
gremio meruit refoveri,
V. Terrea cuncta terens
caeloque potenter inhaerens.

3. Plenus amore pio
mare transiit ac duce Christo
. . . . . .
. . . . . .
V. Solvit apostolicis
Romae sua vota tropaeis.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Caelitus implorant,
quibus haec mortalia condant
Membra sub hospitiis,
ossa quibus tumulis.

2. Christus, servorum
miserens, ubi quivis eorum
Ius caperet sedis,
innuit a superis.

3. Sedit ab his unus
Etho, qua fonte refusus
Manat Corbriolus
caelitus exhibitus.

Responsoria.

1. Etho sacris precibus
lacrimisque peramplius instans
Mente polum penetrat
dignis affatibus astans,
V. Extera transgressus
ad spiritualia raptus.

2. Summus apex, celsi
solii moderator et aevi,
Orantem famulum
recreavit acroamate tali:

V. Gallia laetetur
et te pastore regatur.

3. Etho, divinae
per saecla ferax medicinae,
Clade piat populum,
fugat impia gentis, asylum
V. Subvenit adflictis,
miseris solacia praestat.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Felix confessor,
trinae deitatis amator,
Audit de caelis
semel et bis acroama salutis.

2. Mansio signatur
primum, post tumba iubetur
Quaeri, tumque dies
vitae postrema vocatur.

3. Posthuma facta patris
dando suffragio multis
Lucis eum sedem
testantur habere perennem.

4. Vota sacerdotis
acceptans carcere, vinclis
Ereptum recreat
spondensque salubria firmat.

5. Aeger abit sanus,
maerens solamen adeptus,
Nullus inexpertus
opis, est pater omnibus aptus.

Ad Benedictus.

A. Exsultemus hodie
Simul et cantemus,
Patris nostri gloriae
Pia vota demus,
Qui de mundi voragine
Feliciter sublevatus
Gaudet cael[est]i lumine
Divinitus illustratus
Nullam timens iacturam.

Pro nobis Deo supplica,
Sancte pater, et vendica
Laetitiam futuram.
O quam felix Dei donum,
Quod perenne confert bonum!

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O Iesu Christi bonitas,
O gratia,
Dirige nostras semitas
Ad praemia.
Quae servas fidelibus
Ob meritum virtutis,
Da tuis supplicibus
Ethonem refugium
Ad gaudium salutis.
O quam felix Dei donum,
Quod perenne confert bonum!

Acta SS. Iul. III. 49 sqq. — In 3. Noct. R 2, 4 und Laud. A, 1 4 eine Silbe zu viel. Also ist acroama dreisilbig; wahrscheinlich stand in der Quelle acroma. Über ihre Quelle bemerken die Herausgeber l. c.: „Officium praedictum . . . misit ad P. Bollandum R. D Luytens mense Novembri 1637, tum temporis Laetiensis supprior et magister iuniorum et postmodum laudati monasterii abbas." Das Officium stammt aber nicht aus der Abtei Liessies, wie schon die nicht-monastische Form desselben zeigt, sondern aus Buyn-Villare bei Arras.

23. De s. Euchario Tullensi.

Ad 1. Vesperas.

Antiphonae.

1. Gaudeat ecclesia
Pro palma victorum,
Quam adornat Gallia
Splendore sanctorum.

2. Eucharii natio
Sancta comprobatur,
Iustorum consilio
Christum imitatur.

3. Hic dum mundi gloriam
Pro Christo calcavit,
Aeternam memoriam
Iusti comparavit.

4. Laudans nomen Domini
Vir Deo devotus
Vacabat regimini
Per Deum promotus.

5. Huius sancti praesulis
Mors est pretiosa,
Quem laudant in populis
Signa gloriosa.

Ad Magnificat.

A. O pastor egregie
Doctorque fidelium,
Gemma Lothoringiae,
Nobile depositum
Liberduni castri.
Fer, Euchari, gratiae
Nobis patrocinium,
Ne perdamus anxie
Thronum tibi traditum
Supernalis astri.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Regi caelorum gloria
Devote concinatur.
Dum Eucharii gratia
Digne commemoratur.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Hic in lege Domini
Pie meditatus
Se sanctorum agmini
Iunxit vir beatus.

2. Reges, intellegite
Providum rectorem,
Hunc sequi satagite,
Strenuum victorem.

3. Christus fuit gloria
Huius praesidentis,
Non timuit milia
Populi furentis.

Responsoria.

1. Laudemus permagnificum
In statu praesulari
Doctoremque catholicum
Adfatu salutari
Eucharium, mirificum
In actu regulari.
V. Ducem sequamur caelicum,
Colentem Deum unicum
Affectu singulari.

2. Fidei rupto foedere
Rex nequam Iulianus,
Ordinis spreto munere
Apostata profanus,
In Christum coepit furere
Vir Belial et vanus.
V. Sub eius grandi scelere
Passus est gravi vulnere
Populus christianus.

3. Dum Galliam ingreditur,
Urbem Grandem intravit,
Christicolas insequitur
Pluresque carceravit,
Eucharium aggreditur
Et ipsum decollavit.
V. Ab impio perimitur
Pastor pius nec vincitur,
Quem Christus coronavit.

2. Mane Dei famulus
Orans exauditur,
Preces eius populus
Laetus experitur.

3. Laus perfecta sonuit
Ex pastoris ore,
Cuius vita splenduit
Virtutis honore.

Responsoria.

1. In Pompeio littore
Caeso praesulis capite
Et in loco tumbarum
Iam divisum a corpore
Ab ipso fertur equite
Palmis caput praeclarum.
V. Passus modico tempore
Conscendit recto tramite
Montem deliciarum.

2. Athleta victo turbine
Per sanctae vallis medium
Iter suum direxit;
Legentes olus feminae
Mirantur ex hoc nimium,
Quod caput suum vexit.
V. Plus stupet rubens sanguine,
Dum eas per sollemnium
Operari prospexit.

3. Praesul divino munere
Consummato martyrio
Per omnia directus
Recto pergens itinere
Liberduni confinio
Digne fuit collectus.
V. Super lapidem funere
Locato caeli gaudio
Fruebatur electus.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Hunc sanctum mirificat
Deus veritatis,
Per quem tot multiplicat
Signa probitatis.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Vitam sine macula
Praesul hic finivit
Summa tabernacula
Laetus introivit.

2. O praeclare pontifex,
In virtute Dei
Sis salutis opifex
Nobis sanctae spei.

3. Rex aeternae gloriae,
Per hunc nos conducas
Ad montem laetitiae
Tecum et inducas.

Responsoria.

1. Corpus sanctum
defuncti praesulis
Dum deferret
cum reverentia
Urbis Leuchae
clerus cum populis,
Quadrivallis
non traxit spatia.
V. Liberduno debebatur
Sancti quies, ut probatur.

2. Subvectum in curriculo
Praesulis funus inclitum
Vaccae duae trahebant,
Quae pergrandi miraculo
Locum sepulcri debitum
Directe requirebant.
V. Quae cum decenti titulo
Liberduni depositum
Gressibus innuebant.

3. De celso sancti praemio
Vera sunt testimonia
Patrata Dei brachio
Per eum mirabilia,
Qui suo patrocinio
Magna confert remedia.
V. Pro triumphali proelio
Pastor regnat in gloria,
Magno dignus praeconio,
Dum expellit daemonia.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Sanctus vir Eucharius
Morum luce splenduit
Indutus decorem,
Sacerdos egregius
Melchisedech tenuit
Gradum et honorem.

2. Cordis prae laetitia
Iubilans in gaudio
Deum exquisivit,
Manens in iustitia
Iustorum consilio
Domino servivit.

3. Deus, ad te vigilans
Exsultando labiis
Mente iubilabat.
Rectis lumen rutilans,
Gloria, divitiis
Iustus abundabat.

4. Benedicant opera
Cuncta nomen Domini,
Quod est benedictum.
Dum scandit ad aethera
Summo iunctus numini
Martyr post conflictum.

5. Tuba, chordis, organo
Laudet omnis spiritus
Dominum virtutis,
Quem in caeli Libano
Cernit bibens primitus
Calicem salutis.

Ad Benedictus.

A. Benedictus Dominus,
Plebem suam visitans
Per almum pastorem,
Cuius vitae terminus
Hunc beatum clamitans
Hostisque victorem,
Nos ad bonum protinus
Miraculis excitans
Deo dat honorem.

Brev. Tullense imp. Parisiis (Higman) 1511. — Ad Magn. A 5 Luberdini (Liverdun). — In 2. Noct. A 3, 5 Luberduni. — In 3 Noct. R 1, 9 Luberduno.

24. De sancto Eunuphrio.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Exsultet caeli curia
Sanctorum ad consortium
Novo cive translato,
Congaudeat ecclesia,
Nostrum quoque collegium
Eunufrio beato,
Omnis Christi militia
Virum laudet humillimum
In caelis exaltatum.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

In militis sollemniis
Rex regum collaudetur
Eunufrii, cum gaudiis
Et votis honoretur.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Ut arbor iuxta fluvium
Aquae vivae plantata
Eunufrii dat nimium
Fructum vita beata.

2. Casto timore pertulit
Imbutus disciplinam,
Iugum peccati reppulit
Et saeculi ruinam.

3. Voce devota clamitat
Et Dominus exaudit,
Opem devotis impetrat
Et monitis adplaudit.

Responsoria.

1. Vir sanctus ad coenobium
Eunufrius cum properat,
Implens Christi consilium
Virtus aetatem superat,
Per gratiae praesidium
Menti sensus obtemperat.
V. Luxu calcato noxio
Deo firmus inhaeret,
Foedo cum sui gaudio
Occasum mundi maeret.

2. Novit Heliae merita
Scriptura referente
Et praecursoris inclita
Duce Christo favente,
Deserti petit abdita
Spreta mundana gente;
V. Subtractus a consortio
Mundi decipientis,
Purgatus a contagio
Carnis allicientis.

3. Ingressus solitudinem
Virtute roboratur,
Temptantis altitudinem
Contra fidem luctatur,
Dei beatitudinem
Devote contemplatur.
V. Solis ardore squalidum
Ventus, imber infestat,
Casto timore candidum
Lux vitae manifestat.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Quiete pacis intimae
Christo mirificatur,
Electae pacis optime
Cum merito laetatur.

2. Ornatur scuto fidei
Christi miles invictus,
Dignus cum palma provehi
Ad caelum benedictus.

3. Caelis emisso nuntio
A Deo visitatur.
Honore, laude, praemio
Coronae decoratur.

Responsoria.

1. Capillo pro tegmine
Nudum corpus obducitur,
Radicum in esurie
Virentis herbae fruitur,
Tali cum moderamine
Daemon victus eicitur.
V. Aquae mensura bibitur
Vini spreta dulcedine,
Hostilis fraus depellitur
Illaqueans mulcedine.

2. Mirandum est, quod creditur,
Si summum sacramentum
Presbytero conficitur
Per Christi documentum,
A sancto viro sumitur
Salutis in augmentum.
V. Quod agitur, spiritibus
Sanctis ratificatur,
Virtus sacratis ritibus
Divina non ligatur.

3. Sex lustris pane pascitur
Mirando vir beatus,
Pampnutius suscipitur
Hospes fame laxatus,
Verbo Dei reficitur
Virtute solidatus.
V. Uterque pane vescitur
Tunc integro delato,
Largitor benedicitur
Egente saturato.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Hic iustus sine macula
Verax et mansuetus
Dilecta tabernacula
Colit iam Deo fretus.

2. Vultus divini visio
Virum virtute gratum
Completo desiderio
Laetificat beatum.

3. Hic quaerens Dei faciem
Eius subit in montem,
Contemplans Dei speciem,
Beatae vitae fontem.

Responsoria.

1. Oculis ac manibus
In caelum elevatis
Iungebat preces precibus
Devotis impetratis
Gratiae muneribus
A fonte bonitatis.
V. Migrantis luce claruit
Vultus viri mirificus,
Locum mirandus imbuit
Odor ut aromaticus.

2. Ad sancti viri transitum
Sanctorum chorus advenit
Laudes Deo canentium,
Christus ad caelum provehit
Virum, quem carne positum
Donis supernis imbuit.
V. Tamquam columba candida
Petit anima Deum
In omni vita nitida:
Prece pulsemus eum.

3. Leo deplorat mortuum
Curvatus et adorat,
Fodit in ungue tumulum,
Pampnutius ut orat,
Nudum viri corpusculum
Tegens vestis honorat.
V. Translato patre concidit
Palma cum sua cellula.
Pampnutius haec concinit
Eius vitae miracula.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Praecinctus fortitudine
Eunufrius prostravit
Hostem et pulchritudine
Indutus honoravit
Christum et sanctitudinem
Domus eius amavit.

2. Soluto culpae vinculo
Contemnit civitatem,
Deserti tabernaculo
Locatus ubertatem
Quaerit virentis pascuae,
Dei suavitatem.

3. De luce Deo vigilans
In sancto sic apparet,
Ut ipsum mente sitiens
Videret et amaret,
Antra deserti penetrans
Quietus et oraret.

4. Vir corde sanctus, humilis
In vita benedixit
Deum, virtute stabilis
Diabolum adflixit,
Se mente caeli habilis
Christo cruci confixit.

5. Hunc sanctum contra militat
Nix, ignis, grando, pluvia,
Sed robore stabilitat
Perfusa caeli gratia,
Hymnum novum cum gloria
Sibi canat ecclesia.

Ad Benedictus.

A. In sanctitate Domino
Servivit et iustitia,
Mortalis vitae termino
Solutus a miseria
Eunufrius beatus,
Nunc fruitur in patria
Beata caeli gaudia
Splendoribus ornatus.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Eunufri, pater optime,
Te invocamus hodie,
Imple tui memoribus,
Quod pie promisisti,
Funde preces ad Dominum,
Ut deleat contagia,
Cuncta pellat tristia,
Fuget adversantia
Sublato saevo iudice,
Concessa culpae venia,
Omni pulsa miseria
Nobis aeterna gaudia
Donet in caeli curia.

Pontif. ms. Paulanorum saec. 15. Cod. Vatican. Ottobon. 502. In Laud. A 4, 4 addixit.

25. De sancta Eustella.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Regia virgo fuit
Eustella parentibus orta
Xantonicis et aquis
ethnica lauta sacris.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Regem nunc virginum,
Laudemus Dominum,
Qui hanc regiam
Virginem Eustellam

Delegit primam
Xantonum patronam.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Xanctonibus claram
genuit rex Xanto puellam,

2. Protulit et prolem
nobis regina tenellam,

3. Quam Deus a toto
caram providerat aevo.

Responsoria.

1. Praedicat Eustellam
gens Xantona iure novellam
Magnificatque suam
iucundam [vere] parentem;
V. Suscipit hanc primam
concivem Xanto beatam.

2. Regium quippe vagum
mundi contempsit et omnem
Ornatum saeculi
sprevit amore Dei.
V. Credidit et vidit
Iesum, speravit, amavit.

3. Quae modo praestamus
tibi munera, summe, rogamus,
V. Nostra feras caelis
praestita vota tuis.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Hanc ut spina rosam
peperit pagana fidelem,

2. Et vocat Eustellam
mater propheta novellam,

3. Noctis digna bene
virgo bona stella vocatur.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Nocte Eustella nitet,
fidei dum prima cohaeret.

2. Praefuit et nocti,
cum Christi iussa facescit.

3. Stella praeest nocti,
caeli dum regna capescit.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Clara Deo regnat
nunc Eutropio sociata,

2. Ardet et in caelo
Xantona stella suo,

3. Raptaque amore Dei
translucet iuncta diei.

4. Resplendet famulis
ignea stella suis.

5. Offert Xantona
nova iam tibi munera, quare
Nunc tribuas nobis
dona petita tuis.

Ad Benedictus.

A. Depulit Eustellam
pater improbus urbe puellam.
Monteque mox latitat,
vigilat, ieiunat et orat.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Dum fumus arte parens
durus terretque puellam,
Eutropium scurra
lanio Xanto necat.

Brev. Xantonense imp. Pictavii 1524. — In 2. Noct. A 3, 1 Nostris digna bono. In Laud. A 5, 3 tribuis. — Die zugehörigen Hymnen: Ad Vesp. „Pangere cantica laetitiae"; ad Laud. „En orta stella Xantones."

26. De sancto Evurtio.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Signo divino
credunt cives peregrino
Omnibus in Domino
concordibus omine trino.

2. Ales caelestis
pro fratrum schismate maestis
Patribus est testis,
quia, quem Deus eligit, est is.

3. Aedes ardor edit,
praesul iubet, ignis oboedit,
Sors exstincta redit,
exstinctaque flamma recedit.

4. Signa manus subita
videt et stupet hypolevita,
Magna tribus merita,
qui speculantur ita.

5. Gentilis coetus,
infuso chrismate laetus,
Desinit esse vetus
novus in baptismate foetus.

R. Stirps Romae quondam
florens tulit hypolevitam,
Et super hunc palam
descendit spiritus almus,
V. Urbe diu vidua
pastore fit hic pater eius.

Ad Magnificat.

A. O virum ineffabilem,
Evurtium pontificem,
Cuius vita mirabilis
Praedicatur in saecula
Et gloriosus spiritus
Paradisum possidet,
Ad cuius consortium
Introducat nos Dominus.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Aeternum regem laudemus
Iesum Christum,
Qui beatum Evurtium
Ad summum
Elegit sacerdotium.

Offic. ms. Aurelianen. saec. [14. et] 15. Cod. Vatican. Regin. 623. — In 1. Vesp. **A** 2, 3 elegit. — **A** 4, 1 Digna. — **R**, 2 hypolevitem.

27. In Translatione s. Evurtii.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Felix praesul Evurtius
Exiens urbem Romanam
Transtulit se rectius
Ad plagam Aurelianam.

2. Angelus ei nuntiat
Cum splendore mirae lucis,
Ut fundamenta iaciat
Basilicae sanctae crucis.

3. Veris tempore amoeno
Hospes mundi, caeli civis
Novit aere sereno
Locum per circulum nivis.

4. Elidit idolatriam
Sancta praedicatione
Deo exhibens latriam
Sincera devotione.

5. Obitus sui praescius,
Cognoscens finem humanum,
Gloriosus Evurtius
Pronuntiat Anianum.

R. Dum refertur
sanctus ad propria,
Fit tempestas
et grandis pluvia
Providente
Dei clementia,
Ut pateret
beati gloria;
V. Sed non tangit
pluvia baiulos
Nec cum eis
euntes populos.

Ad Magnificat.

A. Magnificat miraculis
Evurtium divinitas,
Coram omnium oculis
Monstratur eius sanctitas,
Grati vultus serenitas
Et perfecta humilitas,
Carnis eius integritas,
Intellectus sagacitas,
Tantis gratiae titulis
Apparet vitae veritas.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Christum, summum regum regem,
Adoremus propitium,
Qui Aurelianum gregem
Gubernat per Evurtium.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. In malorum consilio
Evurtius non abiit,
Sed cum Dei auxilio
Mundum transiens obiit.

2. Peccatorum vincula
Fortiter rumpamus,
Ut sancti sine macula
Cum praesule vivamus.

3. Susceptor Evurtii
Fuit servator Iesus.
Qui nullius vitii
Esse legitur laesus.

Responsoria.

1. Mundum vocans
ad Dei gratiam
Exit Roma.
transit ad Africam,
Semet regens
per ignorantiam
Plurimorum
pellit tristitiam.
V. Per Dei providentiam
Sublimatur
ad praesidentiam.

2. In columbae specie
Sanctum flamen apparuit,
Coram plurium facie
Miraculum hoc claruit.
Et vox magna laetitiae
In populo personuit:
Hic est a Deo dilectus,
Hic praesul noster electus.
Sicut columba docuit.
V. Dum recessit sancta avis.
Exclamat devota ovis.

3. Datus mundo
pro mundi gloria,
Dignus laude,
dignus memoria,
Iam de hostis
gaudet victoria.
Plebi suae
dat adiutoria.
V. Cuius virtus
est tam notoria.
Daemonibus
exstat contraria.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Diligentes vanitatem
Et quaerentes mendacium
Cognoverunt veritatem
Per beatum Evurtium.

2. Scuto bonae voluntatis
In terra fuit ornatus
Et corona sanctitatis
Est in caelo coronatus.

3. Mirabile Dei nomen
Aurelianis praedicavit,
Et tunc verbi Dei semen
Multum fructificavit.

Responsoria.

1. Verbum vitae
dum pontifex profert,
Gregem suum
ab hostibus aufert,
Christicolas
idolatris praefert
Et aegrotis
sanitatem confert,
V. Tribulatis
auxilium offert,
Desolatis
laetitiam infert.

2. Dignitatis
ascendens culmina
Columba volitans
circuit agmina,
Et post plebis
multa precamina
Hunc elegit
gratia divina.
V. Cantet chorus
praesuli carmina,
Ut nobis miseris
laxentur crimina.

3. Panis vitae et intellectus
Sanctum praesulem cibavit,
Per gratiae effectus
Ecclesiam roboravit,
Malignorum defectus
Viriliter increpavit
Et bonorum effectus
Caritate inflammavit.
V. Hic iam praesul effectus
Plebis cumulat profectus,
Dum urbem sic decoravit.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Sine macula est ingressus
In Dei tabernacula,
Quia vitae suae progressus
Patuit per miracula.

2. Desiderium animae
Ei Dominus tribuit,
Quia de mundo minime,
Dum vixit, curam habuit.

3. Manum desuper immissam
Deus de nube eduxit,
Ipsi celebranti missam
Evidenter benedixit.

Responsoria.

1. Granum expulsum palea
De Romanorum horreo,
Fidei tutus galea
Et caritatis clipeo,
Caruit faece fellea
Et peccati aculeo,
Dum dulcedine mellea
Habitans Deus in eo.
V. Victo rege tartareo
Nunc in caelo empyreo
Laetanter fruitur Deo.

2. Felix praesul,
cuius solacio
Angelorum
servivit contio,

Vita eius
caruit vitio,
Assueta
Dei servitio.
V. Antistiti Evurtio
In missae sacrificio
Data est benedictio.

8. O rem miram, quam fecisti!
In processionis via,
Dum transferri meruisti,
Longum iter per bivia
Baiulos custodisti
Ab inundante pluvia,
Qui urbem protexisti
Pellendo mala gravia.
V. Qui tot signis claruisti
Per miracula pervia,
Nobis opem feras Christi
Gratia eius praevia.

Prosa.

Supernae matris gaudia
Evurtio sunt grandia,

Cum caelica melodia
Nostra sonent praecordia.

Inter noctis primordia
Et diei exordia
Decantetur psalmodia.

Quaerant nostra studia
Per huius mundi stadia
Pontificis subsidia.

Mortuis vitae subsidia,
Mutis datur facundia,

Caecis, claudis remedia,
Febris fugat excidia.

Fastus, luxus,
gula, acidia,
Cupiditas,
ira, invidia
Repelluntur
atque vecordia
Per gratiae
stillicidia.

Fratres captos
hostis perfidia,
Carcerali
clausos custodia,
Eius prece
ad Deum media
Laetos vidit
post tanta taedia.

Iesu bone, tu nos irradia,
Caritatis, praebens incendia,
Tua pia misericordia.

Spreta mentis desidia
Per brevia compendia
Tolle mentis fastidia,

Qui urbem protexisti
Pellendo mala gravia.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Evurtii magnalia
Et virtutum praeconia
Faciunt credibilia
Dei testimonia.

2. Aureliana patria
Deum laudet devotius,
Quia in Dei atria
Introivit Evurtius.

3. Os magna loquentium
Per Deum est obstructum,
Et per sanctum Evurtium
Est vulgus instructum.

4. Haec terra Aureliana
Deum verum benedicat,
Quia in aula superna
Praesul pro ea supplicat.

5. Iuvenes et senes,
Dominum laudate,
Et populi omnes,
Praesuli cantate.

Ad Benedictus.

A. [Deus] ex alto oriens
Mundum visitavit
Et in tenebris sedentes
Tunc illuminavit,
Cum pontifici beato
triumphum donavit,
Quo dono sibi collato
Gloriam intravit.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. De sede potentes
Deus deposuit,
Horum superbiam
iuste compescuit,
Pastori Evurtio
baculum praebuit,
Quo lupum inferni
in tantum terruit,
Quod a fauce eius
gregem eripuit.

R. Dum Elias curru scandit,
Pallium substernitur,
Evurtius numen pandit,
Gratum cunctis cernitur,
Sic evectus spem protendit,
Sursum per quam labitur.

V. Confert vigil praesul fortis
Vitam notas tergens mortis,
Qua pro semper fruitur.

Prosa.

1. Ore defert Noe risum
Columba, dum placat visum
Oliveti ramulo,
In praesulem prodit fusum
Evurtium sic suffusum
Virtutum ex cumulo.

2. Ignis flagrans deprimitur,
Et thesaurus exprimitur
Ad decus ecclesiae,
Mathathias ulciscitur
Et per Iudam reducitur
Opimum amasiae.

3. Fratres praeda captivatos
Ut Tobias liberatos
Reddit Dei munere,
Clipeus stat, donec tortos
Iosue terat, sic gratos
Manus pandit opere.

4. Omni die dat salutem
Animabus atque dotem
Fugans poenae sarculos,
Hic Moyses scidit fortem
Maris stillam et cohortem
Velat eius baiulos.

5. Ergo rite fibris clangit
Plebs, Evurti, dum assurgit
Cultu, qui praefigitur,
Tecum duces nunc adplaudit,
Ut protegas, manus tendit
Affectu, quo rapitur.

Offic. ms. Aurelianen. saec. 15. Cod. Vatican. Regin. 623. — In 1. Vesp. **A** 1, 4 Aurelianem. — **A** 3, 2 cives. — Ad Magn. **A**, 2 Evurtio. — Ibid. 9 gratiis. — Ad Matut. Invit. 3 Aurelianem. — In 1. Noct. **A** 3, 4 Fuisse legitur. — **R** 1, 3 Romam. — In 2. Noct. **A** 1, 3 Cognoscunt. — **R** 1, 4 ab hoste. — **R** 2, 3 und 11, je zwei Silben Überschufs. — **R** 2, 12 laxantur. — **A** 3, 1 Pane. — In 3. Noct. **A** 2, 1 sq. ei animae. — **A** 3, 2 educit. — **R** 1, 5 fesse fellea. — In Laud. Ad Ben. 5 Trina cum pontifici. — In 2. Vesp. **R**, 3 pendit. — Prosa 4, 6 lies baculus? — Ibid. 5, 5 proteges.

28. De sancta Fide.

In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

A. Ave, gemma claritatis
ad instar carbunculi.
Ave, rosa paradisi
rore fragrans balsami.
Fides alma, virgo felix,
gloriosa meritis,
Assistentes tuae laudi
caeli iunge gaudiis.

R. Virgo Fides, dilecta Deo,
lux inclita mundi,
Auxilium miseris
quae cito ferre soles,
Ad te clamantum
pie suscipe vota precantum,
Aethereo residens
solio sponso sociata.

Ad Magnificat.

A. Ad honorem atque laudem
sempiterni numinis
Celebremus diem festum
sanctae Fidis virginis,
Quae per ignem, per tormenta
calicemque sanguinis
Est adepta triumphali
bravium certaminis.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Adoremus collaudantes
Christum Dei filium,
Cuius fide virgo Fides
huius vitae stadium
Percurrendo comprehendit
immortale bravium.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Virgo Fides, generosis
edita parentibus,
Generosius effulsit
actu, verbo, moribus.

2. Haec instructa documentis
fidei catholicae
Custodivit vias duras
legis evangelicae.

3. Non est eius cor elatum
titulis natalium,
Nec attrivit decor formae
castitatis lilium.

4. Quippe vultu speciosa,
corpore iuvencula,
Mente sprevit, actu fugit
nuptiarum vincula.

5. Vultus eius et incessus
nuntiabant deforis,
Quis affectus possideret
officinas pectoris.

6. Sic in ea coruscante
bono pudicitiae
Arridebant ei simul
et virtutes aliae.

Responsoria.

1. Ex rubente rosa simul
et candente lilio
Virgo Fides coronata
vivit ex martyrio
V. Inter choros angelorum
geminato praemio.

2. Virgo stirpe supergressa
primos Agennensium

Sanctitate cumulavit
gloriam natalium,
V. Pacta secum custodire
semitas fidelium.

3. His enitens ad supremum
culmen sanctimoniae
Holocaustum fecit Deo
votum continentiae,
V. Rata crimen attrectari
florem pudicitiae.

4. Dacianus introgressus
urbem Agennensium
Christi servos et ancillas
trahit ad supplicium,
V. Immolare contemnentes
eius ad imperium.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Pectus Fidis, hortus Christi,
vernat morum floribus
Et ad flatum lenis Austri
fluit aromatibus.

2. Hoc in votis eius erat,
hoc in desiderio,
Ut perennem compararet
gloriam martyrio.

3. Aestimabat enim Christo
gratam parum virginem,
Nisi virgo propter Christum
funderetque sanguinem.

4. Audit Deus et exaudit
vota sanctae feminae,
Clarificaturus eam
proximo certamine.

5. Intrat urbem Dacianus,
furit atrox bestia,
Spondet necem christianis,
intonat supplicia.

6. Accersita primum Fides
ad tyrannum ducitur,
Immolare vel feriri
gladio praecipitur.

Responsoria.

1. Ecce, Fides evocata
clamat ante iudicem:
Christum colo, Christum testor,
omnium artificem,
V. Ut arcanum mei cordis
tibi, iudex, indicem.

2. Nihil mihi cum Diana,
nihil cum Appolline,
Quos vel appellari deos
longe sit ab homine,
V. Dii vestri manufacti
dii solo nomine.

3. Sponsa Christi contemnente
minas, preces, munera,
Tortor parat universa
tormentorum genera,
V. Iussus poenas innovare,
perscrutari viscera.

4. Ex praecepto Daciani
carnifex congreditur,
Cratem profert, subtus carbo,
super virgo ponitur,
V. Nihil ille praetermittens
ex his, quae praecipitur.

In 3. Nocturno.

Responsoria.

1. Tortor furens fovet ignem,
flamma surgit altius,
Rupta cute vis ardoris
penetrat interius,
V. Dum carbones et aes candens
vulnerant exterius.

2. Nuntiatur Daciano
virginis constantia,

Quam non flectunt sed nec terrent,
minae vel supplicia,
V. Iubet ergo, capitalis
puniat sententia.

3. Ducta Fides ad delubra
cum tribus iuvenibus,
Quia nolunt immolare,
feriuntur ensibus,
V. Uno corde, pari voce
spretis deum cultibus.

4. O coruscans in superno
lapis aedificio,
Virgo martyr, laureata
mixto rosae lilio,
Tua nobis apud Christum
assit intercessio,
V. Quo conscribi mereamur
in caeli palatio.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Dum in crate pateretur
virgo pro iustitia,
Certis signis agonistae
claruit victoria.

2. Nam columba de supernis
visa est descendere
Coronamque super caput
ustulatae ponere.

3. Ignis visus est extingui,
rore Fides ablui
Redditaque sanitati
vestem albam indui.

4. Ista mente contemplatus
sanctus vir Caprasius
Coronandam passione
Fidem novit certius.

5. Mox et visu roboratus
in tanto certamine
Post tormenta decollatur
pariter cum virgine.

Ad Benedictus.

A. O Fides Deo devota,
o athletae strenui,
Quibus est collatum morte
vita superindui,
Mementote subvenire
devoto conventui,
Quo vobiscum mereamur
summo bono perfrui.

R. O beata et
venerabilis virgo,
Fides vocata,
Quaesumus, tuo
interventu dilue
nostra peccata.
V. Sponsa Dei egregia,
In caelesti palatio
Diademate gemino
Laureata.

Prosa.

O Fides virgo, in caelo
iuncta sponso inclito,
Illius dono aeterne
Congaudens in thalamo
Collegio praeclaro
Angelorum socio,
Nunc ideo devoto
Corde praesens contio
Conclamat Domino:
dilue nostra peccata.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O beata, quae iam sponsum
virginum complecteris,
Iam, quocunque vadit agnus,
agnum virgo sequeris,
Fac orando, ne tradamur
ignibus tartareis,
Cum frumentum iustus iudex
dividet a paleis.

Pass. ms. S. Fidis Conchen. saec. 11. ex. Cod. Selestadien. 95 (1187) add. saec. 13. A. — Brev. Lascurrense imp. Lascurris 1545 (reimpr. 1891). B. — In 1. Vesp. A super Ps. fehlt B. — R Nuntiatur Daciano etc. — R 2

Noct. 3. — Ad Magn. **A**, 7 Adepta est B. — In 1. Noct. **A** 5, 1 Cultus eius B. — In 2. Noct. **A** 1, 2 vernans. B. — **A** 1, 4 fluens B. — **A** 3, 4 funderet et B. — **AA** 4—6 ad Primam, Tertiam, Sextam B. — **R** 1, 6 iudex nuntiem B. — **R** 2, 3 vel opinari B. — In 3. Noct. **RR** 3 und 4 fehlen B. — In Laud. **A** 3, 4 albam vestem B. — **A** 5, 1 Mox his visis roboratur B. — **A** 5, 2 et exemplo feminae B. — Ad Bened. **A**, 1 O felices Christi testes B. — Ibid. 2 et athletae B. — **R** und Prosa fehlen B. — In 2. Vesp. Ad Magn. **A**, 2 virginem B. — Bei diesen Abweichungen sind jene Umstellungen unerwähnt geblieben, die notwendig wurden, weil B das Officium in nichtmonastischer Form bietet. — Das Officium unvollständig nach Mone schon XXVI, 32 ff. Die Gründe ebenda. Inzwischen konnte Blume die Hs. in Schlettstadt selbst benützen. Ediert auch von Dr. Bouret in seiner Histoire de sainte Foy par l'abbé Servières. 4. ed. Rodez 1879, unter dem Titel „Proses„ mit dem Vermerk: „Les lettres Evovae qui terminent la plupart des strophes étaient probablement l'intonation de quelque psaume, qui se chantait peutêtre après ces strophes. Ces longues proses servaient à tromper la longueur des veilles sacrées, au pied de la statue de St. Foy.“ Was die Vokale evovae am Schlusse von Antiphonen bedeuten, sollte füglich jeder wissen, der sich mit liturgischen Dingen glaubt befassen zu dürfen. Dieselben haben aber in der Literatur schon unglaublichen Gallimathias zutage gefördert.

29. De sancto Firmina.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Firmina virgo,
   virtutis speculum,
   Transit felix
   ad caeli solium,
   Cuius prece
   coetus fidelium
   Summi regis
   intret in gaudium.

2. Opus Firmina
   fecit mirificum
   Ad lucem de tenebris
   revocans impium
   Elimpiadem,
   convertens ad Dominum.

3. Manus, quam levat impius
   Stetit immobilis,
   Adflictus clamans caelitus
   Liberatur virginis precibus
   Et sic pro fide moritur.

4. O quam magnum miraculum!
   Flatu confringens idolum,
   In lutumque convertitur,
   Sic error vincitur.

5. Post tot magna miracula
   Tantaque dira martyria
   Crinibus virgo suspenditur,
   Rogus adhibitur
   Et sic felix
   caelum ingreditur.

Ad Magnificat.

A. Gaude, Roma,
   ditata gloria,
   Tot sanctorum
   agens sollemnia,
   Gaude tota
   de rosa rubea,
   Qua ditatur
   felix Amelia,
   Quam tu profers,
   vivit in saecula.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Christum, regem gloriae,
omnes adoremus,
In honorem virginis
ipsi iubilemus.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Praefecti genere
rosa progreditur,
Cuius odor
per mundum spargitur.

2. Mundum fugit
spernens illicita,
Deum pulsat
prece mirifica.

3. Haec constanter
tyrannum superat,
Dum ferventer
fidem annuntiat.

Responsoria.

1. Mundum calcat sub pedibus
Romam derelinquens,
Deserta loca transmeat
obsequiis insistens.
V. Mentis servans munditiam,
carnis virginitatem,
Deo servire studuit
per morum honestatem.

2. Virgo, pugil Christi,
virtutum forma fuisti,
Dum pro fide Christi
coronari meruisti;
V. Fulgida stella maris,
nos protege, nos tuearis.

3. Dum Firmina gressum figit
in Christo, stat fortiter,
Fidem tenet, non mollitur
resistens viriliter.
Iudex furit nec timetur,
dum sperat sublimiter.
V. Haec blandimenta respuens
iudicem despexit,
In Christo sponso glorians,
quem multum dilexit.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Dum iniusti
lacertus tenditur,
Riget statim,
nequaquam flectitur.

2. Orat firma
Firmina dulciter,
Relaxatur
Lacertus iugiter.

3. Stupet iudex,
statim convertitur.
Fidem tenens
pro fide moritur.

Responsoria.

1. Nobilis est genere
praefectorum alumna,
Gentem devicit perfidam-
que nimis furibundam
Coronam lucrans gloriae
pretiose iucundam.
V. Haec convertit praesidem
Secumque traxit iudicem
Ad gloriam caelorum.

2. Virgo flagellatur,
suspenditur et cruciatur,
A Christo iuvatur
nec flagellis superatur.
V. Stat constanter pugil fortis.
Fidem tenet hora mortis.
Dum pro Christo patitur.

3. Dum orantis
devota carmina
Caeli petunt
alta sublimia,
Mox redduntur
stupida brachia
Iam fideli.
V. Adflictus verbere,
Promittit credere,
Redditur sanitas.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Dum imago devastatur,
Virtus Christi demonstratur
Flatu sanctae virginis.

2. Stupent omnes et mirantur,
Laudes Christo decantantur
Immenso prodigio.

3. Cum Firmina verberatur,
Amor Christi inflammatur,
Nec terretur verbere.

Responsoria.

1. Verbum Christi
dum palam promitur,
Multitudo
magna convertitur.
Iudex furit,
mina contemnitur
Nec timetur.
V. Vix flagelli
amore vincitur,
Dum in Christo
Firmina figitur.

2. Deos exprobrat,
statua frangitur,
Dum Firminae
flatu contingitur,
Stupent omnes,
fides extollitur;
Sic error vincitur.
V. Firma, [virgo],
fortis in agmine!
Verba profert
virtutis nimiae.

3. O, quam magna
virtus ostenditur,
Dum Firmina
crine suspenditur,
Stat invicta,
sic tamen moritur.
Alleluia.
V. Virgo sancta,
commenda Domino,
Qui te laudant
devoto cantico.

Ad Laudes.

Antiphonae.

1. Adest dies laetitiae,
Qua rosa delicata
Offertur regi gloriae
Deliciis ornata.

2. Haec corona duplici
In caelis coronatur
Et virtute multiplici
In terris comprobatur.

3. Nobilis es genere,
Firmina, virgo Christi,
Non superaris verbere
Inimicum vicisti.

4. Carnem adflixit iugiter
Ieiuniis vacando,
Fidem defendit fortiter
Pro Christo moriendo.

5. Castitatis lilium
Suspenditur per crines,
Gloriatur nimium
Tendens in sublimes.

Ad Benedictus.

A. Ave, virgo speciosa,
Gemmae iubar, florens rosa,
Stella splendens virtuosa,
Nos conserva iugiter.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O speculum munditiae,
Summi vas honoris,
Virginitatis lilium
Mirifici candoris,
Translata es cum gloria
In supernis choris.

Brev. ms. Franciscano-Romanum (Amerinum) saec. 14. in. Cod. Vatic. 10000. — In 3. Noct. R 1, 6 minas concetitur. — Ad Laud. A 5, 3 Glorias eximium. — Hierzu die Hymnen: Ad Vesp. Agmina sacra: ad Laud. Almae virginis.

30. In Octava s. Floriani.

In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

1. Laeta psalle Noria,
Sublimata gloria
Advocati nobilis,
Floriani martyris.

2. Sacra cuius passione
In caelesti regione
Es effecta celebris,
Terris honorabilis.

3. Principatum regiae
Tenens hic militiae
Strenue regebat,
Stemmate pollebat.

4. Famulorum multitudo,
Rerum simul amplitudo
Sanctum Dei vallaverunt
Et insignem effecerunt.

5. Licet apex saecularis
Hunc ornaret singularis,
Tamen spes in Christo fuit,
Quem secrete coluit.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Adoremus florem florum,
Floriano qui bonorum
Sortem dedit aeternorum.

In 1. Nocturno.

Super Psalmos.

A. Iste sanctus impiorum
Respuit consilium,
Dum contempsit idolorum
Stultum sacrificium.

Responsoria.

2. Aquilinus Noricorum
Fines tunc intraverat,
Quem ferina mens duorum
Regum destinaverat
Christianos indagare
Et repertos exstirpare.
V. Omnes gentes fremuerunt,
Reges terrae convenerunt.

3. Christi mox idoneus
Tiro, cum ultroneus
Fidem suam profitetur,
A profanis detinetur;
V. Ut agnus obmutuit
Nec se capi veruit.

In 2. Nocturno.

Super Psalmos.

A. Scuto bonae voluntatis
Martyr sanctus coronatur,
Dum caducis refutatis
Diris uncis laceratur.

Responsoria.

1. Praeses in dementiam
Versus ob constantiam
Christum profitentis,
Iubet hunc crudelibus
Torqueri verberibus,
Arrisit tormentis.
V. Paratus in gaudio
Pro Christo incendio.

2. Martyr tandem pretiosus,
Diis profanis odiosus,
Ferreis est ungulis
Laceratus scapulis;
V. Ferri cernens aciem
Non avertit faciem.

In 3. Nocturno.

Super Psalmos.

A. Caro fluvium proiecta
Requievit spe secura,
Supra petram dum evecta
Conservatur avis cura.

Responsoria.

1. Ales missa caelitus
Sanctum obumbravit,
Aquilini penitus
Ausum confutavit,
Signum crucis dum expressit,
Tortor sperni quod suggessit.
V. Omnes volucres pennatae,
Nomen Dei collaudate.

2. Sanctus ut Valeriae
Se monstrat humandum,
Cernitur ut hodie,
Bubus ad potandum
Fons scatet ducentibus
Corpus venerandum;
V. Aegris salus redditur,
Dum sepulturae traditur.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Christus fortitudine
Cinxit Florianum,
Dum vicit certamine
Saevientis manum.

2. Exsultando iubilemus,
Hunc patronum quod habemus
Erga Deum, cum quo vivit,
Portas cuius introivit.

3. Supra petram reclinatus
Florianus, vir beatus,
Sub alarum velamento
Gaudens non est motus vento.

4. In caelesti firmamento
Sis benedictus, Domine,
Tribuisti qui iumento
Potum novo flumine.

5. Salvatorem omnium
Laudemus de caelis,
Cuius per suffragium
De hoste fidelis
Agonista triumphavit,
Idola dum refutavit.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Miles Dei, Floriane,
Lucis flos meridianae,
Aestu pulso nos carnali
Fonte pota spiritali.

Brev. ms. S. Floriani saec. 14. Cod. Florian. XI 916. — In 1. Vesp. **A** 3, 2 Sedens hic militiae. — In 2. Noct. **R** 1, 8 Dari pro Christo. — In 3. Noct. **R** 1, 8 Nomen Domini. — **R** 2, 8 lies sepulcro? — Die fehlenden Teile: In 1. Vesp. ad Magn. **A**. In 1. Noct. R 1, in 2 et 3 Noct. R 3, In Laud. Ad Bened. **A** sind dem Festoffic. Anal. XXVI, 37 ff. entlehnt.

31. De sancto Galectorio.

In 1. Vesperis.

R. Sanctus Galectorius.
Praesul Lascurrensis,
Orabat devotius
Manibus protensis,
Dum saevit protervius
Rex Vuandalensis.
V. Felix, quem non gladius
Terret, sed in melius
Ictus mutat ensis.

Ad Magnificat.

A. Beatus Galectorius
Cum corona victoriae,
Praesul, martyr egregius,
Suscepit thronum gloriae;
Cum magis trino munere
Protestans verbis, opere
Deum regem in homine
Iesu, nato de virgine.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Regem, qui regit omnia,
Saecula venerantur,
Cum praesulis sollemnia
Lascurris celebrantur.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Beatus Galectorius,
Vir fortis, norma morum,
Non abiit ut impius
In via peccatorum.

2. Deo servit Vasconia,
Gens Gota facit peius
Prae ceteris iniuriam
Adversus Christum eius.

3. Fide propugnat comminus,
Preces fundit ad Deum
Exclamans: Tu es Dominus
Exaltans caput meum.

Responsoria.

1. Romanorum imperium
Non ferens gens Gotorum
Regem praefecit proprium,
Fines Italicorum
Transit, ad hemisphaerium
Pervenit Gallicorum.
V. Beatum Galectorium,
Praesulem Lascurrensium,
Rumor pulsat eorum.

2. Dum iteratis vicibus
Pago Burdegalensi
Damna darent Vasconibus
Goti graves, immensi,
Enarratur a pluribus
Praesuli Lascurrensi,
V. Quod Gotis profanantibus
Offeruntur altaribus
Loco faeces incensi.

3. Beatus Galectorius,
Vir mirae probitatis,
Devotus, benignus, pius,
Excelsae sanctitatis,
Compatitur profundius
Vasconibus gravatis.
V. Fide plenus ferventius
Ceteris fit contrarius
Gotis malis armatis.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Lascurrensis ecclesiae
Gregem cum gubernaret,
Favit Deus iustitiae,
Ipsum cum invocaret.

2. Clamat orationibus
Sanctus non mente rea:
Domine, piis auribus
Percipe verba mea.

3. Deo fit acceptabile,
Quod hic fecit in guerra,
Cuius nomen mirabile
In universa terra.

Responsoria.

1. Mente gestans et corpore
Signum crucis vivificae
Servus aeterni regis,
Cruce signat pro tempore,
Memor mortis dominicae,
Agmen commissi gregis
V. Gotorum spreto robore,
Quos invadit magnifice
Zelo succensus legis.

2. Agmina Bearnensium
Beatus Galectorius
Sermonibus movebat,
Contra turbas Gotensium
Velut primipilorius
Armatus praecedebat,
V. Neque mortem nec gladium
Vel, si quid est acerbius,
Pro Christo metuebat.

3. Dei magnificentiam
Intendens et victoriam
Contra Gotos pugnabat,
Currens per patientam
Ad martyrii gloriam
Ictus plagas portabat;
V. Sanctus propter iustitiam
Liber transit ad patriam,
Pro qua vivens certabat.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Hic Christi miles ceteros
Praeivit hostes vivens,
Morte transit ad superos
In Domino confidens.

2. Verbi divini pabulo
Subditos recreabat,
In Dei tabernaculo
Devotus habitabat.

3. Multis potens miraculis,
Providens de salute,
Iuva nos in periculis
Domini in virtute.

Responsoria.

1. Carnis vitam
contemnens penitus,
Caelo sanctus
praevidens spiritus,
Ad aethera
vocatur caelitus
Repromissa
sibi divinitus.
V. Intrat aulam summi regis
Pastor gregis, praeco legis.

2. Beatus Galectorius,
Lascurrensis ecclesiae
Praesul et pater patriae,
Vir futurorum praescius,
Mortem subit iucundius
Amore verae gloriae.
V. Hic cum laude victoriae
Reportatus decentius
Adoratur devotius
Altari sedis propriae.

3. Per huius sancti merita
Sanitatis remedia
Dominum operari
Sanata probant capita
Plebisque testimonia,
Quae non decet celari.
V. Salus sic mihi tradita
Me veritate praevia
Docet testificari.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Beatus Gallectorius,
Praesul Lascurrensis pius,
Tantum Christum amavit,

Quod ad caelum iucundius
Morte transit et fortius,
Quo Dominus regnavit.

2. In acerbi martyrii
Beati Gallectorii
Sancta sollemnitate
Sicut laetantes filii
Psalmis, hymnis officii
Domino iubilate.

3. Deus, qui sanctis omnibus
Mortem pro te ferentibus
Das exemplum in cruce,
Fons vitae sitientibus,
Lux ad te vigilantibus
Ostenderis de luce.

4. Caeli, terraeque marium
Facturae rerum omnium
Benedicant factorem,
Qui genti Bearnensium
Beatum Galectorium
Dat patrem et pastorem.

5. Laboris confirmatio,
Honoris retributio
Fit cum felicitate
Alto caeli palatio
Beato Galectorio,
Cur Dominum laudate.

Ad Benedictus.

A. Sancte Galectori,
patriae lux, praesul, adesto
Sic precibus nostris
adiutor tempore praesto,
Quod pulsis culpis
laetemur perpete festo.

Per Horas.

Ad Primam.

A. Deus, in cuius nomine
Beato Galectorio
Salus et vita datur,
Per ducat nos in lumine
Cum numero ternario,
Quo Iesus adoratur.

Ad Tertiam.

A. Legem in corde posuit
Dei, quam facto tenuit,
In qua iustificatur.
Beatus Galectorius
Praesul, martyr egregius,
Pro qua martyrizatur.

Ad Sextam.

A. Defecit vita corporis
Huius mensura temporis
Laboreque dolore,
Decapitantis gladii
Coronam cepit bravii
Plenam felicitate.

Ad Nonam.

A. Multa sunt mirabilia
Multaque testimonia
Eximiae virtutis,
Beato Galectorio
Praestante patrocinio
Donum adest salutis.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Gaude, Lascurris civitas,
Tanti patris reliquiis
Decorata miraculis,
In populis ut veritas
Protestetur, quod sanctitas
Beati Galectorii
Sit sequenda vestigiis
Amore summi praemii.

Brev. Lascurrense imp. Lascurris 1541 (reimpr. Pau 1891). — In 1. Noct. A 3, 1 propugnat quominus. — R 1, 4 Italiorum. — In 3. Noct. R 1, 3 Caelo scitum. — R 3, 6 Amore vitae gloriae. — R 2, 8 arreportatus die decentius. — In Laud. A 3, 2 pro te fruentibus. — Von diesen Irrtümern scheinen einige auf Rechnung des Neudrucks zu kommen. — Die zum Officium gehörigen Hymnen siehe Anal. XLIII, 148.

32. De sancto Galgano.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Laetetur plebs fidelium,
Ad sanctorum consortium
Galganus scandit inclitus,
Omni virtute praeditus.

2. Exortus in provincia
Castro Clusdino Tusciae,
Proavorum prosapia
Spectabilis progenie.

3. In annis puerilibus
Satis effrenis moribus,
Instruitur angelica
Visione mirifica.

4. Princeps caelestis patriae,
Michael visu adfuit,
Sumat novae militiae
Signa, Galganum monuit.

Ad Magnificat.

A. Magnificat prae ceteris
Virtutibus innumeris
Galganum sanctum deitas
Per gratiam praeveniens,
In eadem stabiliens,
Coronans per gloriam;
Per quem nobis veniam
Praestet beata trinitas.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Regem laudemus aeternum,
Qui sancto Galgano regnum
Dedit in caelo supernum.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Beatus evangelicam
Legem meditatur,
Quae per doctrinam caelicam
Sibi demonstratur.

2. Quare mundialia
Vana cuncta sprevit,
Qui sola caelestia
Quaerere decrevit.

3. Cum invocarem Dominum,
Ait sanctus, iustitiae,
Vitare turbam hominum
Docet vanae militiae.

4. Verba mea, Domine,
Percipe praecantis,
Viam tuo lumine
Dirigens errantis.

5. Domine, mirabilem
Tenens principatum,
Da, ut vincam terribilem
Daemonis conatum.

6. In Domino fiduciam
Totam hic iactavit,
Qui carnis immunditiam
Vere declinavit.

Responsoria.

1. Aperit matri filius
Secreta visionis,
Quae reseravit nuntius
Caelestis regionis.

Quam mente volvens tacite
Mater respondit concite:
Immensum tibi gaudium
Figurat hoc praesagium.
V. Christus Dei filius
Galganum specialius
Suum vocat per nuntium.

2. Archangelus apparuit
Iteratoque monuit
Galganum, se sequatur,
Ad flumen magnum veniunt.
Molendinum conspiciunt,
Quod ibi rotabatur,
V. Decursus praesentium
Mundanorum fragilium
Illo figurabatur.

3. Transacto ponte fluvii
Pratum florum reperiunt
Odoris mirifici,
Ascendunt montem Sepii,
Domum ipsi conspiciunt
Caetus [archangelici];
V. Erat domus haec rotunda.
Ubi turba stat iucunda
Senatus magnifici.

4. Librum iubetur tollere,
Versiculum hunc legere,
Literas qui ignoravit:
In potentias intravit
Divini memor nominis;
V. Imaginem speciosam,
Quam cognovit gloriosam,
Vidit Dei et hominis.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Domine, sine macula
Ingreditur possessor
In tua tabernacula
Tuus hic confessor.

2. Domine, laetabitur
In virtute tua
Sanctus, qui servabitur
In puritate sua.

3. Domini est gratia
Regnum praeparatum,
Qui servat innocentia
Cor immaculatum.

4. Exaudi orationem
Meam, Deus, qua deprecor.
Patefac sanationem,
Pro qua confracta tribulor.

5. Te decet hymnus hodie
Galgani vocem audiens,
Rex aeternae gloriae.
Fractum ensem reficiens.

6. Bonum tibi confiteri,
Creatori omnium,
Cui semper misereri
Fuit et est proprium.

Responsoria.

1. Dum ad castrum Civitellae
Pergit, equus stans in via
Prope castrum Ligriani
Contradicit suo velle;
Motus orat voce pia:
Deus, dirige Galganum,
V. Primum Adam qui plasmasti.
Mihi quoque demonstrasti
Spernere hunc mundum vanum.

2. Prece fletu terminata
Equus motu proprio
Pergit condenso nemore
Sistens in monte Sepii.
Ubi manet fixa spata
Per cum omni tempore.
V. Vera crux ense signatur,
Quae per sanctum honoratur
Mortificato corpore.

3. Herbis famem refocillans,
Aquae siti non vacillans
Perseverat fortiter,
Satan saevit acriter
In Galganum exsiliens;
V. Daemon terrere cupiens,
Orantem venit iaciens
Trabem ignis, post fugiens.

4. Fama latere cupiens
Sanctus micans virtutibus,
Diffunditur in Tuscia,
Mulieres post veniunt
De Aretii partibus
Cum maxima fiducia;
V. Manu contractam puellam
Ad ipsius ductam cellam
Sanat Dei gratia.
Cum gloria.

In 3. Nocturno.

Ad Cantica.

A. Beatus solitarie
Vitae Galganus studuit,
Non thesauris pecuniae
Spem suam unquam posuit

Responsoria.

1. Apostolorum limina,
Qui sunt mundi lumina,
Visit pro indulgentia,
Dum fit absens, aliquorum
Corda fremunt malignorum
Pro pessima invidia;
V. Hos ad locum accedentes,
Ensem fractum relinquentes
Dei ferit sententia.

2. Cum sic Romae perseverat,
Haec per visum asserebat
Sibi caelestis nuntius;
Dolens cogitur redire,
Ubi meretur audire:
Ne adeas ulterius!
V. Pars fracta dum reponitur,
Spatae fractae reficitur
Ensis auditque citius.

3. Construxit cellulam
Galganus parvulam
De lignis humilem,
Rotundam, similem
Ei, quae cernitur
V. In montis culmine,
Caelesti numine
Talis ostenditur.

4. Sacris dum vacat studiis,
Continuis vigiliis,
Luce missa caelitus
Vox clamat divinitus:
Satis est, quod laborasti,
Mete nunc, qod seminasti.
V. Corpus inane linquitur,
Anima caelo rapitur,
Galgano dum sic dicitur.

In Laudibus.

Super Psalmos.

A. Laudes reddit sanus factus
Puer parvulus, contractus
Manibus atque pedibus,
Sancti Galgani precibus.

Ad Benedictus.

A. Benedictus es, Domine,
Qui reparas in homine
Angelicum excidium,
Galganum vana spernere.
Te solum Deum quaerere
Tuorum docens praemium.

Per Horas.

Ad Primam.

A. Reddens vitae puerum
Demersum in fluvio
Solatur patrem miserum
Suo patrocinio.

Ad Tertiam.

A. Clausus exit e carcere.
Fugit ab ergastulo
Sancti Dei munere
Liber a periculo.

Ad Sextam.

A. Religatum in catenis
Visu sanctus eripuit,
Liberum a diris poenis
Suis eum restituit.

Ad Nonam.

A. Quasi omnis gratiae
Dono invocatus
Cuidam custodiam
Reserat beatus.

In 2. Vesperis.

Antiphonae.

1. Sancti mirabilia
Canamus multiplicia,
Privatum cunctis sensibus
Suis reddidit usibus.

2. Visitans sancti limina
Contracta manu femina
Cum sanitatis gratia
Laeta redit ad propria.

3. Vexatam a daemonio
Mulierem septennio.
Latam in oratorio,
Suo curat suffragio.

4. Leprosus, sui similem
Cerae ferens imaginem,
Curatus agit gratias
Sancto Galgano nimias.

Ad Magnificat.

A. Magnificat miraculis
[Sanctum] coram oculis
Dominus cernentium,
Capitis servans decorem
Devotorum ad honorem
Sibi famulantium,
Per ipsum languentibus
Cunctis se petentibus
Dans salutis gaudium.

(Off. ms. Faustae de Beccarinis in Monast. Visit. S. M. V. Ord. Cist.) saec. 16. Cod. Senen. F VI 22.

33. In Translatione s. Gengulphi.

Ad Magnificat.

A. Recolenda gloriosi
Gengulphi praeconia
Pro voto hunc| personando
celebrat ecclesia,
Cui congaudet in excelsis
angelorum curia,
Coronato post agonem
triumphali gloria.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Contio nostra Deo
iubilans pia vota rependat,
Per quem martyrio
Gengulphus in axe coruscat.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Beatus vir insignitus
clara stirpe germinis,
Tamquam lignum vitae florens
in decursu fluminis,
Fructum dedit ante Deum
pretiosi sanguinis.

2. Disciplinam apprehendens
puritatis animo

Serviebat vir beatus
in timore Domino,
Pro quo tandem mortem tulit
felici martyrio.

3. Adversantes vicit hostes
circumdantis populi
Et contrivit peccatorum
dentes scuto fidei,
Coronandus inter choros
senatus aetherei.

Responsoria.

1. Gloria lausque Deo
per saecula cuncta resultet,
Per quem sancta Sion
victrici pignore gaudet,
Dum sic martyrii
numerosa prole refulget.
V. Quam specialis amor
matris pia viscera complet!

2. Gengulphus martyr
titulis insignis avorum,
Stemmate reque potens
et culmine fretus honorum,
Dulce decus generis
compsit dulcedine morum,
V. Pro Christo patiens
certamina dura laborum.

3. Lingonis urbs felix
divinum nacta virorem,
Parturiens roseum
viridi de caespite florem,
Gengulphi meritis
dignum diffudit odorem,
V. Sicut fructifera
produxit oliva saporem.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Invocavit Deum suum
amator iustitiae,
Ut ab illo procul pellens
maerorem tristitiae
Vultum eius consignaret
splendore laetitiae.

2. Scuto bonae voluntatis
in agone praeditus,
Linguam nequam et dolosam
nihil prorsus veritus,
Operantes vanitatem
vicit martyr inclitus.

3. Iustum sanctus se confidens
habiturum iudicem
Procellosum peccatorum
devitando calicem
Transmigrabat gloriosus
ad virtutum apicem.

Responsoria.

1. Dux venerandus emit
collato munere fontem,
Utque viri sancti
fieret memorabile nomen,
Transtulit externam
pius hunc Deus in regionem;
V. Servat adhuc veterem
laticis fons ille colorem.

2. Dum solito more
regis dormiret in aula,
Ne Domini servum
vexaret nox tenebrosa,
Caelitus accendi
meruit deiecta lucerna;
V. Rex stupuit mirans,
quia ter virtute superna.

3. Martyr et athleta
fidei fervendo calore
Terrea contemnens
vitae caelestis amore
Fulget in excelsis
celebri Gengulphus honore,
V. Martyrii roseo
radians super astra cruore.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Montis Dei semper optans
sanctus heres fieri
Et caelestis habitator
esse tabernaculi
Totis votis affectabat
coronam martyrii.

2. Magna satis ante Deum
beatorum gloria,
Qui coronat decertantes
felici victoria.
Vitam praestans longiorem
per aeterna saecula.

3. Quam beatus, qui in vanum
non accepit animam,
Mundo corde, pura manu
servans innocentiam!
Hic salutem obtinebit
et misericordiam.

Responsoria.

1. Coniugis incestae
potuit nudare reatus
Frigidus in fonte
lapis a duce sanctificatus,
Dum cute detracta
digitis cadit ungnis abactus;
V. Terribilis Deus hic
districtius est operatus.

2. Miles Christi gloriose,
Gengulphe sanctissime,
tuo pio interventu
Culpas nostras ablue,
V. ut caelestis regni sedes
Valeamus scandere.

3. O quam mira Dei
pietas virtusque refulget,
Per quem Gengulphus
signorum iubare splendet;
Arcet enim febres,
requiem dat daemoniosis,
Praecipue piat hos,
quos pestifer inficit ignis;
V. Omnibus optatae
donat pia vota salutis

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Triumphali fine sanctus
translatus ad aethera.
Sicut crebra incessanter
protestantur opera,
Claris signis illustratur
post beata funera.

2. Dum Gerardus praesul sacra
Tullum defert pignora,
Fragor venti ter extinxit
cerae luminaria,
Sed haec Deus reparavit
propter sancti merita.

3. Caecus supplex [est] prostratus
in beato limine
Et post Christum invocato
sancti viri nomine
Sospitatem est adeptus
reparato lumine.

4. Captus quidam vir evadens
templum sancti subiit.
Quem perversae mentis homo
extra templum reppulit.
Unde reus mox a terra
absorptus interiit.

5. Iam veterno lapsu pendens
ruebat maceria.
Quam sic pronam diu fixit
viri Dei gratia.
Donec plebis procedentis
pertransirent agmina

Ad Benedictus.

A. Tua, Christe, sunt ubique
laudanda miracula,

Qui in sanctis gloriosus
facis mirabilia,
Tu es, Deus, benedictus
per aeterna saecula.

Brev. Tullense imp. Mussiponti 1595. — In 1. Noct. A 2, 4 Domini. —

34. De sancto Gaudioso.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Sedenti super cathedra
Exsultet cum ecclesia
Populus clamore,
Agens laeta sollemnia
Et iubila praeconia
Plena devotione.

2. Lux exorta rutila,
Cum sacra carnis germina
Pullulant splendore,
Sicque doctrina varia
Cumulat suspiria
Fervida amore.

3. Rosam rubentem obtulit
Finiens per incendium
Vitam Christo, cui credidit,
Et puritatis lilium.

4. Agmina prae ceteris
Laudent Salernitana
Pro tanti patris culmine
Voce cotidiana.

Ad Magnificat.

A. O stupor, o gaudium,
O dator caecis luminum,
O claudis gressum praevium,
Miserorum auriga,
Consors existens superum,
Specta praesens exsilium
Et lacrimarum gemitum,
Egentium quadriga.
Fuisti pastus pauperum,
Saginatio inopum,
Abiectorum solacium
Et daemonum pedica,
Ad devotum collegium
Converte mentis oculum
Et pietatis viscera,
Nos Christo mente dica.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Hic vir anachoriticae
Perfectionis forma,
Contionis ierarchicae
Micuit quasi norma.

2. Excelsi dextra copiam
Charismatum effudit,
Mentis intellegentiam
Per saecula diffudit.

3. Mansuescit humiliter,
Dum Christum imitatur,
Celso throno sublimiter
Patribus sociatur.

4. Pertractum ad altaria
Sedule celebrantem
Laeva monstrat taeterrima
De caelis acceptantem.

5. Iam liber manu mutila
Fervet devotione,
Dextera fulva rutilat
In consecratione.

6. Ductus ad sacrificium
Per angelum monetur,
Ut sacrum ministerium
Assensus celebretur.

Responsoria.

1. Produxit auctor omnium
De stirpe puellari
Mirum clare praeludium
De genere regali,
Habet tenellum vasculum
Sanctitate mentali;
V. Paci iunctum amabili
Orbi monstrat vertibili
Lucem et divinali.

2. Leprosum illum sordidum,
Putri caduco corpore
Qui carne defluebat,
Factum mundi spectaculum
Abstersa cutis sanie
Saliva liniebat;
V. Sanat perfecte languidum
Omni propulso vulnere,
Dum ipsum abstergebat.

3. Optata sapientia
Venit per abstinentiam
Ingentis Salomonis,
Spernit et refulgentiam,
Orbicularem gloriam
Imaginis decoris,
V. Carnem mundumque conterens,
Vectem nudatam deferens
Tractu devotionis.

4. Mundi contemptor exstitit
Culmen indignum suscipere
Se fatur subditorum,
Quem praesul grate recipit.
Verbo salutis adfluit
In ordine polorum,
V. Gemens alta suspiria
Multiplicat, oracula
Cum pilis camelorum.

Saccum plenum pecunia
Ostendit distributum.

2. Panem salutis attulit
Famelicis ac stratis.
Angelus lucis obtulit
Sacculum pietatis.

3. Ut novis alimoniis
Cessavit famis pestis.
Suffecit clemosynis
Saccus ille caelestis.

4. Audit hoc sanctissimus
Pietatis custos.
Sed agit promptissimus.
Consolatur maestos.

5. Trahe nos ad sidera,
Pater invocate.
Cordis desideria
Replens bonitate.

6. Ponit in caelestibus.
Sed non in pertusum.
Quod datur pauperibus
Per numen diffusum.

Responsoria.

1. Gaudiosus in publicum
Verba vitae serendo,
Factus praeco caelestium
Populum admonendo,
Stabat ad puerperium
Mulier pariendo,
V. Supplevit lumen caelicum
Flagrans mentis incendium
Sic distans audiendo.

2. Leprosis praestat oscula.
Irradiata plantula
Servit et sauciatis.
Frangit domat[que] vitia.
Auget superna opera
Indagine claritatis;
V. Sidus clarum emicuit,
Procul sermo insonuit
Apice veritatis.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Cor pietatis gratia
Ad plene delibutum

3. Functus gradu authentico,
Vultu nitens angelico
In veste pastorali,
Spreto pravo consortio
Oves redimit otio
Cultro pontificali.
V. Mulierum munuscula
Fugit et eius oscula
Pro vita virginali.

4. Cibum flexis proplitibus
Assidue pauperibus
Non cessat ministrare.
Sicque praelatus altius
Humilitatis actibus
Nitet in praedicare,
V. Quam summi patris filius
Peroptat sed in melius
Pro cunctis laborare.

In 3. Nocturno.

Ad Cantica.

A. Vernat in miraculis,
Dum esset viator,
Nunc profundit singulis
Sistens contemplator.

Responsoria.

1. Cum sinistram purrissimam
Mulier osculatur,
Extunc per noxam flammeam
Sancti mens titillatur,
Capit cum dextra rompheam,
Sinistra resecatur.
V. Manum illam obnoxiam
Per vocem evangelicam
Tollit, dum stimulatur.

2. Dum sanctus hic ut mutilus
Desiit celebrare,
Insolitum hoc populus
Coeperat mussitare,
Sed latens mentis gemitus
Pavebat revelare,
V. Cum manum nigram angelus
Ferens missus caelitus
Iubet sacrificare.

3. Draco ille teterrimus,
Qui virus fundens noxius
Omnem hanc regionem
Vastabat ferus pessimus,
Flatu necans pestiferus,
Vomens contagionem,
V. Hunc sanctus celeberrimus
Fugat pulsum remotius
Per solam iussionem.

4. Atrox famis inedia
Exinanitum populum
Consumens perimebat,
Victus omnis inopia
Panis tollens edulium
Pariter defluebat;
V. Motus misericordia
Pro plebis alimonia
Cuncta distribuebat.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Dum Gaudiosus praeviis
Orationum studiis
In Domino confisus,
Inter arma micantia
Se in salutis foedera
Est athleta provisus.

2. Hic concitos ad proelium
Et ad mortis excidium
Cives Beneventanos
Flectit ad pacis vinculum
Per solum iussum caelicum
Contra Salernitanos.

3. Tres tenet in prodigiis
Ordines: miraculis
Potestates pellit,
Feritates iaculis,
Largitate muneris
Daemones expellit.

4. Doctus per flamen spiritus
Se dedicavit funditus
Servire creatori.
Spernens mundum penitus,
Donis perfusus caelitus,
Innixus redemptori.

5. Laudans in cordis iubilo
Decachordo psalterio
Melodi symphonia.
Haec est plena devotio
Gaudiosi praecordio
Exsultans melodia.

Ad Benedictus.

A. O praesul fragrans meritis,
Spretis ad plenum deviis
Et abiectis lasciviis
Ac mundanis illecebris
Carne maceratus.
Refectus exstas praemiis
Illis summis collegiis
Sociatus aethereis
Et civibus caelicolis
Rosis laureatus;
Nobis assis miseris
Et pressurarum taediis,
Lacrimarum profluviis,
Pater, miseratus.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O virum mirabilem,
Cuius vestis in liquidis
Undis exstat vehiculum
Quasi navis perfecta!
Fugiebat a perfidis.
Deferens sancti pallium,
Super ipsum stans solidum
Aqua tunc refecta.
Aciem verte luminis
Ad peccatorum barathrum.
Ne immergens periculum,
Labae praecipitium
In plebe sit subiecta.

Per Octavam.

Ad Magnificat.

A. O lumen ecclesiae.
Doctor veritatis,
Pontifex egregie.
Norma caritatis,
Aquam sapientiae
Propinasti gratis,
Praedicator gratiae,
Nos iunge beatis.

Officium ms. SS. Fortunatae et Gaudiosi sacc. 16. Cod. Vatican. Reg. 1797. A. — Officium s. Fortunatae V. et M. et s. Gaudiosi E. et C. imp. Neapoli (Joseph Cacchius) 1568. B. —

In 1. Vesp. **A** 1, 1 cathedram B. — **A** 1, 4 Augens B. — **A** 4, 2 Salernitani B. — **A** 4, 3 patre A. — Ad Magn. 1 stupor et gaudium A. — Ibid. 6 auxilium. — Ibid. 10 Saginatibus A, Saginatis B. — Ibid. 11 solacium fehlt B. — Ibid. 15 pietate viscerum A. — In 1. Noct **A** 2, 4 Dei secreta diffudit. — **A** 4, 3 teterriam A, taeterrima B. — **R** 1, 9 Lucens B — **R** 2, 5 cunctis A. — **R** 2, 6 Sana A. — **R** 3, 4 revulgentiam A; redolentiam B. — **R** 4, 4 praesul postea recipit B. — **R** 4, 5 adfuit A. — In 2. Noct. **A** 2, 1 Pacem salutis AB. — **A** 2, 2 ac statis A. — **A** 3, 3 Sufficit A. — **A** 6, 3 Quid B. — **R** 1, 8 Fragans A, Fragrans B. — **R** 2, 1 Leprosus B. — **R** 2, 4 Fragit A; vitiat AB. — **R** 2, 5 Angit AB — **R** 3, 5 otio fehlt B. — **R** 3, 5 Munere pontificali B. — **R** 3, 7 Mulierum nefandum dit B. — **A** 1, 4 Exsistens B. — **R** 1, 3 flammineam B. — **R** 1, 4 mentis B. — **R** 4, 6 reverale B. — **R** 3, 2 fundebat B. — **R** 3, 5 pestifera B. — **R** 4, 2 Exinanitu. — In Laud. **A** 1, 4 Intra AB. — **A** 1, 5 Se ut salutis AB. — **A** 2, 1 Hic cunctos ad B. — **A** 3, 5 muneris fehlt B — **A** 5, 3 Melodis. — Ad Ben. **A** 6 Refertus B. — Ibid. 8 Sociatus et herois B. — Ibid. 10 laureatis A. — Ibid 11 assit A. — In 2. Vesp. Ad Magn. **A**

fehlt B; statt dessen die A per octavam. — Hymnen: Supernae lucis claritas und Iesu, lux vera mentium. Aus B auch in Acta SS. Oct. XI. 903 ff.

35. De sancto Georgio.

In 1. Vesperis.

R. Coepit praeses contristari,
Se a sancto superari
Erubescens doluit
Et dolens erubuit,
Conversus ad alia
Impia consilia
Cessat a suppliciis,
Cogitat blanditiis
Posse mentem immutari
A fide, quam docuit;
V. Ridens martyr blandientem
Aeque sicut deterrentem,
Exaltari, coronari
Meruit.

Prosa.

1. Cogitabat Dacianus
Martyrem seducere
Blandimentis, quem tormentis
Non valebat vincere.

2. Firma petra fixam mentis
Ancoram evellere
Coepit verbis vir profanus
Mollibus insistere.

3. Dabat sanctus verba ventis
Nolens acquiescere,
Plus amabat et optabat
Crebro caedi verbere,

4. Exspectatam et optatam
Coronam percipere;
Post labores et dolores
Fracto carnis carcere
Coronari meruit.

Ad Magnificat.

A. Magnificemus principem
Magnificantem militem,
Qui coronae participem
Fecit in regno divitem,
Caeli civem, non hospitem,
Georgium,
Cuius magnitudinis
Nullum est initium
Nullus erit finis.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Auctorem rerum omnium
Laudet turba fidelium,
Qui martyrem egregium
Coronavit Georgium.

In 1. Nocturno,

Antiphonae.

1. Non in via culpae stetit
Ideoque vera metit
Gaudia Georgius.

2. Fremit frendens Dacianus,
Sanctum martyrem profanus
Membris sectis laniat.

3. Susceptor meus, Domine,
Tu es, pro cuius nomine
Patior fuso sanguine.

Responsoria.

1. Miremur admirabilem
In sanctis suis omnibus,
Deum desiderabilem
In cunctis terrae finibus,
Collaudemus laudabilem
In singulis operibus,
Gloriosum, amabilem
Universis fidelibus,

V. Cuius superbos
deicit potentia,
Corde benigno
respicit humilia.

2. Dum regnaret Dacianus,
Sacrilegus et profanus,
Christi nomen
exosum habuit,
Dis culturam
vanam exhibuit,
Ad tormenta
fideles rapuit;
V. Georgius
videns ingemuit
Tyrannoque
sese opposuit.

3. Sapienti
usus consilio,
Ne tardaret
rerum retentio
Iter ad Dominum,
Aurum non modicum,
Quod habuit,
Egenis distribuit,
Ut currat expeditius
Et tutius
Ad patrem luminum.
V. Mox vultu interrito
Tyrannum intuetur,
Timore deposito
Christum confitetur.

In 2. Nocturno,

Antiphonae.

1. Invocantem exaudivit
Sanctum suum Dominus,
Hoste victo vita vivit,
Cuius non est terminus.

2. Verba mea percipe
Auribus clamosa,
Frangi, Deus, praecipe
Idola exosa.

3. O quam admirabile
Nomen tuum, Domine,
Qui confringis sculptile,
Quod est sine numine.

Responsoria.

1. Clamat miles: Quid profane
Sic insanis Daciane
Et adoras idola?
Ego sum christicola.
Deum unum verum colo,
Qui creavit omnia,
Huic offere puri volo
Cordis sacrificia.
V. Ipsi soli servio,
Pro quo persecutio
Saevit in ecclesia.

2. Dii tui sunt
vere daemonia,
Inimica
humano generi,
Simulacra
sensu carentia,
Muta et surda
iubeto conteri,
Nullum numen
inesse operi
Crede mortalium,
Supra nos est,
in nobis habitat
Creator omnium,
V. Hunc adora et honora,
Ipsum ama, ipsum time,
Si vis salutem animae.

4. Ad haec verba fit insanus
Nec se capit Dacianus
Prae cordis insania,
Inflammatus est furore
Nec recedit ab errore,
Nam Deum persequentium
Crescens semper ad odium
Ascendit superbia.
V. Ad exquisita rapitur
Et trahitur
Velocius
Supplicia Georgius.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. In Domino confidens
Et praesidem deridens
Tormenta non timuit
Nec terrores horruit.

2. Ingressus sine macula,
Operatus iustitiam,
Hic tua tabernacula
Elegit domum propriam.

3. Corona de lapide
Pretioso decoratur,
Purpurea chlamyde
In excelsis honoratur.

Responsoria.

1. Omne genus tormentorum
In conspectu beatorum
Oculorum ponitur,
Ferrea erigitur
Serras velut gladios
Nefarios
Habens in se rota;
Ut concludam brevius,
Quidquid potest gravius
Cogitari,
Iubet praeses praeparari,
Sed martyr Georgius
Mente stat immota.

V. Aurum in fornace
Comprobatur,
Hic purgatur.
Ut fruatur
Perpetua pace.

2. Sic vinum elicitur,
Cum calcata premitur
Uva torculari,
Sic excussa palea
Defertur ad horrea
Granum modo pari;
Ferrum fit splendidius
Et clarius
Iussum elimari.

V. Sic maiorem dat odorem
Tus iniectum ignibus,
Sonum reddit altiorem
Chorda tensa manibus.

3. Sale superposito
Redivivus subito
Redit dolor vulnerum,
Dum tortetur, non terretur,
Iesum magis confitetur,
Stabat victus et afflictus
Plenus praeses scelerum.

V. Quanto poena acrior,
Tanto miles fortior
Animatur ad certamen,
In quo spirat sanctum flamem.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. In aeternum
regnabit Dominus,
Cuius regni
non erit terminus.

3. Iubilate et servite
Domino in sobria
Exsultatione,
Portas eius introite.

3. Ad te de luce vigilo,
Deus meus,
et tibi iubilo
Pulso procul
a corde nubilo.

4. Benedicat creatori
Omnis creatura,
Suum plasma plasmatori,
Factori factura.

5. Sol, luna et omnia
Caeli luminaria
Laudant Deum, qui propria
Potentia
Curvat imperia.

Ad Benedictus.

A. Benedictus rex invictus,
Pro quo multis est afflictus
Pressuris Georgius,
Nobis sit propitius.

In 2. Vesperis.

R. Pretiosam stolam lavit
Et in agni dealbavit
Sanguine Georgius,
Pro fide, quam exaltavit,
Adhuc pugnat ut pugnavit
Bellator egregius.

V. Qui iuxta morem solitum
Christianorum militum
Semper praeit exercitum.

Prosa.

1 a. Ut pro fide catholica
Pugnet, chors angelica

1 b. Descendit saepe praevio
Sacro duce Georgio.

2 a. Cum veste candida,
Nimis splendida.

2 b. Fugit perterritus
Mox exercitus

3 a. Infidelis populi
Et ultore gladio
Sternuntur in proelio
Nostrae pacis aemuli.

3 b. Facta strage vincitur
Inimica legio,
A multis agnoscitur
Castrorum in medio.

4 a. Dux eorum bellatorum
In candore et nitore
Se ostendens habitus
Praecedit exercitus.

4 b. Turba cadit, quam invadit,
Hostis cedit, victor redit
Ad caelos Georgius,
Bellator egregius.

Ad Magnificat.

A. Magnificemus Dominum,
Qui pretioso sanguine
Natus Maria virgine
Detersit sordes criminum,
Ponens dolori terminum.
Qui Dacianum expulit
Et Georgium transtulit
Ad regionem luminum.

Brev. ms. Civitatense saec. 15. Cod. Archiep. Utinen. Oct. 10. A. — Antiph. ms. Civitatense saec. 14. Cod. Civitaten. LVII. add. saec. 15. B. — Brev. ms. Civitatense anni 1476. Cod. Civitaten. LXXIV (28. C. — Auch in: Antiph. ms. Civitatense saec. 15. Cod. Civitaten. XLVIII — Antiph. ms. Civitatense saec. 15. Cod. Civitaten. XLIV. In 1. Vesp. Prosa fehlt AC — In 1. Noct. A 1, 4 Nobis sit propitius AC — R 3, 8 tribuit B. — In 2. Noct. R 2, 13 et in nobis ABC. — In 3. Noct. A 2, 2 Operatusque ABC. — R 1, 16 Hic probatur A — R 2, 11 Tus ictum. — R 3, 4 Dum tortetur A. — Vor R 2 schiebt B folgendes R ein:

Lampadarum latera
Igne conremantur.
Nuda patent viscera,
Fibrae reserantur,
Pedes, manus, cetera
Membra laniantur,
Vulnerantur vulnera,
Nullus locus est illaesus.
V. Invocatur ingiter,
Quam tenet memoriter,
Qui praesens est omnibus
Ipsum invocantibus
Vere et non ficte.

In 2. Vesp. R und Prosa fehlen AC.

36. De s. Gerardo Cenadiensi.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Aurea iam saecula
Diem adduxerunt,
Quo Gerardi specula
Mundo claruerunt

2. Laetabunda iubilet
Mater filiorum,
Gaudia multiplicet
Gaudiis eorum.

3. Gratiarum actio
Patri sonet luminum,
Et reis remissio
Donetur peccaminum.

4. In tui memoriam
Dona congregatis
Hostium victoriam
Meritis beatis.

5. Iustus Deus iustitias
Servi sui dilexit
Et ad caeli delicias
Dilectum iam evexit.

Ad Magnificat.

A. Claret dies,
claret sollemnitas,
Quo Gerardi
refulsit sanctitas,
Chorus caelum
propulset vocibus,
Reddat melos
sanctis affectibus.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Trinum et unum
adoremus Dominum,
qui felici martyrio
coronavit beatum Gerardum.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. In sede pestilentiae
Sanctus Dei non sedit,
Sed cathedram iustitiae
Christi martyr accedit.

2. In timore laetitiae
Christi martyr servivit
Et documentis gratiae
Devotus oboedivit.

3. In Dei tabernaculo
Gerardus habitavit
Et terso vitae speculo
De hoste triumphavit.

4. Sanctus contuso vertice
Martyrio sacratur
Et sic a summo iudice
[Honore] coronatur.

5. Innocens iste manibus
Ascendit [montem] Domini
Et sanctae legis passibus
Servit aeterno numini.

6. Iuste iustus laetabitur
In auctore bonorum,
In quo sperans laudabitur
Rectitudo sanctorum.

Responsoria.

1. Urbs praecelsa Venetorum,
Laudes Dei nuntia,
Decorata luce morum
Dei providentia,
Qui Gerardum dat decorum
Intra tua limina.

V. *Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei.*

2. Dei gratia praeventus
Devotus efficitur,
Salutaribus intentus
Regulae subicitur,
Via carnis non detentus
Via Christi graditur.
V. *In quo corrigit adulescentior viam suam? in custodiendo sermones tuos.*

3. Adulescens mente cernit
Paradisi gaudia,
Pauper sepulcri decernit
Videre magnalia,
Vita mundus mundum spernit
Et parentum grandia.
V. *Beatus vir, cuius est auxilium abs te, ascensiones in corde suo disposuit in loco lacrimarum.*

4. Autrum quaerens carnem terit
Mauri contubernio,
Rex ingressus hunc reducit
Maceratum eremo
Et in praesulem elegit
Et magistrum populo.
V. *Dominus dabit verbum evangelizantibus virtute multa.*

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Deus praeclaris meritis
Sanctum mirificavit
Et hostibus perterritis
Electum sublimavit.

2. Beatus, quem elegeris,
Deus, de mundi carcere,
Beatus, quem assumpseris
Omni deleto crimine.

3. Mundus mundum abhorruit,
Ut cedrus elevatus
Et sicut palma floruit
Spe vitae sublimatus.

4. Iustus Deus iustitias
Servi sui dilexit
Et ad caeli delicias
Dilectum suum vexit.

Responsoria.

1. Veneratur hic dilectus
Et pater efficitur,
Crescit numerus electus
Et fide concipitur,
Templa struit, sed perfectus
Humilis cognoscitur.
V. *Permanet in aeternum in conspectu Dei, misericordiam et veritatem eius qui requirit.*

2. Mentis fastum hic detestans
Dat manum ad fortia
Et leprosis stratum praestans
Relevat mancipia,
De silvis ligna sequestrans
Prava fugit otia.
V. *Videant pauperes et laetentur, quaerite Deum, et vivet anima nostra prae eo.*

3. Donis prophetiae plenus
Futura praenuntiat
Regi, sed mente serenus
Populis insinuat,
Quod seditionis [genus]
Illis superveniat.
V. *Os iusti meditabitur sapientiam, et lingua eius loquetur iudicium.*

4. Sacra dies illucescit,
Quo vir sanctus celebrat,
Sed de morte spes accrescit,
Quod ipse praedixerat,
Christi fides hunc erexit,
Ne quid [quam] iam timeat.

V. *Considerat peccator iustum et quaerit mortificare eum.*

In 3. Nocturno.

Responsoria.

1. Ait fratribus: ad cenam
agni [Dei] ducimur,
Turbam videns fraudis plenam
Mente non concutitur,
Sed ostendit hanc amoenam,
Dum saxis opprimitur.

V. *Dominus autem non dereliquit eum in manibus eius nec damnabit illum, cum iudicabitur illi.*

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Ad laudes gratiae
surgat ecclesia,
Cui spem veniae
donat memoria
Martyris inclita.

2. O aurora
super terram diescens
Et lux meridiano
caelos illustrans,
Nos in vim luminis
recipe foris lucere
Et intus suaviter
ardere concede.

3. Prima luc[ern]is propriis
Lux ipsa mundo rutilat,
Quam nectaris indiciis
Vita fuscata nubilat.

4. Gerardi alto merita,
Dum frenis continentiae
Norma carnis est subdita.
. . . . . .

5. Legit fructum ecclesia
Praeclare iam [virtutis],
Quos cernit per indicia
Praeclarae iuventutis.

Collect. ms Caietani Constantini saec. 17. Cod. Alexandrin. 95 (II). — In 1. Vesp. **A** 2, 1 Laetabundo. — **A** 2, 3 Gaudio. — **A** 5, 1 iustitiam. — In 2. Noct. **A** 2, 2 Dominus de mundi. — **A** 4, 4 evexit. — **A** 5 und 6 prosaisch. — In 3. Noct. **A** ad laud. prosaisch. — **R** 2—4 prosaisch. — In Laud. **A** 3, 2 ipse. — **A** 3, 3 Quem necteris iudiciis. — 4, 1 alto = exalto. — Ad Bened. **A** prosaisch. — In 2. Vesp. ad Magn. **A** wie in 1. Vesp.

37. De s. Gerardo Potentino.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Laudet, eia, salvatorem,
Qui Gerardum confessorem
Sibi dedit in pastorem
Potentina contio.

2. Qui dum circa Dei forum
Lucra quaerit talentorum,
Regni consors fit caelorum
Spreto nequam otio.

3. Lege vigil in divina
Christi fulsit in doctrina
Quasi stella matutina
In nebulae medio.

4. Hinc adeptus est aeterna,
Domo gaudet in superna,
Qui refulsit ut lucerna
Sanctitatis radio.

5. Tua nos oratione
Salvans in hac regione
Fac et caeli mansione
Christi frui gaudio.

R. Sancte Gerarde, tuis
famulis succurre benigne
Et fac nos omnes
meritis iungi tibi digne,
V. Ora devoto
pro clero, pro grege toto
Intercede pie,
da prospera fine remoto,
Sentiat ut celebrans
hoc festum dona salutis.

Ad Magnificat.

A. Ad honorem salvatoris
exsultet ecclesia,
Nam Gerardi confessoris
Rutilant sollemnia,
Ortus causa cum canoris
Vocibus Placentia
Laudet, causa sed honoris
Gaudeat Potentia.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Adoremus regem summum
Mentibus supplicibus,
Qui Gerardum confessorem
Caeli iunxit civibus.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Venit ab Italia
Domino ducente Gerardus.

2. Ipse Placentinus
civis placuit bene Christo.

3. Fitque Potentinus
doctor sic postea praesul.

Responsoria.

1. Praesulis eximii
festa cane, contio laeta,
Et dignas laudes
persolve Deo sine meta;
V. Gaude, festa cohors,
gaudet provincia tota.

2. Ecclesiam rexit,
dictando magnificavit
Commissumque gregem
faciendo, docendo, beavit,
V. Sobrius, ornatus,
prudens, mitisque pudicus.

3. Pervigil et sollers,
cautus, patiensque benignus,
Cultor iustitiae,
rectus, pius, undique dignus,
V. Lector et assiduus,
doctor, largitor egenis.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Quadam die visitando
dum iret parochiam
Quandam, beatae Mariae
venit ad ecclesiam.

2. Sitientes fratres eius
nec non et familiae
Vinum, quod non erat ibi,
magis petunt anxie.

4. Fertur aqua de mandato
praesulis sanctissimi,
Signat aquam et fit vinum
saporis dulcissimi.

Responsoria

1. Cernentes socii
tantum mirabile signum,
Immensae reputant
hunc laudis munere dignum.
V. Sed Domini famulus
refugit praeconia famae.

2. Exigit a sociis
sibi fida mente caveri.

Ne nisi post mortem
praesumant visa fateri,
V. Spernens adplausus
vacuos vulgaris honoris.

3. Praesentis vitae
dimittens lubrica castra
Terrea commutat
caelo, dum migrat ad astra,
V. Pro carnis pugna
caelestem sumere palmam.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Anno migrat in octavo,
Iam relicto mundo pravo
Tendit ad caelestia.

2. Gaudet chorus angelorum,
Sacrum sacer auget chorum,
Caeli gaudet curia.

3. Ibi perstat advocatus,
Nostros levigat reatus
Voce precatoria.

Responsoria.

1. Flet populus, gaudet
caelum, caelestia pangunt
Agmina, dulcisonis
melodiis organa tangunt,
V. Quod datur his socius,
quod amicus crescit amicis.

2. Congaudet aegris
subita veniente salute,
Pelluntur morbi,
febresque fugantur acutae,
V. Redduntur claudis
gressus et lumina caecis.

3. O lumen patriae,
populi dux, gloria cleri,
Digneris precibus
nos, sancte Gerarde, tueri,
Illustra patriam,
populum rege, protege clerum,
V. Ut tecum simus
per saecula cuncta dierum,
Cernentes pariter
lumen de lumine verum.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Cantemus Domino
laudum praeconia trino,
Ut per patronum
praebeat omne bonum.

2. Laudemus Dominum
iubilantes voce canora,
Cuncta Deo resonent
in sacris laudibus ora.

3. Psallamus pariter
caelesti cantica regi,
Ut mereamur eo
cuncta regente regi.

4. Laude creatori
benedicite cuncta creata
Exsultando Deum
sibi dicite cantica grata.

5. Caelum, terra, mare,
simul his contenta resultent,
Cymbala, psalterium,
reboantia tympana pulsent.

Ad Benedictus.

A. Exsultemus in hac die
cummulato gaudio
Celebrantes sancti viri
festa cum tripudio.
Sancte nos Gerarde iuva
tuo patrocinio,
Ut possimus collocari
supero palatio.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Euge, Dei serve bone,
iam intrasti gaudium,
Post triumphum iam coronae
percepisti praemium;
Nos, qui sumus in agone,
Sic duc per hoc devium,
Ut caelesti mansione
Consequamur bravium.

In Commemoratione.

Ad Benedictus.

A. Tua nos oratione
Salvans in hac regione
Fac in caeli mansione
Christi frui gaudio.

Ad Magnificat.

A. Supplicat ex animo
tibi plebs tua, sancte Gerarde,
Impetret ut per te
posse placere Deo.

Collect. ms. Card. de S. Severina anni 1529. Cod. Arch. Vatic. X 98. — Zu dem Officium finden sich folgende Benedictiones:

In 1. Nocturno.

1. Confessor, praesta tua nos promere gesta.
2. Serve Dei vere, nos, sancte Gerarde, tuere.
3. Sis nobis praesto, quotiens precamur, adesto.

In 2. Nocturno.

1. Nos rege, confessor et Christi maxime messor
2. Et populum dita virtutibus, Israelita.
3. Culpae pellat onus veniam donando patronus.

In 3. Nocturno.

1. Auxilium turbis confessor condonet urbis.
2. Atque gregi dona, praesul, caelestia dona.

Bruchstücke dieses Officiums Acta SS. Oct. XIII. 471 aus P. Campi, Historia di Piacenza II. 382 ff.

38. De sancto Germano Antisstodorensi:

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Virtutum titulis
Germanus laude perenni
Floridus a populis
veneretur non prece segni.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Ex illustri
ortus prosapio
Hic Germanus
artium studia
Liberalia
voluntarius
Amplectitur,

2. Parabatur
[huic] eloquentia,
Praeditabat
iuris scientia,
Pontifici
[erat] iustitia
mox futuro.

3. Cum iuventus effloruit
Ducatus ei traditur,

Ut regeret populos
Diversis ducatibus
Constitutos.

Responsoria.

1. Divina virtus, omnium
Artifex mirabilium,
Germanum, ducem gentium,
Pastorem fecit ovium.
V. *Elegit eum Dominus ex omni carne et excelsum fecit illum.*

2. Cum sacerdos efficitur.
Hordeo corpus pascitur,
Cilicio comprimitur,
Cinis pro lecto sternitur
V. *Iugis ei erat gemitus, oratio perseverans.*

3. Loquuntur sibi mutuo
Cives caelestis patriae,
Sed quod vivus cum mortuo,
Hoc admirandae gratiae.
V. *Mirabilis Deus in sanctis suis, mirabilis in altis Dominus.*

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Tonsuratur in clericum,
Qui princeps erat militum,
Sed haec fuit mutatio
Dexterae excelsi.

2. Processu vero temporis
Diu in lege Domini
Meditatur, sacerdotium
Suscepit invitus.

3. Erat autem fide igneus.
Torrens caelestis eloquii
Et praeceptorum operarius
Dei indefessus.

Responsoria.

1. Destinati supplicio
Mortis reatus pondere
Orationis pretio
Redimuntur a carcere.
V. *Dirupisti, Domine, vincula eorum et liberasti eos.*

2. Extremum diem clauserat
Volusiani filius,
Quem ad vitam accelerat
Germanus, Dei nuntius.
V. *Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini erexit eum.*

3. Vir nobilis ex genere,
Nobilior in opere
Sanctitatis, a carcere
Carnis migravit hodie,
Quem Christus ante transitum
Invitavit ad meritum
Reserando introitum
Ipsi perennis gloriae.
V. *Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! beatus vir, cui parasti ea!*

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Post decessum antistitis
Domino revelante
Ab omnibus concorditer
Episcopus eligitur.

2. Noctibus nunquam vestitum,
Raro cingulum, raro
Calceamenta detraxit.

3. Prostratus super cineres,
Artatus in cilicio,
Quiescere vix poterat
Multo fessus martyrio.

Responsoria.

1. Pontifices, qui venerant
Ad viri Dei transitum,
Altercando diviserant
Inter se patris habitum.

V. *Regina sumpsit capsulam sanctorum reliquias continentem.*

2. Imperatrix sanctissimum
Corpus involvit sericis,
Quod transmisit ad Gallias
Victa prece pontificis.

V. *Rogaverat enim, ut gleba sui corporis patriae redderetur.*

3. Patronum excepit
civitas propria,
Sepulti corporis
custos ecclesia,
Cuius miraculis
fulget et gloria.

V. Personans laudibus
clerus cum populo
Ruit obviam
eius vehiculo.

Brev. Atrebatense imp. Atrebati 1595. — In 1. Noct. A 2. 3 Praedicationibus. A 2. 5 sq. Iustitiae pontifici. — Zugehörige Hymnen: Ad Vesp. et Matut.: „Sanctorum meritis . . . . vocum concordia"; ad Laud.: „Iste confessor meritis praeclarus" (Anal. XI. 146).

39. In Translatione s. Gertrudis Nivellensis.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Gertrudis festa
veneremur sacraque gesta
Cum laetitia.

2. Huic viluit mundus,
placuit super omnia Christus
In pudicitia.

3. Corpus demacerat
et mundi lurida calcat
Prae abstinentia.

4. Aetatis iuvenis
annosaque mente pudica
Cum diligentia.

5. Pauperibus calida,
surdis caecisque medela
Per miracula.

Ad Magnificat.

A. Ave, Gertrudis, virgo grata,
Ex regali stirpe nata,
Leprosos mundare non sprevisti
Propter amorem Iesu Christi;
Caecis viam demonstrasti,
Pauperibus nummos collocasti,
Quibus tua hospitia
Dedisti suavissima.
O virgo, fideliter
Oraque suppliciter
Iesum, Mariae filium,
Ut nobis det hospitium
Hic et in suo palatio
Cum aeterno gaudio.

Ad Matutinum

Invitatorium.

In cordis iubilo
laudemus cunctipotentem,
Qui sibi Gertrudem
iunxit super omnia sanctam.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Gertrudis meritis
vivamus caelibe vita
Per saecula.

2. Congaudendo pias
canat haec plebs nunc sibi laudes
Per haec festa.

3. In cordis iubilo
Gertrudis gaudet in alto
Perenni gaudio.

Responsoria.

1. *Diem recolamus festum, quo Gertrudis virginis corpusculum summa cum laetitia est translatum,*
V. Corpus virgineum
meritis mirisque coruscum.

2. *Beatae Gertrudis corpori factus est sollemnior orationis locus, ut per eius intercessionem populo suo miscreatur Deus;*
V. Multum enim assidua
valet oratio munda.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Carnalem sprevit
sponsum, Christo sed adhaesit
Mente casta.

2. Non regem audivit,
sua verba statim refutavit
Abominans illa.

3. Ob haec vota fugit,
templum Domino praeparavit
Haereditate paterna.

Responsoria.

1. *O pia virgo, quae gaudes exsultando cum Domino,*
V. Fac, ut laetemur
aeterna morte fugata.

2. *Laudemus Dominum in cordis iubilo, quia beneplacitum est ei in te, o pia virgo;*
V. Esto soror nostra, ut
bene sit nostris animabus.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Haec patre defuncto
matris monito oboedivit
Ut supplex filia.

2. Arae prostrata
sursum fit clarificata
Luce insueta.

3. Comam decidit
sacroque velamine vixit
Monastica vita.

Responsoria.

1. *Deus, sanctorum tuorum splendor mirabilis, meritis precibusque Gertrudis virginis*
V. Haec plebs christicola
potiatur caelibe vita.

2. Exsultet caeli regio,
Et mundialis machina,
Abyssus atque maria
Laudent Deum per saecula,
V. Namque Dei genitus
humilem iunxit sibi sponsam.

3. Patri natoque pariter
Sit decus, laus et gloria
Cum spiritu, qui iugiter
Regit, gubernat omnia,
V. Cui pia Gertrudis
congaudet omne per aevum.

Ad Laudes.

Antiphonae.

1. Haec praecerat multis
Nivel monialibus annis,

Edocuit docta
pastorum dogmata sacra.

2. Ipsa sacris litteris
inhaesit tempore cuncto,
Et pastoris onus
facit, ut sibi maxime praesit.

3. Ter decies ternos
haec cum compleverit annos,
In Christo dormit,
per maxima mira refulsit.

4. Exacto decimo
Nivellae ferbuit anno
Ignis in exstructo
claustro, cui praefuit ipsa;
In flamma sursum est
eius conspecta figura.

5. Ignis ei cessit
cunctis astantibus illic.
Daemon et expavit;
nobis sua gratia prosit.

Ad Benedictus.

A. O Christi virgo, Gertrudis,
Intercede pro nobis miseris
Ad te confugientibus
Apud Christum Dominum,
Ne pro reatu criminum
Vexemur in perpetuum.

In 2. Vesperis.

R. Gertrudis, decus virginum,
Honor, exemplar, gloria,
Nostrorum nexus criminum
Solve [ora]tu, o pia,
Nobis virtutum cumulum
Procura precum copia,
Nostrae salutis aemulum
Nequam premens in hac via.
V. Virgo, coniuncta virgini,
Domino supplicemini.
Tuos rege per devia:
Lumen videre luminum
Post huius vitae terminum
Fac nos in caeli patria.

Gertrudis divae virginis Officium triplex secundum tria eiusdem virginis festa, suavissimis historiis et hymnis illustratum. Impr. Coloniae supra antiquum forum. In fero viro. Anno Domini 1513. — In 1. Noct. **R** 3 ganz prosaisch. — In 2. Noct. **R** 1 ganz prosaisch. — In 2. Vesp. **R** 10 Christo supplicamini. — Ibid. 11 regi. Dazu der Hymnus ad 1. Vesp.: Plaude mater ecclesia Gertrudis — Das 3. (resp. 1). dieser drei Officien ist das Anal. XXVI, Nr. 19. mitgeteilte.

40. In Consecratione s. Gertrudis.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Hodiernae
lucis sollemnia
Congaudendo
colat ecclesia,
Qua Gertrudis velamine
Consecratur Dei munere.

2. O virtutum tu speculum,
Posce nobis suffragium,
Ut hoc possimus consequi,
Quo te gaudeamus perfrui.

3. In vocis iubilo
laudemus Dominum,
Qui est mirabilis
conditor hominum,
Quem virgo conspicit
in caeli patria,
In hymnis splendida
penetrans atria.

4. Laudemus Dominum
virginis filium,

Quem laudant virginum
chori nobilium,
Inter quos inclita
Gertrudis rutilat,
Cui nostra contio
gaudens coniubilat;
Quae pudicitiae
gestans insignia
Praestet cultoribus
dona perennia.

5. Sancta Gertrudis,
Intercede pro miseris
Ad te confugientibus
Apud Christum piissimum,
Regem atque Dominum,
Ut det nobis veniam peccatorum,
Et emendationem morum
Et gaudium sempiternum.

R. Virgo carens fraude,
celebri dignissima laude,
Velo vestitur
et virginibus stabilitur;
Mater sacrata
nunc gaudet luce beata.
V. Huius per merita
potiamur caelibe vita.

Ad Laudes.

Antiphonae.

1. Annua iucundo
rutilant sollemnia mundo.
Gertrudis Christo
sacratur corpore sancto.

2. Praesulis Amandi
iussu mater venerandi
Claustro Gertrudem
velamine consecrat almam.

3. Virgo claustralis,
sacrata Deo monialis,
Pro cultu morum
curam capit ipsa sororum.

4. Virgo Deo teste
servat commissa modeste,
Christum mente ferens,
scripturae semper inhaerens.

5. Virginis ergo merae
famulos, pie Christe, tuere
Daque sibi gratum
nostrum fieri famulatum.

Officium triplex s. Gertrudis impr. Coloniae 1513. — In Laud. **A** 1, 2 rutilat. — **A** 1, 3 Christi. — Zugehörige Hymnen: In 1. Vesp. Assunt festa iubilaea: ad Laudes Iesu corona virginum | Tete Gertrudis coluit.

41. De s. Guilelmo Vercellensi.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. A teneris annis
Christi famulus Gulielmus
Contempsit mundum
Domini praecepta secutus.

2. Ferrea vincla sibi
circumdans membra domabat,
A vitiis liber,
virtutum munere plenus.

3. Aspera vestis ei
fuerat, vestigia nuda,
Sic patiens supplex
visebat limina sacra.

4. Apuliae tandem
feliciter attigit arva;
Felix, quae tantum
suscepit terra patronum!

5. Contentus modico
tenebat corpus aceto

Gratia caelestis
cuius sacra corda replerat.

6. Crux sibi deliciae,
fuerat crux gloria summa,
Post mortem vita
frueretur ut omne per aevum.

Responsoria.

4. O pie confessor,
votis, Guilelme, faveto .
Atque tuis precibus
nobis concede iuvamen,
Iudicis ut faciem
mereamur cernere laeti,
V. Cum pius et iustus
veniet dare digna quibusque.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Filia dispensans
caeci vestigia patris:
Iustitiae solem
flexis genibus rogitantem
Solo ex odore
Guilelmus vidit adesse.

2. Iamque domum repetit
tenebris miserandus opacis.
Confestim lumen
Gulielmo orante recepit.

3. Per iuga Laceni
gradiens confessor et orans
Aspexit Christum,
cuius flagrabat amore.

4. O nimis excelsa,
nimis admiranda potestas!
Imperat ille feris,
fiunt praecepta iubentis.

5. Regna poli cupiens
multis comitantibus ire.
Exemplis, verbis
virtutum dogma docebat.

Responsoria.

2. Ardore quidam nimio
Sancti quidem itineris
Dum sacri viri monitis
Non vult praebere assensum,
Omni mora deposita
Mox accepta licentia
Iter aggreditur.
V. Cum autem iter faceret,
Est affectus verberibus.

4. O Gulielme pater,
famulorum suscipe vota
Nosque tuis precibus
festum sollenne colentes
Commendes iugiter
Christo, cui tu placuisti,
V. Pectore devoto
nos ut servire queamus.

In 3. Nocturno.

Ad Cantica.

A. O sanctissime confessor
Gulielme Domini,
Supplicantum famulorum
exaudi precamina,
Tuis semper illis sancta
tribue suffragia,
Ut horrendis nos erepti
poenis de tartareis
Tecum, pater, collaetemur
in aeternis laudibus.

Responsoria.

4. Virtutum meritis,
Domini confessor amande,
Sic vestris precibus
nostros absolve reatus,
V. Ut tibi coniungi
mereamur in aede polorum.

Collect. ms. Constantini Gaetani saec. 17. Cod. Alexandrin. 93 (III). — In 2. Noct. **A** 1, 5 Solis odorem. — In 2. Noct. **R** 2, 9 Multis est affectus. — In 3. Noct. **A** 1. 6 fehlt. — Alle im vorstehenden fehlenden Teile des Officiums prosaisch.

42. De sancta Hedwige.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O Advigis mirabilis,
Ornata sanctis moribus,
Carne, mente spectabilis,
Nos iuva tuis precibus.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Regem gloriosum
Semper collaudemus,
Advigisque sponsum,
Christum adoremus.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Tempus puerile
Percurrens puella
Cor gessit senile
Aetate tenella.

2. Mens fuit angelica,
Forma gratiosa,
Vita evangelica
Morsque pretiosa.

3. Haec honestis moribus
Exstitit ornata,
Ceteris virtutibus
Plenius dotata.

Responsoria.

1. Sicut Rachel emicuit
Venustam habens faciem
Et quasi Lia genuit
Fecunditatis subolem;
V. Contemplari nititur
Deum mente pura,
Coniugi obsequitur
Legis reddens iura.

2. Postquam suscepit subolem,
Manere casta postulat,
Sponsum sanctum et nobilem
Ad castitatem provocat;
V. Carnis spurcitiae
Vitans conubia
Vota munditiae
Quaerit salubria.

3. Sponsi soluta vinculo
Se totam Deo dedicat,
Spreto praesenti saeculo
Ad caelum mentem applicat;
V. Hostis insidias
Cernens celeriter,
Mundi blanditias
Spernit viriliter.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Sanctum monasterium
Intrat feminarum,
Ubi ministerium
Agit gratiarum.

2. Divinum officium
Audiens ferventer,
Sacrum sacrificium
Sumit reverenter.

3. Flere mortem Domini
Iugiter conatur,
Pro te, Christe, dulciter
Saepe lacrimatur.

Responsoria.

1. Piis gestans visceribus
Miserias languentium,
Saniem suis manibus
Detergebat dolentium.
V. Gemens cum gementibus
Se iis conformabat,
Gaudens cum gaudentibus
Singulos amabat.

2. Natus ipsius unicus
Dux exstitit Silesiae,
Quem gladius Tartaricus
Necat [dirae] malitiae,
V. De cuius martyrio
Renuit plorare,
Optat desiderio
Cum illo regnare.

3. Pauperibus compatiens
Eos fovere studuit
Ac paupertatem diligens
Sua largiri voluit.
V. Abstinere nititur.
Multum vigilavit
Cilicio utitur,
Se quoque domavit.

Responsoria.

1. Vitam, mores et habitum,
Crebra pandunt prodigia,
Felicem eius obitum
Clara clamant miracula.
V. Mulieri perditum
Visum reparavit,
Cum ipsius meritum
Illa imploravit.

2. Clemens, antistes inclitus,
Advigem sanctis coetibus
Adgregatam divinitus
Colendam confert omnibus.
V. Viterbii sollemniter
Haec canonizatur,
Ubi annualiter
Festum celebratur.

3. Gaudeamus in Domino,
Festum Advigis inclitum
Celebrantes, cum iubilo
Nostrum solvamus debitum.
V. Venerandam praebuit
Pastor hanc matronam
Atque coli praecipit
Nobilem Polonam.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Haec sanctis stigmatibus
Fertur insignita,
Cunctis aromatibus
Virtutum munita.

2. Humilis, pacifica,
Plena claritate,
Tribuit magnifica
Cum hilaritate.

3. Carnis nexu solvitur,
Gaudens ad caelorum
Regnum felix vehitur
Manu angelorum.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Rota molae premitur,
Puer et necatur,
Sed per Advigem redditur
Vita et sanatur.

2. Clauda gressum recipit,
Cum femur putrescit,
De quo vermis scaturit,
Sed sana recessit.

3. Tibiae gracilitas
Tantum inspissatur,
Quod gressus facilitas
Puero donatur.

4. Paralysi perditum
Latus cancerosum
Est usui redditum,
Factum virtuosum.

5. Membra paralytica,
Usu iam privata,
Virtute mirifica
Sunt consolidata.

Ad Benedictus.

A. Benedictus
sit rex pacificus,
In Advige
qui est mirificus,
Donans ei
dona magnificus.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Magnificat rex gloriae
Advigem in miraculis,
Magnificam ecclesiae
Ostendit in prodigiis;
Magnificemus hodie
Ipsam laetis praeconiis.

Collect. ms. Constantini Gaetani saec. 17. Cod. Alexandrin. 95. — In Laud. A 4, 1 In paraclisi.

43. De ss. Helaro et Taciano et Sociis.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Haec vera fraternitas
Nunquam violanda,
Sancta nunc sollemnitas
Semper veneranda
Puros monet pueros
Sacrum luminare,
Caelum, terram, inferos
Deum collaudare.

2. Omnes gentes Deum laudent,
Patrem omnis gratiae,
Quae patronos sanctos gaudent
Datos Aquilegiae.

3. Hi, qui iustis sociari
Meruerunt supplices,
Sunt scintillae, sunt praeclari
Reges, sunt et iudices.

4. Adest merces copiosa,
Vitam beans hominum,
Qui pro fide gloriosa
Fusionem sanguinum
Patientes moriuntur,
Dum et vivi recoluntur
Non habentes terminum.

5. Hierusalem, lauda
summa dignum laude,
Sed Aquilegia
summo plausu plaude,
Nam laurearis
patribus impensis,
Per quos ditaris
laudibus immensis.

Ad Magnificat.

A. Salve, pater Hellare,
Doctor veritatis,
Ac grassante Caesare
Virga maiestatis,
Gregem tuum prohibe
Zelo pietatis,
Opem lapsis exhibe
Tuae sanctitatis.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Hodierna lux diei
Nos invitat laudes Dei
Cantibus exprimere,

Quos sanctorum festa quina
Recensentes lex divina
Docet sic incipere.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. A Numeriano
Caesare Romano
Praeses Aquilegiae
Datus est Baronius,
Cum effectu plenius
Fautor idolatriae.

2. Regimen episcopatus
Hellarus dum recipit,
Ordinem diaconatus
Tacianus accipit.

3. Iniquorum verbera
Sancti non timentes
Meruerunt aethera
Terrea spernentes.

Responsoria.

1. Fulget mater ecclesia
Tantis dotata patribus,
Qui sunt in Aquilegia
Magnis quinque nominibus,
V. Dant isti pacem
mortem mordentque mordacem.

2. Sacer Monoffantus
Sacrilegos cantus
Gentium exemplo
Maior ministrabat,
Deos adorabat
Herculis in templo,
Cuius poena futilis
Opere mirabilis
Et famosa fuerat.
V. Plurimis numinibus
Multis haec hominibus
Necis causam dederat.

3. Plagis, scorpionibus,
Flagris et carbonibus
Membra beatorum
Feriuntur, laniantur,
Affliguntur, ustulantur
More pessimorum;
Sic ad astra pervenerunt,
Sic et regnum intraverunt
Omni plenum gaudio.
V. Tanti fac itineris
Orphanos et muneris
Frui beneficio.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Orat praesul cum timore,
Spem apponit in amore
Liberari cupiens
A profanis inimicis,
Ut tam toto quam in micis
Deo sit oboediens.

2. Hellarus dum Christum orat
Et praesidium implorat
Mentis cum intuitu.
Fana templi sunt confracta,
Sunt in nihilum redacta
Flante sancto spiritu.

3. In aetate iuvenili
Vicit hostes et senili
Cultus spretor veteris,
Salvatoris hysopus,
Hellarus episcopus,
Doctus fide, litteris.

Responsoria.

1. Pontifice beato
Dominum precante
Ruit templum Herculis
Illo profugato,
Qui tam post quam ante
Mendax est in singulis.
V. Tremit tota civitas,
Sicque Christi deitas
Scitur ex miraculis.

2. Plantis terra claruit
Semi-Martis tempore,
Quo theos inseruit
Arbores cum arbore,
Quibus inest flos suavis,
Fructus dulcis, cantans avis
Voce salutifera,
V. Sunt hae plantae, cultor pie,
Quae clarescunt ista die
Quinque caeli sidera.

3. O martyrum constantia
Constansque patientia!
Tu legis liberalitas
Et libera legalitas,
Nam verbis non perverteris,
Verberibus non frangeris,
Tu passim passa praedicas,
Te Christo regi dedicas.
V. Orbis totus admiratur,
Hinc ad fidem elevatur
Laudesque magnificas.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Sunt transfixa gladiis
Corpora beata,
Rosea martyriis
In arce coronata,
Quae fruuntur praemiis
Morte iam sublata.

2. Isti quinque, tot talenta
Duplicantes per augmenta
Sapienti studio,
In amoenis angelorum,
Quibus pollet rex polorum,
Vivo splendent radio.

3. Qui pro fide veritatis
Bella mirae probitatis
Et squalorem carcerum
Cupiendo, capiendo,
Supportando, superando
Contrectastis asperum,
Aquileiae civitatis,
Multae locum sanctitatis
Conservate prosperum.

Responsoria.

1. Vinculorum unione,
Mortis quoque passione
Simul isti principes
Sociati sunt beati,
Sempiternae qui sunt nati
Gloriae participes.
V. Collegas quorum
faciat nos rector eorum.

2. Ritus vanos exuentes,
Mores sanos induentes,
Christi veste praediti,
Deum verum veneremur
His et vere sociemur,
Actu qui sunt incliti,
V. Divinorum dilectores,
Idolorum subversores
Summo bono consiti.

3. Sacerdos et pontifex,
Cuius dies agitur,
Tu virtutum artifex,
Impetra, quod petitur,
Ut nos tecum ad superna,
Lucet ubi lux aeterna,
Perducamur gaudia.
V. Quare festum hoc honestum,
Tam suave, tam modestum,
Celebrat ecclesia.

Ad Laudes.

Antiphonae.

1. Pastor Aquilegiae,
Pacis patriarcha,
Vas misericordiae,
Pietatis arca,
Nobis assit *Hellarus*,
Ne suo nos tartarus
Voret cum monarcha.

2. Defleta gentilitas
Degens in errore,
Cuius est crudelitas
Fervens in furore,
Tacianus igitur,
Hellari levita,
Legem tutus sequitur
Eius, qui est vita.

3. Deo cum laetitia
Felix ille serviens
Meruit felicia,
Morte vitam finiens.

4. *Largus* sive Largius
Iste nuncupetur,
Largus Christi filius
Largius dicetur.

5. Recolentes proelia
Tua, *Dionysi*,
Fac habere prandia,
Quae sunt paradisi.

Ad Benedictus.

A. Ferunt mundo quinque sensus,
Quinque dona, quinque census,
Sancta quinque nomina,
Caritatis semina:
Hellarus hilaritatem,
Felix fert felicitatem,
Tacianus taciturnitatem.
Clamat *Largus* largitatem,
Deo *Dionysius*
Dat nos studiosius.

Antiph. ms. Aquilegiense saec. 13/14. Cod. Semin. Goritien. B. A. — Sanctorale ms. Aquilegiense saec. 15. Cod. Labacen. 71. B. — Brev. Aquileiense imp. Venetiis (Francisc. de Hailbrun) 1481. C. — Ebenfalls in: Brev. ms. Civitatense anni 1476. Cod. Civitaten. LXXIV (28) — Brev. ms. Civitatense saec. 15. Cod. Archiep. Utinen. Oct. 10. — Antiph. ms. Civitatense saec. 15. Cod. Civitaten. XLIX. — Antiph. ms. Civitatense saec. 15. Cod. Civitaten. XXXIV — Antiph. ms. Civitatense saec. 15. Cod. Civitaten XLIV. — In 1. Vesp. **A** 1, 1 Haec est vera B. — **A** 1, 5 Pueros monet C. — Ad Magn. **A**, 3 Aerassante B. Ac crassante C. — In 1. Noct. **A** 1, 4 Beronius. — **R** 1, 1 Fulge B. — **R** 1, 6 voracem C. — **R** 2, 7 penna fictilis C. — In 2. Noct. **A** 2, 4 Vana B. — **R** 1, 1 Pantocre beato B. — **R** 1, 2 Domini C; Deum imprecante B. — In 3. Noct. **A** 2, 6 splendet BC. — **A** 3, 6 Contractastis BC. — **R** 1, 8 facies B. — **R** 2, 9 Summe C. — **R** 3, 9 Tam sane B. — In Laud. **A** 2, 1 Defleat C. — **A** 3, 2 iste. C. — Ad Bened. **A**, 7 Levita taciturnitatem. — In 2. Vesp. Ad Magn. **A** prosaisch.

44. In Memoria ss. Hermelandi et Baldi.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O Christo plebs dedita,
Sanctorum glebis praedita,
Gratuleris hodie,
Tota sis iucunda;
Erumpens in laudibus
Sursum erectis cordibus
Lauda regem gloriae
Labe mente munda.
Spem fide corrobora,
Ecce, sanctorum corpora
Hermelandi Baldique
Tibi commendantur;

Votis ergo sedulis,
Dignis concentus modulis
A nobis nunc utrique
Laudes referantur.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Sinceris Christo mentibus
Exsultemus cum gaudio,
Qui sanctorum pignoribus
Nos honorat in stadio.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Laus litetur in sanctorum
Festo grata numini,
Nam in lege Domini
Fuit voluntas eorum.

2. Super Sion constituti
Montem sanctum Domini
Sunt honoris gemini
Serta tandem assecuti.

3. A fructu multiplicati
Caelestis pinguedinis
Dei vultus luminis
Claritate sunt signati.

Responsoria.

1. Lux, ecce, fulget hodie
Novae sollemnitatis,
Laudum litentur hostiae
In ara puritatis,
Ne sanctorum reliquiae
Auferantur ingratis.
V. Psallat huius ecclesiae
Chorus pro tantis gratiae
Donis sibi collatis.

2. Mundum ad agni nuptias
Invitans rex caelorum
Servos praemittit varias
Promittens post laborum
Cursum vitae delicias
Mercedem meritorum.
V. Horum sancti, nunc proprias
Quorum colis exuvias,
Typum tenent servorum.

3. Cultu laudum impendia
Sacrae devotionis
Prome, praesens ecclesia,
Paradisi colonis,
Quorum fulges praesentia
Congaudesque patronis,
V. Laudes eorum amplia
Vitae compescens vitia
Filiae Babylonis.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Intraverunt Dei templum,
Ut orarent timidi,
Cunctis zelo fervidi
Praebentes exemplum.

2. Hoste strato cum dulcore
Praeventrice gratia
Viri sancti gloria
Coronantur et honore.

3. Sui semper procedebant
In conspectu Domini
Et idcirco termini
Lapsum prorsus eludebant.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Deum quaerens sine sorde
Haec est generatio,
Manus eius officio
Innocens et mundo corde.

2. Beati, remissae quorum
Erunt culpae penitus,
Illi nempe caelitus
Sorte fruentur iustorum.

3. Exaudiri meruerunt
Clamantes ad Dominum,
Quia spei terminum
Suae Christum posuerunt.

Responsoria.

1. Assunt nobis celebria
Beatorum sollemnia
Hermelandi Baldique,
Digna laudum praeconia
Devote cum laetitia
Referamus utrique,
V. Ut horum prece praevia
Christi remittat gratia,
Quae gessimus inique.

2. Clara sanctorum merita
Signa praemonstrant inclita,
Nam ipsorum obtentu
De caelo datur pluvia,
Fugatur aegrimonia
Sanitatis adventu.
V. Restaurantur deperdita,
Languorum cessant taedia,
Pulsi morbi detentu.

3. Te, Christe, laudant supera,
Terra, pontus et cetera,
Quaecunque condidisti,
Qui tot in vitae vespera
Nobis sanctorum pignora
Praeclara contulisti;
V. Nobis remitte scelera
Tibique nos confoedera,
Christe, quos redemisti.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Sanctorum testimonia,
Sacris quorum pignoribus
Praesens splendet ecclesia,
Facta sunt credibilia.

2. Nostra nunc terra iubilet
Laetanter illis serviens,
Laudum sonis invigilet
Festum sollemne faciens.

3. Ad te, Christe, pervigiles
Exstiterunt de luce,
Carnem ut firmi pugiles
Domantes multa cruce.

4. Cunctorum universitas
Christo confiteatur,
Per quem nostra nunc parvitas
Tot donis gloriatur.

5. Exuti carnis carie
Deum laudant in caelis,
In laude quorum hodie
Resultet nostra chelys.

In 2. Vesperis.

Super Magnificat.

A. O Iesu, fidelium
Spes et gloriatio,
Per quem tot magnalium
Haec aula deposito
Digne gloriatur,
Firma fides mentium
Crescat et dilectio,
Da spectatum gaudium,
Quo pro vitae merito
Te dante fruatur.

Brev. Lochense imp. Turonibus 1536. — In 1. Noct. **R** 2, 3 praemiunt. — In 2. Noct. **A** 1, 4 Se praebentes. — **A** 3, 1 Sui. — Die **RR** aus dem Officium des Hauptfestes: „Lectiones de sermone Sacramentum cum tribus primis **RR** dici." — In 3. Noct. **A** 1, 3 lies: eius a vitio? — In Laud. Ad Bened. **A** keine.

45. De sancto Hyacintho.

In 1. Vesperis.

Super psalmum.

A. Adest dies celebris,
Quo nobis mater ecclesia
In festo tanti luminis
Offert nova praeludia,
Dum Iacintum sanctissimum
Cunctis tradit hominibus
Venerandum per saecula.

Ad Magnificat.

A. Iacinti, novi sideris,
Magnificemus gloriam,
Qui in vita pauperrimus,
Magnis dotatus meritis,
Semper auxit ecclesiam.
Quam pius, quam humillimus,
Exemplum dedit saeculis
Nunquam casurum mentibus.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Iubar, quod diu latuit,
Cunctis resplendet hodie.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Iacinti corpus tumulo
Laeta sumit Cracovia,
Sanctique viri spiritum
Caeli suscepit curia.

2. Quare frementis populi
Iacintus corda gentium
Verbo convertit humili,
Corda tangebat hominum?

3. Vir fuit evangelicus,
Qui sui patris monita
Secutus est divinitus
Caelesti plenus gratia.

Responsoria.

1. Iacentem mundum tenebris
Iacintus totum repperit,
Sed luce sancti flaminis
Totus accensus ferbuit
Et corda tangens hominum
Multos ad fletum compulit.
V. *Fluminis impetus laetificat civitatem Dei.*

2. Hic sanctorum confessorum
Gloria sanctissimus,
Hic studentum norma morum,
Vir est hic catholicus,
Suis vertens in stuporem
Patriam sermonibus.
V. Ignitum verbum proferens
Inflammat corda frigida.

3. Inter flores hoc Iacinto
Flos non redolentior,
Inter gemmas pretiosas
Nulla gemma clarior,
Qui virtutum flos et morum,
Gemma splendens omnibus.
V. *Date Deo voluntarias primitias et purpuram et hyacinthum.*

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Te invocamus Dominum
In huius sancti gaudiis,
Exaudi tuum populum
Placatus suis meritis.

2. Verba prudentis hominis
Fluunt ex ore caelici,
Dum aqua sancti fluminis
Purgentur omnes populi.

3. Noster in caelis Dominus
Regnat, qui cunctis saeculis
Nos sui sancti precibus
Caeli coniungat angelis.

Responsoria.

1. Magnus praeco divinitus
Missus ad partes patriae,
Vir vere Dei caelitus
Cunctos subegit gratiae
Morbos curando omnium
Christi invocando nomine.
V. Verbo, vita, miraculis
Saevos repellit daemones.

2. Corpus afflictum iugiter
Subegit Christi legibus,
Quod calcans multipliciter
Non tulit mergi turpibus,
Sed dono Dei gratiae
Mundum servavit spiritum,
V. Carnem adversus animam
Rebellem sensit plurimum.

3. Exemplar datum humilis
Iacintus fuit saeculo,
Cracoviensem populum
Caelesti pascens pabulo,
Christi frequentans poculum
Et corporis mysterium.
V. Velum fecit de iacintho
Cortinasque purpureas.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Quis vidit in caelestibus
Florentem tanta gloria,
Qui vitam in terrestribus
Conservat Dei gratia?

2. Virtute magna praeditus
Vicit omne mortiferum
Et mente semper fervidus
Caeli conscendit solium.

3. Terra relicta ceteris,
Spreta contemptu facili,
Pauper Iacintus statuit
Degere sibi humili.

Responsoria.

1. Patres Ivo, Dominicus,
Et Deus, rex altissimus,
Te doctum, sanctum, humilem
Fecerunt cunctis saeculis,
O vir inenarrabilis;
V. Iacintus, plebem supplicem
Conserva tuis meritis.

2. Scandenti caeli sidera,
Consecuturo praemium
Caelesti tibi curia
Occurrit rex psallentium;
Vir sancte, viso Domino
V. Levans ad caelum oculos
Cogis abire spiritum.

3. Orantibus discipulis
Pater relicto saeculo
Laetus ascendit spiritu
Toto plorante populo.
O vir, pater sanctissime,
Tuis succurre filiis,
V. Qui lacrimarum fluvio
Confidunt tuis meritis.

Ad Laudes.

Antiphonae.

1. In hora sui transitus
Iacintus pansis manibus
Caelo praemisit spiritum
Cunctis solutis fletibus.

2. „In te speravi, Domine,“
Decantans voce flebili
Sanctam efflavit animam
Aspectu visus angeli.

3. Cum venit ad versiculum
„In manus tuas, Domine,“
Relicta carnis sarcina
Redit ad suum dominum.

4. O virum ineffabilem,
Benedicendum iugiter!
Regnans in caeli solio
Nos benedic per saecula.

5. Laudantem sancti merita
Sanctorum iunge coetibus,
Ploranti sua scelera
Parce Iacinti precibus.

Ad Benedictus.

A. O quantus luctus populo,
Quanta lamenta fratribus,
Dum vir Iacintus saeculo
Discessit tendens oculos
Ad Iesum, suum dominum,
Orans coniunctis manibus:
In manus tuas, Domine,
Meum commendo spiritum.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Ave, gemma pretiosa,
Cunctis gemmis clarior,
Ave, florum flos, Iacinte,
Omni flore purior,
Ave pie, ave bone,
Pastor noster inclite,
Tu qui potes, scis et vales,
Preces nostras suscipe,
Ut potenti tua prece
Nos trahas ad superos.

Miss. Cracoviense imp. 1545. — Vor dem Commune Sanctorum steht das vollständige Officium des Chores und des Altares. — In 2. Noct. **R** 3, 1 fehlt der Reim. — In Laud. **A** 3, 4 Rediit. — Zugehörige Hymnen: In 1. Vesp.: Laudibus celsis; Ad Matut.: Gaude, mater ecclesia; Ad Laud.: Aeterni regis maximus.

46. De s. Iohanne Evangelista.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O pater venerabilis,
Orbi cuncto mirabilis,
Lux evangelistarum,
O lux apostolorum,
Exemplar abstinentiae,
Insigne pudicitiae,
Imago veritatis,
Te laudat caeli curia
Christi felici gloria
Assumptum cum beatis
Chorisque apostolicis,
Propheticis, angelicis
Fac frui deitatis.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Iohannes velut aquila
Transcendens mentem omnium
Beatorumque agmina
Adeptus est in praemium.

2. Hic a Deo praedilectus
Adhaesit Christo firmiter,
Cena stringens sacrum pectus
Obdormivit suaviter.

3. Alta voce coetus clamat:
O pie discipule,
Drusiana, quam amabas,
Fertur in hoc funere.

4. Mortem vicit hic mortalis,
Dum mortuos resuscitat,
Fervens oleum legalis
Iohannes in se superat.

5. Pendens Christus patibulo
Matrem Iohanni condonat
Et de puro discipulo
Virginis natum adprobat.

6. Funde preces iam pro tuis
Devotis fidelibus,
Ut fruantur tamquam suis
Gaudiis caelestibus.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Venenum mortem continens
Crucis signo praemonitus
Iohannes, vitam instruens,
Sumpsit ob id intrepidus.

2. Revelator arcanorum
Se transtulit ad insulam,
Librum vitae atque morum
Scripsit hic christicola.

3. Mira virtus de Iohanne
In Pathmos extollitur,
Ubi dulce canit carmen,
Quo secretum panditur.

4. Sit qui venit benedictus
In honorem Domini,
Clamat populus electus
Civitatis Ephesi.

5. Cum hic esset scriba doctus
Confectus dulci senio,
Iesum vocat praeelectus
Ferventi desiderio.

6. Sponte se submittit humo,
Unde manna provenit,
Liberum a mortis fumo
Iohannem Christus suscipit.

In 3. Nocturno.

Responsorium.

Supra pectus Iesu Christi
Tu, Iohannes, dormivisti,
Eius matrem recepisti,
Cruci cuius astitisti;
Veni, mi amor, audisti,
Cum ad caelos ascendisti.
V. Sicut absque omni labe,
Ita sine carnis tabe
Iungi Christo meruisti.

Offic. ms. Faustae de Beccarinis in Monast. Visitat. BMV (Ord. Cist.) saec. 16. Cod. Senen. F VI 22. — In 1. Vesp. Ad Magn. A. 7 Imago virginitatis.

47. De s. Iohanne Evangelista.

Ad Matutinum

Invitatorium.

Qui Iohannem diligebat,
Adoremus dulcem Iesum.

In Nocturno.

Antiphonae.

1. Iohannes, fac in laudibus
Iesu nos occupari,
A quo debent in nubibus
Mortales iudicari.

2. Iohannes iam praeteritas
Nos culpas deploremus,
Et agat Dei bonitas,
Illas ne replicemus.

3. Iohannes, patrocinium
Nos tuum imploramus,
Quo caeli sic fastigium
Securi conscendamus.

V. Sic Iohannes omnia
Paterna dimisit,
R. Quod Iesu vestigiis
Firmiter adhaesit.

Ad Laudes.

Super Psalmos.

A. Iohannes, cum collegium
Missorum congregavit,
Redemptor tunc te filium
Tonitrui vocavit.

V. Iohannes Iesu pectori
Caput adclinavit,
R. Cum suae mortis Dominus
Reum revelavit.

Ad Benedictus.

A. Iohannes, Iesu aemulus,
Dignus Dei apostolus,
Cum angelis laetatur,
Summi patris imaginis
Visu fruens et virginis
Iucunde delectatur.

Per Horas.

Ad Primam.

A. Iohannes, pie credimus,
Quod asinam minavit,
Quam Iesus, sicut legimus,
Dum fleret, equitavit.

V. A Iohanne caritas
Fuit praedicata
R. Suisque discipulis
Morte commendata.

Ad Tertiam.

A. Iohannes cenam ultimam
Cum Simone paravit
Iesu, qui morti animam
Pro populo donavit.

V. Iohannes multis lacrimis
Iesum sepelivit,
R. Post eius matri humilis
semper oboedivit.

Ad Sextam.

A. Iohannes, Dei filius
Prostratus tibi lavit
Pedes, quem Iudas impius
Argento commutavit.

V. Iohannes nunc in patria
Valde sublimatur,
R. De cuius magna gloria
Ecclesia laetatur.

Ad Nonam.

A. Iohannes amicitia
Plus cunctis Christo iunctus,
Dira fuit angustia
In sua morte punctus.

V. Iuxta crucem Domini
Iohannes pie stabat
R. Matremque cum filio
Amare deplorabat.

Ad Vesperas.

Super Psalmos.

A. Iohannes, multis lacrimis
Cum matre sepelisti
Iesum, quem poenis maximis
Affligi conspexisti.

V. Sic Iohannem virginem
Iesus peramavit,
R. Quod illi matrem virginem
Care commendavit.

Ad Completorium.

A. Iohannes cunctas Asiae
Ecclesias plantavit,
Quas singulas cotidie
Tam bene gubernavit.

V. In medio ecclesiae
Iohannes praedicavit,
R. Spiritu sapientiae
Quem Dominus implevit.

Super Nunc dimittis.

A. Iohannes inter proceres
Est primos paradisi,
Ob cuius fructus uberes
Sunt plurimi gavisi.

Officium novum beati Iohannis, qui supra pectus Domini in cena recubuit. Imp. Bononiae 1525. — Colophon: Impressum Bononiae in aedibus heredum Benedicti, quondam Hectoris de Faellis Bononien. civium. Anno C. MDXXV. Nonis Aprilis. — Vor jeder Hore:

V. Singuli Iohannem
semper collaudemus,
R. Eius ob honorem
Deo iubilemus.

48. De ss. Iohanne et Marciano.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Hi duo nostri martyres,
De clara tribu nobiles
In Lubrae civitate,
Gentiles in catholicos
Rapti sunt, in neophytos
Pro Christi caritate.

2. Sacer Abundus ducitur,
Ad supplicium vehitur,
Quem rogat Marcianus,
Natum ut restituat
Vivum, quem iam perdiderat,
Ut fiat christianus.

3. Sanctus illum resuscitat
Iohannem, qui dormierat,
Pristinae sanitati
Patrem natumque renovat,
Aqua salutis adgregat,
Fons vivus, deitati.

4. Tres decollari praecipit
Caesar, quos Christus suscipit
In gloria caelesti,
Quorum sacrata corpora
Humat clara Theodora
In praedio campestri.

5. Et post annorum spatia
Iubente Christi gratia
Hoc in templum delata
Marciani sanctissimi,
Iohannis sacratissimi
Corpora sunt beata.

Ad Magnificat.

A. O gloriosi principes,
Patroni nostri proceres,
Qui praesulis ministerio
Crescentiani sedulo
In hac aula sedetis,
Quique Petri pontificis
Ope, summi artificis,
Miraculis fulgetis,
Ad Deum intercedite,
Devota mente poscite,
Ut plebem istam augeat
Virtutibusque muniat.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Christum regem collaudemus,
Iohanni et patri iubilemus.

Responsoria.

1. Defunctum gemens filium
Hic princeps Marcianus
Euntes ad supplicium
Iam cernit, quos insanus
Caesar tunc infidelium
Mittit Diocletianus,
V. Ut vitam per martyrium
Abundus, Deo carus,
Finiretque Abundantius
Per impiorum manus.

2. Vir Marcianus inclitus
Inquirit, scisciatur:

Qui sunt, quos chorus horridus
Pungit, trahit, minatur?
Audit, quod horum Dominus
Christus Iesus vocatur.
V. Per hunc virtutum omnium
Suis potestas datur,
Per hunc et cunctis etiam
Mors et vita donatur.

3. Hic, maestus dum illacrimat,
Obvius illis factus,
Orbum se nato clamitat
Cordis dolore tactus.
Abundus sanctus flagitat:
A quo est tibi raptus?
V. Hic leto raptum explicat
Anxio luctu fractus.

In 2. Nocturno.

Antiphonae

1. Herculem summum adorate
Et invicto Iovi tura date,
Nisi, ad tormenta properate.

2. Sancti martyres dixere
Et Diocletiano respondere:
Te confundat altus Deus
Et te profanet unus Deus.

3. Vobis terminum praefixi,
Ut deponatis legem Christi,
Et imolate diis veris,
Ut non deficiatis in his poenis.

Responsoria.

1. Sacer Abundus loquitur:
In Christo si nunc credis,
Anima tua salvabitur,
Et natum vivum habebis.
Tunc Marcianus utitur
Humiliter his verbis:
V. Quidquid tu, sancte, iusseris,
Implere me videbis.

2. Fer, ille inquit, filium,
Quem tantum deflevisti,
Videbis mirabilium
Virtutem Iesu Christi,
Quem creatorem omnium
Credas cordi non tristi,
V. Verum Dei filium,
Ut recte spopondisti,

3. Viri tunc huius nobilis
Cessat omnino fletus,
Qui[que] fuerat flebilis,
Incipit esse laetus,
Et mox Lubram ingreditur,
Sequitur eum coetus.
V. Filium tollit umeris,
Affert, ut suscitetur,
Rapido cursu graditur,
Christum ut imitetur.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Stulte, miser, insensate,
Redemptori tura date
Et adorate crucifixum
Et Trinitatem in idipsum.

2. Coepit imperator altercari
Et sanctos in eculeo levari
Iussit et capita truncari.

3. Dum ad necem mitteret insanus
Sanctos Christi, Marcianus
Exclamavit: Heu mihi,
Quia natum unicum amisi.

Responsoria.

1. Abundus orat, suscitat
Iohannem, qui dormierat,
Patrem confestim renovat
Et natum, qui perierat,
Ex fonte, qui vivificat,
In mortem qui abierat.

V. Quos fides, spes et caritas
Sic implet, purgat, [re]creat,
Ut, qui [Christum] non noverat,
Mori pro Christo iam quaerat.

2. Sic isti Christi athletae
Tunc pariter certantes,
Constantes et intrepidi,
In nullo murmurantes
Ab impio satellite
Percussi sunt orantes.
V. Et sic in agni sanguine
Suas stolas dealbantes
Ad regnum summae gloriae
Volarunt collaetantes.

In Laudibus.

Ad Benedictus.

A. Marcianus cum abisset
Et ad locum pervenisset,
Ministri diri Satanae
Noluerunt tantum sustinere,
Usque quo natum adduceret;
Ad locum autem venientes,
Nihil ipsum sustinentes,
Natum tollit ferens ad Abundum
Et simul pergit ad secundum.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Ottone magno imperante,
Silvestro papa triumphante
Pax rediit ecclesiae,
A Sclavinis timentes,
Adalbertum perimentes,
Eorum pium praesulem.
At pius imperator militavit
Slavoniam, inde corpus adportavit
Adalbertum et humavit
In mirabili ecclesia.
Inter duos pontes est constructa
Urbe Roma florida,
Ibi corpora deducta
Abundi et Abundantii,
Aliorum corpora multa
Et beata Theodora.

Offic. ms. Castellan. saec. 17. Cod. Borgian. L VII 26. — In 1. Vesp. A 1, 5 in cophitos. — A 5, 2 Christi clementia. — Ad Magn. A. 3 misterio. — In 3. Noct. R 1, 10 modo quaerat. — In Laud. Super Pss. AA ex 1. Vesp. — Ad Bened. A, 8 tollit illum ferens. — In 2. Vesp. Ad Magn. A, 3 reddidit. — Ibid. 5 Ad Sclavinis. — Ibid. 5 et 9 Ad Albertum.

49. De sancto Ioseph.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Nunc venias properesque libens,
devote sacerdos,
Ut Mariae sponso
Christique cananus alumno.

Ad Laudes.

Antiphonae.

1. Illustris patriarcha, Ioseph,
David inclita proles,
Fac, placeant summo
carmina nostra Deo.

2. Purifica, sana,
dita nos, maxime Ioseph,
Noster enim est animus
sordidus, aeger, egens.

3. Qui peregrinus eras,
nobis esto peregrinis
Dux, comes et fautor,
scandala tolle viae.

4. Conscius arcani es,
quod nescivere priores,
Dum Christum tangis,
fers, refoves et alis.

5. Tu vir, tu dominus
matris Domini dominorum,
Et tibi subicitur,
qui regit astra Deus.
In terris igitur
es magno dignus honore,
Cui nunc in caelis
gloria magna datur.

Ad Benedictus.

A. A propriis laribus
quondam fugis, at modo regnas
In caeli patria
felix, securus et omnis
Expers terroris,
labor, anxietas, metus absunt.
Desuper intendas
nobis miserosque benignis
Aspicias oculis,
quos creba pericula vexant.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O Ioseph, adcrescens
dictus, tu crescere fac nos
Virtutum gradibus,
donec Iesus videatur.
Incola dum terrae
fueras, hoc munus habebas,
Quod caeli dominus
dignatus erat tibi subdi.
Quid modo, divus, habes,
o quanta potentia, quanta est
Vis impetrandi,
quia, dum vir, dum pater orat
Uxorem et natum,
velut imperium reputatur.

Officium ex evangelio et probatis doctorum Bernardi: Petri de heliaco: et Iohannis Gerson: sententiis absque apochrifis(!) collectum de sancto Ioseph nutritore cristi: cuius festum. XIX. die marcii celebrandum instituit reuerendissimus et illustris princeps dominus Albertus ex bavarie ducibus: argentinensis Episcopus. Et assumpserunt illustres et generosi domini de capitulo maioris ecclesie eiusdem. Impressum per Iohannem wehinger IX. die marcii: Anno dñi MDIIII. — Zugehörige Hymnen: Ad 1. Vesp.: Claro de Davidis; ad Complet.: Quem patres Christum; ad parvas horas: O praecolenda trinitas. Alle drei Hymnen (letzteren als „ad laudes“) hat Morel (S. 146f.) mitgeteilt aus einem „Officium ex evangeliis et probatis doctorum . . . . sententciis. S. l. e. a.“, — allem Anschein nach eine frühere Ausgabe des vorliegenden Officiums. — Die anderen metrischen Teile des Officiums scheint Morel nicht bemerkt zu haben. — Das übrige der „Hystoria sancti Ioseph sponsi Marie: et nutritoris alumnique dñi nostri Ihesu Christi“ ist prosaisch.

50. De sancta Iuliana.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Plaudat mater ecclesia
Novis laudum praeconiis,
Quam Iulianae gloria
Festivis replet gaudiis.

2. Haec nata de nobilium
Praefectorum progenie
Patris, matris, insignium
Civium Nicomediae.

3. Ab annis puerilibus
Sacris imbuta moribus,

Sponsum Christum praeelegit,
Cui totam se subiecit.

4. Sprevit omnem viri thorum
Hostis manens vitiorum,
Conservare volens statum
Virginalem illibatum.

R. Trahentes ad interitum,
Igni martyr proicitur,
Sed gaudens tradit spiritum,
Dum caput ense caeditur.
V. Honor, virtus et gloria
Sit Christo, sponso virginum,
Qui nos ad caeli gaudia
Ducat post vitae terminum.

Ad Magnificat.

A. Ad honorem Iulianae,
Contemptricis pompae sanae,
Persolvamus laudis melos
Hac qua die scandit caelos
In vestitu speciosa
Solis more luminosa,
Sponso Iesu praesentata
Sit pro nobis advocata.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Regem regum adoremus,
Voce, votis honoremus,
Qui Iulianam hodie
Heredem fecit gloriae.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Admirabilis, Domine,
Comprobaris in virgine,
Humanas quae blanditias
Sprevit atque delicias.

2. Caeli narrabant gloriam
Perpetuam se quaerere,
Non mundi transitoriam,
Quae noscitur deficere.

3. Haec est generatio
Quaerentium Dominum,
Perseverans natio
Sacratarum virginum.

4. In virginis labiis
Est gratia diffusa,
Nam caesa suppliciis
Stabat inconfusa.

5. Deus noster refugium
Fuit Iulianae,
Patris nequam consilium
Faciens inane.

6. Dominum mirabilem
Virgo laniata
Fatetur laudabilem
Caelo iam beata.

Responsoria.

1. Iuliana nobilis
A patre flagellatur,
Ut immolet daemonibus,
Minime mutatur,
Vacat dei laudibus,
V. Christum Dei filium
Vocat in auxilium
Exposita verberibus.

2. Caesa datur Iuliana
Praefecto, quam puniat
Iudicis officio;
Movet iudex verba vana,
Ut eam emolliat
Carnali contagio:
V. Immortali servo quidem,
Inquit, soli puram fidem,
Nulli iam consentio.

3. In furore iudex motus,
Mente caeca captus totus
Virginem exspoliari,
Quatuor iubet mactari,
Ministrorum manibus.
V. In tormentis vultu laeta
Domini stabat athleta
Nullis laesa caedibus.

4. Praefectus coepit fremere
Se volens interimere
Caecus iracundia,
Mandans statim viris illis
Nudam appendi capillis
Die fere media.
V. Dura quassata procella
Cuncta tolerat puella
Mira patientia.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Fundamenta posuit
Sancta sanctis montibus,
Oleum haec habuit
Intrans cum prudentibus.

2. Cantate regi virginum,
Omnis terra, canticum,
Haec sancta propter Dominum
Carnis vitavit lubricum.

3. Dominus sapientia
Triumphum dedit virgini
De mundi malitia
Sanctorum iungens agmini.

4. Cantate mirabilia,
Quae Dominus ostendit,
Dum cuncta visibilia
Martyr haec vilipendit.

5. Dominus glorificavit
In aeterno solio
Virginem, quae triumphavit
Perpesso supplicio.

Responsoria.

1. Tyrannus magis saeviens
Illatis nil proficiens
Tormentis [crudelius],
Ollam plumbi bullientis
Super caput patientis
Fundi iubebat saepius,
V. Poenam libenter patiens,
Pro Christo mori cupiens
Nil reputabat carius.

2. Religata post catenis
Reservanda novis poenis
[Iuliana] ergastulo
Datur adminiculo
Sublato ministrantis;
V. Non defuit solacio
Divina miseratio
Angeli consolantis.

3. Nocte Satan veniens,
Angelum se mentiens
Bonum, dicit talia:
Cur tam dura pateris?
Tuis membris teneris
Sunt haec nimis gravia.
V. Christo placent minime
Nec tuae prosunt animae
Perpessa supplicia.

4. Dubitavit primitus,
Sed docetur caelitus
Capere daemonium;
Interrogat, quid ageret? —
Quod homines deciperet,
Hoc suum officium.
V. Amat fraudes, odia,
Quaelibet convicia
Nutrit cum discordia.

In 3. Nocturno.

Ad Cantica.

A. Quasi rosa vel lilium
Plantata secus fluvium
Fructus fecit honestatis
Viam servans puritatis.

Responsoria.

1. Educta de carcere
Summe verberatum
Trahit Dei munere
Daemonem ligatum,
In lutum proiciens;
V. Vade, inquit, in infernum,
Christianos in aeternum
Sinas, leo rugiens.

2. Praeceptoris imperio
Rota grandis erigitur,
In ipsa dum extenditur
Carnificum officio
Tota conquassatur;
V. Angelus statim adfuit,
Rotam illam comminuit,
Mox virgo liberatur.

3. Numero quingenti viri
Signo viso tanti miri
Se fecerunt baptizari,
Qui sunt iussi decollari;
V. Centum triginta feminae
Confidentes in virgine
Viris petunt sociari.

4. Iuliana ad praemium
Virgo praesentata
Capite minuitur.
Corpus terrae linquitur,
Anima secura
Intrat caeli gaudium;
V. Christo mente semper iuncta
Vita vivit vita functa.

In Laudibus.

Super Psalmos.

A. Dominus fortitudinem
Iulianae tribuit,
Quando nullam gravedinem
Tormentorum timuit.

Ad Benedictus.

A. Flos Iuliana virginum,
Ora pro nobis Dominum.
Pro nobis, virgo Christi,
Ut mundi post exsilium
Intremus caeli gaudium,
Martyr, quod meruisti.

Per Horas.

Ad Primam.

A. Haec est virgo sapiens
De numero prudentum,
Devote custodiens
Virgineum talentum.

Ad Tertiam.

A. Ista virgo sapiens
Inventa margarita,
Mundana despiciens
Comparavit ita.

Ad Sextam.

A. Benedixit creatorem
Suis [in] operibus,
Virginalem servans florem,
Datum caeli civibus.

Ad Nonam

A. Duo minuta protulit,
Quod est quadrans, obtulit,
Corpus tormentis tradidit,
Animam caelo reddidit.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Glorificat miraculis
Iulianam divinitas,
In qua divinis oculis
Mira fulsit fidelitas,
Quam gratiarum titulis
Sollemnem fecit populis
Virginalis integritas.

Offic. ms. Faustae de Beccarinis in Monast. Visitat. BMV. (Ord. Cist.) saec. 16. Cod. Senen. F VI 22. — In 1. Vesp. R. 3 tradidit. — In 1. Noct. A 4. 1 virgineis. — A 5. 3 E patris. — A 5. 4 Faciens mane. — R 3, 8 caedibus laesa. — R 4, 3 Sua caecus. — In 3. Noct. R 1, 2 verberatam.

51. De ss. Iusto et Clemente.

Ad Vesperas.

Antiphonae.

1. Laetetur ecclesia
Mater voto mentis,
Recolens sollemnia
Iusti et Clementis.

2. Horum vera fraternitas
Probatur Deo grata,
Quam exornat integritas
Carnis immaculata.

3. Isti sunt triumphatores
Mundi, carnis inimici,
Vanitatis contemptores,
Dei facti sunt amici.

4. Patriarchae sectatores
Exiverunt patriam,
Divini praedicatores
Verbi petunt Italiam.

Ad Magnificat.

A. Veneremur sanctos patres,
Iustum et Clementem fratres,
Quorum carnis fraternitas,
Magis perfecta caritas,
Mundi ac caeli socia
Pari locatur gloria.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Regem regum sempiternum
Dignis colamus laudibus,
Qui regnum dedit aeternum
Iusto et Clementi fratribus.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Beati pestilentiae
Cathedram refugerunt,
Magis oboedientiae
Viam ambulaverunt.

2. Quare sancti disciplinam
Visi sunt apprehendere,
Evangelicam doctrinam
Docentem cuncta spernere.

3. Cum invocarent Dominum,
Audiri meruerunt,
Viros dolosos sanguinum
Sancti cum fugaverunt.

4. Verba percepit auribus
Dominus confessorum,
Orantium pro frugibus
Fame tribulatorum.

5. Domine, mirabile
Nomen cognoverunt
Tuum, formidabile
Quod praedicaverunt.

6. In Domino fiduciam
Iactaverunt totam,
Linquentes provinciam
Pergentes ad ignotam.

Responsoria.

1. Iustus et Clemens nomine,
De genere nobilium
Fratres partium Africae,
Refugiunt mirifice
Consortium affinium,
Levi ne peccent famine.

V. Admiranda fraternitas,
Quam servat Dei pietas
Impollutam a crimine.

2. Exeuntes de patriae
Solo, relicto proprio
Fines intrant Italiae.
Vulterram dictam hodie
Pergunt Dei consilio,
Corruptam tunc perfidia.
V. Magnam gentem copiosam,
Rebus miris speciosam,
Nominatam Antonia.

3. Replent terram semine
Divini verbi, germine
Pleno fructum percipiunt
Sacramenta tribuentes,
Convertendo cunctas gentes,
Fideles sic efficiunt,
V. Orantes ab haeresibus,
Forinsecus ab hostibus
Civitatem eripiunt.

4. Orta fames cives ferit,
Gens clamabat, quia perit,
Confessorum auxilium.
Et ferte dicunt populis:
Cras vestris coram oculis
Videbitis suffragium.
V. Reperiuntur frugibus
Mane sanctorum precibus
Horrea plena civium.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Domine, sine macula
Tui confessores
Sacri montis per saecula
Fiunt possessores.

2. Domine, in virtute
Tua laetabantur,
A sua iuventute
Cum te sequebantur.

3. Domini potentia
Sanctis est collatum
Servare pudicitia
Cor immaculatum.

4. Exaudivit Dominus
Preces confessorum.
Liberans eos protinus
De manu malignorum.

5. Te decet hymnus, Domine,
Qui habitans in homine
Templum facis sanctitatis,
Omnis replens bonitatis.

6. Bonum nobis confiteri
Est Domino altissimo,
Psallere, qui misereri
Ut pater scit piissimo.

Responsoria.

1. Nocte sanctis orantibus,
Guandalis quiescentibus,
Omne bladum exterius
Simul fertur interius
Angelico praesidio;
V. Aeternae rex clementiae
Novum genus potentiae
Sanctorum dat arbitrio.

2. Iratae gentes efferae
Ad arma currunt propere
Spoliatae cibariis,
Pressae famis angustiis:
V. Faciunt pro lapidibus
Afflictis plagis variis
Proici panes hostibus.

3. Mira res et laude digna.
Fit clementia benigna,
Turba nocere cupiens,
Gustato pane furiens,
Turbata coepit fugere,
Quaeque praerupta petere.
V. Instante tota civitas
Ad laudes surgit debitas
Tanto recepto munere.

4. Una voce tollitur
Iustus, constituitur
Pontifex civitatis,
Docet mundum spernere,
Caelum semper quaerere,
Locum securitatis;
V. Novus praesul factus gregis
Formam tenet summi regis,
Sedem humilitatis.

In 3. Nocturno.

Ad Cantica.

A. Sanctorum sapientiam
Narrabat omnis populus,
Eorum providentiam
Quia cernebat oculus.

Responsoria.

1. Fabricant ecclesiam,
Domum orationis,
Foris portam Antoniae,
Praestant ibi gratiam
Causa devotionis
Euntibus cottidie;
V. Vacabant sacris studiis,
Hymnis, psalmis, ieiuniis,
Doctrinarum vigiliis.

2. Elegerunt asperrimum
Ferarum animalium
Locum valde deterrimum,
Daemonum infernalium,
V. Consecrant Dei laudibus,
Fit sacrum domicilium
Cunctis purgatum sordibus.

3. Carnis degentes sensibus
Sucurrebant dolentibus,
Quibuscunque languoribus
Suis orationibus,
V. Imperant daemonibus,
Pellunt de corporibus,
Assistunt invocantibus.

4. Iusta iustis venit dies,
Quo perennis datur quies
Viantium laboribus,
Redditur simul gloria
Conformis, par victoria
Iusto et Clementi fratribus.
V. Ecce, vere datur vita
Digna mortali finita
Domini confessoribus.

In Laudibus.

Super Psalmos.

A. Terret poena detrahentes
Beatis confessoribus
Duos, qui fiunt rigentes
Corporis membris omnibus.

Ad Benedictus.

A. Benedictus rex gloriae
Sit, qui caelestis patriae
Regni confert munus
Sanctis, quorum precibus
Nobis supplicantibus
Det trinus et unus.

Per Horas.

Ad Primam.

A. Horarum vigiliae
Per hos sunt custoditae,
Nunc ad bonum gloriae
Audiunt *Venite*.

Ad Tertiam.

A. Fideles isti Domini
Servi sunt probati,
Suo dantes nomini,
Quae sunt operati.

Ad Sextam.

A. Beati servi vigiles
Hi patres sunt inventi,
Bono pastori similes,
Errantibus intenti.

Ad Nonam

A. Horum sacrata servitus
Deo grata probatur,
Quae festum sancti spiritus
Semper concomitatur.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Magnificat divinitas
Confessores virtutibus,
Sanctorum immortalitas
Probatur ex operibus,
Gratiam praestantium
Quibuscunquelanguentibus,
Optatum praesidium
Cunctis [dant] petentibus.

Offic. ms. Faustae de Beccarinis in Monasterio Visitationis B.M.V. (Ord Cist.) saec. 16. Cod Senen. F VI 22. — In 1. Noct. **A** 3, 3 sanguinem. — **R** 2, 1 patria. — **R** 2, 7 gente copiosa. — In 2. Noct **A** 6, 3 Ei psallere. — **A** 6, 4 piissime gegen den Reim. — **R** 4, 2 Iustus sic. — In 3. Noct. **R** 2, 2 sq. Ferarum locum animalium valde. — Ad Prim. **A**. 1 Et harum vigiliae. — Hymnus: Felicis alma gloriae (Anal. XLIII. 210).

52. De s. Iusto Tergestino.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Fulget clara dies,
a Christo magnificata
Martyrio sancti
Iusti nimis atque dicata;
Hanc omnes Christi
merito venerantur amici,
Ecclesiae sanctae
per quam pereunt inimici,
Hanc Tergestini
cives recolunt pretiosam,
Per quam se noscunt
turbam superare dolosam;
Ergo pio Christo
pie tu nos redde patrone.

Ad Nocturnum.

Invitatorium.

Regem iustorum,
quem Iustus, frater eorum,
In regno vitae
laudat, rogitare venite.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Iste beatus vir,
nomine Iustus, sapienter
Absque reatu legit
in actu vivere semper.

2. Adversus Iustum
populi mala sunt meditati,
Quos pia mens risit
Iusti super astra beati.

3. Ad Dominum Iustus
clamavit voce beatus
Et de monte Dei
fuit hac in valle iuvatus.

Responsoria.

1. Tempore, quo vanus
regnabat Maximianus
Eius et insanus
collega Diocletianus,
In Tergestina
micuit ceu stella marina

Urbe sacer Iustus,
vitiis vir semper inustus.
V. Iste fide, verbis
pro Christi iure superbis
Obstabat magnus
martyr, mitis velut agnus.

2. Sanctum credentes
postquam genuere parentes
Iustum, se Christo
mundo commisit in isto,
Actibus in sanctis
observans iussa tonantis.
V. Pro regno Christi
quia mortem sponte subisti,
Gaudes in caelis
cum iustis, Iuste fidelis.

3. Dum sacer hic turbae
Tergesti ferret in urbe
Iustitiae lumen
fidei condendo cacumen,
Magnatius praeses
barathri mox frenduit heres
In servum Christi
minitans sibi verbere tristi;
V. Tunc Iesu dignus
martyr, per cuncta benignus,
Exoptans Christum
minitantem non timet istum.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Iustitiae solem,
quia Christum Iustus amavit,
Hunc scitote, pii,
Dominus quia mirificavit.

2. Iste domum Domini
fidei virtute regebat,
Qui fidei scuto
ceu sidus in astra nitebat.

3. Gloria, laus et honor
Christus Deus atque corona
Martyris est Iusti,
sibi dans caelestia dona.

Responsoria.

1. Vir Domini Iustus,
fidei sub tegmine tutus,
Non dubitans Christum
venerari tunc crucifixum,
Coram praefecto
respondit famine recto;
V. Hic inquisitus
fidei de iure peritus,
Mente quidem sana
contemnens idola vana.

2. Tunc sanctum vanus
Magnatius ille tyrannus
Carcere conclusit,
sed, cum lux altera fulsit,
Orantem istum
renuit de carcere ductum.
V. Hunc iussit servis
crudis affligere nervis,
Laudantem Christum
Dominum, Iesum crucifixum.

3. Iste mori lucrum
pro Christi nomine multum
Credidit et Christum
semper coluit crucifixum,
Optans post istam
caelestem ducere vitam;
V. Verus amor Christi
sic iusto praefuit isti,
Quod nihil in terra
cuperet nisi sola superna.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Iustus te Dominus
dilexit, Iuste beate,

Per quem sunt gentes
Christo credendo renatae.

2. In sancto sanctus
iam Iustus monte quiescit,
A Christo Domino
qui nunquam corde recessit.

3. In caput huius te
lapidem summum posuisti,
Iesu, tuque corona sibi
pretiosa fuisti.

Responsoria.

1. Postquam vel poenae
vel sponsio vocis amoenae
In sanctum vere
Iustum non praevaluere,
Ipsum per mortem
vult praeses perdere fortem;
V. Hic solum Christum
quia praedicat in cruce fixum
Atque diis terrae
contemnit tura referre.

2. Ergo praefatum
Iustum per saecla beatum
Praeses damnavit
nec non sibi membra ligavit.
Sub multo plumbo
pelagi dans ipsa profundo;
V. Prudens iste nimis.
dum sic pateretur in imis,
Laudabat Iesum
pro mundi crimine laesum.

3. Funibus et plumbo
Iustum per membra ligatum
De pelagi fundo
solvit maris unda beatum,
Martyris ergo Dei
dedit aequor signa tropaei,
Cum non est tanti
[mare] passum vincula
sancti.
V. Praecipiente pio
tunc noctis tempore Iusto
Condita sunt digno
sua digne membra [sepulcro].

Antiph. ms. Civitatense saec. 14. Cod. Civitaten. LVII. — Das Weitere fehlt, da leider ein Blatt aus der Hs. entfernt worden. Dasselbe Officium findet sich auch in den Acta SS. Nov. I, 430 u. f., aber in einem so unheilbaren Zustande, dafs es nicht einmal möglich war, die fehlenden Laudes-Antiphonen daraus zu ergänzen. Der Text verdient verglichen zu werden als lehrreiches Beispiel dafür, was ein Abschreiber aus einem Texte zu machen imstande ist.

53. De s. Katharina Senensi.

In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

A. Virginem Katharinam maximis
Hodie veneremur laudibus
Quae meritis pollens amplissimis
Vitae fuit exemplar omnibus,
Unde sertis ornata plurimis
In supernis refulget sedibus.

Ad Magnificat.

A. Quae sub divo
patre Dominico
Iussa caeli
complevit omnia,

Comitante
coetu angelico
Alta poli
conscendit atria,
Digna virgo,
quam dulci cantico
Rite, pie
colit ecclesia.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Christum, regem regum,
supplices adoremus,
Qui immortali gloria
virginem Senensem
dotavit Katherinam.

In Nocturno.

Antiphonae.

1. Lumen Senensis patriae,
Haec sacra virgo Domini
Multum adiecit gloriae
Praedicatorum ordini.

2. Claris orta natalibus,
Religione praedita,
Magnis aucta virtutibus,
Vita florebat inclita.

3. Cum solo pane vescitur
Caelestis alimoniae,
Fama per orbem spargitur
Ingentis sanctimoniae.

Responsoria.

1. Salvatoris nostri clementia
Sororum decoravit ordinem
Sub arta vitae paenitentia
Digne per Katharinam virginem,
Cuius ampla refulget gratia
Late per omnem mundi cardinem.
V. Stella caeli haec orta saeculis
Lumen praebet salubre populis.

2. Virgo fortis in sexu fragili
Tutum salutis iter eligit
Et Christum mente sequens humili
Carum gratiae munus attigit,
Cum amore fragrat mirabili
Poenas sponsi ferre, quem diligit;
V. Nam toti mundo salutifera
In se Christi suscepit vulnera.

3. Ad instar puri nitens speculi
Orbem taetris purgat a vitiis,
Omni carens labe piaculi
Summi regis potitur nuptiis
Post pretiosi pignus annuli.
V. Nos suis ducat meritis
Ad caeli domicilium,
Quae sertis floret inclitis
Stans ante Christi solium.

Ad Laudes.

Antiphonae.

1. Alma virgo Katharina,
Verbo potens et opere,
Luce fruitur divina,
Semper felix in aethere.

2. Quae recte Christum coluit
Amore semper intimo,
Haec exaltari meruit
Honore caeli maximo.

3. Plena fruentem copia
Caelestes alunt nuptiae,
Quam diva pavit hostia
Miro cum fructu gratiae.

4. Pro flagris tunc asperrimis
Et duro ferri cingulo
Bonis gaudet uberrimis
Nunc in perenni saeculo.

5. Divino laudes nomini
Dantur, cum trinam lauream
Accepit sponsa Domini
Aulam scandens aetheream.

Nos consortes reddat fruentium
Caritate perennis gloriae.

Ad Benedictus.

A. Haec sponsa clarissima,
Quae signa faciens potissima
Saepe morbos sanavit plurimos
Et feroces demulcens animos
Pacis dedit foedera gentibus,
Nos suis salvet dignis precibus.

Per Octavam.

Ad Benedictus.

A. Lux effulgens matutina,
Salubris cura populi,
Det nos frui Katherina
Aeterna pace saeculi.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Sororum gemma paenitentiae,
Katherina, decus Etruriae,
Quae dono Christi, regis omnium,
Diadema suscepit hodie,

Ad Magnificat.

A. Felix virgo Katherina,
Mente nitens et corpore,
Nos praeservet a ruina
Extremo vitae tempore.

Antiphon. ms. S. Katharinae Divoduren. saec. 14. Cod. Vatican. s. n. (ol. 122 bis). — In Noct. R 2, 2 elegit. — Ad Laud. Ad Bened. A. 5 dedit tendera.

54. De s. Katharina de Suecia.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O beata sponsa Christi,
Katharina, meruisti
Apud regem angelorum
Suscitatrix mortuorum
Fieri quam plurium;
Felix tui depressio
Superbis fit repressio
Et robur humilium.
Tu pro nobis, virgo pia,
Roga regem omnium,
Ut donet vera gaudia
Praesens post exsilium.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Regi Christo iubilantes
Laudum per insignia
Exsultemus venerantes
Katharinae sollemnia.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Nata virgo Katharina
Regalis prosapiae
Rara continentiae
Mox refulsit gratia.

2. Katharina puellula,
Flagellata (a) daemonibus,
In amore radicata
Christi stat robustius.

3. Adulta virgo nubilis
Duci desponsatur,
Quem sanctis suis monitis
Castum Christo lucratur.

Responsoria.

1. Facto voto castitatis
Sponsa, sponsus pariter
Sub aspectu deitatis
Mundum ludunt fortiter,
Spreta spe posteritatis
Deo vivunt dulciter.
V. Carnem sub cilicio
Iugiter premebant,
Precibus, ieiunio
Semper insistebant.

2. Dum sic ambo continenter
Christum colunt sedulo,
Urget daemon fraudulenter
Cadere proposito,
Hinc in sanctos impudenter
Fratrem movet odio.
V. Nam dum frater observavit
Horum castimoniam,
Quasi stultos obiurgavit
Exprobrans ignaviam.

3. Sanctae matris et avorum
Sequitur vestigia,
Romam petit, ut sanctorum
Veneretur limina
Et ut Christi passionem
Recolat intimius,
Terrae sanctae regionem
Visitat devotius.
V. Sicut quondam patriarcha
Dereliquit propria,
Sic maritum Katharina
Spreta liquit patria.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Postquam virgo Katharina
Exsul Romae habitat,
Matrem piam comitata
Sancta loca visitat.

2. A maligno est tentata
Coniugis memoria,
Quem mox Deus ad beata
Caeli duxit gaudia.

3. Maria matri reserat,
Quam felix eius filia,
Quod pauper facta spreverat
Opes cum mundi gloria.

Responsoria.

1. Quidam comes inflammatur
Veneris incendio,
Ab hoc sancta postulatur
Iungi matrimonio;
At repulsus comes nocte
Abditur in vineis,
Ut hanc raptet facto mane,
Sed privatur oculis.
V. *Apertis comes oculis, nihil videbat; ad manus autem illum trahentes introduxerunt ad sanctam Katharinam, qua orante cum matre pro eo confestim cecidit caligo ab oculis et visum recepit.*

2. Virgo Christi passionem
Cogitabat sedulo,
Semper sponsi unionem
Affectabat serio,
Ut referret talionem
Ex affectu intimo.
V. Quaerit Iesum toto corde,
Eius mortem cum maerore
Tractat fundens omni die
Lacrimas pro sanguine.

3. Matris ossa, virgo pia,
Dum defers in Sueciam,
Ne errares hac in via,
Stellam habes praeviam,
Cuius luce Deo duce
Recta petis patriam.

V. Quot perversi sunt conversi
Sacris tuis monitis,
Quot infirmi sunt curati
Precibus et meritis!

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Quanto sese deprimebat
Humilis nobilitas,
Tanto magis elucebat
Nobilis humilitas.

2. Quando Tibris alte suum
Superabat alveum,
Grave Romae civitati
Minitans exitium,
Haec rogata tactu pedum
Dimovet imperium.

3. Sicut coenobitas fugit
Suis votis non contentos,
Katharina sic diligit
Factis votis delectatos.

Responsoria.

1. Tordonis manum praesulis
Post mortem virgo comprimit,
Hoc, ut fidelem subditis
Impendat curam, innuit,
Quem vivens iuvit gratia
In Romana curia
Pro confirmanda infula.

V. Quod viva verbis, precibus,
Exemplo, zelo, monitis,
Post mortem fecit nutibus,
Sic salus facta plurimis.

2. Post labores hic completos
Vocaris ad praemium,
In amplexus sponsi laetos
Properas et gaudium.
Gaudet terra, plaudit caelum
Sidus mittens lucidum,
Quod ad tui stetit promptum
Funeris obsequium.

V. *Stella, quam viderant viri timorati cum aliis luminaribus in aëre, antecedebat funus, usque dum veniens staret supra, ubi sacrum pignus conditum fuit.*

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Sicut Ioseph et Maria,
(Sic) Eghardus et Katharina
Carnali sine copula
Casta fuerunt lilia.

2. Devota meditatio,
Preces et ieiunia,
Iugis humi cubatio
Erant horum media,
Quibus pellebant vitia;
Sequamur haec vestigia.

3. Pompam despexit vestium
Non sequens morem principum,
Hinc oculis nobilium
Ipsius vestis lacera
Divinum per miraculum
Putatur praestantissima.

4. Ab ancillis obiurgata
Gaudens fert ludibria,
A vicinis damnis laesa
Reddit beneficia.

5. O Katharina filia,
Non cedis matri mortua
Miraculorum gratia.
Sancta mater, felix nata,

Nobis per vestra merita
Caeli donentur gaudia.

Ad Benedictus.

A. Gestant reges et magnates
Corporis exuvias,
Multis modis student omnes
Tangere reliquias;
Eius sanctos imitantes
Mores simus humiles,
Ut pro nobis fundat preces,
Deprecemur supplices.

Officia propria sanctorum et aliarum festivitatum ordinis Salvatoris, vulgo S. Birgittae, Romano Breviario accommodata, recitanda a monialibus Anglicanis civitatis Ulyssiponensis. Ulissipone 1690. — Daraus mitgeteilt von Robert Geete in: Svenska Litteratursällskapets Tidskrift Samlaren. 1903, 5—11. — Trotz der jungen Quelle (eine noch jüngere zitiert Chevalier, Repert. Hymnol. Nr. 12 685) nehme ich dies Officium, als ein augenscheinlich älteres Produkt, hier auf. Ad Mat. Hymnus: Exsultet aula caelica.

55. De sancto Kentigerno.

In 1. Vesperis.

R. In septentrionali Wallia,
Non longe ab Albania,
Sancta colit ecclesia
Kentegerni sollemnia,
Cui volatilia,
Ferae, pisces, flumina
Parent ut mancipia
Domino clientia.
V. Eius flatu facula
Sopita pro invidia
Succenditur in Scotia
Sine ignis materia.

Ad Magnificat.

A. Alme praesul Kentegerne,
laudum digne iubilo,
Qui dum lumen tenebroso
praebuisti populo,
Lux scintillis splenduisti
crebris in candelabro,
Tibi laudes decantantes
repraesenta Domino.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Caelestis regem patriae
Adoremus cottidie,
Qui Kentegernum hodie
Coronavit glorifice.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Stirps regalis Britannorum
Kentegernum protulit,
Quem Servanus, vir non vanus,
Litteras edocuit.

2. Iste ab infantia
Iugum portans Domini
Praesulari stragula
Promeruit indui.

3. Aemulorum ausibus
Obviat puerulus
Vitam dando volucri,
Quam necarant invidi.

Responsoria.

1. Christi miles Kentegernus,
plenus Dei gratia,
Regi regum militavit
ab adulescentia,
Qui per eum ampliavit
electorum agmina,

Dum moneret legis hostes
tuba evangelica.
V. Eructando flumina
salutaris scientiae,
Plebem lavit tepidam
de tabe apostasiae.

2. Mirantes pavent aemuli,
Quod vita redit volucri,
Quam necarant improvidi
Avulso lento capite.
Virtutum haec primordia
Sunt facta in Albania
Per Kentegerni merita,
V. Qui illaesum quondam rubum
inflammavit stipite,
Sine rogo accendebat
corilum mirifice.

3. Qui elixas condiebat
dapes in lebetibus,
Hunc defunctum lamentatur
herus cum clientibus,
Sed culinae redit vivus
Kentegerni precibus
Albaniam fugientis
citatis anfractibus.
V. Siste gradum, praebe vadum,
fuga ponti rheumata,
Doctor clamat, ad quem amat
assequens vestigia.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Sacro flatu pueri
Conscintillant spatulae
Viridantis corili
Ut faces ignicomae.

2. Pulsat aures Domini
Vox orantis pueri
Pro defuncto famulo,
Qui revixit concito.

3. Stupet Ledonis alveus
Mallenae ructans fluctibus,
Quod salebre divortia
In se grassant reciproca.

Responsoria.

1. Olim fetae arcam Dei
vaccae Dagon obruto
De Accaron ad Bethsames
plaustrant sine scrupulo,
Sic de Ckernach functum tauri
reddunt nullo praevio,
Qui in Glascu funeratur
Kentegerni merito.
V. More Simeonico
Accepto oraculo
Aeger viso puero
Obiit in Domino.

2. Cultro lupi exaratus
Ager ac tellure satus
Germinavit triticum,
Furibundus rex caecatus
Mitis est illuminatus
Per virum authenticum.
V. Silvestri apro praevio
Compaginatur praedium,
In quo sancto collegio
Fit Asaph monasterium.

3. Crudi moris rex infaustus
Et exosus clericis
Documentis obviavit
sanctis sicut magicis,
Doctilogum calce pellens
instigante vernula,
Quem festina mors detrusit,
rexque languet podagra.
V. Qui submersit Pharaonem
Et Goliam obruit,
Regem nequam et tironem
Dira nece perculit.

In 3. Nocturno.

Antiphonae

1. Kentegernus nunquam nimbi
passus est discrimina,

Nec dumtaxat nix vel grando
eius rigant pallia.

2. Lupino fissum vomere
Agellum sevit pulvere,
Mirante superficie
Albescit caespes segete.

3. Crimen suum palliavit
Regina per annulum,
De profundo quem portavit
Pisciculus laticum.

Responsoria.

1. Aporia ingruente
vir largus diriguit,
Miro modo recreandus
opera, qua viguit,
Cum horrisonum avari
flumen lambens horrea
Classicaret sine rate
ad eius mapalia.
V. Qui mare scidit Moysi
Et Iordanem Iosue,
Annonam sancto praesuli
Cludum fecit vomere.

2. Cudenti in ferrugine
glauca fabro mittitur,
Quod per culpam incuriae
vado lac effunditur,
Nec commiscetur gurgiti
liquor nec defluitur,
Virtutum in congerie
sic Kentegerni cuditur.
V. Vervex gregem comitatur
Amputato capite,
Quod in petram transmutatur
Ut uxor Loth Sodomae.

3. Iubente Petrus Domino
Inescat piscem hamulo,
In quo reperto statere
Didragmam iussit solvere;
Sic Kentegerni merito
Reginae piscis baiulo
De stagno aurum attulit,
Quo velut insons claruit.
V. Reginam rex supplicio
Mortis pro adulterio
Torquebat, sed redemptio
Miranda fit in annulo.

Prosa.

1. Gens Cambrina cum regina
Plaudite tripudio,
Vibex fletus, dolor, metus
Et mortis condicio

2. Iam cassatur et purgatur
Vitali remedio,
Lympha celat, quod revelat
Ichthys herae clanculo.

3. Latet regem, per quam legem
Ditetur cum annulo,
Ensem tortor condit, horror
Sedatur prae gaudio.

4. Laudes ergo Kentegerno
Decantat haec contio,
Metam auro quod reperto
Traxit de ergastulo
Velut insons.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Eia, laudes decantemus,
iubilemus Domino,
Kentegernum venerantes
laudum cum praeconio.

2. Per coronam auream
In peplo angelico
Et columnam flammeam
Notus est in cuneo.

3. Sospitati pristinae
Mortuum mirifice
Kentegernus hominem
Reddidit et volucrem.

4. Benedictus Kentegernus
Gregem suum visitans
Larvas fugat, aegros curat,
Plebs exsultat obvians.

5. Laudes Deo decantare
Suevit in frigidis
Undis artusque siccare
Super frontem silicis.

Ad Benedictus.

A. Sacrosanctam Kentegernus
servans parcimoniam
Fame, siti et algore
eius pavit animam,
Dum in aquis decantaret
frigidis psalterium
Ac quatriduano cibo
foveret corpusculum;
Ipsum omnes proclamemus
cum precum instantia,
Ut de mortis terra ducat
nos ad caeli gaudia.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O paradoxe pontifex,
Per orbis vasta climata
Quem phalanges uranicae
Et siderum officia
Et elementa omnia
Alterna per prodigia
Carum declarant Domino,
Qui poli regit dindima
Ab illo nobis vendica
Perennis vitae praemia.

Alexander Penrose Forbes, Lives of S. Ninian and S. Kentigern, Edinburgh 1874. p. XCIV sqq. „from a ms. Breviary of the latter half of the thirtheenth century, lately acquired for the Advocates Library." — In 1. Noct. R 2, 9 cipite. — In 2. Noct. R 1, 6 redant nullo. — R 3. 4 sine magicis. — In 3. Noct. Prosa 2, 4 Ixtis (ιχθυς). — Ibid 4, 2 quo aeperto. — In Laud. Ad Bened. A. 11 mortis torre. — In 2. Vesp. A, 9 vendita.

56. De s. Laurentio Sipontino.

Ad Vesperas.

Antiphonae.

1. Ad hanc urbem Sipontinam
properet Apulia,
Convocetur Beneventum
et victa Campania
Ad colenda patris nostri
festiva sollemnia.

2. Felicissimus Felici
successit Laurentius,
Aulae regis triumphalis
Constantini maximus,
Quo patrono gratuletur
Sipontinus populus.

3. Vidnata suo sponso
Sipontina civitas
A Zenone confirmari
cleri petit unitas,
Et concessa illi fuit
patris nostri sanctitas.

4. O Laurenti, membrum Christi,
pontifex mirabilis,
Terris templum recepisti
conditum ab angelis
Et nunc caelestis cum illis
omnibus amabilis.

5. Gratuletur et laetetur
Sipontina contio

Laudes Deo referendo
et sancto Laurentio,
Qui hanc regit et gubernat
suo patrocinio.

Ad Magnificat.

A. Martyr volens adorari
Et Siponti venerari
Stephanus immobilis
Portu stetit, voto quaerit
Domum sui nominis;
Qua promissa est concesssa
Cunctis via facilis,
Et reliquias portantes
Intrant urbem, visitantes
Domum summae virginis.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Adoremus regem magnum
confessorum omnium,
Qui pastorem nobis dedit
beatum Laurentium.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Urbs beata Constantini
genuit Laurentium,
Educavit et instruxit
adiuvans imperium,
Quem donavit Sipontinis
ad salutem omnium.

2. Urbs antiqua Sipontina,
gaudeas in Domino,
Qui te tanti confessoris
munit patrocinio,
Terra regit et gubernat
ac maris navigio.

3. Consecravit hunc beatum
pontifex Gelasius,
Eius magnae sanctitatis
et virtutis conscius,
Rogans verbis et exemplo,
ut putetur socius.

Responsoria.

1. Urbs laetare Sipontina,
gaudeat Byzantium,
Nam quo patre nos laetamur,
dedit illa filium
Ad honorem tui cleri
et salutem civium.
V. Laudes Deo referas,
Sipontina civitas,
Qui patronum tibi dedit
[beatum] Laurentium.

2. Ut est facta Sipontinis
digna postulatio,
Et Zenonis celebrata
exstitit concessio,
Ad nos pater adventavit
celeri navigio.
V. Hic martyris Stephani
communitus brachio
Et mamillae Agathae
Caelesti subsidio.

3. Postquam sanctus portum cepit
cum sanctis reliquiis,
Donec votum praesul dedit,
mox stetit immobilis,
Quod celeriter formarat
templum protomartyris.
V. Hinc intravit civitatem
tendens ad ecclesiam
Matris nostri salvatoris,
dignam petens veniam.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Hunc susçepit consecratum
Sipontinus populus
Laudes Deo referendo
quasi gemens servulus
Et pastori obviando
velut patri filius.

2. Vere felix hic monstratur
caeli fultus gratia,
Nam instinctu Michaelis
datur ei filia,
Quae Romanae sanctitati
possit esse socia.

3. Plebs pagana haec impugnans
et Samnitum moenia
Michaelis fulminatu
sternitur per devia
Et prostrata trucidatur
divina potentia.

Responsoria.

1. Tandem Romam consecrandus
vir beatus adiit
Et Gelasio sacratus
felix praesul rediit,
Sed a Deo informatus
sanctitate praefuit.
V. Hic inunctus et instructus
Romano pontifice
Digna lege in hac sede
Multis annis praefuit.

2. Hunc beavit et artavit
Michael archangelus,
Dans favorem, ut sub eo
sit Montanus populus,
Qui pro loci sanctitate
dicitur Angelicus.
V. Hic hortatu Michaelis
cepit ius regiminis
Civitatis atque cleri
et caelestis lapidis.

3. Turba Neapolitana
bello citans Samnium
Et Siponti ut pagana
quaerens exterminium,
Fulgur sensit malesana
et humanum gladium.
V. Nam beatus praesul noster
hoc vidit per somnium,
Quod virtute Michaelis
iret in exitium.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Hunc dum Totila impugnat
trucem equum dirigens,
Quasi agnum mitigavit
super illum residens,
Et ad regem properavit
multa signa faciens.

2. Civitate liberata
condidit ecclesiam,
In qua totam designavit
Siponti parochiam,
Qua pictura prophetavit
teneri memoriam.

3. O Laurenti, membrum Christi
et comes mirabilis,
Postquam carnem exivisti,
iam regnas cum angelis,
Sed ut felix exstitisti
es et venerabilis.

Responsoria.

1. Haec dum Totilae flagellum
obsideret moenia,
Ferum equum sancto misit,
multa plenum mania,
Quem sedavit equitando
sanctitate nimia;
V. Quem ut vidit rex crudelis
remissa saevitia,
Condonando civitati
remisit ad propria.

2. Hic habendo prophetiae
sanctitatem duplicem
Aulam fecit praecursoris
depingendo silicem,
Quam parochiae praedixit
recuperandae vicem.
V. Hic habendo sanctitatis
et virtutis calicem
Ad pingendum suae manus
adaptavit pollicem.

3. Laudes Deo hoc in festo
demus annis singulis,
Quia stetit ut in terris
patronus mirabilis,
Sic in caelo stat cum Deo
et regnat cum angelis.

V. Gaudeamus et ad preces
nunc sit quisque humilis,
Nam, ut fuit hic benignus,
cunctis venerabilis.

Ad Laudes.

Antiphonae.

1. Praesens festum venerantes
laudes demus Domino,
Qui Sipontum exaltavit
tanto beneficio,
Et hanc aulam assignavit
beato Laurentio.

2. Gaude, puer, gaude, senex,
gaudeat et iuvenis
Sipontinae civitatis
decus portans luminis,
Et hoc festo cantet clerus
dulce melos carminis.

3. O Laurenti, pater pie,
audi preces populi
Tè clamantis et precantis,
tui devoti filii
Ut sint tibi commendati
velut veri servuli.

4. Gaudeamus et laetemur,
clerici et milites,
Et nobiscum gratulentur
nobiles et humiles,
Et hac die nuptae cantent,
et exsultent virgines.

5. Hic Eliae, Deum rogans,
sensum cepit duplicem,
Nam futura praesignavit
et sanavit debilem
Ac superbum conculcavit
et erexit humilem.

Ad Benedictus.

A. Res miranda et colenda
Siponti per saecula,
Quo, Laurenti, tibi dedit
angelus oracula,
Beneventum simul sensit
tua beneficia,
Et domita sub te fuit
Totilae superbia.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Lumbos cinxit et praecinxit
beatus Laurentius
Ac lucerna fulgens fuit
et servorum servulus,
In hac sede digna sedit
sanctitatis cumulus.

Acta SS. Febr. II, 62 sq. — Vorher (p. 56) die Note: Triplicem illius vitam damus, quam ex veteri codice manu in membrana exarato, qui in ecclesia Canonicorum Sipontinorum Manfredoniae asservatur, descriptam nobis transmisit Antonius Beatillus noster [S. I.]. . . . . Tertia non tam vita est, quam Antiphonae et Responsoria, ut vocant, Officii ecclesiastici. . . . Porro duplex erat horum metrorum exemplar: unum priori Vitae praefixum, alterum secundae, in lectiones partitae interiectum.“ Der Text ist nach dem ersteren mitgeteilt; Varianten aus dem zweiten: In 1. Noct. **R** 1, 3 Nam quem patrem laeta tenes. — **R** 2, 1 Ut ex facta a Siponto. — In 2. Noct. **R** 2, 1 beavit et ornavit; zu arctavit am Rande die Bemerkung: alias dotavit. — **R** 2, 4 zu Montanus am Rande die Bemerkung: Garganus. — In 3. Noct. **A** 3, 3 carnem exuisti. — **R** 1, 4 plenum insania. — **R** 3, 3 Qui fuit ut. — Das zweite Exemplar schliest mit dem 3. Resp. der 3. Noct. In dem ersteren folgt nach dem eben genannten Resp. samt Versikel noch folgendes „Aliud Responsorium“:

Caeli aulam dum mandaret
pontifex Gelasius
Consecrari, convenerunt
primitus Laurentius,
Hi[n]c Sabinus Canusinus,
Salpensis Palladius
Et Iohannes Rubesanus,
Tranensis Eutitius
Et cum illis Venusinus
affuit Austerius.
Hoc vetavit Deo missus
Michael archangelus
Dicens: Domum istam feci
et sacravi caelitus.
V. Quibus visu dum astaret
summi regis nuntius,
Ut cessarent ab incepto
monuit archangelus.

57. De s. Leonardo Lemovicensi.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Christe, tui sancti
confessoris Leonardi
Laude pia praesta
nobis sacra solvere festa.

2. Adflictis operante Dei
virtute potenter
Auxilium meruit
conferre salubre frequenter.

3. Hic vir despecto
mundi praesentis honore
In sancto studuit
Domino servire timore.

4. Hinc algore, fame
fragilis instantius artus
Corporis edomuit,
daret ut sibi praemia Christus.

5. Iste, salutaris
baptismi gurgite tinctus
Est fidei verae
prudenter dogma secutus.

Ad Magnificat.

A. Confessor Christi,
sublimi proxime patri,
O Leonarde tuis
hodie succurre ministris.
Digna laude tua
recolentibus inclita festa,
Et, qui peccati
sumus undique mole gravati,
Clemens dignare
relevando iustificare.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Cuncta gubernantem
Dominum laudemus in unum,
Qui famulum dignum
sibi praevidit Leonardum.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Hymnis almiuis
Christo pariter iubilemus,
A quo supremum
decus est Leonardus adeptus.

2. Hic aetate tener
didicit mundana cavere,
Mundo corde Deo
satagens et mente placere.

3. Sedulus ardenti
studio praebebat ovanter
Auditum sacris
evangelii documentis.

Responsoria.

1. Servus Christi Leonardus,
coruscans virtutibus,
A primaevo coepit Deo,
servire attentius,
Sanctitatis incessanter
insistens operibus.
V. Claruit eximiis
Francorum gentibus ortus.

2. Sanctitate roboratus
fidelis Christi famulus
Erat, rebus vir benignus
perfectus in omnibus,
Trinitati summae semper
obsequens viriliter.
V. Edidit hunc alitrix
Gallia nobiliter.

3. Elegit sanctum
de plebe Deus Leonardum,
Nomine, virtute
magnificavit eum.
V. Solveret Vae, quosque
vinctos, sanaret et aegros.

2. Qui postquam coepit
probitatis viribus uti,
A Domino meruit
dare morbida membra saluti.

3. Fulget in excelsis
coniunctus coetibus almis,
Perpetuo potiens
doni cum principe summo.

Responsoria.

1. Incrementis adulescens
Bonitatis hic succrescens
Tanta Dei sublimari
Gratia promeruit,
Ut reginae aegrotanti
Prae dolore pariendi
Sospitatem redderet.
V. Ad Dominum lacrimando
preces fudit Leonardus.

2. Vere miranda
magnalia sunt Leonardi,
Noverat adflictis
dare caelica commoda cunctis,
V. Quo fundente preces
[vina fiunt] latices.

3. O felix dilecte Deo
Leonarde coheres,
Custodi nos et
nostri dignare reatus
Iam nexus laxare tui
virtute precatus;
V. Nobis ergo bonus
petimus succurre patronus.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. In terris degens
Christi miles Leonardus
Membra voluptati
carnis sua non dedit ulli.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Demus digna Deo
laudis praeconia summo,
Qui sibi dilecto
regna dedit Leonardo.

2. Iste Dei sanctus
divino robore fretus
Sanavit multos
morbi valetudine pressos.

3. Te, clemens, aeterne Deus,
proni rogitamus,
Suscipe vota precum
tibi devote famulantum.

Responsoria.

1. Quidam servus Leonardi,
dira vinctus compede
Augebatur taetrae trusus
angustia speleae,
Cui sanctus in vestitu
candido apparuit
Atque potenter eum
solvit et eripuit.
V. Ecce, daturus opem
tibi misertus ait: assum.

2. Miles erat positus
angustiis artis in antris,
Qui graviter diris
constringebatur habenis,
V. Huic Christi famulus
mox subvenit Leonardus.

3. O beati Leonardi
veneranda praeconia!
O immensae admiranda
caritatis opera!
Qui, dum saeculi des exit
[prospera] labentia,
Supernae felicitatis
promeruit gaudia.
V. Reddidit aegrotos
validos, alacres tribulatos.

4. O disruptor vinculorum,
Pater et dux captivorum,
Conservator infantium,
Liberator praegnantium
Et curator languentium
Superatorque daemonum,
Leonarde, fidelium
Audi preces servulorum,
Impetrans nobis gaudium
Ante regem saeculorum.
V. Reginam et plebem
qui succurristi
Ac regem dolentem
qui confortasti,
Leonarde.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Laudibus alma tui
dilecti festa colentes
Fac pie provisi,
Deus, heredes paradisi.

2. A puero sanctus
athleta Dei Leonardus
Moribus, eloquiis
praefulsit et actibus almis.

3. Iste salutaris
baptismi gurgite tinctus
Est fidei verae
prudenter dogma secutus.

4. Sancti Remigii
veris rutilans documentis
Elegit placitam
Domino deducere vitam.

5. Digne iam superis
est civibus associatus,
Qui culmen renuit
praesumere pontificatus.

Ad Benedictus.

A. Alme Deus trine,
qui cuncta regis sine fine,
Agminibus concede piis
meritis Leonardi
Iustorum nos spirituum
feliciter addi.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O bone protector,
clemens Deus, optime rector,
Custodi famulos
semper ab hoste tuos
Et fer opem nobis
ipsius propter amorem,
Cuius sollennem
das celebrare diem.

Offic. ms. S. Leonardi Lemovicen. saec 15. Cod. Sangenovefian. 122 (BBl. Fol. 32). — In 1. Noct. **R** 1, 2 fidei coruscans. — **R** 1, 4 regi summo servire. — In 3. Noct. **A** 2, 3 Sanat. — **A** 3, 4 famulatum. — **R** 1, 7 sq. Pentameter. — **R** 3, 7 sq. promeruit felicitatis. — Hymnen de Communi.

58. De ss. Liberata et Faustina.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

Ad gloriam
Dei et fidelium
Discretionis
verae celsitudini
Innotescat
sacratissimas virgines
Liberatam et Faustinam
Secundum carnem sorores
Nobiles quidem genere,
Sed longe nobiliores
Vita et conversatione.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Agnum, sponsum virginum,
Venite adoremus.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Virginibus sacris
pangamus carmina laudis,
Ut penetret caelos,
quod damus, ecce, melos.

2. Virgo Liberata
Ioannatis libera nata,
Et Faustina soror,
candida sicut olor,

3. Moribus ornatae
claraque propagine natae,
Spreverunt aevum
suntque secu'ae Deum.

Responsoria.

1. Mentes tuorum visita,
Christe, redemptor omnium,
Et nos salva per merita
Tam beatarum virginum,
Quae per mundi climata
Tibi dant obsequium,
V. Quocumque pergis, virgines
Sequuntur atque laudibus
Post te canentes cursitant
Hymnosque dulces consonant.

2. Liberata et Faustina
Sorores tunc geminae,
Mundi recusant nuptias
Sancto calentes flamine,
Modo metunt manipulos
Pro rite iacto semine.
V. *Euntes ibant et flebant mittentes semina sua.*

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Virgineas mentes
miroque pudore nitentes
Replevit citius
spiritus, ecce, pius.

2. Quando virum flebat
laniataque crine dolebat
Gemitu miro
sponsa relicta viro,

3. Tunc animos vincunt,
opes patriamque relinquunt,
Perdiderant matrem
destituuntque patrem.

Responsoria.

1. Templa struunt, vigilant,
ieiunant, iugiter orant,
Carnis membra domant
Christoque placere laborant,
V. Haec nempe mundi gaudia
Et blandimenta noxia
Caduca rite deputant.

2. Dolebat pa-
ter lugens nimium,
Coniunx cessit
nullum (hinc) consilium,
Quis super his
dabit auxilium.
V. *Fuerunt illi lacrimae*
suae panes die ac nocte.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Sic duce Marcello
devicto denique bello
Comum tunc quaerunt
donaque multa ferunt.

2. Igitur hic orant
commissaque crimina plorant
Pluraque templa struunt,
flumina prope fluunt.

3. Finis sic vitae
fuit illis denique rite,
Suntque labore brevi
regna secuta Dei.

Responsoria.

1. Virgineos artus
replevit spiritus almus,
Funera, cum flebat
coniunx orbata marito.
V. *Deduxit eos Dominus in*
portum voluptatis suae.

2. Sic Comum properant,
opibus patriaeque resignant
Armillasque ferunt
et munera plurima secum.
V. Has iustus sequitur,
Marcellus nempe sacerdos.

3. Urbs Comensis gratuletur,
Hymnis tota iucundetur
Hodie clementius,
Quam thesauro tam praeclaro
Sublimavit Dominus.
V. *Gaudeat terra nostra, tantis*
irradiata fulgoribus et tan-
tarum virginum splendore
lustrata, totius saeculi sentiat
se amisisse caliginem.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. O felix virginitas,
quae Christo dum attendit,
Omnem mundi gloriam
prorsus vilipendit.

2. Quam felix germanitas,
quae se talem exhibuit,
Quod in caeli solio
consociari meruit.

3. Propter fidem sedulam
Suae caritatis
Quasi bina lilia
Odorem dant suavitatis.

4. Benedicat terra Deum,
Quae sic est ditata,
Quod tantarum virginum
Membris est lustrata.

5. Virginum corporibus
nimium exsultat
Comensis ecclesia
totaque resultat.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Sponsae Christi carissimae
Spretis mundi illecebris
Piis vacabant studiis,
De corporis ergastulo
Ergredientes libere
Regna tenent caelestia;
Cuncti fideles, plaudite.

Brev. sec. ritum patriarchalem Comensis ecclesiae imp. Comi (Gotardus de Ponte) 1519 et 1523. — In 1. Noct. **R** 3 prosaisch. — In 2. Noct. **R** 3 prosaisch. — In Laud. Ad Ben. **A** prosaich.

59. De s. Lucia Salernitana.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Iam splendor, lumen luminum,
[In] Ecclesia micuit,
Nam lux, quae radiavit,
Lucia, consors virginum,
Candor lucis apparuit,
Ad caelos evolavit.

2. Cuius perfecta sanctitas
Per mundum duxit rivulos,
Qui scaturiunt, aquarum,
Istius fontis claritas
Sororum traxit ramulos.
Ad matrem filiarum.

3. Haec virgo spernens gloriam
De mundo fert victoriam
In ordine Minorum,
Dumque Francisci studia
Sectatur, est in gratia
More patrum priorum.

4. Lucia docens filias,
Cuius est ad iuvenculas
Caelestis disciplina,
Crucis Christi delicias
Informat haec novitias
Exemplis et doctrina.

5. Virgo Lucia, gaudeas,
In laude semper floreas
Ad Christum perduc florem,
In annis puellaribus
Delectamenti facibus
Spretis quae das odorem.

Ad Magnificat.

A. O proles nobilium,
O virgo, splendens lilium,
Ex te sidus claruit,
Quod nos illustravit,
Castitas per saecula,
Refulgens Christi vernula,
Lucia lux micuit,
Quae crucem amavit.
In te rosa rutilat,
In te fructifer pullulat
Requiescens spiritus,
Dulcis vis odorum,
Cuius replet sanctitas
Sorores Christo deditas,
Per te nobis aditus
Pateat polorum.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Regi, qui mundo claruit,
Cuncti demus honorem,
Lucia cruci praebuit
Crucem amans amorem.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Haec virgo prudentissima,
Virgo fulgens, flos florum,
Lucia splendidissima
Virginum intrat chorum.

2. Francisci tenens formulam
Haec virgo Deo grata
Illuminavit regulam
Sponso Christo dicata.

3. Mundi spernens delicias
Vult Christum invenire,
Per corporis miserias
Ad caelum studet ire.

Responsoria.

1. Francisci sequens regulam
Cum sancta paupertate,
In voto Christi sedulam,
Perfectam caritate,
Lucia virgo plantulam
Se plantat sanctitate.
V. O iuvenem virgunculam,
Quae se Christo tam parvulam
Dedicat castitate.

2. In mundo spernens vivere
Mundum suppeditavit,
Quae morum fulgens opere
Sorores informavit,
Sic botrum Christi colere
Studens fructificavit.
V. Dum fructus venit legere
Legionis fructiferae
Fructus multiplicavit.

3. In paupertatis nidulo
Iacens virgo sacrata,
Virtutum pollens titulo
Christo configurata,
Sine nummorum loculo
Vivit alleviata.
V. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Pauper affectans vivere
Pauperibus se vinxit,
Adnullans se in cinere
Cilicio [se] cinxit.

2. Tamquam fidelis docuit
Sorores castitatem
Et semper eas monuit
Sectari sanctitatem.

3. Delectat evangelium
Christi semper audire.
Desiderat in superum
Gaudium introire.

Responsoria.

1. Haec est virgo paupercula
De numero prudentium,
Amatrix margaritae,
Quae castigatur ferula,
Sorores paenitentium
Docens: istic venite;
V. Cunctis datur haec formula:
Quem gessit virgo filium,
Ad ipsum omnes ite.

2. Amica crucis plangere
Crucifixum non desinit,
Quem docens ipsa plangit
Pro dulci ferens pondere,
Crucis iugiter meminit,
Nec eam dolor angit;

V. Per crucem credens vivere
Psalmos huic dulces concinit,
Quam tractans manu tangit.

3. Vivens [in] caeli gaudio
Lucia cum tripudio
Cum Christo iucundatur,
Splendorem dans palatio
Lux lucet, cuius radio
Mundus illuminatur;
V. Cursu laboris praevio
Sursum felici bravio
Fruens deliciatur.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Crucem diligens iugiter
Cordi suo adfixit,
Quam dulce pondus suaviter
Eam laedens adflixit.

2. De petra trahit oleum
Et de rosa odorem,
De testa crucis rubeum
Et lilii candorem.

3. Virgo Lucia macerat
Corpus se flagellando,
Sic ad caelestem properat
Curiam exsultando.

Responsoria.

1. Carnis virgo
spernens delicias
Metit granum,
excutit paleas,
Caeli solum
captat divitias,
Deo laudis
offert primitias;
V. Virgo virtutes varias
Sponso portat ad nuptias.

2. De paupertatis horreo
Dum studet spicam vellere
Virgo, suo corporeo
Dum castigatur verbere,
Fit panis, quem offert Deo
Pro sui fructus munere;
V. Sic pro pane cinereo,
Quem fletu rigat ubere,
Pane cibatur melleo,
Quod est cum Christo vivere.

3. Felix virgo, quae laetaris
Gaudio polorum,
Quae cum pace iam cibaris
Pane angelorum,
Quaesumus, reminiscaris
Supplicum tuorum,
V. Iam corona puellaris
Tibi datur pro amaris
Vitae meritorum.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Sancta Lucia gaudeat,
Choris [con]iuncta virginum
Habet, quem adamavit;
In caelo gaudens floreat,
In quo lucet lux luminum,
Qua Dominus regnavit.

2. Agnus vocat ad nuptias,
Invitat ad delicias
Luciam castitate,
Non quaerit haec inducias,
Sed spernit mox divitias
Pro Deo, iubilate.

3. Haec in te tota sitiens,
O tu fons indeficiens,
Deus, ad te de luce
Vigilavit, quem diligens
Frequentavit non neglegens,
Amplexans te in cruce.

4. Amatrix crucis Domini
Det crucifixi nomini
Gloriam tractans crucem,
Hanc tenet manu dextera
Ut benedicant opera,
Per quem transit ad lucem.

5. Laudans factorem omnium
Monet turbam fidelium
Hunc solum [adorare],
Quem cymbalis pulsantibus
Et tympanis sonantibus
Non cessat personare.

Ad Benedictus.

A. O lux lucens ecclesiae,
Virginis tam egregiae!
Amat Lucia pauperes,
Spernit mundi degeneres
Mens intus ditata,
Cuius in claustro lectulus
Pauperculus et nudulus,
Crucifixo coniungitur,
Christo passo conectitur,
Cruci conformata;
Post finis sui terminum
Virgo cum turba virginum
Scandit ad caelos fulgida,
Splendet ut lumen lucida,
Pulchre laureata.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Gaude, plebs fidelium,
Plaude, conventus ordinum,
Lucia, candor virginum,
Tuum landa factorem,
Tibi dantur monilia
Gemmis effulgentia
Dantibus splendorem.
O vita caelestium.
Quae lampade non vacua
Venit ut virgo fatua
Oleum non ferens,
Sed evigilans aperit,
Sponsum digne repperit,
Hunctoto corde quaerens.

Alia Antiphona.

O Iesu, lux signorum,
Fons luminum et stella
Signis radiosa,
Dulcissimus flos florum
Manat ex tua cella,
Virgo speciosa.
Ex rosis hunc hortorum,
Lucia nobi(li)s bella
Radiat ut rosa.
Balsamus unguentorum,
Tus, cedrus et fiscella
Non sic pretiosa,
Sicut est vis odorum,
Quo replet nos puella
Signis gratiosa.

Offic. ms. S. Mariae Magdalenae Salernitanae saec. incert. s. n. Daraus bei Caietanus, Octavius, Vitae Sanctorum Siculorum. Panormi 1657, Tom. II. Animadverss. p. 70 sqq. — In 1 Vesp. **A** 1, 5 luci. — **A** 2, 3 Per multum. — **A** 3, 4 studium. — **A** 5, 3 produc. — Ad Magn. **A**. 14 Christo dedicatas. — In 3. Noct. **R** 3, 9 In te meritorum. — **A** 5, 3 solem. — Hymnen: Exsultemus et laetemur Ad Vesp. et Noct. und Summi regis palatio (ad Laudes). Das Officium folgt dem des hl. Franciscus s. Assisi.

60. De s. Lucia de Monte Virginis.

In 1. Vesperis.

R. Extremum peragens
felix Lucia laborem
Virgo beatorum
merito perrexit in arcem,
Qua divina videns
diademata virginitatis

Fulgebit semper;
tua nunc solacia praebens
Sidereum regem
nobis deposce favorem,
V. Implora veniam,
cura nos, cuncta secunda.

Ad Magnificat.

A. Sponsa Dei, Lucia, memor
[huius] esto catervae,
Quae tua gesta canens
a te petit auxiliari,
Natalis cum grata tui
sollemnia pollent,
Et te quaerentes
scelerum fac peste carere.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Praecelso regi,
cui machina subiacet orbis,
Qui sibi sacravit
Luciam dote beatam,
In labiis huius
memores et corde canamus.

In 2. Nocturno.

R. Flos sudans rorem
ascendit ad montis honorem
Et super hunc florem
Deus inspiravit odorem,
Flos virgo, ros grata salus,
odor aura salutis.

In 3. Nocturno.

A. Multorum dulci
medicamine vulnera curans,
Aula Dei radians,
domus et deitatis amica,
Fer curam nostri
nobisque, benigna, faveto.

Responsoria.

1. Carnis terens
adulescentiam,
Dei tantum
quaerens notitiam,
Regnum linquens,
notos et patriam,
Gressum vertit
in Lotharingiam;
V. *Optans Christo sponso coniungi voluntarie mundanam vicit gloriam.*

2. O lampas ecclesiae,
Rivum fundens olei,
Medicina gratiae,
Nutrimentum fidei,
Tutelam praesta pavidis,
Calorem minus fervidis,
Languidis medelam.
V. In te [virgo] veritas,
Oliva fructifera,
Cuius lucet puritas
Et resplendent opera.

In Laudibus.

Antiphonae.

2. Gaudia festivae
percurrant ora diei,
Christicolae plebis
celebrat qua laeta [caterva]
Virgineum decus ad
laudem Domini Luciam.

3. Haec est virgo nitens,
quae clara iam tibi sponsa
Obviam processit,
factura perenniter illic
Obsequii pensum,
divis sociata choreis.

4. Aula capax lucis
verique domus pia solis,
Quae medicante manu
miseros compassa fovebas,
Nunc petimus nostris
occurre per omnia morbis.

5. O felix ancilla Dei,
nos pondere pressos
Exonera et fessos
mordacibus exue culpis,
Aetheris et pateat
te supplice ianua nobis.

Acta SS. Sept. VI. 101. „Ex apographo transmisso," leider nicht vollständig mitgeteilt. — In Laud. A 3, 2 iam te. — A 3, 4 illi.

61. De s. Marcellino Ebredunensi.

Lectio 1.

O beate Marcelline,
gloriose pontifex,
Qui fuisti praedicator
et dux innocentiae,
Intercessor sis pro nobis
ad regem clementiae.

Lectio 2.

Qui ab Africa venisti
te ducente Domino
Parentibus inconsultis
et relictis omnibus,
Citra mare remeasti
versus partes Alpium;
Impetra, ut deleantur
sordes nostrum omnium.

Lectio 3.

Benignissime confessor,
domino praedilectus,
Qui serpenti venenoso
eras non incognitus
Et sodalem elegisti
beatum Vincentium,
Ut opprimeres errorem
perfidorum omnium.
Praebe nobis, te rogamus,
bonum patrocinium.

Lectio 4.

Sancte pater Marcelline,
nobilis progenie
Fideque nobilior
erga regem gloriae,
Per diversas mundi partes
docuisti populum,
Ut errorem relinquendo
sequerentur Dominum;
Funde preces, deprecamur,
pro nobis ad Dominum.

Lectio 5.

Sanctissime Marcelline,
Pontifex egregie,
Illustrator veritatis,
monstrans viam veniae,
Custos gregis Iesu Christi
[et] doctor assiduus,
Nomen suum praedicasti,
electorum socius,
Sis tuorum devotorum
adiutor perpetuus.

Lectio 6.

Pater sancte, Marcelline,
nobis suspirantibus
Manum tuam sic extende
cum fletu poscentibus,
Ut exutos a peccatis
in caeli palatio
Tuis precibus oblatis
caelorum altissimo
Valeamus collocari
cum sanctorum gaudio.

Brev. Ebredunense imp. Lugduni 1520. — Diese Lektionen folgen auf das Officium votivum des Heiligen mit der Bemerkung: „Sequentes lectiones possunt dici, quando placuerit.“ — Lect. 2, 1 Qui ab infantia venisti. — Lect. 3, 5 sodalam.

62. De sancta Martha.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Assunt festa magnifica,
Nova pangamus cantica
In laude Christi hospitae.

2. Martha Dominum suscepit
Et sollicite refecit
In hospitio suo.

3. Iesus Martham peramabat,
Se tangentem ipsam sanat
A profluxu sanguinis.

4. Erat Martha valde pia
Et fecunda et benigna,
Gratiosa omnibus.

5. Hanc baptizat Maximinus,
Vir praeclarus et divinus,
Et custodit sedule.

Ad Magnificat.

A. O praeclara
Domini hospita,
Roga Deum,
ut nostra debita
Pietate
relaxet solita
Nosque ducat
ad regna caelica.

Ad Nunc dimittis.

A. O felix Dei famula,
Digna laude per saecula,
Martha, Christi discipula,
Pro nobis deprecare,
Ut a peccatis expiati
Efficiamur Deo grati
Et in caelis collocati
Digne possimus dicere
Alleluia.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Sanctae Marthae hospiti,
Christo iubilemus.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Sanctae Marthae sollemnia
Nobis assunt celebria,
Iucunda, salutaria.

2. Sancta Martha interpellat,
Christum iudicem appellat
Pro sororis requie.

3. Iesus Christus pascebatur,
Martha vero laetabatur
Pro suscepto Domino.

Responsoria.

1. Splendent Marthae sollemnia,
Tota Christi ecclesia
Petat eius suffragia;
V. Plebs fidelis et devota
Festum colat mente tota
Marthae, Christi hospitae.

2. Beata Martha nobilis,
Carne Christo amabilis,
Exsultat Iesu Domino
Suscepto in hospitio;

V. Sancta Martha satagebat,
Soror vero audiebat
Verba Christi dulcia.

3. Prece Marthae Lazarum
Christus suscitavit,
Iam foetentem mortuum,
Quem ipse amavit;
V. Dei gloriam videbis,
Ait Christus, et habebis,
Martha, si credideris.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Sancta Martha egregia
Stirpe descendit regia.

2. Fecit se foras deferri,
Ut caelum possit intueri
Et poni in cinere.

3. Passio dum legitur
Christi, Martha transit,
Ut *In manus* dicitur,
Spiritum emisit.

Responsoria.

1. Aqua sancta iacitur
Ad draconis mortem,
Christi crux ostenditur,
Quem ligat ut ovem.
V. Dei freta pietate
Populoque comitante
Ad draconem properat.

2. Fecit Martha statuam,
Ornatam veste fimbria
Ad Domini imaginem;
V. Herbae sub illa crescentes
Atque fimbriam tangentes
Multos sanant languidos.

3. Iesus Marthae obitum
Funere levavit,
Quae per annum integrum
Febre laboravit.
V. Laudes Christo referebat,
Febres magnas sustinebat
Corde semper hilari.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Adest dies laetitiae,
In qua Martha egregia
Sedem recepit gloriae.

2. Iesus, Fronto episcopus
Corpus Marthae sepeliunt
Officiumque finiunt.

3. Hospes mi, pauperculam
Tuam me custodi,
Caelesti hospitio
Facias reponi.

Responsoria.

1. Ante sui obitus
Octo dierum spatium
Videt sororis animam
Duci ad caeli curiam;
V. Sonant voces peramoenae,
Animaque Magdalenae
Ducitur ab angelis.

2. Sancta Martha praesentiens
Suum vicinum exitum
Astantibus innotuit,
V. Ut attente vigilarent
Obitumque observarent
Accensis luminibus.

3. Veni, mea
dilecta hospita,
Intra mea
regna caelestia,
Ut gaudeas
per cuncta saecula.

V. Tuo me hospitio
Suscepisti, Martha,
Ego te recipio
In sanctorum sancta.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Martha sine alimentis
Atque navis armamentis
Cum multis includitur.

2. Servos suos Christus pavit,
A periculis salvavit
Misitque Marsiliam.

3. Tandem ad quam adierunt
Populumque converterunt
Fidei ad gratiam.

4. Erat ibi quoddam nemus,
Ubi draco erat saevus
Mirae magnitudinis.

5. Sancta Martha nemus intrat
Et draconis collum ligat
Proprio cum cingulo.

Ad Benedictus.

A. O lucis invisibilis
Amatrix, Martha nobilis,
Nostros depelle tenebras,
Quae luce caeli habitas.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

O salvatoris hospita,
Beata Martha inclita,
Nunc felix iuncta Domino,
Ora pro nobis miseris,
Ut sociemur superis.

Antiph. ms. Civitatense saec. 14. Cod. Civitaten. LVII. add. saec. 15. A. — Brev. ms. Civitatense anni 1476. Cod. Civitaten. LXXIV (28) B. — Auch in Antiph. ms. Civitatense saec. 15. Cod. Civitaten. XLIV. — Antiph. ms. Civitatense saec. 15. Cod. Civitaten. XXXIX. — Brev. ms. Civitatense saec. 15. Cod. Archiep. Utinen. Oct. 10. — In 1. Vesp. Ad Magn. A, 4 delicta B. — In 3. Noct. R 3, 4 caelica AB.

63. De sancto Matthaeo.

In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

A. Gaude, diva
radix levitica,
Tanti rami
dans nobis gaudia,
Magis tamen
plaudat ecclesia
Apostoli
dotata gloria,
Matthaei re-
gnantis in patria.

R. Dum Matthaeus Christum fatur,
Maurorum regis filia
Vivo verbo inspiratur
Caelibum tunc constantia,
Sicque Christo desponsatur
Insignis Ephigenia,

V. Quae lilium
sibi convallium
Habet iunctum,
Mariae filium.

Ad Magnificat.

A. Transfert Dei
ad Mauros filium
Matthaeus dans
eis consilium,

Ut credentes
post hoc exsilium
Suscipiant
triumphi lilium.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Virginalem puerum
Ore collaudemus,
Apostolorum Dominum
Mente adoremus.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Fontem vitae reserare
Venit Matthaeus Mauriam,
Veram lucem nuntiare
Reis donantem veniam.

2. Morem gerens hominis
Deum incarnatum
Describit et nominis
Sui caelibatum.

3. Documentis populum
Erudivit gratiae,
Praemii nunc cumulum
Tenet Dei facie.

Responsoria.

1. Mundum gyrans
percurrit stadium,
Gentes caecas
vocat ad bravium,
Hostem fugat
assumens gladium
Verbi vi clavium.
V. Fontem vitae monstrat
Christi, qui proclamat:
Quicunque sitiat,
Veniat et bibat.

2. Transit gentes
alienigenas,
Mauros, Indos
et Macedonicas
Iugo Christi
subdens terricolas,
Parans caelicolas;
V. Vocatus a
Christo dixit: Assum;
Quem promovit
mox in apostolum.

3. Patriarcha orphanorum,
Exterge sordes mentium,
Luctus aufer pupillorum
In hac valle gementium
Et in coetu angelorum
Consortes fac gaudentium.
V. Rex coronat
fortes et pugiles,
Christo iungat
Matthaeus humiles.

In 2. Nocturno.

1. Domesticis, inquilinis
Et dogma evangelicum
Christus nuntiis cum binis
Mittit et apostolicum.

2. Agonizans
claret miraculis,
Plebes munit
divis signaculis,
Parans iugi-
bus tabernaculis.

3. Atrox carnis martyrium,
Susceptas plagas vulnerum,
Perfidorum ludibrium
Habebat ad solacium.

Responsoria.

1. Huius corpus
lictor transforat,

Quando Christi
corpus consecrat;
Dante Christo
Sic mors abscesserat,
Vita redierat.
V. Mox assistit
caeli militia
Ducens illum
ad vera gaudia.

2. Cunctos salvavit languidos
Oppressos vi daemonii,
Peccati faece morbidos
Vi Christi [sanat munii];
V. Signis, verbis
reficit variis
Aethiopes
sponsi cellariis.

3. Radiavit splendens
miris prodigiis,
Missus in salutem
terrarum filiis
In effecto rutilo,
Quos curavit,
Baptizavit
Errorum pulso nubilo,
Gaudens cordis iubilo.
V. Coniunctus sanctorum solacio
Illic plaudit
[laeto] tripudio.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Eligebat sanctus
Mundi ludibrium,
Tale Christo tantus
Dans sacrificium.

2. Rubens martyr sanguine
Fide gratulatur,
Deum poli agmine
Clare contemplatur.

3. Orat prece sedula
Deum clare visum
Nobis dare per saecula
Tuum paradisum.

Responsoria.

1. Verbo vitae
dum pascit populum,
Peccatorum
frangens ergastulum
Beatorum
promittit poculum
Simulque saeculum;
V. Ex abundanti gratia
Praestat caeli palatia.

2. Visitanti
desertas Indiae
Partes minas
pater invidiae
Dat Matthaeo,
plebes perfidiae
Ad adyta
vocat tragoediae,
V. Per quem tamen
eversor latriae
Effugatur
a pagis Mauriae.

3. Opem, Christe, promisisti
Apostolos laudantibus,
Dum per eos transmisisti
Salutem oberrantibus,
Semper ergo nos fac sisti
Tibi tuis astantibus.
V. Qui Matthaeum adiunxisti
Felicium agminibus,
Nos a morte salva tristi
Eius beatis precibus.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Sidus oppressum nebula,
Humano latens pallio,
Nunc claritate sedula
Splendet in caeli solio.

2. Datus mundi vespere
Mundo senescenti
Parare in aethere
Vitam paenitenti.

3. Anguis fraude lividus
Mauros excaecavit,
Quos Matthaeus fervidus
Fide, spe sanavit.

4. Ore, corde pariter
Levi veneremur,
Cuius prece iugiter
Nece protegemur.

5. Supplex assessor iudicis
Christo supplicabit
Pacem, quam viris caelicis
Digne impetrabit.

Ad Benedictus.

A. Dum Matthaeus
Christum annuntiat,
Plebis clamor
mortuum resonat
Regis filium, quem resuscitat
Sicque Mauros
errore liberat.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O lux Macedoniae,
Sceptrum maiestatis,
Candor Aethyopiae,
Hortus voluptatis,
Venam fontis gratiae
Reserasti gratis,
Illustrator Indiae,
Nos adde beatis.

Brev. ms. Praedicatorum saec. 15. Cod. Carolsruhan. St. Pet. 32. — In 1. Vesp. Super Ps. **A**. 6 plaudet. — **R**. 7 sq. sibi lilium. — **R**. 9 vinctum. — Ad Magn. **A**., 7 sq. Triumphi suscipiant. — In 2. Noct. **A** 2, 3 Plebs. — **R** 2, 4 Vi Christi daemonii. — In 3. Noct. **R** 2, 2 sq. partes Indiae. — Das Officium folgt dem Schema des Dominicus-Officiums Anal. XXV, Nr. 85. — Hymnen: Ad Vesp.: Psallat devota contio: Ad Laudes: Fulget in choro martyrum (Mone III, 132).

64. De sancto Nicolao.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Sacris duxit originem
Nicolaus parentibus,
Sanctitatis imaginem
Servans a puerilibus.

2. Ortus sui prima die
Rectus stetit in pedibus,
Quarta et sexta semel pie
Matris fotus uberibus.

3. Sanctus redemit virginum
Trium turpem infamiam
Clam, nolens laudes hominum,
Auri donando copiam.

4. Divina providentia
Nicolaus almificus
Ponitur in ecclesia
Episcopus mirificus.

Ad Magnificat.

A. Veneremur inclita
Nicolai merita,
Qui a pueritia
Plenus sapientia,
Sanctitatis fuit norma,
Caritatis vere forma,
Ut sit nobis propitius
Per eum Dei filius.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Summum regem adoremus,
Hymnis, votis honoremus,
Qui Nicolaum hodie
Stola dotavit gloriae.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Ortus ex venerabili
Nicolaus progenie
Proposuit amabili
Vacare sapientiae.

2. Primo die, quo nascitur,
In pedibus erigitur,
Sanctitatis praesagium
Futurae mox indicium.

3. Vitam continentiae
Inde genitores
Eligunt, modestiae
Vere sectatores.

4. Semel lac sanctus sugebat
Quarta cum sexta feria,
Sanctior semper fiebat
Divina plenus gratia.

5. Iuvenum lascivias
Iuvenis vitabat,
Potius ecclesias
Vigil visitabat.

6. Scripturarum memoriter
Audita retinebat,
Quae postmodum viriliter
Servare cupiebat.

Responsoria.

1. Defunctis parentibus
Coepit cogitare
Divitiarum copiam
In pauperum inopiam
Velle erogare,
Spretis vanis laudibus,
V. Thesaurizare studuit,
Ut Dominus consuluit,
In caelorum aedibus.

2. Servus fidelis Domini
Vicino sibi homini
Aurum coepit porrigere,
Tres putanti filias
Ad humanas infamias
Pro paupertate tradere.
V. Aurum proiecit tertio,
Ne virgines comercio
Turpi cogatur ponere.

3. Ignarus, tanti muneris
Quis esset auctor operis,
Horam coepit custodire,
Gratus volens caute scire
Virum tantae clementiae.
V. Custodiens vigilias
Homo pater familias
Invenit noctis tertiae
Virum tantae clementiae.

4. Clero totius civitatis
Pro pastore congregatis
Monstrat eligendum
Divina providentia,
Quem morum pudicitia
Facit reverendum.
V. Vox emissa caelitus
Nicolaum penitus,
Docet promovendum.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Ut visio docuit,
Nocte venientem
Praesulem constituit
Clerus renitentem.

2. Cathedram superbiae
Fugit sublimatus,
Privatae modestiae
Statum meditatus.

3. Humilis erat doctrinae,
Quam inspirabat unctio,
Sanctae dator disciplinae,
Quae competebat vitio.

4. Caritatis operum
Sectator studiosus,
Pater erat pauperum
Ut praesul gloriosus.

5. Vitabat colloquia
Cuiuscunque vanitatis,
Risum sapientia,
Laesiva puritatis.

6. Vitam sine macula
Pontifex ducebat,
Caeli tabernacula
Quia sitiebat.

Responsoria.

1. Nautis pereuntibus
Iam prope naufragium
Certum moriendi
Adest invocantibus,
Tribuens auxilium
Firmum evadendi.
V. Apparentem Dei virum
Cognoverunt, spem nimiuum
Donantem se petendi.

2. Dura fames perculit
Viri Dei provinciam,
Nicolaus reppulit
Tantae pestis miseriam,
Multiplicando triticum.
V. Annis duobus nemini
Defecit cibus semini,
Omni collatum homini.

3. Daemonis praestigium
Ne possit offendere,
Docet navigantes
Tale [hic] pracludium
Oleum effundere
Viros ignorantes,
V. Daemon ut disparuit,
Nicolaus adfuit,
Illos sic admonuit.

4. Scholares tres hospitio
Susceptos ferit gladio
Hospes per avaritiam,
Libros putans pecuniam
Noctis intra silentium;
V. Suscitans hos benigne,
Increpans virum digne
Criminis tanti conscium.

In 3. Nocturno.

Ad Cantica.

A. Narrat omnis ecclesia,
Qua pater providentia
Vacavit sapientiae
Thesauris, non pecuniae.

Responsoria.

1. Nullius noxae conscios
Eripuit tres anxios
Velatos stantes capite,
Ligatos flexo poplite;
V. Nicolaus iustitiae
Zelo datos sententiae
Liberavit indebitae.

2. Peregrini fastigium
Assumendo daemonium
Occidit patris filium,
Celebrantis convivium
Nicolai sollemniis;
V. Mox viventem genitoris
Patri reddit, ne doloris
Fatigetur suspiriis.

3. Falso laesae maiestatis
Carceratos infamia
Suae sanctus pietatis
Liberavit clementia;
V. Monet iudicem, immunes
Ut dimittat hos impunes,
Minis duris per somnia.

4. Coronandus ad gloriam
Angelos habet obviam,

A quibus introducitur:
Intra, fidelis, gaudium,
Tibi paratum praemium.
V. Orans sanctus decantavit:
In te, Domine, speravit
Meum cor; sic exspiravit.

In Laudibus.

Super Psalmos.

A. In caeli tabernaculis
Refulget sanctus gloria,
Gloriosus miraculis
Coruscat [in] ecclesia.

Ad Benedictus.

A. Sancti patris pauperum
Signorum innumerum
Olei manatio
Est nota declaratio,
Desudans ex ossibus
Cunctos curat languoribus.

Per Horas.

Ad Primam.

A. Reddit vitae vita functum
Iacentem in bivio,
Curru tritum corpus cunctum,
Perditum periurio.

Ad Tertiam.

A. Consolatur patrem maestum,
Annuum colentem festum,
Filium a Deo datum
Sibi reddens captivatum.

Ad Sextam.

A. Fures cogit reddere
Imagini, quae tulerant,
Quorum dato verbere
Afflicta membra fuerant.

Ad Nonam.

A. Vir de clara progenie
Vas aureum ecclesiae
Vovit, sibi votum [gratum]
Si donaverit optatum.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Felix pater, gratiarum,
Nicolae, variarum
Dona praestans, caecis visum,
Functis vitam, maestis risum,
Tua prece nobis dona,
Ut devicta carnis trabe
Transeamus sine labe
Ad caelestis vitae bona.

Offic. ms. Faustae de Beccarinis in Monast. Visitat. BMV. (Ord. Cist.) saec. 16. Cod. Senen. F VI 22. — In 1. Vesp. **A** 4, 1 praesentia. — Ad Matut. Invit., 2 adoremus. — In 1. Noct. **R** 4, 3 sq. umgestellt. — In 2. Noct. **A** 2, 2 Fuit sublimatus. — **A** 2, 4 Statum sublimatus. — **A** 3, 3 Sanctaeque. — **R** 1, 7 Apparente. — **R** 2, 1 pertulit. — **R** 2, 7 cibo. — **R** 4, 8 conscii. — In 3. Noct. **R** 1, 1 conscius. — **R** 1, 2 Erepuit tres anaias. — **R** 2, 5 sollemnis. — In Laud. Super Ps. **A**, 1 tabernacula. Ad Bened. 6 Cunctis. — A Prim. **A**, 1 vitam vitae. — Ibid., 4 periurium. — Ad Sext. **A**, 3 Cuius dato.

65. In Translatione s. Nicolai.

In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

A. Gaude plaudens,
fidelis contio,
Tantae laudis
dotata gaudio,
Nam lucerna
latens sub modio
Novae lucis
resplendet radio,

Dum antistes,
plebis victoria,
Iam per orbem
fulget in gloria.

Ad Magnificat.

A. O praesul egregie,
Limes aequitatis,
Doctor sapientiae,
Candor puritatis,
Auctor innocentiae,
Veniam peccatis
Apud thronum gloriae
Posce cum beatis.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Venite, magnifice
Iubilemus
Et pro tanto pontifice
Honorem demus
Domino.

Ad Nocturnum.

Antiphonae.

1. In lege Dei docilis
Studet clarus virtutibus
Puer, cunctis amabilis
Mundanis spretis opibus.

2. Constitutus in acie
Praesulum oraculo
Totum se confert gratiae
Christo vacans sedulo.

3. Doctor apostolicus,
Honor confessorum,
Est effectus caelicus
Civis angelorum.

Responsoria.

1. Gemma beatorum,
Nicolae, salus miserorum,
Inclite dux Christi,
dum transferri meruisti,
Dulcis odor manat,
tua virtus languida sanat;
V. Natum voce pia
flectas cum matre Maria.

2. Farris adauctus cumulus
Gentis supplet inopiam,
Aurique datus sacculus
Patris pellit tristitiam,
V. Tumbae sacrae
salubris rivulus
Nicolai
testatur gloriam.

3. Mundi decus, forma cleri,
Nicolae, norma veri,
Te quaerentes revereri
Iuva sanctis precibus
Apud Christum, regem tuum,
Ut conservet gregem suum
Iungens caeli civibus.
V. O maestorum
dulce solacium,
Cunctis pium
praesta subsidium.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Gemma decorem induit
Dudum lucens in gloria,
Cuius virtus exhibuit
Aegrotis beneficia.

2. Servite cum laetitia
Nicolao pontifici,
Videntes mirabilia
Multa per illum effici.

3. Terra suum protulit
Fructum praeter morem,
Dum pro flore contulit
Olei liquorem.

4. Hymnum Deo dicite
Flumine quassati,
Sancto benedicite,
Opi suae grati.

5. Praesul, salvator virginum,
Auctor pietatis,
Laudat in caelis Dominum
Fruens cum beatis.

Ad Benedictus.

A. Nicolae,
decus fidelium,
Virginalis
custos munditiae,
Vas virtutum,
candoris lilium,
Tuae pandens
sinum clementiae
Te quaerentes
duc post exsilium
Cum beatis
ad thronum gloriae

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O pastor, dulce bravium,
Desolatorum gloria,
Mentes illustrans omnium
Verbo, signis et gratia,
Translationis gaudium
Colentes cum laetitia
Transfer ad regni solium
Post huius vitae stadia.

Brev. ms. Praedicatorum saec. 15. Cod. Carolsruhan. St. Pet. 32. — In Laud. A 1, 2 lies: Dudum iacens ingloria? — A 3, 1 praetulit. — In 2. Vesp. Ad. Magn. A, 8 stadio. — Hymnen: Ad Vesp.: Ad est dies sanctissima; in Laud.: Regi caelorum.

66. De sancto Paride.

Ad Vesperas.

Antiphonae.

1. Praeclarus dies rutilat,
In quo Paris, almificus
Christi pontifex, draconis
De faucibus nos eruit.

2. Hic Athenis huc advenit
Nos quidem redimere,
Hostis senis quos invenit
Sub cultura vivere.

3. Religatus relegatur
Durus hostis et prostratur,
Draco furens adplicatur
Ad profunda pelagi.

4. Ingratanter hoc suscepit
Plebs insana, dum accepit
Viri sancti victoriam.

5. Mens caecatur, dum antiquo
Famulatur inimico,
Nam cultorem trinitatis,
Amatorem deitatis,
Plebs immensae caecitatis
Nece dignum comprobat.

Ad Magnificat.

A. Rex regum vere,
populi miseri miserere,
Ad te clamantis
summis precibusque precantis,
Qui Paridem laetum,
sollenni laude repletum,
Ad patriam vitae
ducis, quam maxima rite
Gaudia concrescunt,
flores nitidique virescunt.

Invitatorium.

Rectorem caeli
veneremur corde fideli,
Qui nos per Paridem
fecit habere fidem.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Vir Domino dignus
rector populique benignus
Urbem salvando
nos salvet purificando.

2. Urbs felix dira
laniatur [daemonis] ira,
Daemonis infestus
sed tandem pellitur aestus.

3. Ad sancti tactum
loculum draco desinit actum
Atque maris fluctus
subiit per devia ductus.

Responsoria.

1. Christi confessor,
Paris, almificusque sacerdos
Caelorum [caeli]
loca nactus iure perenni,
Augeat augmentis
nos sanctis ac documentis;
V. Celsa petens laetus,
Domini virtute repletus,
Gaudia cuncta ferat
crimen et omne terat.

2. O custos habilis,
Dux venerabilis,
Custodi populum,
Quaesumus, inclitum,
Tu [cunctas] maculas
Cordis [et] abluas,
Ut valeat solium
scandere perpetuum.

V. Hunc tu purifica
Cunctis a vitiis
Necnon salvifica
Praeclaris meritis.

3. Ad tactum sancti
Paridis iugiter venerandi
Serpens immitis
. . . . . .
Cogitur ad crebras
pelagi remeare tenebras.
V. Invitus pergit,
invitus in horrida mergit,
Non linquens solitum
sponte sua loculum.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Hoc mirum digne
peragens sanctissimus ille
Protinus a turbis
in moenia ducitur urbis.

2. Tunc plebs infelix
stat nondum corde fidelis.
Insontis clarum
dant corpus in ora ferarum.

3. Hae mites factae,
rabiem nescire coactae,
Suppliciter tantum
coeperunt lambere sanctum.

Responsoria.

1. Rumor directus
populi mox attigit aures.
Quod quidam sanctus,
senio iam corporis actus,
Urbem salvaret
hostem pellendo superbum;
V. Haud mora nempe fuit,
sexus uterque ruit
In sanctum Domini
talia suscipiens.

2. Duceris in patriam,
patriae defensor herilis,
Traderis atque feris,
sed ovans illaesus haberis,
V. Morsibus alma nimis
dantur tua membra ferinis.

3. Cives turbati
Paridis virtute beati,
Sed iam credentes
eius pia facta videntes
Pastorem dignum
statuunt patriae gregis illum.
V. Dignum quoque gerens
cunctaque saeva terens,
Efficitur [gratus]
sic omnibus ille beatus.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Sic cunctis gratus
factus pater ille beatus
Antistes plebis
sanctae stabilitur et aedis.

2. Huius vita satis
fuit eximiae pietatis,
Nullum spernebat,
cunctos pietate regebat.

3. Aegros quaerebat
propriis opibusque fovebat,
Illos salvabat
signo crucis et vegetabat.

Responsoria.

1. O pater alme Paris,
qui tantus adesse probaris,
Nos te laudantes
festumque tuum celebrantes
Auxiliare tuis
almificis meritis,
V. Ut caeli solium
mereamur adire perenne.

2. Ex eius templo
fons manans sanctificatus,
Ex quo gustantes
nimium quoque febricitantes
Incolumes remeant;
V. Concurrunt populi
vario languore coacti,
Sed precibus sancti
incolumes remeant.

3. Flos patriae floret
cunctis dans semper odorem,
Quem, pie rex regum,
voluisti scandere caelum
Sic dicens: Intra in regnum Dei.
V. *O virum admirabilem, cui Dominus dignatus est tantam impertiri gratiam dicens: Intra in regnum Dei.*

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Alme Dei pontifex,
Praesul honorande,
In servos tuos respice,
Paris venerande,
Quos reduxisti, domine,
Ad semitam salutis,
Rege, tuere, confove
Baculo virtutis,
Quo fugasti pestiferae
Iuga servitutis.

Officia ss. Reparatae, Paridis, Amasii etc. imp. Neapoli (Ioan Sulsbacchius) 1533. — In 1. Vesp. Ad Magn. 2 miserere. — In 2. Noct. R 3, 4 nimium eoque. — Ad Laud. Alles prosaisch. Zugehörige Hymnen: Ad Vesp.: Gratulemur concinentes; ad Laud.: O quam mira, Iesu, fuit. Von den in dem Drucke mitgeteilten Officien wird bemerkt: „quae omnia fuerunt diu Sidicino in architemplo servata neque antehac tradita impressoribus“.

67. De sancto Petro.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Aethereos patres,
divos de lumine soles,
Bethsaidae thalamus
germano protulit ortu.

2. Hos Iudaea potens,
regali germine pompans,
Christo sub veteris
nutrivit grammate legis.

3. Ex patribus geminis
sed dum Deus infima sumpsit,
Sic ab utroque micans
dux et rex, unctio, flamen
Sanxivit proceres,
per quos fera sceptra domaret.

Responsoria.

1. Fluctibus abstractis
ceduntur flumina mundi,
Turbida lucifluis
clarescant quo vada lymphis,
Unicus unde sator
Iordanis ginnat abyssos.

V. *Benedicite, aquae omnes, quae super caelos sunt, Domino.*

2. Suscipit ex merito
deitatis primus amator
Discere amantinos
Acherontis frangere traclos
Et virtute potens
regnorum ferre tridentem.

V. *Beatus, quem elegisti et assumpsisti, Domine.*

3. Errores primae
resecat nova gratia culpae,
Petrus in hostilem
dum vires exserit aurem;
Nil minus id pandit
medico medicante cicatrix.

V. *Hic sanat contritos corde et adligat contritiones eorum.*

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Praescius omnipotens
Gallilaeae litora lustrans
Sensit in aequoreis
splendentia lumina campis.

2. Nec mora, rex reges
creat et cognomine ditat
Et facit heredes,
triplices disponit honores.

3. Cuius ad imperium
victricia arma capescunt
Inclita praeclaris
peragentes bella tropaeis
Et placitis firmans
pacatum legibus orbem.

Responsoria.

1. Cedens proposito
Petrus fidei pede lapso.
Unius allophilae
tremefactus voce puellae,
Quos ferat, addiscit
gratis sibi redditus illi.

V. *Cuius dum mentis moti sunt pedes et effusi gressus.*

2. Inter divinae
quondam convivia mensae
Tres dedit audaces
confessio trina timores.
Terque regenda Petro
traduntur ovilia sancto.

V. *Gloria et honore coronatur et constituitur super opera Domini.*

3. Sculpsit petra Petrum
poliens redditque quadratum
Et super hunc locat hos,
quos diva litura supernos
Mittit in usque polos
vitae solidante cemento,
V. *Civitatem magni regis montesque Sion et latera aquilonis.*

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Sed dum multiplices
Petrus ferit ore penates,
Fascibus Ausoniis
invictus parcere spernit.

2. Nam, nisi victor erit,
bellator cedere nescit
Atque Saturnalem
deitatis vendicat urbem.

3. Exsequitur celebres
felix bellator agones
Hostis apostatici
dum fraudes trudit ab altis,
Arcibus ipse poli
victor vexilla reponens,
Militiae metam
superatis cladibus explens.

Responsoria.

1. Vestis panzodion
nodo religata quaterno,
Caelitus adlabens,
mundari pendula poscens
Velle Dei numen
totum signaverat orbem;
V. *Omnis carnis parati cibi et praeparatio illorum.*

2. O virtus celebris,
quod principis umbra beati
Morbos et clades,
languores, funera, pestes
A quocumque fugat,
prisca valetudine ditat,
V. *Ossa conturbata et mentes saucias animasque gravatas.*

3. Laudibus insignis,
quem perpes gloria cingit,
Leges in populos
statuens velut archisenator,
Saecli iura tenens,
regum diademata solvens,
Orantes turmas
vitiorum solve catenas,
Caelica caesareo
praetendens gaudia dono.
V. *Excrescit ut pluvia doctrina tua, fluit ut ros eloquium tuum.*

Collect. ms. saec. 10. Cod. Vatic. Regin. 592. add. saec. 11. — In 2. Noct. R 3, 2 poliensque reddit.

68. In Inventione s. Quintini.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Eligius praesul,
Quintinus, martyr honorus,
Quorum festivis
iam nunc incumbimus actis,
Subveniant nobis
meritis precibusque benignis.

2. Martyr mirificos
passus dire cruciatus
Praesul et egregios
lucratus mente maniplos,
Submissae vobis
semper succurrite plebi.

3. Nomine pro Christi
poenarum milia passe

Angustaeque viae
praesul, qua tendis in aethra,
Pro nobis Dominum
famulis orate subactis.

4. Domine vulnifice
Christi testisque laudate,
Assertor fidei
verae praesul et luculente,
Impetrate gregi
veniam vitaeque coronam.

5. Martyris eximii
confessorisque benigni
Impetret oratus,
quod nostra non prece quimus.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Thesauri sacri
celebre festum recolentes
Aeternum columen
speciosa voce canamus.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Orbita solaris
satagit nos festa novare
Corporis inventi
Quintini, martyris almi.

2. Cuius sancta Deo
texit servante vetustas
Membra trecentenis
annis et quinque viginti.

3. Cuius praesidiis
virtus rutilabat opimis
Languentum membris
infesta peste gravatis.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Quidam Martinus,
regis cantor vitiosus,
Corpus nacturum
iactabat se fore sanctum.

2. Qui praesumptivae
mentis molimine [pravae]
Aggreditur sanctam
cumbo divellere terram.

3. Slivae moxque manus
eius haesere ligonis,
Plebs stupet, haeret, hebet,
refugit, miratur et horret.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Vermibus ephesis
manibus stillantibus eius
Amisit vitam
divino verbere laesam.

2. Hoc gentis nostrae
signo radiante per auras
Multo magnificus
ditatur munere sanctus.

3. Martyris ob meritum
mirabile praesulis atque,
Harmonicas quorum
digne persolvimus odas,
Quorum subsidiis
semper [fruamur] honestis.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Eligius praesul
Quintini martyris artus
Quaesitos studio
vigilanti repperit agro.

2. Visibus humanis
ter centum quinque fuerunt
Annis absconsi
Christo servante viginti.

3. Perfodiens cumbum
terebrando ligone venustum
Lux et odor pariter
cunctis fulsere verenter.

4. Pignora cum caperent,
clavos capitisque capillos,
Dentibus abstractis
profluxit lympha cruoris.

5. Tunc pater Eligius,
tanto de munere laetus,
Corpus susceptum
condivit more sacrorum.

Ad Benedictus.

A. O Quintine sacer,
nostras iam suscipe preces,
Eligio Christum
poscens cum praesule Iesum,
Conferat ut veniam
nobis vitaeque coronam.

Brev. S. Quintini imp. s. l. et a [1520].

69. De sancto Quirino.

Ad Laudes.

Antiphonae.

1. Martyr, praecinctus Domini virtute, Quirinus
Fluctus errorum pressit moderamine morum,
Praebens exemplo. Christi sit gloria templo.

2. Laeto conatu stetit in Domini famulatu,
Eius ad aspectum rogitans sibi cor fore rectum,
Divinum nomen ferret quo laudis honorem.

3. Summa inflatus seu corporis iste beatus
Illum sitivit, qui fons sine limite vivit,
Eius virtutem quo cerneret atque salutem.

4. Angelicus coetus, Dominum benedicito laetus,
Ipse quod in regno iussit fulgere superno
Hunc meritis gratum, cum martyribus decoratum.

5. Laudibus exsultet caelum, mare, terra resultet,
Rex quia caelestis manet huius gloria testis
Cum sanctis cunctis caelorum lumine functis.

Brev. ms. Tegurin. saec. 15. Cod. Lambacen. CLXIX. A. — Brev. ms. Tegurin. saec. 14. Clm. Monacen. 19302 B. — In 1. Vesp. Ad Magn. O rex caelestis famulis miserere scelestis, Anal. XXVIII. S. 156; alles andere Prosa.

70. De Reliquiis Ecclesiae s. Frambaldi Silvanectensis.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Ad laudem regis gloriae
De thesauris ecclesiae
Lapides pretiosi
Prodeunt in propatulo
Radiantes in populo
Virtute luminosi.

2. Attolamus praeconio,
Ne lateant sub modio,
Lucernas claritatis;
Hi sunt iubar ecclesiae,
Exemplar sanctimoniae,
Speculum sanctitatis.

3. Vigens vigore spiritus
Vigor, antistes inclitus
Baiocae civitatis,
Hanc exornat ecclesiam,
Quam collaudat ad gloriam
Divinae maiestatis.

4. Ad laudis assint cumulum
Laudes sanctorum praesulum
Silvini et Gerbaldi,
Quos hic in sede propria
Comitatur praesentia
Gloriosi Frambaldi.

5. Assint cum rosis lilia,
Reginarum consortia
Ac beati Baumiri,
Quibus sanctis corporibus
Et sacris nos quam plurimis
Datum est insigniri.

Ad Magnificat.

A. O quantis magnificat
Vos Christus honoribus,
Quos et hic mirificat
Signis et virtutibus
Et secum glorificat;
Assit vestris precibus
Nobis, quos laetificat
[Hodie] his laudibus.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Adoret ecclesia
Regem saeculorum
De sanctorum gloria
Gaudens confessorum.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Sancti legem Domini
Corde meditantur,
Per quos Christi nomine
Plebes adgregantur.

2. Praecepta dominica
Docent et consilia
Contemnentes lubrica
Pro perenni gloria.

3. Sic suos mirificat
Sanctos rex virtutum,
In caelo glorificat,
Hic dat iter tutum.

Responsoria.

1. Sonet vox in laudibus
Summae bonitati,
Nam accepti ratio
Nos monet et dati,
Ne de tanto munio
Reddamur ingrati:
V. Gratiarum sit actio
Pro tanto beneficio
Divinae largitati.

2. In carnis huius carcere
Carne mortificati,
Non sibi soli vivere
Sed Christum amplexati,
Plurimorum proficere
Student utilitati;

V. Docentes bona facere,
Mundana vana fugere,
Pro Christo mala pati.

3. Intima brevi tempore
Christo foenerantes
Et cum multo foenore
Lucrum deportantes
In promissum gaudium
Intrant gloriantes, —
V. O quam felix comercium! —
Pro terrenis caelestium
Regna commutantes.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Laetentur in te, Domine,
Sancti, quos hic inhabitas
Et quos aeterno lumine
Tua replet aeternitas.

2. Militans ecclesia
Sanctos hic honorat,
Quos Christus in gloria
Corona decorat.

3. Hic qui sine macula
Sanctos honorabunt,
Tua tabernacula,
Deus, habitabunt.

Responsoria.

1. Adflicti paenitentia
Carnis vicerunt vitia
Despecto mundi flore,
Cesserunt his daemonia,
Spreverunt temporalia
In spiritus ardore.
V. Ex hac trina victoria
Coronantur in gloria
Et [maximo] honore.

2. In praesenti periculo
Ferebant in propatulo
Lucernas sanctitatis,
Exemplum dantes populo
Lumbosque suos cingulo
Praecincti castitatis.
V. Christo vacabant sedulo
Et proximis in osculo
Mutuae caritatis.

3. Per istorum precamina
Nostra delere crimina,
Salvator mundi, velis,
Vitae nostrae discrimina,
Tua virtute termina,
Protector Israelis;
V. Reiecta carnis sarcina
Transferamur ad agmina
Beatorum in caelis.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Tu sanctis es, Domine,
Pars hereditatis,
Totus cum dulcedine,
Torrens voluptatis.

2. Sanctorum generatio
Christum quaerunt et sitiunt,
Mundum habent fastidio
Et, quae sursum sunt, sapiunt.

3. Sanctorum suffragio
Tecta sunt peccata,
Ne sint in iudicio
Cunctis revelata.

Responsoria.

1. Si narrem miracula,
Narrando deficiunt
Lingua, vox et manus,
Nam mors, error, vincula,
Daemon, lepra fugiunt,
Aeger redit sanus.
V. Ne sanctorum singula
Facta retexamus,
Haec de multis paucula
Gesta recolamus.

2. O virtutum rosaria,
O lilia fragrantia
Sanctitatis odore!
O clara luminaria,
Vos sidera micantia
Veritatis splendore!
V. Opem nobis impendite,
Mentes nostras accendite
Caritatis ardore.

3. In circuitu, Domine,
Tuo lux nunquam deficit,
Ubi lumen de lumine,
Christus, electos reficit,
Ibi sanctorum animae,
Quas sanctus ardor afficit;
V. O quam felix iucunditas
Est in tanta dulcedine
Et quam mira suavitas
Aeterno frui numine!

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Cinctis lumbis deportemus
Lucernas in manibus,
Ut sic laudes praesentemus
Sanctis confessoribus.

2. Creatori iubilantes
Cum cordis laetitia
Gloriemur exsultantes
Cum sanctis in patria.

3. Vigilantes hic de luce
Post mundi vigilias
Perducamur Christo duce
Ad sanctorum nuptias.

4. Sacerdotes [praelecti],
Summo benedicite,
Ad superna iam provecti
Nos illuc ascribite.

5. Laudes demus altissimo.
Fervore cordis intimo
Regnantem contemplemur,
Ut post praesens exsilium
Per sanctorum suffragium
Cum ipsis coronemur.

Ad Benedictus.

A. Confessores
excelsi meriti,
Vestram nobis
opem porrigite;
Patres sancti,
pastores incliti,
Nos in viam
pacis dirigite.

Ad Magnificat.

A. Tu, Christe, nostrum gaudium,
Adesto nostris precibus,
Qui cum sanctorum milibus
Veniens ad iudicum
Apparebis in nubibus,
Da sanctorum cultoribus
Cum Sanctis vitae praemium.

Brev. Silvanectense imp. Parisiis 1521. — In 1. Vesp. A 4, 3 Gerbaudi; dann müfste auch ibid. 6 Frambaudi geschrieben werden. — Ad Magn. A. 2 Nos. — In 2. Noct A 3, 3 In tua. — R 2, 2 Ferebat. — R 2, 7 vacabta. — In 3. Noct. R 3, 1 sq. tuo Domino lux. — Zugehörige Hymnen: In 1. Vesp. p. et Mat. Sanctorum nobis meritis; in Laudibus: Voces attollat populus.

71. De sancta Reparata.

Ad Magnificat.

A. O beata Reparata,
virgo prudentissima,
Quae cum Christo thronum tenes
in caelesti curia,
Famulorum supplicantum
attende precamina,

Tua prece fac, ut Christi
perfruamur gratia.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Virginis ad festum
Reparatae convenientes
Reddamus Christo
grates indeficientes.

In 1. Nocturno.

Responsoria.

1. Virgo, satis grata
reparatori, Reparata,
Nos sponso repara
danti tibi regna beata,
V. Ut sponso cari
mereamur sponsa vocari.

2. Gaude, virgo Dei,
quae praesidis ante tribunal
Promerita es sisti
pro dulci nomine Christi.
V. Molles adfatus,
terrores et cruciatus
Aeque contemnis
pro dulci nomine Christi.

3. Eia, virgo decens,
monitus attende salubres,
Esto nostrorum
cultrix devota deorum;
V. Hoc decet, hoc fas est,
Christum coluisse nefas est.

In 2. Nocturno.

Responsoria.

1. O iudex insanis,
non sunt libamina vanis
Diis impendenda,
Christo sunt haec referenda,
V. Qui mare quique solum
condidit atque polum.

2. Mox ad tormenta
manus est conversa cruenta,
Virginis et corpus
duros tolerat cruciatus,
V. Lampades ardentes,
plumbum fornacis et ignes.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Virgo prudens, fide fervens
in aetate tenera,
In amore Christi [sui]
permanet inconcussa.

2. Christum verum esse Deum
clamat, voce praedicat,
Deos illos falsos esse
ratione comprobat.

3. Christo, inquit, soli debet
immolari hostia,
Per quem fiunt, vivunt, crescunt
et reguntur omnia.

Responsoria.

1. Virgo virum fortem
fragilis, iuvenem duodennis
Vicit et ad vitae
festinat regna perennis,
V. Pervigili cura
reprobat, refugit peritura.

Offic. SS. Reparatae, Paridis etc. imp. Neapoli 1533. — In 1. Vesp. Ad Magn. **A**, 7 Et tua prece. — In 1. Noct. **R** 1, 6 sponso. — **R** 2, 6 contemnit. — In 2. Noct. **R** 2, 6 ignis. — Hymnen: Ad Vesp.: In titulos Reparata tuos; ad. Laud.: Fervida lampas adapta tibi.

72. De sancto Richario.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Rector orbis et redemptor,
nostra dele crimina,
Qui sancti tui Richarii
laetamur praesentia,
Cuius pro nobis, rogamus,
assit intercessio.

In 1. Nocturno.

Responsoria.

1. Dilectus est in omnibus
Et laudibus et actibus
Et modo suis meritis
Praesidium [est] populis,
V. Confessor fuit inclitus
Et clarus in virtutibus.

2. Cum quidam claudus parvulus,
Privatus suis gressibus,
Sancti sepulcrum Richarii
Contigisset fide [bona],
Sanatus est continuo,
V. *Fide munda qui ad eum convenerat et puro obsecraverat corde.*

3. Dum vincti viam transeunt
Catenis collo subditis
Sanctum precantes Richarium,
Protinus saeva illius
Meritis vincla solvuntur;
V. Efferimus (inquiunt) te laudibus,
Ut tuis nos suffragiis
Liberes a piaculis.

In 2. Nocturno.

Responsoria.

1. Dum saeva quondam patriam
Clades voraret, plurimos
Oppressit, quosdam graviter,
Sancti Dei de famulis,
Sed eius sacri tumuli
Tactu salutem capiunt.
V. *Fide munda quotquot ad eum confugerant et puro obsecraverant corde, nullus ex eis periit.*

2. Richari, tu nostrum decus,
Fretus divino oraculo
Tu contempsisti saeculum
Et invenisti Dominum;
V. Paupertas tibi placuit,
Mundi pompa displicuit,
Non tibi quidquam defuit,
Mens tua Deum habuit.

3. Verbis fultus et sensibus
Et dogmatum mysteriis,
Repletus [donis] supernis
Et pietate exstitit,
Cuius ante mausoleum
Taetri fugantur daemones.
V. O (pretiosa) sacerdotum gloria,
O magna lux ecclesiae!

In 3. Nocturno.

Responsoria.

1. Confessor Christi fueras
Et saeculum contempseras,
Sequendo evangelium
Scandisti caelum arduum.
V. O Richari, decus nostrum,
Fretus divino oraculo.

2. Efferimus te laudibus,
[O] sancte pastor Richari,
Et postulamus precibus,
Ut tuis nos suffragiis
Liberes a piaculis,

V. Dilectus Deo in omnibus
Et laudibus et actibus (tuis)
Profusis te gemitibus
Imploramus [et] precibus.

3. (Sancte) Richari, Christi confessor,
Audi rogantes servulos
Et impetratam caelitus
Tu defer indulgentiam.

V. O sancte Richari, sidus aureum,
Domini gratia servorum gemitus
Solita suscipe clementia.

In Laudibus.

Super Psalmos.

A. Debilis ad sancti
veniebat saepe sepulcrum,
Quidam contractus
meritis salvatus est eius.

Ad Horas.

Ad Tertiam.

A. Qua moriebantur
plures, dum peste laborat,
Frater salvatur,
tumulum dum contigit eius.

Ad Sextam.

A. Vir sanctus Domino
fundens pia verba precatur,
Produxit fontem
sterili de caespite vivum.

Alia Antiphona.

Verbis fuit et sensibus
Et dogmatum mysteriis
Dei repletus spiritu
Et pietate utilis.

Ad Nonam.

A. Nexus culparum
nostrarum solve, redemptor,
Qui sancti meritis
rupisti vincula ferri.

Alia Antiphona.

Confessor Christi fueras
Et saeculum contempseras,
Sequendo evangelium
Scandisti caelum arduum.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Interventu, Christe, sancti
poscimus Richarii,
Nos ab omnibus noxiis
absolve reatibus,
Ad caelum quem sublimasti
floridum virtutibus.

In Commemoratione Sancti.

Die Dominica.

A. In terris merito
te christicolae venerantur,
Caelica quem socium
laetatur habere caterva.

Feria secunda.

A. Votis supplicibus
te, pastor sancte, rogamus,
Commenda Christo,
quos doctrinis genuisti.

Sabbato.

A. Iam regnaturus
cum Christo celsa petisti,
Ora pro nobis,
ne detineamur ab imis.

Hénocque, Hist. de l'abbaye et de la Ville de Saint-Riquier II (Amiens 1883), p. 488ff. [bildet den 10. Band der Mémoires de la société des antiquaires de Picardie]. Quelle: „Extrait d'un manuscript du XIII. siècle à la

bibliothèque d'Abbeville, intitulé Horae diurnae de Saint-Riquier.“ In 2. Noct. R 2, 2 divino miraculo; vgl. in 3. Noct. R 1, 6. — R 2, 7 tibi quicunque defuit. — In 3. Noct. R 2, 8 gemitibus te. — Ad Horas. Ad Tert. A, 1 Quia. — Alles Fehlende prosaisch. Der Herausgeber bemerkt zu diesem Officium: „On lit dans Hariulfe: Albinus (Alcuinus) antiphonas quoque et respensoria vel hymnos de eodem sancto composuit, ut magni patris festivitas nihil minus congrui officii habere videatur. — Nous pensons que cet office, aujourd'hui incomplet par l'absence de quelque pages est celui dont parle Hariulfe; ce qui lui donne un mérite tout spéciale dans l'histoire de Saint-Riquier.“ — Es ist noch beizufügen, dafs Saint-Riquier eine Benediktinerabtei war, während dies Officium die Form des Cistercienserbreviers aufweist.

73. De sancto Severo.

In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

A. Gloria sanctorum,
Deus, accipe vota precantum
Nosque tuas laudes
in Severo venerantes
Respice placatus
nostros solvendo reatus.

Ad Magnificat.

A. Magnificemus in excelsis
Christum venerantes,
Qui sanctum Severum
in sede locavit Olympi,
Angelico fruitur
ibi nunc diademate gaudens;
Unde, pater, humiles
odas tu respice nostras.

In 1. Nocturno.

Responsoria.

1. O Severe gloriose,
Servis tuis condescende,
Sub obtentu meritorum
Solvens nexus delictorum.
V. Post vitae cursum
trahe nos ad gaudia sursum.

2. Mellifluum florem,
divino rore madentem.
Sicut apis studio
mellis, sic quique frequentant
Severum praesulem
vitae documenta docentem,
V. Ut gelidos fontes
cervi quaerunt sitientes.

In 2. Nocturno.

Responsoria.

1. Rex caelorum, pie Deus,
Ad te spectat laus illius,
Tu per eum nobis parce
Ac redemptis miserere.
V. Plasma tuum, Christe,
defende benignus ab hoste.

2. Sancte Severe, Christi praesul,
Audi rogantes servulos
Et impetratam (nobis) caelitus
Tu defer indulgentiam.
V. O sancte Severe, sidus aureum,
Domini gratia servorum gemitus
Solita suscipe clementia.

In 3. Nocturno.

Antiphonae

1. Ad hunc montem suspirare
Fac nos, pater sanctissime,

Ut exutos carne gravi
Excipiat aula caeli.

Responsoria.

1. Miles Christi gloriose,
Severe sanctissime,
Tuo pio interventu
Culpas nostras ablue,
V. Ut caelestis regni sedem
Valeamus scandere.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Induit omnipotens
virtutum cyclade sanctum
Severum, pietatis opus
de corde sequentem.

2. Servivit Domino
sanctus pangendo sacerdos
Et meruit penetrare
polorum regna beata.

3. Aurora croceo
clari sub tegmine solis
Pausante hic psallebat
ovanter carmina Christo.

4. Pervigili sanctus
cura Severus ovile
Christi comissumque gregem
sine labe regebat.

5. Laudibus omnigenis
confessor corde canebat,
Ore etiam Domino
psallens non deficiebat.

Ad Benedictus.

A. O Severe, tuis,
pie pastor, caelitus assis,
Te memorem nostri
faciat clementia Christi,
Ac per eam, Christe,
nobis, petimus, miserere.

In 2. Vesperis.

Super Psalmos.

A. Hic athleta tuus,
celebris pietate patronus,
Post invictorum
certamina plena laborum
Migrat ad aethereas
hodie gaudendo choreas.

Ad Magnificat.

A. Exsultemus Deo omnes
Hunc in sanctis collaudantes;
O Severe sacer, ave,
Preces audi, culpas dele,
Nos his festis fac adesse
Et aeternis non deesse.

Brev. S. Mariae Erphordien. imp. Nurembergae 1497. A. — Brev. ad morem Severiani Collegii Erphordien. imp. Moguntiae 1518. B. — In 2. Noct. **R** 2, 1 Sanctus Severus A. — Alles hier Fehlende prosaisch.

74. De sancto Siffredo.

In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

A. In his sacris sollemniis
Exsultet aula caelica
Et promptis desideriis
Pangat hic chorus cantica,
Cum de Siffredi praemiis
Recensentur mirifica.

Ad Magnificat.

A. Siffrede, terror daemonum,
Dans tribulatis gaudia,

Iam turba supplex hominum
Tua poscit auxilia,
Ingemiscens exsilium
Aspirat ad sublimia,
Quae te colit, ecclesia.
Ergo, gemma pontificum,
Exerce mirabilia,
Agmen fuga terrificum,
Quod volat per inania,
Pium tuere populum,
Ne prematur insania
Illius fraudulentia.

Alia Antiphona.

Ad sacra sancti
Siffredi sollemnia
Mente devota
fidelium agmina
Simul occurrant
atque dent praeconia,
Ut ad caelorum,
quae percepit, gaudia
Nobis cedatur
ascendendi gratia,
Et conregnemus
per eius suffragia.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Adoremus Christum regem,
confessorum Dominum,
Qui pontificem Siffredum
supra caeli solium
Condonavit percepturum
angelorum gaudium.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Christi miles Siffredus
Campaniae finibus
Exstitit oriundus,
Qui suam satis claram
Honestavit prosapiam.

2. Hic adhaerens genitori
Comes individuus
Omnibus renuntiavit
pompis mundialibus,
Optans, ut efficiatur
Lirinensis monachus.

3. Hunc ut vidit pater clarus,
pontifex Caesarius,
Omni studio instruxit
adornatum moribus
Et provexit Arelatem
admirandum omnibus.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Quem austerae vigor vitae
perfecit laudabilem
Et signorum sequens virtus
reddidit mirabilem,
Cum viderent sanctum virum
in praesenti caelibem.

2. Vendascenses tunc pastore
desolati populi
Conqueruntur aggregati,
ne subdantur alteri,
Ne sine ductore lapsi
videantur comprimi.

3. Ad Arelatis
festinantes moenia
Ante Caesarii
provolvuntur genua,
Petunt Siffredum,
ad sua suffragia
Consensit praesul
motus querimonia.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Siffredus hoc ut comperit,
Ne fiat factum, distulit

Et nititur aufugere,
Quod se videt eligere.

2. Tunc violenter capitur
Et praesul benedicitur,
Proponitur in cathedra
Cum magna plebis gloria.

3. Ecce, praesul beate,
qui de te gloriamur,
Salutis adiumentum
a te experiamur;
Audi, Siffrede, preces,
quibus te deprecamur,
Ut semper tecum bonis
perfrui mereamur.

R. O pontificem beatum,
o sacratum praesulem,
Qui tuum familiarem
huius vitae exsulem
Et defunctum suscitasti
et fecisti caelibem,
Tu nostram fragilitatem
interventu protege
Et caeleste nobis regnum
interpellans obtine.
V. Per tuam, pastor ovilis,
dignam confidentiam
Nostram, petimus, fulciri
praesentem miseriam,
Ut perduci mereamur
ad perennem gloriam.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Ad hoc motus pater pius
consolari nititur
Et certatim affluentes
temperare lacrimas,
Ne mutarent in lamentum,
quod laetandum cernerent.

2. Illi hoc audito nullum
flendi dant remedium,
Plangunt in commune damnum
adfuturum proprium
Et precantur dilatari
sui patris exitum.

3. Ut cognovit praesul sanctus
lamentantem populum,
Increpando arguebat,
dicens, ut ad Dominum
Corda vertant et exquirant
ab eo auxilium.

Ad Benedictus.

A. Celebrantes festum diem
Siffredi pontificis
Dominum benedicamus,
salvatorem omnium,
Cui hodie Siffredus
suum misit spiritum;
Ideoque nos poscamus
eius adiutorium,
Ut cum ipso conregnemus
laeti in perpetuum.

Alia Antiphona.

O castitatis lilium,
Siffrede, dux humilium,
Lucerna confessorum,
Castiga saevientium,
Se passim ingerentium
Incentiva morborum,
Et tamquam praevium
More laudantium
Laudis influe radium,
Deo nostro decorum.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O Siffrede, vir beate,
o pastor egregie,

Quem confidimus regnare
in caelis cum Domino,
Te potentem exorare
deprecamur supplices,
Ut pro nobis intercedas
fidenter ad Dominum.
Qui te secum regnaturum
dat per omne saeculum.

Brev. ms. Carpentoractense saec. 14. Cod. Vatican. Borgh. 53 A I. — In 1. Noct. A 3, 1 Tunc ut vidit. — Alle RR prosaisch mit Ausnahme des letzten. — In Laud. die zwei ersten AA prosaisch.

75. De s. Siro Ticinensi.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Salvatorem Syrus sequens
Praedilectum Christum, praebens
Sacrantem matrem virginem,
Gradum tenet principalem,
Virum docens singularem,
Nam verum Deum hominem.

2. Atritus Ticinensium
Cum laude praesidentium
Per Syrum fit catholicus,
Hic salutem sitiebat,
Ad quos istum dirigebat
Auditor apostolicus.

3. Erigitur ecclesia
Et datur Christo gloria,
Cum transit sacrilegium;
Collaudemus veritatem,
Sancti Syri probitatem,
Qua pelletur daemonium.

4. Cum viris apostolicis
Nutritus in canonicis
Attentius praedicabat
Ecclesiae mysteria
Tollebatque fastigia
Idolorum, quae damnabat.

5. Confirmant hunc miracula,
Cum suscitatur plantula
Orante matre humili,
Panduntur probabilia,
Adduntur mirabilia,
Expressa mundo fragili.

Ad Magnificat.

A. Praesul benignissime,
Tu fidei catholicae
Doctus es in infantia,
Ora pro populo,
Morum lumen optimum,
Ducatum ferens hominum
Fundis in Papia
Firmus in commisso,
Tu rector animarum,
Tu destructor et culparum,
Vigil in custodia
Gregis, quem fecisti;
Precamur, miserere
His, quos vides oportere
Visitari gratia
Redemptoris Christi.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Adoremus redemptorem,
Iesum, Dei filium,
Qui nunc Syrum praeceptorem
Fecit Ticinensium.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Turbam cernit in deserto
Famelicam et multam
Vivus panis, qui de caelo
Annonam dat augustam.

2. Pandit Andreas puerum,
Dominus interrogat:
Unde praebebit prandendum
Populo, qui venerat?

3. Dat innocens pisciculos
Syrus, quos ferebat,
Et panes hordeaceos
Auctori, qui pascebat.

Responsoria.

1. In orbe splendor oriens
Catholicae testurae,
Verbum a patre exiens
Deificae naturae,
Syrum dedit incipiens
Honestae praelaturae,
V. Hic civitates adiens,
Ac Christo cunctos colligens
Deservit creaturae.

2. Hic vir, cum Christus loquitur,
Spernit vitam fragilem,
Cum ceteris colligitur
Et ad fidem stabilem
Fortis athleta iungitur
Monstrans mundum labilem;
V. Sermo divinus funditur,
Grex humilis erigitur
Ad pastorem nobilem.

3. Verbum spargit affluenter
Doctus Aquilegiae,
Signa facit evidenter
Superans egregie
Inimicum eminenter
Actionis optimae;
V. Postquam sanctus hic recenter
Est instructus excellenter
In doctrina gratiae.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Invocantem exaudivit
Christus cum gemitibus,
Unde Syrum huc transmisit
Firmum in amoribus.

2. Lacrimatur gens devota
Pontificem attendens,
Per quem creditur promota,
Sed manet hunc distendens.

3. In nomine tu Domini
Venisti, benedicte,
Dirigens vota populi
Fudisti verba vitae.

Responsoria.

1. Cum ingressus civitatem
Syrus esset Papiensem,
Commendatam praesuli,
Voce magna caritatem
Audiebat diffundentem,
Cum deflebant populi.
V. Declinabant falsitatem
[Et] optabant veritatem
Lacrimantes oculi.

2. Non piger, sed sollicitus
Eradicabat errores
Damnatae falsitatis,
Non horridus, sed inclitus,
Cum disseminat odores
Expressae veritatis;
V. Sic procedit ad honores,
Sic accedit ad favores
Hic coetus civitatis.

3. Postquam fidem complantatam
Divino spectat munere
In commissis filiis,
Gentem quaerit depravatam
In Brixiensi genere,
Adhaerentem idolis.
V. Carnem daemone vexatam
Dat cum laude liberatam
In propinquis oppidis.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Ad altaris sollemnia
Frequenter in laudibus
Sollerti cum custodia
Orat pro fidelibus.

2. Iudaeus tunc incredulus
Ausu temerario
Christi corpus improvidus
Attingit ore arido.

3. Statim clamat haereticus
Sine forma mugiens,
Sed orat tunc episcopus
Et fit Deo serviens.

Responsoria.

1. Arcana detegens
Reserat prophetans
Humanorum cordium,
Per haec pusillum gregem
Ampliat perducens
Ad actorem omnium.
V. Ovis fictae, fraude tectae,
Vestem notam facit certe.

2. Clamans caecus [il]lustratur,
Ipse surdus et sanatur
A condolente miseris.
Vera fides diffamatur,
Spes futura commendatur
Ab hoc parente posteris.
V. Dei virtus collaudatur,
Pia mens congratulatur,
Christi fides augmentatur
Maximis miraculis.

3. Eventium, quem tertium
Sumpsit honor praesularis,
Ut dixerat propheta,
Pompeium intermedium
Sacer ordo clericalis
Consequitur assecla,
V. Relinquens corpus terrenum
Communem petit Dominum,
Rosis vernant dumeta.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Quam gloriari sufficit
Haec civitas, quae proficit
Talibus pastoribus!
Ergo Deo glorietur,
Ut per ipsum coronetur
Maximis honoribus.

2. Haec magistra civitatum
Praebet summas facultatum
Religionis Christi,
Ipsa vocat adiacentes
Et impugnat non credentes
Ad rationes Syri.

3. Orans pro grege vigilat,
Hic successores ordinat
Cathedralis infulae,
Istos doctrinis instruit,
Quas ipse Christus docuit,
Cum doceret sedule.

4. Benedicat creatura,
Dei gratis plasmatura
Excelsum creatorem,
Qui est Deus ex natura,
Homo factus in statura
Se fecit viatorem.

5. Cogita, gens incredula,
Auctoris beneficium
Sine tuo opere,
Laudemus hunc per saecula,
Clericorum collegium,
In aeterno sidere.

Ad Benedictus.

A. Vir doctus in principio
Cum spiritu cherubico
Prophetabat civitati,
Quae innixa veritati
Prospera videbat.
Procedes abundantius,
Nec locus erit vacuus,
Gaudebis excellentius
Bonis civibus repleta,
Sicut ostendebat.
Nos patrem confidentius,
Ne genus sit deterius,
Precemur affluentius,
Laetitia sit completa,
Sicut cupiebat.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Terrae cultor optime,
Quam reperis edomitam,
Nullae culturae redditam
Noxia sectanti,
Astringe lapsus varios,
Nos fecunda subditos
Magna suscitanti.
O pater sanctissime,
Quem tenemus defensorem
Et pro nobis oratorem
Ad tribunal Dei,
Officii conditoris
Et indigni successoris
Tu memento mei.

Collect. ms. Ticinense[?] saec. 15. Cod. Roman. 1300 (Sessor. 343). — In 1. Noct. A 1, 4 angustam. — In 2. Noct. R 2, 7 Hic. — In 3. Noct. R 2, 1 Clamamus caecus lustratur. — Über den „conditor officii“ vgl. Anal. XLIII, Nr. 491 in not. Die Hymnen zum Officium ebenda S. 290ff.

76. In Festo Sororum BMV.

In 1. Vesperis.

R. Benedicta villa maris,
Quam thesauris tam praeclaris
Rex ditavit gloriae,
In te portus salutaris,
Sal virtutis et amaris
Aquaeductus gratiae.
V. Sola digna gloriaris,
Quod sorores amplexaris
Virginis eximiae.

Ad Magnificat.

A. O felix prosapia,
Ex regali germine
David propagata!
Beata Provincia,
Sub Mariae nomine
Stellis illustrata!
Digne gaudes, villa maris,
Quae duabus filiabus
Annae venustaris.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Iubilemus in hac die
Dignis Deo laudibus,
Qui claris virtutibus
Regnum dat sororibus
Virginis Mariae.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Ecce, dies gloriosa,
Dies mundo gratiosa,
Qua sorores matris Christi
Meruerunt caelo sisti.

2. Gratuletur civium
Coetus supernorum,
Festivans sollemnium
Sacrarum sororum.

3. Almae matris nomine
Vocatae sorores
Stellae maris, feminae
Pollent gratiosae.

Responsoria.

1. Dies festus beatarum
Matris Christi germanarum
Celebratur hodie,
Quas invitat ad superna
Christus, luce sempiterna
Fruituras gloriae;
V. Felicium par sororum
Chorus gaudet supernorum.

2. Mirandae propagines
Tres ex una vite
Generantur,
Procreantur
Ex quibus sex homines
Et creator vitae;
V. Sic ex Anna tres puellae,
Omnes dictae maris stellae.

3. Ante regis solium
Astat purpurata,
Per duarum
Puellarum
Fulta ministerium,
Hesther delicata;
V. Hae puellae duo flores,
Matris Dei sunt sorores.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Anna, coniunx Ioachim,
trinos sponsos habuit
Et Mariam, Domini
matrem, primo genuit.

2. Quo defuncto Cleopham
maritum accepit,
De quo matrem Iacobi
Mariam concepit.

3. Demum sponso Salomae
tertio donatur,
Hinc Maria, Salome
dicta, generatur.

Responsoria.

1. Maria post sabbatum
Duaeque sorores
Emerunt aromatum
Mysticos odores,
Cupientes stigmatum
Ungere livores,
V. Et dicunt ad invicem:
Quis revolvet silicem
Ad sepulcri fores?

2. O Iesu, deiferae
Lucis instrumentum,
Olivae fructiferae
Dulce condimentum,
Quem duae materterae
Mane quaerunt ungere
Portantes unguentum;
V. Hae super candelabrum
Duo sunt olivae,
Post crucis ventilabrum
Testes carnis vivae.

3. Orto solis radio
Mulieres visio
Clara consolatur,
Angelus terribilis,
Veste delectabilis,
Amoto signaculo,
Reserato tumulo
Eas sic adfatur:
V. Non est hic, quem quaeritis,
Sed, prout videbitis,
Surgens gloriatur.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Maria de Ioachim
fuit primogenita.

Quae Christi per gratiam
mater fuit inclita.

2. Haec Maria Iacobi
minoris est mater,
Cuius fuit Cleophas,
homo iustus, pater.

3. Et Maria, Salomae
proles erudita,
Paterno sic nomine
fuit insignita.

Responsoria.

1. Duo luminaria
Praeclara formantur,
Duo sanctuaria,
Quae huc destinantur,
De quorum praesentia
Fulget haec ecclesia,
Caelum, terra, maria
Pariter laetantur.
V. Felices materterae,
Sorores Christiferae,
Cum virtutum munere
Ad nos applicantur.

2. Scriptam Deus in tabulis
Duabus legem statuit,
Post Verbum-caro populis,
Gratiae plenum, claruit,
Quam signis et miraculis
Mundo vivens exposuit.
V. Dum sorores matris hic posuit,
Duas legis tabulas tribuit.

3. Gaudeamus hodie,
Immensae laetitiae
Laudes extollantur,
Dum reginae gloriae
Sorores egregiae,
Annae duae filiae,
Caelo coronantur.
V. Hic chorus ecclesiae,
Ubi sunt reliquiae;
Plebs tota Provinciae
Digne gloriantur.

Ad Laudes.

Antiphonae.

1. Cum Maria Magdalene
Sorores venerunt
Et unguentum fide plenae
Mane portaverunt.

2. Ad sepulcrum veniunt
Sociae beatae,
Quod solis aspiciunt
Orta claritate.

3. Et intrantes splendidum
Iuvenem sedere
Vident, stola candidum,
Et obstupuere.

4. Mulieres leniter
Angelus adfatur
Et paventes dulciter
Eas consolatur:

5. Scio, Iesum quaeritis
Credentes hunc mortuum,
Surrexit, videbitis,
Ecce, locum vacuum!

Ad Benedictus.

A. Benedicta sit trinitas
Ter Annae replens uterum,
Benedicta germanitas
Trium praeclara siderum;
Benedicta sit iterum
Trinae Mariae claritas,
Per quas hos fines visitas,
Dator aeterne munerum.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O lux luce clarior,
Gemina lucerna,
Ceteris splendidior
Dies hodierna,
Qua sorores strenuae
Scandunt ad superna,
Gaudentes assidue
Luce sempiterna.

Brev. ms. Arelatense saec. 15. Cod. Parisien. 1284. A. — Brev. ms. Aquense saec. 15. Cod. Parisien. 1061. B. — Breviarium Aquense imp. Lugduni 1499. C. — In 1. Vesp. Ad Magn. A. 4 O fehlt B. — Ibid. 7 stella maris B. — Ad Matut. Invit. 5 Matris virginis B — In 2. Noct. R 1, 8 lapidem B. — In 3. Noct. R 1, 11 numero A. — Vgl. Anal. V, Nr. 25 und die Anm. daselbst.

77. De sancto Tito.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Claret dies praecipua,
Qua tecum, summe Deus,
Gaudet in caeli curia
Titus pater, Creteus.

2. Tanti patris magnifica
Sonet fides natorum,
Quibus in urbe Cretica
Fulget nomen eorum.

3. Sicut a sole radius
Titi claret doctrina,
Qua Cretae laetus populus
Illustratur divina.

4. Hic quasi virens folium
Virtute germinavit,
Ad usque caeli solium
Se tollens elevavit.

5. Terris vivens ut angelus,
Spe firma solidatus,
Adplaudit caeli civibus,
Iam digne laureatus.

R. Solve, plebs Cretica,
Laudes et tura
Resume, cantica
Notaque pura;

V. Pangit angelica
Tito plebs inclita
Sanctorum iura.

Ad Magnificat.

A. Ave, nostrae fidei
Pater gloriose,
Qua sumus idonei,
Suntque gratiosae
Preces almo numini.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Regi regum
iubilemus Domino,
Qui stola gloriae
Beatum hodie
Coronavit
Titum apostolum.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Dies nuntiat dici,
Tito Deus verbum spei
Collatum divinitus.

2. Dei laudem hic in ore
Semper habens cum decore
Docuit sublimius.

3. Verbum bonum eructavit,
Cuius lingua multis favit
Velox sicut calamus.

Responsoria.

1. Caelestis hodie
vitis effronduit,
Cuius in palmite
novus apparuit
Flos pudicitiae;
V. Titum suscipite,
Patrem aspicite,
Qui fidem docuit.

2. Novus emittitur
Ad gentes nuntius,
Verus eligitur
Caelestis baiulus
Verbi prudentiae;
V. Sidus eximium,
Magister gentium
Prolesque Minoae.

3. Ros refrigerii
De caelo mittitur,
Spes desiderii
Gratis amplectitur
In urbe Cretica;
V. Dignum depositum,
Quod ibi positum
Virtute caelica.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Populos Tito subiectos
Verbo donat esse rectos
Christi grata gratia.

2. Sub alarum velamento
Dei tectus in augmento
Lucis fulget gloria.

3. Gaudet Titus et laudatur,
Laus ipsius minus fatur
Digna laude caelica.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Christi nomen invocantes,
Laudem Titi personantes
Exsultemus hodie.

2. Lux est orta iustis Cretae,
Cui semper congaudete
Luci laude praevia.

3. Parans hic directiones
Christi benedictiones
Impetravit populo.

Responsoria.

1. Auri candelabrum
Nitens prudentia,
Christi ventilabrum
Purgans in area
Granum a paleis;
V. Corruunt idola
Populi subdola
Dediti vitiis.

2. Fulget in tenebris
Mundi lucerna,
Sancti regiminis
Adest pincerna
Patris familias;
V. Duc ad aeterna
Regna superna,
Fili familias.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Domum tuam, Domine,
Decet sanctitudo,
In qua Titi colitur
Vitae magnitudo.

2. Omnes Cretae populi,
Christo iubilate,
Titi nunc apostoli
Laudes elevate.

3. Sancta patris anima
Repletur pinguedine,
Cor eius et labia
Cantici dulcedine.

4. Benedicant omnium
Regi regum opera,
Qui Titum apostolum
Transduxit ad aethera.

5. In excelsis Dominum
Vocibus laudate,
Titum sed apostolum
Eius adorate.

Per Horas.

Ad Primam.

A. Sicut vas electionis
Sanctus eligitur,
Capax benedictionis
Cretae dirigitur.

Ad Tertiam.

A. Exsultet mundus hodie
Renovatus laetitia,
Dum Titus urbis Creticae
Celsa refulget gloria.

Ad Sextam.

A. Sonet vox gaudii
Voce iustorum
Voxque tripudii,
Laus filiorum.

Ad Nonam.

A. Facti sicut consolati,
Sancto corpore ditati
Laetemur in Domino
Dulci vocis iubilo.

Brev. ms. Civitatense saec. 15. Cod. Archiep. Utinen. Oct. 10. A. — Antiph. ms. Civitatense saec. 14. Cod. Civitaten. LVII. add. saec. 15. B. — Brev. ms. Civitatense anni 1476. Cod. Civitaten. LXXIV (28). C. — Antiph. ms. Civitatense saec. 15. Cod. Civitaten. XXXIX. D. — Antiph. ms. Civitatense saec. 15. Cod. Civitaten. XLIV. E. — In 1. Noct. A 2, 2 Semper hic cum decore A. — In 2. Noct. R 3 prosaisch. — In 3. Noct. Ebenso. — AA ad Bened. und ad Magn. in 7. Vesp. prosaisch. Die AA per Horas fehlen AC. — Die Hymnen hierzu Anal. XLIII, 295 sq.

78. De s. Valeria Lemovicensi.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Magnus es, rex Christe, sponse
Valeriae virginis,
Quam illustras et hic signis
et in caelo praemiis,
Sonet tibi, sonet illi
laus et honor celebris.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Virginalis palmae Christum
adoremus praevium,
Pro quo caesa Valeria
vexit caput proprium.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Natalibus egregia
Et moribus Valeria
De genere gentilium,
De spinis fulsit lilium.

2. Haec et in ipsis ritibus
Non gentilis gentilibus,
Iam Christo Christi nescia
Vivebat horrens vitia.

3. Mente praesaga caelitus,
Dono praeventa spiritus,
Carne mansit virginea
Rosa de stirpe spinea.

4. Idola cernens deici
Ex viri apostolici
Martialis sermonibus,
Lavatur sacris fontibus.

5. Stephano, duci Galliae,
Sponsata dotes gratiae
Sponso terreno praetulit,
Hinc dura mortis pertulit.

6. Die noctuque Domino
Supplex pro sponso Stephano
Ei vitam obtinuit,
Per quem caesa occubuit.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Dux fremit ira Stephanus,
Intus ardens ut clibanus,
Dum se sperni considerat,
Sanctam punire properat.

2. Occurrit imperterrita
Nec auditur dans monita,
Sed ferit illam impiger
Mox feriendus armiger.

3. Caput caesum fert brachiis
Ad sanctum sancta propriis,
Durities marmorea
Plantis cedens fit cerea.

4. Illator mortis moritur,
Sed sancti prece redditur,
Sic dux ad fidem ducitur,
Stupet, credit, abluitur.

5. Caelum scandit aethereum
Per globum martyr igneum,
Concentus tunc angelicus,
Clangor auditur caelicus.

6. Vale, valens Valeria,
Tempore primiceria
Postpassum Christum Dominum
Agonizantum virginum.

In 3. Nocturno.

Ad Cantica.

A. O Valeria, lilium,
O lux, o rosa caelica,
Quae nos tibi offerimus,
Offer Deo tu cantica.

Ad Laudes.

Antiphonae.

1. Laudes decent Valeriam,
Domum tuam, rex, regiam,
Haec parata sedes tua
Visat nos ad festa sua.

2. Coniubilemus Domino,
Qui sponsam suam gemino
Coronat diademate
Suo signatam stigmate.

3. Adhaesit post te anima
Et caro mea victima,
Tuaque, Deus, dextera
Me suscepit in aethera.

4. Deo sit benedictio,
Qui sponsam de incendio
Babylonis eripuit,
Dum sponsum virgo respuit.

5. Auctorem unum omnia
Collaudent laude socia,
Valeriae qui gloriam
Dedit sicut victoriam.

Ad Benedictus.

A. Hodie sponsa regia
Sponsum petit Valeria,
Hodie ab angelicis
Fertur choris hymnidicis,
Hodie thronum roseum
Per globum scandit igneum.
Haec sedentes in tenebris
Illustret lampas celebris,
In viam pacis dirigat,
Ad regnum lucis adligat.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O Domini pietas,
o Christi summa potestas,
Morte petit roseas
Valeria virgo choreas,
Magnificat Dominum,
cum virgineum canit hymnum;
Impetret haec nobis
aeternae gaudia lucis.

Tropar. ms. S. Aridii Lemovicensis saec. 11. add. saec. 12. Cod. Parisin. 903.

79. De sancto Wulfranno.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Corde puro regis regum
poscamus clementiam
In sanctique veneremur
Wulfranni sollemniis.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Sanctus Wulfrannus,
generosis patribus ortus,
A puero sanctis
traditus est studiis.

2. Doctrinae gradibus
divinae proficiebat
Aetatemque senis
moribus exhibuit.

3. Nutu divino
clamanteque plebe fideli
Wulfrannus praesul
praeficitur Senonum.

4. Concessa a Domino
praeclara per omnia cuius
Virtus ornavit
pontificale decus.

5. Orans commissam
protexit denique plebem,
Utque ad regna poli
tenderet, admonuit.

6. Maxime quodque solet
sanctis prodesse magistris,
Implevit factis,
voce quod admonuit.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Ostendebat eum
duplex dilectio gratum,
Prudenter moderans,
fortis [et] iustus erat.

2. Accipit in somnis
divina oracula sanctus,
Aggrestem Fresiae
viseret ut populum

3. Subveniatque docens;
illud nam tempus adusque
Error gentilis
ludificabat eum.

4. Tunc Rotomagensem
cathedram sanctus habebat
Ansbertus, rebus
conspicuus Domini.

5. Cuius praecepto
Christi zelatus amore
Sanctus Wulfrannus
hoc iter aggreditur.

6. Ecce, sacerdotum
collatio sancta piorum
Errantes tractat,
ne penitus pereant.

In 3. Nocturno.

Ad Cantica.

A. Pro nobis, Wulfranne, tibi
famulantibus ora,
Convertis Domino
qui Fresiae populum.

Chronicon ms. Fontanellense saec. 9 [12—15]. Cod. Portus Gratiae 332. — **RR** und die **AA** ad Laudes prosaisch.

80. De sancto Zosimo.

In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

A. Gaude, felix
urbs Syracusia,
Tanti patris
dotata gloria,
Praesens tecum
mater ecclesia
In concordi
mentis melodia
Promat novae
laudis praeconia.

R. O praeclara sacerdotum
Christi natalitia,
Quibus Zosimam ascripsit
in caelesti curia
Lux virtutum, norma morum,
vitae sanctimonia.

V. Inter quorum gloriosa
positum consortia
Advocatum sentiamus
in Dei praesentia.

Ad Magnificat.

A. Laetare, urbs Syracusia,
Sedes sanctorum praesulum,
Quorum sacra patrocinia
Tuentur tuum populum;
Ergo beati Zosimi
Laus, hymnus et melodia
Oris, vocis et animi
Festivet haec sollemnia.

Alia Antiphona.

Urbs insignis Syracusa
Zosimi per merita,

Tanti praesulis perfusa
Gratia gratuita,
Ore, voce, mente pura
Recole sollemnia,
Cuius ope duratura
Consequeris praemia.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Summo patri modulemur
Melos cordis intimum,
Qui honore praesulari
Decoravit Zosimum,
Inter caeli laureatum
agmen candidissimum.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Plebs fidelis, plebs devota
Urbis Syracusiae,
Funde digna cordis vota
Plausibus laetitiae.

2. In hac die mentis piae
Ex affectu intimo
Psallit, gaudet chorus plaudens
Pio patri Zosimo.

3. Hunc coronat morum forma,
Honestatis titulus,
Hunc insignit legis norma
Virtutumque cumulus.

Responsoria.

1. Ut aetatis suae puer
Utitur septennio,
Ad exemplum Samuelis
Divino praesagio
V. Hunc parentum pia mente
Obtulit devotio
Templi celebris Luciae
Virginis obsequio.

2. Huius sanctae zelans florem
Illibati corporis
Dum aspirat ad decorem
Purpurati pectoris,
V. Est adeptus hunc fulgorem
Cumulandi decoris.

3. Sanctus Faustus, pater aedis,
Et adiutrix dextera
Aemulanti sancto actus
Et sanctarum opera
Sacrae martyris commisit
Pretiosa funera,
V. Per virtutem Dei patris
Mundo salutifera.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Cibus ei verbum Dei.
Potus est oratio.
Strati cura mens est pura,
Tegimen dilectio.

2. Carnis fluxum stringit [luxum]
Zona continentiae.
[Repentinam] ne ruinam
Ferat pudicitia.

3. Mundum spernit et secernit
Mentem ab illecebris,
Tuba clangit, et vas frangit
Gedeon, in tenebris
Lux apparet, et sic claret
Dux triumphi celebris.

Responsoria.

1. Sanctus Faustus cunctae carnis
viam ut ingreditur,
Quem assumat in pastorem,
gregis mens suspenditur.
Ad Iohannem, urbis patrem,
tendit, abbas petitur,
V. Sed quem sprevit, Dei nutu
Zosimus eligitur.

2. Quanto gradu dignitatis
Eminet praecelsior,
Tanto nutu caritatis
Cunctis est humilior,
Quo interno mens affectu
Affluebat purior,
V. Gestu, verbo et aspectu
Effulgebat gratior.

3. O laudanda, o miranda
Virtus huius praesulis,
Donans signum laude dignum
Saeculorum saeculis!
Qui ad instar praecursoris
Prototestis luminis
V. Prodit virum et accersit
Revelatum numinis.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Certat clerus, urbs contendit
optione copia,
Cui praestentur praesulatus
apicis insignia.

2. Mox sopitur apud patrem
Sedis apostolicae;
Post laborem praesulatur
Zosimus mirifice.

3. Nam Eliam urget furor
Iezabelis impiae,
Vox ancillae Petrum vexat,
Principem ecclesiae.

Responsoria.

1. Sublimatus vitae fama
gestorumque specula
Praesulari vir insignis
insignitur infula,
Per quem signa sanctitatis
fulgent et miracula,
V. Dignum clamat praesulem
clerus et gens incola.

2. Iam insudat vigilanter
praesulis officio,
Non exponens se torpori,
ne tepescat otio,
Ad usuram tradita talenta (a) numulario,
V. Quae reportat augmentata
duplici commercio.

3. Ut cuiusdam relevaret
pauperis inopiam,
Qua se tegit, vendi iubet
pater vestem propriam.
Dum remordet sui scribae
moram et desidium,
V. In momento vir ignotus
offert auri copiam.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Invitatur
ad sponsi nuptias
Cultor agri,
pater familias,
Nam depromens
carnis exuvias
Vitae stolas
sumit eximias.

2. Dum triturat
messem in area,
Fructu replet
Domini horrea,
Caula lupos,
vulpes a vinea
Arcet tractans
arma siderea.

3. Ut se videt
a mundo exsulem
Fore, sanctum
eligit praesulem
Ne luporum
in morsus [trucium]
Grex in praeceps
effluat [ovium].

4. Benedicat Deum patrem
trina mundi machina,
In quo Zosimus exsultat
inter caeli agmina.

5. Laus decora salvatori
resonet per omnia,
Per quem viget in hoc loco
Zosimi memoria.

Ad Benedictus.

A. Alme praesul Zosime,
Iubar sacerdotum,
Auge mores, reprime
Vitiorum motum,
Serva clerum, protege
Populum devotum
Et in bonum dirige
Utriusque votum.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Ave, pater
et pastor optime,
Nostra salus
et vita, Zosime,
Praesta nobis
medelam animae,
Fuga pestem
et morbos adime
Et, qui plausu
laudis uberrimae
Te attollunt,
a malis exime.

Caietanus, Octavius, S. I, Vitae sanctorum Siculorum, Panormi 1657. Tom. I. Animadversiones p. 183. „Sollemne de sancto Zosima officium in ecclesia Syracusana, posteaquam a Rogerio Comite pulsis Saracenis restituta est, olim peragebatur. Exstant Hymni, Antiphonae et Responsoria ex eius vita desumpta descriptaque, ut barbara ferebant tempora. Hymnos exscribo." An diesem Officium ist nichts „Barbarisches" zu entdecken; barbarisch erscheint dagegen die doppelte Unwissenheit, die sich in der Anmerkung des Herausgebers kundgibt. Hymnen sind keine mitgeteilt. Die einzelnen Antiphonen usw. sind nicht getrennt, sondern als fortlaufendes Ganze gedruckt. Nur wird innerhalb der einzelnen Nokturnen angezeigt, wo die Antiphonen, wo die Responsorien beginnen. — In 3. Noct. A 2, 1 Vox sopitur. — R 2, 4 tepescant. — In Laud. A 2, 5 A caula. — Aus diesem Officium finden sich einzelne Bruchstücke Acta SS. Mart. III, 840 ff. Von diesen Bruchstücken registriert Chevaliers Repert. hymnol. das erste Ut aetatis suae puer; die anderen Bruchstücke — und noch weniger das Ganze — kümmern ihn nicht.

ANHANG.

MESSEN.

81. Missa Gallicana.

(Monii VIII.)

I. Praefatio.

Siderea de sede nitens, bone conditor orbis,
Te pietate probans, non nostra hic crimimina pensans,
Expositas admitte preces et iudice libra
Mitior aequali non reddas pondere poenam;
Errores ignosce gregis pastorque fidelis
Ereptis ovibus paradisi pabula reddas.

II. Collectio.

Summe sator rerum, qui spinis cultor ademptis
Catholicae ecclesiae plantaria fida locasti,
Flecte oculos ad vota pius, age, mente serena
Haec ut apostolico fodiatur vinea rastro,
Adridens foliis, vivaci palmite vernans.
Roscida fonte tuo, nullo cruciata vapore,
Nutriat aeternos felici germine fructus,
Fertilis et placeat largo vindemia partu.

III. Ante nomina.

Adnue, rector, opem vultuque adverte secundo,
Quae damus, accipiens, quod poscimus, ipse rependens,
Et quamvis trepidet proprio mens tacta reatu,
Vel sacra reddentes commendet causa redemptos,
Hoc speciale bonum tribuens, ut corde fideli
Vivamus Domino, moriamur crimine mundi.

IV. Post nomina.

Quod poscit divinus honor, quod munus amantum
Obsequio reddente Deo sollenne tributum,
Suppliciter Dominum per vota gemella precemur,
Ut, quos culpa premit, pietas miserata relaxet,

Atque interventu sacri libaminis huius
Vita superstitibus detur, indulgentia functis.

V. Ad Pacem.

Arbiter orbis, apex rerum, spes una reorum,
Tardus vindictae, veniae celer, immemor irae,
Qui loca perquiris, miseris ubi parcere possis,
Invitans ad dona magis, ne crimina damnes,
Necte fidem populis, pacem sere, pectora iunge,
Ut teneant animo, quod blanda per oscula produnt.

VI. Contestatio.

Dignum et iustum est, nos gratias tibi dicere dignas,
Summe Deus semperque manens dominator ubique,
Et qui cuncta potens propriis animata figuris
Artifici sermone facis, quique edita cernens,
Ante videns rerumque creans per nomina formas,
Cum fierent, vox semen erat, nec distulit ortus
Imperium natura sequens; mox spiritus oris
Aethera curvavit, sola nexuit, aequora fudit,
Materiamque operis sola est largita voluntas.
Ne deforme iugum similis portaret imago,
Tegmine servili latuit regnator Olympi,
Ut sua gentiles implerent coepta furoris.
Quis dolus Herodis, cum tristia bella moverent
Infantum mandata necis! quot ubere raptos
Vulnera suscipiunt parvis errantia membris,
Vix habitura locum! Saevoque iubente tyranno
Nasci poena fuit, cuius tulit impetus aevum,
Quem nescivit agi, qui perdidit. O nova mortis
Condicio, solum vitam pro fine subire
Et, cum prima dies atque ultima sit simul una,
Posse magis quam scire mori. Quis lumine sicco
Aut gemitu cessante queat memorare Pilati,
Quod deflent elementa, nefas? Quo iudice Christus
Subdere pro mundi voluit sua membra periclis,
Ut carnale malum caro solveret et ferus hostis,
Cuius ab ingenio fluxerunt tela veneni,
Perderet antiqui lacrimosa piacula belli
Materia superante pari, nec criminis ultra
Per subolem prodesset onus. Damnatio iusti
Libertas est facta reis. De semine verbi
Per tua dona colis signisque novalibus usa,
Colligat ista manus te fructificante maniplos,
De quibus ipse tui componas horrea caeli
Triticeamque fidem lolio pereunte corones.

Per quem cuncta tibi, quae sunt caelestia, semper
Virtutesque tonant sacro modulamine carmen,
Ang(e)lorumque chorus resonant his vocibus hymnum;
Quaesumus, ut iubeas nunc nos audire canentes,
Et tibi sint placitae laudes, cum dicimus istas.

VII. Alia contestatio.

Dignum, aequum ac iustum est, tibi nos, pie, clangere laudes.
Lux, via, vita, decus, spes, fons, sator, arbiter, auctor,
Gratia, dulcedo, sapientia, gloria, regnum,
Qui sine principio perstas, sine fine per aevum,
Cuius trinus apex statuit tria maxima rerum:
Sol, luna, astra, polus radiarunt lumine mundum,
Fons, pecus, herba, frutex terras variavit honore,
Piscis, concha, lapis, sal, murex aequora complet.
Sic hominem, genitor, finxisti ductile limo
Atque reformasti post crimina fonte lavacri;
Unde tibi merito, rerum Deus, una triades,
Vocibus angelicis haec carmina sancta resultant.

VIII. Post Sanctus.

Vere terribilis, sanctus, metuendus, amandus,
Conditor, instructor, moderator, tutor, operator,
Qui proprium genitum, per quem virtute paterna
Tunc adulescentis formasti exordia mundi,
Mittere sede poli demum dignatus es orbi,
Qui reparator adest nostrarum [lux] animarum.

Collect. ms. Augiense saec. 7/8. Cod. Carolsruhan. Aug. 253. Daraus Mone, Lateinische und griechische Messen, Frankfurt a. M. 1850, S. 30-35. — I. 1 obis. — 2 pensas. — II. 3 Plecte. — 8 vindemiae. — III. 3 reatus. — IV. 1 quod funus. — 5 libamini. — V. 5 serere. — VI. 8 sola nec suetaequora fudit; die Silben nur falsch verbunden von Mone. — 13 moveret. — 14 neci quos. — 19 solus. — 23 Quod iudice. — 25 carnalem. — 26 ingenium. — 29 proderit. — 30 Da semina. — 32 manipolus. — 36 Virtutisque toas. — VII. 4 praestas. — 5 maxime. — VIII. 2 fehlerhafteroder entstellter Vers; lies tutor opime? — 3 virtutem paternam. — 6 Qui repatur. — Die Messe ist in der Weise der lingua rustica geschrieben. Für diese rein orthographischen Lesarten, die der Messe jedenfalls nicht ursprünglich eignen, mufs auf Mone l. c. verwiesen werden.

82. E Missa Ambrosiana.

Praefatio.

Aequum et salutare nos tibi reddere grates,
[O] vis trina, Deus [clemens], sator optime rerum,
[O] qui cuncta [tuis] propriis animata figuris
Artifici sermone facis qui et facta conservas,

Qui dudum multo latitantem pulvere drachmam
Invenis accensa verbi virtute lucerna,
Ut pateant cunctis tua munera [rex pie] saeclis.
Reddens ecclesiae fausto certamine palmam,
Angelicos cernant humana lumina vultus,
Micent et tumuli splendida membra loco.
Iamiam qui repertus, olim absconditus agro.
Rutilat thesaurus, evangelicis praesignatus figuris.
En, superexsultat intemerata (ecclesiae) fides,
Dum sacrum mercatum margaritae lucrum capessat,
In qua, martyr sancte, tuus inclitus martyr
Geminam insignem Nazarius gestat coronam,
Qui meruit, Domini [testis] pro laude fidelis,
Sanguine martyrium clarificare suum.
O nimium dilecta Dei, membra Christi servata promisso!
O testis flagrantissime,
Nitore caeli fulgide!
Cuius inaestimabilis
Odor [cunctis] Sabaeicis
Praepollet aromatibus,
Quem pius Ambrosius sacrum
Locans ecclesiae munus
Perennem patronum dedit
Reperiens et medicum,
Propugnatorem fidei,
Sacri proelii bellatorem.
Propterea cum angelis
[Dicamus] et archangelis
Sanctus, sanctus etc.

Miss. ms. Ambrosianum saec. 9. ex. Cod. Ambrosian. A 24 bis inf. A — Miss. ms. Ambrosianum saec. 10. Cod. Capit. Mediolanen. s. n. B. — Miss. ms. Ambrosianum saec. 11. Cod Capit. Mediolanen. s. n. C. — Der Text dieser Präfation ist augenscheinlich sehr verdorben. Der erste Teil derselben scheint aus Hexametern (und Distichen), der zweite aus Iamben bestehen zu sollen. Es wechseln aber metrisch-richtige Verse mit rhythmischen, rhythmisch-richtige mit solchen unrichtiger Betonung. Als völlig unheilbar sind 12–15 und 19 belassen, wie sie überliefert sind. — 4 quique facta ABC. — 5 multum B. — 8 Reddis A; ecclesiae secundum certaminis palmam ABC. — 9 ut cernant AB. — 10 Micent et splendida tumuli ABC. — 13 Et superexsultat ABC. — 19 promissio AC. — 27 sq. Perennem reperiens patronum dedit et medicum.

83. In Commemoratione s. Benedicti.

Introitus.

Gaudeat ecclesia Casinensis prole beata,
Cui Benedictus adest Scholastica virgoque grata,
Ornant hanc Maurus, Placidus, stirps nempe sacrata.

Gradale.

Per meritum gratia doctoris iussa sequentes
Sunt Maurus, Placidus, nunc Christo mente fruentes.
His pastor Benedictus in altis consociatur,
Et Scholastica nunc illis quoque perpetuatur.

Alleluia.

O venerande pater, Benedicte, gregis miserere,
O Maure, Placide, Scholastica virgoque, vere
Christum poscatis, ut nos possimus habere
Regnum caeleste, vestiti gloriae veste.
Alleluia, Alleluia.

Laudes Benedicto patri,
Piae Scholasticae matri,
Athletae forti Placido
Et duci Mauro fulgido
Devotis demus vocibus,
Us nos salvent ab hostibus.

Offertorium.

Benedicte gloriose,
Scholasticae frater piae,
Virtutibus copiose;
Maure, fulgens ut sol die,
Alta stirpe generosa;
Placide, dux nostrae viae,
Rogate Christum sedulo,
Ut in futuro saeculo
Cum sanctorum collegio
Caeli fruamur solio.

Communio.

Salvete, patres incliti,
Gubernatores saeculi,
Nostrum, Maure magnifice
Benedicteque caelice,
Placide, martyr Domini,
Cum Scholastica subveni
Nobis vos deprecantibus,
Ut iungamur regnantibus.

Miss. ms. Casinense saec. $^{11}/_{12}$. Cod. Vatican. 6082. ad. saec. 15.

84. De sancto Claudio.

Introitus.

O rex regum gloriae,
Qui Claudium hodie
Ad regnum deducis,
Fac nos eius precibus,
Tam votis quam vocibus
Sic tibi placere,
Ut datum pauperibus
Regnum in caelestibus
Possimus habere.
Claudi, tuis miraculis
Ager fidei pullulat,
Gemens infernus ululat.

Graduale.

Non est nostrae paupertatis
Nec humanae facultatis
Referre miracula,
Quibus virtus deitatis,
Testis sancti sanctitatis,
Illustravit saecula.

Alleluia.

O Claudi, qui corpore
Hac in urbe reservatus,
Praeserva nos a languore
Venenosi flatus
Per tua miracula.
Alleluia.

Offertorium.

Quanti sanctus sit nominis,
Mortui testantur,
Qui utriusque hominis
Morte tenebantur,
Nam Claudii meritis
Multi suscitantur

Communio.

Gloriose praesul Christi,
Claudi sacratissime,
Duc nos tecum, quo ivisti,
Post Christum piissime,
Intercede et pro nostra
omniumque salute.

Miss. Carnotense imp. Parisiis 1535. A. — Miss. Tullense imp. Tullii. 1551. B. — Grad. 5 sanctitatis fehlt B. — Allel. 2 Hoc in orbe AB. — Com. 2 sanctissime AB. — Com. 5 et fehlt.

85. De sancta Ermelinde.

Introitus,

Gaudeamus
in te nos, Domine,
Et psallamus
in tuo nomine,
Sub colendis
condigno carmine
Ermelindis
festis et famine
Coastantibus
caeli civibus
Nomenque tuum
collaudantibus.

Graduale.

Virgo gradu gradiens
directo, sedula fiens,
Gratiore grata
veneratione veneranda;
Cur quasi regina
pro virginitate supina
Est exaltata
caeloque beatificata.

Alleluia.

O vere digna monacha,
O virgo cultrix eremi,

Christum tua prece placa,
  Qui ne velit dire premi
Nos sorte daemoniaca,
  Quos curavit semel emi,
Sed te frui
Vultu sui.

Quae per pudoris flosculum
  Et per virtutes alias
Ornasti tuum vasculum,
  Tu nobis hic et alias
Christum mitigato,
Pacisque bona dato.

Tractus.

Tu dives opum gratiae
Sponsa regis gloriae,
Te collaudat hodie
Plebs ovante facie.

Assis, pia,
Et de via
Lapsos rege
Et protege,
Deo tota
Funde vota
Vique tota
Nobis hic et alias
Christum mitigato
Pacisque bona dato.

Offertorium.

Offer summae trinitati
  Votum prece supplice,
Virgo pia, ne peccati
  Impediamur obice,
Sub peccato venumdati
  Redempti sumus apice,
Ne damnemur iudicati
  A Christo pio iudice.

Communio.

Stat tua per labia
  distillans gratia dia,
Scandit et in Rama
  redolendo tui thymiama.

Acta SS. Oct. XII, 866 ff. „e pervetusto codice pergameno archivii" Meldradiensis. — Das Graduale besteht aus Hexametern wie die Communio. Der zweite Satz ist kein Fragesatz, sondern cur steht hier wie öfters sonst statt quare. — Offert., 2 soll die Hs. Vocum preces attende lesen, was allerdings gegen den Reim verstiefse. — Hierzu die Sequenz Vox amoena mens serena Acta SS. l. c. 867.

86. De sancto Lazaro.

Introitus.

Collaudemus venerantes
  Christi sacrum praesulem
Nos adulti et infantes,
  [Genere] praenobilem,
Quem a morte Christus vocavit
  Per mortem terribilem
Massiliamque decoravit
  Hic fundendo sanguinem.

Alleluia.

Nobilis es ex genere,
  Virtutibus nobilior,
O sancte praesul Lazare,
  Ora pro nobis omnibus.

Offertorium.

Venit ab Ierosolymis
  Massiliae oblatus

Lazarus, multum nobilis,
Stirpe regia natus,
Ab universis populis
Devote est laudatus,
Eius sanctis meritis
Sit nunc Deus placatus.

Faillon, Monuments inédits sur l'apostolat de Sainte Marie Madeleine II, 586 aus „Missale seu sacramentarium ad usum illibatae Aniciensis ecclesiae almifluis deiparae obsecrationibus angelicis manibus consecratae (gothique)".

Inhaltsübersicht.

Real-Index.

	Seite
1. Die Dominica	15
2. De Corona Spinea	16
3. De Sepulcro Domini	19
4. In Praesentatione BMV.	20
5. In Visitatione BMV.	22
6. De Beata Maria V.	23
7. De Beata Maria V.	27
8. De Beata Maria V.	28
9. De BMV. in Inventione reliquiarum Baiocensium	30
10. De sancto Alexandro	31
11. De sancto Amando	32
12. De sancto Antonino	34
13. De sancta Aurea	36
14. De sancta Barbara	37
15. De sancta Begga	40
16. De sancta Berta	42
17. De sancto Caterno	44
18. De sancto Chrysogono	47
19. De s. Cypriano Tolonen.	48
20. De sancto Dionysio	49
21. De sancto Domnio	53
22. De sancto Ettone	56
23. De s. Euchario Tullen.	58
24 De sancto Eunuphrio	61
25. De sancta Eustella	63
26. De sancto Evurtio	65
27. In Transl. s. Evurtii.	65
28. De sancta Fide	70
29. De sancta Firmina	73
30. De sancto Floriano	76
31. De sancto Galecterio	78
32. De sancto Galgano	81
33. De sancto Gengulpho	84
34. De sancto Gaudioso	87
35. De sancto Georgio	91
36. De s. Gerardo Cenadien.	95
37. De s. Gerardo Potentino	97
38. De s. Germano Autisiod.	100
39. In Transl. s. Gertrudis	102
40. In Consecr. s. Gertrudis	104
41. De s. Guillelmo Vercellen.	105
42. De sancta Hedwige	107
43. De ss. Hellaro et Tatiano	109
44. De ss. Hermelando et Baldo	112
45. De sancto Hyacintho	115
46. De s. Iohanne Evang.	117
47. De s. Iohanne Evang.	118
48. De ss. Iohanne et Marciano	120
49. De sancto Ioseph	122
50. De sancta Iuliana	123
51. De ss. Iusto et Clemente	125
52. De s. Iusto Tergestino	128
53. De s. Katharina Senen.	132
54. De s. Katharina Suecica	134
55. De sancto Kentigerno	137
56. De s. Laurentio Sipontino.	140
57. De s. Leonardo Lemovicen.	144
58. De ss. Liberata et Faustina	147
59. De s. Lucia Salernitana	149
60. De s Lucia de Monte Virginis	152
61. De s. Marcellino Edredunen.	154
62. De sancta Martha	155
63. De sancto Matthaeo	157
64. De sancto Nicolao	160
65. In Translatione s. Nicolai	161
66. De sancto Paride	162
67. De sancto Petro.	163
68. In Inventione s. Quintini.	164
69. De sancto Quirino	165
70. De Reliquiis Ecclesiae s. Frambaldi Silvanectensis	166
71. De sancta Reparata	167
72. De sancto Richario	168
73. De sancto Severo	178
74. De sancto Siffredo	179
75. De s. Siro Ticinen	182
76. De ss. Sororibus BMV	185
77. De sancto Tito	188
78. De s. Valeria Lemovicen.	190
79. De sancto Wulfranno	192
80. De sancto Zosimo	193
81. Missa Gallicana	199
82. E missa Ambrosiana	201
83. In Commemoratione s. Benedicti	202
84. De sancto Claudio	203
85. De sancta Ermelinde	204
86. De sancto Lazaro.	205

Verbal-Index.

	Seite
Adest dies celebris	115
Adest dies laetitiae	48
Ad gloriam Dei et fidelium	147
Ad hanc urbem Sipontinam	140
Ad laudem regis gloriae	172
Ad te Christe fili Dei	56
Aequum et salutare	201
Aethereos patres	168
Assunt festa magnifica	155
A teneris annis	105
Aurea iam saecula	95
Ave decus martyrum	31
Ave gemma claritatis	70
Belliger iste sagax	53
Benedicta villa maris	185
Christe tui sancti	144
Christum nunc laudate	19
Claret dies praecipua	188
Coepit praeses contristari	91
Collaudemus venerantes	205
Corde puro regis regum	192
Eligius praesul	169
Ex motu infantium	22
Exsultet caeli curia	61
Extremum peragens	152
Felix praesul Evurtius	65
Firmina virgo virtutis	73
Forma decus puellarum	27
Fulget clara dies	130
Gaudeamus in te nos	204
Gaudeat ecclesia Casien.	202
Gaudeat ecclesia pro palma	58
Gaude diva radix levitica	157
Gaude felix mater ecclesia	16
Gaude felix Parisius	49
Gaude felix urbs Syracusia	193
Gaude plaudens fidelis contio	163
Germine conspicuo	34
Gertrudis festa	102
Gloria sanctorum	178
Haec vera fraternitas	109
Hi duo nostri martyres	120
Hodiernae lucis sollemnia	104
Iam splendor lumen luminum	149
Inclitae martyris festa	42
In his sacris sollemniis	179
In septentrionali Wallia	137
Laeta psalle Noria	76
Laetetur ecclesia	127
Laetetur plebs fidelium	81
Laudet eia salvatorem	97
Magnificet ecclesia	32
Magnus es rex Christe	190
Martyr praecinctus Domini	171
Miles in Christi curia	44
Nunc venias properesque	122
O Advigis mirabilis	107
O beata Reparata	174
O beata sponsa Christi	134
O beate Marcelline	154
O Christi cultrix	37
O Christo plebs dedita	112
O fundatrix Begginarum	40
O pater venerabilis	117
O rex regum gloriae	204
Plaudat mater ecclesia	123
Praeclarus dies rutilat	165
Pro fidei meritis	15
Quem colit et laudat	28
Qui Iohannem diligebat	118
Recolenda gloriosi	84
Rector orbis et redemptor	176
Regia virgo fuit	63
Rosa rubens et candens	36
Sacris duxit originem	160
Salvatorem Sirus princeps	182
Sanctus Galectorius	78
Sedenti super cathedra	87
Sidereo de sede nitens	199
Signo divino	65
Splendide Chrysogone	47
Stirps Iesse virgam	30
Trinitatis thalamum	23
Utero materno	20
Virginem Katharinam	132
Virtutum titulis	100

Piererſche Hofbuchdruckerei Stephan Geibel & Co. in Altenburg.

Nachtrag.

De Quinque Martyribus.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Torrentem per martyrium
Quinque Fratrum Minorum
Adepti sunt consortium
Caelestium splendorum.

2. Mirabilem victoriam
Dominus renovavit,
Quando Fratrum familiam
Triumphis decoravit.

3. Haec vere generatio
Rectorum perhibetur,
Quae praeclaro martyrio
Coronam promeretur.

4. Vota fratrum humilium
Deus celsus respexit,
Quos ad caeli fastigium
Martyriis erexit.

5. Lauda Christum praeconiis,
Religio Minorum,
Qui tuis dedit filiis
Martyrium decorum.

Ad Magnificat.

A. Actor magnificientiae,
Quae lucet in martyribus,
Christus magnificetur,
Veniae dos et gratiae
Precetur cum sodalibus,
Othoque nobis detur.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Rex martyrum et praemium,
Christus laete laudetur,
Pro quo Fratrum collegium
Occidi non veretur.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Felix Fratrum quinarius,
Firmus in Christi lege,
Factis probat et certius
Se de Francisci grege.

2. Adversus Christi aemulos
Saraceni frementes
Augent poenarum stimulos,
Ferunt illi gaudentes.

3. Perversi multifarie
Sanctos aggrediuntur,
Sed a Deo propitie
Illi suscipiuntur.

Responsoria.

1. Quinaria familia,
Francisci genitura,
Spreta carnis lascivia
Et mundanorum cura,
Docebat in Hispania
Documenta secura.

V. Per poenas et opprobria
Horum probat Sibilia
Vota firmaque pura.

2. Rege coram Sibiliae
Flatu sancto muniti
De causa, de progenie
Respondent requisiti,
Nec minis nec blanditie
Cesserunt impetiti;
V. Ieiuniis, vigiliis
Ac etiam suspiriis
Non neglegunt inniti.

3. Turris in summo positi
Non cessant praedicare,
Sed viri Satan subditi
Conantur hos turbare,
Quos populi rex perditi
Dire iubet necare;
V. Agente prece geniti
Non necantur immeriti,
Iubentur navigare.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Sancti fratres et humiles,
Virtutibus perfecti,
Sunt ad manendum habiles
Divino regno tecti.

2. Voluntates mirificat
Suas Deus in sanctis,
Laetificans dignificat
Quos donis tot et tantis.

3. Francisci generatio
Quod vere quaerat Deum,
Probat haec felix contio
Tot passa propter eum.

Responsoria.

1. Ferventes ad martyrium
Christi propter amorem
Perveniunt Marochium
Non parvum post laborem,
Infans Portugalensium
Receptis dat honorem.
V. Divum pandunt eloquium,
Laeti ferunt supplicium,
Quaerunt regis furorem.

2. Diro ducti de carcere
Crudeliter caeduntur.
Nec propter hoc ab opere
Incepto retrahuntur,
Fidem veram disserere
Nolentibus nituntur;
V. Bene cum barbae vellere,
Cum labiis ex verbere
Cruore perfunduntur.

3. Maurorum dux aggrediens
Consortium decoris,
Nunc blandiens, nunc saeviens,
Perversi consors moris,
Quem Dei plebs despiciens
Vim non perdit rigoris;
V. Seorsum ligat furiens
Dux flagellans et feriens
Servos mundi factoris.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Confessi Deo cithara
Mortificationis
Contemnunt facta barbara
Perversae nationis.

2. Ex angustiis omnibus
Hos sanctos liberavit
Deus, horum qui mentibus
Dulce lumen donavit.

3. Spes, virtus et refugium
Sanctis Deus censetur,
Per cuius beneficium
Omnis iustus meretur.

Responsoria.

1. Vinctis post terga manibus
Nudi, discalceati,
Flagellis, pugnis, fustibus
Per totum verberati,
Regis diri conspectibus
Sunt sancti praesentati;
V. Laetis constantes vultibus
Respondent variis vocibus
A Deo confortati.

2. Praemissis minis voluit
Rex Almiramolinus
Pervetere nec potuit,
Sic amor nam divinus
Hos firmiter retinuit
Sinceros intra sinus;
V. Tres gladios exacuit
In his, sertaque tribuit
Deus unus et trinus.

3. Reliquiae praenobiles
Vilissime tractantur,
Quas igni dant ignobiles,
Sed a Christo servantur,
Tristantur incredibiles,
Christiani laetantur;
V. Deus conservat humiles,
Per lapides terribiles
Proiectos ne laedantur.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Quinque fratrum martyria
Firmae credulitatis
Sunt firma testimonia
Eorum sanctitatis.

2. Constanter in laetitia
Hi Christo famulantur,
Ob quod eius praesentia
Aeterne gratulantur.

3. Francisci dat religio
Praeclarum fructum suum,
Quo prava, Christe, natio
Cognoscit nomen tuum.

4. Sacerdotes et laici
Christo benedixere,
Martyrio multiplici
Dum mortem sustulere.

5. Lauda Christum, Colimbria,
Gaudenter laude plena,
Hosque laude quinaria
Pangat plebs Agarena.

Ad Benedictus.

A. Gloriosi martyrii
Pretiosa devotio
Infantem liberavit
De taediis exsilii
Sanctoque desiderio
Antonium inflammavit.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Gaude quino martyrio,
Sed plange Machometicos,
Urbs Marochiana,
Pro tanto patrocinio
Plausus age melodicos,
Plebs Colimbriana.

Alia Antiphona.

A. O regnum Portugalliae,
Quod vergis ad occasum,
Te ditavit altissimus
Sanguine quinque fratrum;

Rex impius Marochiorum
Tibi per Petrum obtulit
Thesaurum hunc Minorum,
Quem Beata Crux suscipit.

Gaude illorum meritis,
O tam felix Hispania,
Sed tu iubila prae ceteris,
Devota plebs Colimbriana.

Breviarium secundum usum insignis monasterii Sanctae Crucis Colimbriensis, ordinis divi Augustini. Impr. Colimbriae (Germanus Galbardus) 1531. — In 2. Noct. **A** 1, 4 Divini. — **R** 1. 4 Non parum post. — In 3. Noct. **A** 2, 1 omnibus angustus. — In Laud. **A** 5. 4 ples. — Die letzte **A** ist augenscheinlich nicht vom Verfasser des Officiums. Zu diesem der Hymnus: Romana gaude natio. — Das seltene Brevier, dem dieses Officium entnommen, wurde mir erst nach Vollendung des Druckes der ersten Hälfte dieses Bandes bekannt. Ich verdanke Kenntnis und Einsichtnahme der Güte des Herrn Ludwig Rosenthal, Antiquars in München.

ANALECTA HYMNICA

MEDII AEVI.

Herausgegeben

von

Clemens Blume und **Guido M. Dreves.**

XLVb

CANTIONES ET MUTETI.

Lieder und Motetten

des

Mittelalters.

Dritte Folge.

Leipzig.
O. R. Reisland.
1904.

CANTIONES ET MUTETI.

Lieder und Motetten

des

Mittelalters.

Dritte Folge.

CANTIONES

Variae, Bohemicae, Suecicae.

Herausgegeben

von

Guido Maria Dreves

S. J.

Leipzig.

O. R. Reisland

1904.

VORWORT.

Der vorliegende Halbband enthält in drei Abteilungen einen Nachtrag von Cantionen. Die erste Abteilung umfafst solche aus verschiedenen, die zweite aus böhmischen, die dritte aus schwedischen Quellen. Zu jeder dieser Gruppen wenige Worte.

I.

Mancherlei Lieder mit ein- oder mehrstimmigen Melodien enthält ein aus Eberhardsklausen stammender Sammelband des 15. Jahrhunderts, jetzt Cod. 322 der Trierer Stadtbibliothek. Es konnten aus dieser Handschrift leider nicht alle Lieder Aufnahme finden, da dieselbe fast nur Bruchstücke bietet. Die Sammlung ist nämlich ersichtlich zu musikalischen Zwecken angelegt und daher den Noten vielfach nur die erste Strophe der Lieder untergelegt. Folgendes sind die Anfänge der übergangenen Lieder:

Ave lumen Dei verum.
Nova simus conspersio.
O praemium et requies.
Paraclitus egrediens.
Physica harmonia.
Quondam stillans esu manna.
Sonat agmen caelestis curiae.
Tu sine principio.
Universi populi.
Veni sancte spiritus, Da nobis.
Veni sancte spiritusque pater.

Die Texte dieser Trierer Handschrift sind überaus schlecht und fehlerhaft. Die Handschrift selbst hat, falls sie nicht aus Böhmen stammt (allerdings aus dem deutschen Böhmen, da sie auch deutsche Texte enthält), jedenfalls eine böhmische

Vorlage gehabt. Ein Fingerzeig für diese (mindestens mittelbare) böhmische Herkunft gibt schon das Vorkommen des Husliedes Iesus Christus nostra salus (Anal. XLVb, Nr. 125), das indes auch aufserhalb Böhmens bekannt war. Einen weiteren gibt die Erwähnung der Literaten in dem Liede Adest dies celebris:

Pro literatis
Tibi paratis.

Dafs es auch aufserhalb Böhmens Literatengesellschaften (vgl. Anal. I, 27 u. f.) gegeben, ist nämlich mindestens sehr zweifelhaft. Endlich kommen unter den wenigen Liedern der Eberhardsklausener Handschrift zwei weitere vor, die entschieden böhmischer Herkunft sind, nämlich das Lied Omnium sanctorum festa recolamus, Anal. II, 126, und das Lied Katharina coronata (statt Dorothea coronata), Anal. XLVb, Nr. 156. Nach P. Bohn, der in den Monatsheften für Musikgeschichte 1897, S. 37 ff., eine kurze Beschreibung der Handschrift gegeben und einige Lieder aus derselben mitgeteilt hat, zeigt der deutsche Text „ein Gemisch von niederländischen und Moselaner-Dialekt." Diese Angabe entzieht sich meiner Kontrole. Ihre Richtigkeit vorausgesetzt, hätten wir also ein Schöpfen aus böhmischen Quellen anzunehmen.

In der Sterzinger Miszellenhandschrift, über welche Zingerle in den Sitzungsberichten der Wiener Akademie (Bd. 54 [1866], 293 ff.) berichtet, und aus der schon früher (Anal. XXXIII) mehrere Reimgebete mitgeteilt sind, befindet sich S. 29b noch das folgende Lied mit der Aufschrift: **Marnarii** de quinque vocalibus; de quinque vocalibus insofern, als die fünf Strophen des Liedes auf dieselben auslauten:

1. Iam pridem aestivalia
Pertransiere gaudia,
Brumalis saevitia
Venit cum tristitia,
Grando, nix et pluvia
Corda nunc reddunt segnia,
Ut desolentur omnia.

2. Nunc conticent aviculae,
Quae volebant in nemore
Cantica depromere
Et voluptates[1]) gignere,
Tellus caret gramine,
Laeto sol micat iubare,
Et dies currunt propere.

[1]) voluntates.

3. Ad obsequendum Veneri
Mens tota languet[1]) animi,
Fervor abest pectori
Et calor cedit frigori,
Maledicant hiemi,
Qui veris erant soliti
Amoenitate perfrui.

4. In omni loco congruo
Sermonis oblectatio
Cum sexu femineo
Evanuit omnimodo;
Tempori praeterito
Sit salus in perpetuo
Et gratiarum actio.

5. Prae lucis aurae transitu
Et tempestatis impetu
Tribulato spiritu
In gravi sumus habitu.
Ver, nunc tuo reditu
Refove, quos in gemitu
Reliquisti iam diu.

Diesem Liede füge ich ein anderes bei: ad salutandum cantorem in novo anno, weil sich dasselbe doch zu sehr dem weltlichen Liede nähert. Es steht in der Pariser Hs. 1139, einem Tropar von St. Martial in Limoges.

1. Annus novus in gaudio
Agatur in principio,
Magna sit exsultatio
In cantoris tripudio.

2. Anni novi principium[2])
Vox celebret psallentium,
Et cantorem egregium
Hymnus extollat omnium.

3. Anno novo in cantica
Recitentur[3]) organica,
Tota sonet ars musica
In cantoris praesentia.

4. Annum novum celebrantes,
Exsultantes et laetantes
Et cantorem venerantes
Gaudeamus congaudentes.

5. Anne nove, fit titulis
Hodie ineffabilis,
Tui cantor mirabilis,
Esto per saecla[4]) stabilis.

R°. Ad haec sollemnia
Concurrunt omnia
Voce sonantia
Cantoris gratia
Et vitae spatia,
Per quem laetitia
Fit in ecclesia.

Die den Schluſs dieser ersten Abteilung bildenden Cantiones Scholasticae (Nr. 98—109) sind sämtlich einer aus St. Victor von Paris stammenden Hs. Cod. Parisin. 11412

[1]) languent. — [2]) principio. — [3]) recitetur. — [4]) saecula.

entnommen. Man vgl. über dieselbe Hauréau, Notices et Extraits V, 30 ff. Einige dieser „Noëls des écolires“ hat Duméril, Poésis inédites du moyen-âge, 295 ff., publiziert. Diese Lieder sind alle von ein und demselben Verfasser geschrieben, für Schüler, gewifs, aber schwerlich von einem Schüler; dazu schreibt der Diktator doch zu kulante Verse, die ich nicht für so minderwertig erachten kann als Hauréau. Bemerkenswert ist, dafs in der Reihenfolge dieser Lieder das bekannte Gedicht Taurum sol intraverat in doppelter Redaktion, das andere Tanto viro locuturi in längerer Fassung sich findet.

II.

Dieses zweite Auctarium Cantionum Bohemicarum — denn ein erstes bilden die Cantiones Vissegradenses (Anal. II, 147 ff.) — ist vorzugsweise der Hs. XIII A 2 des Böhmischen Museums in Prag entnommen. Dieselbe ist 1512 von einem Priester Wenceslaus de Wyskytna geschrieben, selbstredend für eine Kirche der Prager Erzdiözese; für welche, dafür fehlen die nötigen Anhaltspunkte. Bemerken will ich nur, dafs die Kirchenweihe des betreffenden Ortes zwischen dem Feste des hl. Bartholomäus und dem des hl. Wenzeslaus lag. Aufser den im folgenden mitgeteilten enthält diese Hs. auch zahlreiche Cantiones, die schon Anal. I und II mitgeteilt wurden. Die Lesarten der Handschrift zu diesen Liedern werden später an geeigneterem Orte mitgeteilt werden, als es dieses Vorwort wäre. Das ganze Inhaltsverzeichnis der Handschrift hier aufzuführen, halte ich für überflüssig und bemerke nur, dafs die folgenden Stücke absichtlich übergangen worden sind:

1. Inter natos mulierum, Ut testatur. Dieses Lied besteht nämlich aus den Strophen 1—5 inkl., 11 b und 12 der Sequenz Anal. XXXIX, Nr. 194.

2. Profitentes trinitatem. Besteht aus fünf Strophen der bekannten Dreifaltigkeits-Sequenz Adams von St. Victor mit dem Rundreime:

Trinae sit laus unitati,
Sit et simplae trinitati,
Patri, nato ac flamini
Ab utroque procedenti,
Coaeterna gloria.

3. Ave Iesu quam formosus. Das Lied besteht aus acht dem Psalterium Ave Iesu lignum mite, Anal. XXXV, 53 ff. entlehnten Strophen.

4. Pomparum dux tunc corruit. Ein tschechisches Lied, dem nur die folgenden lateinischen Verszeilen vorausgehen:

Pomparum dux tunc corruit,
Dum virga Iesse floruit,
Emanavit,
Hunc locavit
Virguncula purissima.
Elatus dux opprimitur,
Dum rex caelorum nascitur.

R° Collaudemus hunc Dominum
Et salvatorem omnium
Matre cum clarissima.

Nur ein unbekanntes Lied bot die kleine Sammlung von Cantiones in einem Prager Gradual von 1473, Cod. Mus. Bohem. XII A 1[1]); dagegen sind einige lateinische Gesänge aus Ian Rozenpluts Kancyonàl, Holomaucy MDCI aufgenommen worden, weil sich dieselben als mittelalterliche Lieder charakterisieren. Ausgeschlossen habe ich eine Reihe von Cantionen, die sich in der Wiener Handschrift 11857 finden, die dem ausgehenden 16. Jahrhundert angehört. (Vgl. Anal. XLII, 9.) Diese Lieder sind nämlich augenscheinlich nicht mittelalterliche, stellen sich vielmehr als der mifslungene Versuch einer in voller Dekadenz begriffenen Zeit dar, sich der eleganten Formen entschwundener Tage zu bedienen. Folgendes sind die Initien der in dieser Sammlung enthaltenen Cantiones:

Venit in mundum de caelis.
Ave speciose fili matris castae.
Victoriosissimae matris.
Omnes cum gaudio Deo serviamus.
Virgo stellis quae est adornata.
Unigenitum parentis natum.
Vox angeli mitissima.
Universi pangamus.
Vigilanti iam animo.

[1]) Die Handschrift leitet die Sammlung von 14 Cantionen mit der Rubrik ein: „Sequuntur cantilenae de B. M. V. non secundum chorum Pragensem, sed de beneplacito cantandae."

Venite Dei cultores.
Dominum laudemus voce alacri.
Nos mortales omnes Deo parenti.
Salve fili matris castae.
Memorantes Christi adventum.
Viri fratres simul congregati.
Venite in nomine omnes Iesu Christi.
Venit in mundum rutilans propago.
Regi regum regi regum Domino.
Deus invictissime audi nos.
Venit de caelestibus Gabriel archangelus.
Virginem castissimam Delegit.
Virga Iesse refloruit Lugubri.
Ave Iesu gloriose Fili matris.

Beispielshalber mag das erste dieser Lieder hier eine Stelle finden:

1. Venit in mundum de caelis
Magni patris natus,
Ei semper amabilis
Atque reis gratus;
Nam ob salutem eorum
Venit rex caelorum.
Propheticis oraculis
Olim praedicatus,
Sybyllinis versibus
Pariter cantatus.

2. Caelorum factor altorum
Se exinanivit.
Et creator angelorum
Se humiliavit,
Servi formam suscipiens,
De nobis providens,
Dum in gremium virginis
Descendit humilis,
Factus est visibilis,
Cunctis placabilis.

3. Laudemus regem humilem,
Cunctis placabilem,
Ad hunc voces extollendo,
Preces porrigendo.
Venit in hoc exsilium
Ferens auxilium.
Nos ab omni privans malo
Et daemonis dolo.
Christo regi gloria
Sit et victoria.

4. Salve, Iesu piissime,
Fili matris castae,
Salve, puer mitissime,
Patris candor, Christe;
In cor nostrum illabere,
Nobis miserere
Tuam gratiam praestando.
Virtutes donando,
Ut te possimus pure
Et digne laudare.

5. Cuius tonitru tremiscit
Tellus atque aether,
Quem princeps mundi pavescit,
Mulges matris uber.
Infans perquam gloriosus,
Nobis gratiosus,
De plenitudine cuius
Omnes accipimus;
Illi ergo gloria
Sit et victoria.

6. Te nunc oramus, Domine,
Assis sine mora,
Tuo[1]) vivamus nomine,
In ultima hora,
Tuas in manus animas
Commendamus nostras,
Quas digneris gubernare
Et pie servare,
Ut consequantur tua
Laetanter gaudia.

7. Cum veneris iudicare
Omnes terrae tribus
Et omnes ad te vocare
De mundi partibus,
Statue nos ad dexteram,
Iuste iudex, tuam,
Ut audire verba tua
Queamus dulcia:
Ite, vos benedicti,
Deo praedilecti.

8. Da audire illam vocem,
Benigne salvator,
Ut atram vitemus necem,
Aeterne creator,
Duc nos tuam ad gloriam,
Post hanc victoriam,
Ut te laudemus in caelis
Cum sanctis angelis
Per tempora sedula
Per cuncta saecula.

III.

Die Lieder der dritten Abteilung führen den Namen Cantiones Suecicae nicht deshalb, weil sie ausnahmslos aus Schweden stammen, da manche vermutlich, einige wenige gewifs aus Frankreich, Deutschland oder Böhmen stammen, sondern weil sie jedenfalls der Mehrzahl nach nordischen Ursprungs und alle ein und derselben schwedischen Quelle entnommen sind, aus der sie bereits von Klemming in seiner schwedischen Hymnensammlung publiziert wurden. Obschon diese Quelle aus dem Ende des 16. Jahrhunderts stammt, ist doch ihr Inhalt ein mittelalterlicher. Der Titel dieses seltenen Druckwerkes lautet:

Piae cantiones ecclesiasticae et scholasticae veterum episcoporum in inclito regno Sueciae passim usurpatae, nuper studio viri cuiusdam reverendissimi, de ecclesia Dei et schola Aboënsi in Finnlandia optime meriti, accurate a mendis correctae et nunc typis commissae opera Theodorici Petri Nylandensis. His adiecti sunt aliquot ex psalmis recen-

[1]) Nobis tuo vivamus

tioribus. Imprimebatur Gryphisuualdiae per Augustinum Ferberum.

Colophon: Gryphisvvaldiae. Typis Augustini Ferberi Anno 1582.

Die Vorrede ist datiert Rostochii, die 23. Maii anno Christi 1582. Aus derselben sind die folgenden Abschnitte nicht ohne Interesse.

„Semper itaque sapientes gubernatores et pii episcopi una cum ceteris artibus ecclesiae necessariis etiam musicae studia foverunt et sedulo conservaverunt. Tales *φιλόμουσοι*, homines vere pii et docti, admiratores et laudatores operum divinorum, etiam in mea patria fuerunt non pauci, quod ipsum hic libellus, qui spirituales cantiones et carmina veterum episcoporum in inclito regno Sueciae continet, testatur. Quamquam enim permagnae in ecclesia tenebrae essent eo tempore, quo lux evangelii variis sophisticis superstitionibus et idolorum cultibus oppressa iaceret, tamen in tanta caecitate Deus excitavit aliquos pios viros, ipsum recte agnoscentes et fiducia misericordiae divinae propter Christum promissae eum invocantes et celebrantes. Huius asseverationis etsi alia quoque testimonia exstent, tamen hic libellus prae aliis locupletissimus testis esse potest. In quem tametsi iniuria librariorum mendae quaedam irrepserunt (ut fieri solet, cum liber aliquis ab imperitis saepius describitur), tamen ab istis erratis pene omnibus magna ex parte repurgatus et restitutus est. Quamvis interim negari non possit, cum omnia haec rhythmica potius sint quam poetica, pluribus in locis antiquae illius et tum in conventibus ecclesiasticis et scholasticis usitatae latinitatis vestigia adhuc subinde occurrere, quae tamen talia sunt, ut vetustatis religiosae nomine potius venerationem cum candida excusatione quam maledicam et superciliosam exagitationem promereri videantur. Sicuti veteres quoque illos post edita poemata Virgilii, Horatii et aliorum poetarum plane divina, tamen non propterea Ennium et Lucilium plane repudiasse et cum fastidio abiecisse constat . . . . . .

Cum vero usus talium cantilenarum non sit exiguus, cumque non solum in scholis, verum etiam alias in inclito regno Sueciae, patria mea carissima, passim usurpentur, eaedem insuper opera magnificorum et illustrium virorum in civitate

Aboënsi nuper revisae et approbatae sint, ego eas cum propter gloriam Dei, ad quam singuli nostra consilia, studia et actiones referre debemus, tum propter utilitatem ecclesiae scholarumque, quae in patria mea sunt, quibus me totum dedere iisque omnia mea quasi consecrare debere agnosco, typis elegantibus excudendas curavi."

Jedem springt sofort in die Augen, dafs die in diesem Werkchen enthaltenen Marienlieder sämtlich auf Christus „umgedichtet" sind. Bei der Umdichtung ist nämlich, soll ich sagen, so konservativ oder so salopp, verfahren, dafs die Veränderung überall mit Händen zu greifen ist. So wird Christus im ganzen Mittelalter niemals Stella maris genannt. Dieser Ausdruck ist ein ständiges Beiwort Mariens, weil er für die Übersetzung des Namens Mirjam galt. In diesen Umdichtungen wird aber Christus wiederholt schlankweg Meeresstern genannt. So Nr. 180, Str 6 b:

Stella maris
Appellaris
Lapsis in sentinam.

Vielfach ist aber die Überarbeitung noch viel perfunktorischer. So ist das Lied Nr. 179 auf Christus abgeändert; Str. 1 b wird derselbe (unter Zerstörung des Reims) angeredet:

Natus carens
Originis contagio,
Totis votis
Te carminis
laudat praeconio
Coetus nostri collegii.

Im Verlaufe seiner Arbeit hat aber der Revisor augenscheinlich völlig vergessen, wer der Angeredete ist, und fährt daher fort Christus zu apostrophieren nicht nur als:

Tu rubus ardens crederis,
Tu vellus Gedeonis,

was ständige Epitheta Mariens sind, sondern sogar:

Tu Judith fortis,
Hesther mortis
In caput sententiam
Commutans Haman pravi.

Wer diesen Gallimathias im Zusammenhange lesen will, kann diesem Wunsche bei Klemming II, 33 ff. Genüge leisten.

Bei einigen wenigen Liedern läfst sich aber auch die unkorrigierte marianische Fassung in älteren Quellen nachweisen. So vergleiche man das Lied Ave, maris stella Lucens miseris, Anal. I, 49, mit Klemming II, 15 sq.; das Lied Ave, maris stella, Divinitatis cella, Anal. XX, 143 sq., mit Klemming II, 13 sq.: das Lied Parce, virgo, spes reorum, Anal. XX, 169, mit Klemming II, 60, und man wird sehen, wie diese Überarbeitungen gemacht wurden. Ich habe nicht wie Klemming die überarbeiteten Texte des 16. Jahrhunderts abgedruckt, sondern den mittelalterlichen Text herzustellen gesucht, was in der Regel nicht schwierig erschien.

Dem zuletzt genannten Liede: Parce, virgo, spes reorum, sind in unserer Quelle vier weitere (ebenfalls umgedichtete) Strophen angehängt, die sich schon durch das verschiedene Metrum als nicht zum Liede gehörig kennzeichnen. Dieselben sind augenscheinlich nur ein Bruchstück eines längeren Marienliedes und darum fortgelassen. Man findet dieselben bei Klemming l. c. Auch hier kann man die Bearbeitung sofort an dem zerstörten Binnenreime erkennen: Iesu Christi, caecis via statt: O Maria, caecis via.

Übergangen habe ich auch das kurze Lied Regimen scholarium, das ganz zweifellos nur ein Torso ist. Wer es vermissen sollte, findet es bei Klemming IV, 65.

München, den 11. Juni 1904.

Guido Maria Dreves.

I.

CANTIONES VARIAE.

Cantiones Natalitiae.

1. De Incarnatione Verbi.

Grammatica.

1. Causans totam structionem
Regi vi vis excipit,
Ens cum rerum passionem
Accidentum suscipit,
Complens crux orationem,
Dum transit, repraecipit
Et figuris rationem
Ut naturam decipit.

Logica.

2. Inter locos locum nescit
Locus a contrariis,
Praedicatum obmutescit,
Fallitur in propriis,
Syllogismus enthymescit,
Circlus epichremiis,
Et de suis erubescit
Logica fallaciis.

Rhethorica.

3. Novus tropus in figura,
Dum locos dat actio,
Nec solvit causae statura
Sed deliberatio,
Quid concludat triiunctura,
Periodi transmissio,
Primus color in scriptura
Christi rubricatio.

Arithmetica.

4. Dum ab uno bis procedit
Sesquas, par se meditas,
Dum impar gumpho succedit,
Fit idem alteritas,
Semis bis se dodrans pedit
Libram triens piditas,
Metas tamen non excedit
Trisubstans medietas.

Geometria.

5. Suae artis in censura
Geometra fallitur,
Dum immensus sub mensura
Terrenorum clauditur,
In directum quadratura
Circuli dissolvitur,
Claudit sphaeram ligatura
Et sub ipsa clauditur.

Musica.

6. Dum factoris et facturae
Mira fit coniunctio,
Quae sint iuncta, quae iuncturae,
Qui gumphi, quae ratio,
Tripente tetratessurae,
Bicicli mesnexio,
Suo stupet fracto iure
Musica proportio.

Astronomia.

7. Solis lumen luna tectum
Draconis certamine,
Nostrum vergit in defectum
Sol ortus in virgine,
Ternum reddat ut aspectum
Mars crucis quadramine,
In defectu dans effectum
Crisis sub imagine.

Collect. ms. Campoliliense saec. 14. Cod. Campolilien. 137. — 2, 2 Locum. — 4, 2 Sesqñs part. — 4, 5 bisse dodran. Die ganze Str. bleibt unverständlich. — 5, 6 trisolvitur. — Mit dem Liede ist das Gedicht des Alanus „Exceptivam actionem" (Anal. XX, 42) zu vergleichen, von dem es eine Bearbeitung ist, und aus dem es ganze Phrasen beibehält.

2. In Nativitate Domini.

1. Pastores dicite, quemnam vidistis?
Vidimus parvulum, quem credidistis.

R. Manibus plaudite, pedibus terite,
Natus est parvulus, ergo venite.

2. Nuntiat gaudium angelus fulgens,
Natus est parvulus crimina indulgens.

3. Vah, lacte pascitur cibus sanctorum,
In foeno ponitur rex angelorum.

4. Dulces panniculi, dulce praesaepe!
Felix est anima, quae videt saepe.

5. O quam mirabile! rex maiestatis
Nasci de virgine voluit gratis.

6. Hinc inter bestias positus iacet,
Hunc stella nuntiat, et ipse tacet.

7. Matre paupercula pauper est natus,
Nobis pauperculis, nobis est datus.

8. Iesum puerulum, putas, videbo?
Iesum dulcissimum quando tenebo?

9. Iam cum pastoribus volo transire,
Vult meus animus ad Iesum ire.

10. Me iam nullatenus possum tenere,
Cum Iesu parvulo volo gaudere.

11. Venite, pauperes, ac transeamus,
Hunc mundum sordidum iam dimittamus.

12. Sit tibi gloria, pater benigne,
Laudes per saecula sint tibi digne.

Collect. ms. Sublacense saec. $^{14}/_{15}$. Cod. Sublacen. CCLXXXVI. add. saec. $^{15}/_{16}$. — R, 1 territe. — 3, 1 Vaht. — 7, 2 pauperculus. — Diese Abschrift danke ich der Güte des Herrn P. Leo Allodi, Prior von Subiaco. Das Lied, welches vielleicht einem Weihnachtsspiele entnommen, ist von Barbier de Montault in der Revue de l'Art Chrétien I, 125 sq. zuerst publiziert, aber mit einer Reihe von Fehlern, die hier aufzuführen zwecklos wäre.

3. In Nativitate Domini.

1. Omnis orbis
resonet in cantico,
Cantu caeli
resonent angelico.
Rosae crescit
surculum in Iericho
Fructu nato deico
Lumine mirifico
Ventre de Davidico.
Iam peperit Elisabeth,
Iam filium vetus habet,
Qui viam lucis praeparet,
Qui descendit in Nazareth.

2. Panis vivus
proficiscens peregre
Non mortalis
fieri tulit aegre,
Domus intrat
claustra, domus integrae.
Non amisso numine
Exit sine semine
Incorrupto limine.
Sicut praedixit Gabriel,
Iam natus est Emmanuel,
Iam colles fluunt lac et mel,
Iam ex Iacob fit Israel.

3. Homo laesus
agmine vulnifico,
Ierusalem
descendens in Iericho,
Sacerdote
prius et Levitico
Valle iacens publico,
Praetermissus illico
Diu sine medico,
Iam convalescit alacer,
Iam non iacet semilacer,
Iam venit sanctorum sacer,
Qui latronem domat acer.

Trop. ms. Casinense saec. 12. Cod. Vatican. Urbin. 602. — 1, 13 Quem descendit; dies zweite qui brachylogisch für illi, qui. — 2, 8 Exiit homo sine. — 3, 2 Descendens Ierusalem in. — Abschrift von Rev. H. M. Bannister.

4. De Nativitate Domini.

1. Expurgator scelerum
Aeterni patris dextera
Descendit ad saucium
Ad sananda vulnera
Et duxit in stabulum
Pietatis opera,
Vinum dans et oleum
Caritate supera.

2. Hic est noster proximus,
Genitus de virgine,
Pro nobis novissimus
Rex in caeli culmine
Factus est humillimus,
Frixus in sartagine,
Nos raperet potentius
Hostium voragine.

3. Poenis se innexuit,
Ut nos a poenis solveret,
Saccum nostrum texuit,
Ut fallentem falleret,
Funera sustinuit,
Ut funus nostrum vinceret,
Carni se immiscuit,
Ut carne nos redimeret.

4. Pauper rex efficitur,
Ut pauper dives fieret,
Potens prelo premitur,
Ut impotens resurgeret,
Christus crucifigitur,
Ut homo caelum scanderet,
Sol eclipsim patitur,
Ut sidus lumen sumeret.

5. Hic sorti nostrae miserae
Contulit subsidia,
Duxit lapsos scelere
Ad caeli fastigia,
Mortis vivus asperae
Passus est fastidia,
Ut sanaret, viperae
Quos laeserat invidia.

6. O quam mira circa nos
Dei patris dilectio!
Ut salvaret servulos,
Non pepercit filio.
O summae potentiae
Quam miranda passio,
Conditionis miserae
Quam magna redemptio!

Collect. ms. Llantoniense? saec. 13. Cod. Coll. Corporis Christi Oxonien. 59. — 1, 5 duxerat. — Abschrift von Rev. H. M. Bannister.

5. In Nativitate Domini.

1. Mira lege, miro modo
Deus format hominem,
Mire magis hunc reformat,
vide mirum ordinem.

R° Reformandi mirus ordo
In hoc sonat decachordo.

2. Primus homo fit ex humo,
mulier de homine,
Nos ex illis; novus homo
fit ex sola virgine.

R° Reformandi mirus ordo
In hoc sonat decachordo.

3. Sic se nobis coaptavit,
homo fit pro homine,
Caecus alta ne desperet,
filius fit feminae.

4. Primus homo non peccare
potuit, sed noluit;
Nostrum tamen est peccare,
novus haec non potuit.

5. Mori potest et non mori,
primus homo conditur,
Sumus tamen nos mortales,
novus sponte moritur.

6. Acquisivit morte sua
nobis benignissimus
Vitam, in qua nec peccare
nec mori poterimus.

7. Pater Deus, mater homo,
Deus-homo filius,
Deus sursum, homo citra,
Deus-homo medius.

8. Matrem petat reus homo
hominem securius,
Fit per matrem natus, pater
per natum propitius.

9. Patrem intus portat mater,
ostium est filius,
Intrant rei per Mariam
prius atque latius.

10. Sol est pater, mater stella,
natus solis radius,
Pater sanctis, mater reis
lux, inferni filius.

11. Sic novatur vetus homo,
sic novari poteris,
Si per matrem tibi natum
advocatum feceris.

12. A praedicto decachordo
Discordanti non concordo,
Non sunt Christi, quibus cordi
Non est ordo decachordi.

Trop. ms. Martialense saec. 12.—14. Cod. Parisin. 1139. add. saec. $^{12}/_{13}$. — Mit zweistimmiger Melodie in Neumen. — 7, 3 scitra. — 12, 4 decacordo.

6. In Nativitate Domini.

1. Natus est rex
de virgine Maria,
Mundi salus,
aeternae vitae via,
Quem peperit
intacta mater pia.
. . . . . .
. . . . . .
O quanta gaudia
Dant in ecclesia
Haec natalitia,
Christi praesentia
Et eius gratia!

2. Novum regem
laudet orbis terrarum
Cum novarum
laude melodiarum,
Qui nos trahit
de lacu tenebrarum
Et cunctarum
mole miseriarum.
Adam, quem fregerat,
Hostis deceperat,
Regnum perdiderat,
Quod Deus dederat
Et eius gratia.

3. Iam sunt dicta
completa prophetarum,
Namque nobis
propago divinarum
Deum natum
testatur scripturarum,
Quod cum caede
salus est animarum.
Virgo virginibus
Dignior omnibus,
Subvenientibus
Salva nos precibus.
Laus et gratia.

4. Primus Adam
in morte nos prostravit,
Secundus hic
ad vitam reparavit,
Carnem sumptam
miro modo beavit,
Quam ad dextram
summi patris locavit.
Quod reddit aditum
Per gustum perditum,
Non fuit debitum
Vel nostrum meritum,
Sed sola gratia.

R° Dat gaudia
Caelestia
Sunt pervia,
In patria
Patet via,
Perfidia,
Superbia,
Potentia
Hostis frangitur;
Introitus
Est redditus,
Rex genitus
Humanitus
Dat aditus,
Et perditus,
Expositus
Ad gemitus,
Homo solvitur.

Trop. ms. Martialense saec. 12. Cod. Parisin. 3719. - 2, 11 Perdiderat regnum. — 3, 13 Laus zweisilbig. — 4, 7 Quem ad. — 4, 9 Qui. — R° wiederholt sich nach jeder Strophe; vor R°, 1 Et gratia, was dem Rhythmus zufolge überflüssig, dem Sinne nach entbehrlich ist.

7. In Nativitate Domini.

1. Lumen patris resplenduit,
Exsultet omnis mundus,
Deus natus est hodie,
Sit homo laetabundus.
Humana caro floruit
In hominem secundum.
Quam primus parens posuit
Doloris in profundum.

R° In gaudio
Sit contio,
Sollennis modulatio
Atque mentis devotio.

2. Maria, proles regia,
Concepit novum regem
Virginitatis utero,
Miramur novam legem,
Corruptionis nescia
Enixa summum rerum,
Pannis involvit vilibus
Puella lumen verum.

R° In gaudio
Sit contio,
Sollennis modulatio
Atque mentis devotio.

3. Virgo, parens mitissima,
Infantem lactans Deum,
Qui iacet in praesaepio
Maerendo plasma reum.
Vilis locus praesaepium,
Sed puer ille dives,
Cui cantant in gloria
Caelorum summi cives.

R° In gaudio
Sit contio,
Sollennis modulatio
Atque mentis devotio.

Trop. ms. Martialense saec. 12. [13. 14.]. Cod. Parisin. 1139.

8. In Nativitate Domini.

1. Ortum floris
Concinat laus oris.
Vas dulcoris,
Miri flos odoris,
Flos aetatis
Novitatis,
Radius splendoris,
De beatis
Caeli pratis
Vernans in his oris.
Odor thymiamatis,
Vas, plenum aromatis,
Fontismatis,
Baptismatis
Unda purioris,
Firma ratis
Naufragatis
Fluctibus erroris,
Datur natis
Evae gratis
Ortus redemptoris.

2. Exardescit
Rubus nec tabescit,
Virga crescit
Aaron et frondescit.
Alathia
Canit quia,
Pseustes obmutescit,
Dum Maria,
Mater pia,
Partu parem nescit.
Patrem parit filia;
Naturae contraria
Sunt talia,
Sed gratia
Caecitas decrescit.
Homelia
Prophetia
Praesenti patescit;
Isaia
Teste via
Legis innotescit.

3. Radix Iesse
Pullulat in messe;
Messem esse
Novimus expresse.
Non delevit,
Sed explevit
Quod erat necesse.
Venter gerit,
Quod mox erit
Manifestans res se.
Caro Deum operit
Nec pudorem deserit,
Sed asserit,
Nil interit
Virginis ob esse.
Mortem terit,
Mortem ferit;
Legem sic implesse
Iam non erit
Timor, perit
Evae mors transgressae.

4. Plebs fidelis
Careat querelis,
Mors crudelis
Fugit plenis velis.
Non invitus
Est unitus
Nostris parentelis,
Per quem strictus
Mortis ictus
Est cum suis telis.
Patris unigenitus
Sumpsit carnis habitus
Divinitus.
Dum inclitus
Sermo Gabrielis
Est auditus,
Redimitus
Salutis medelis;
Sic sopitus
Culpae ritus.
Deo laus in caelis.

Collectan. ms. Ramesiense saec. 14. Cod. Cantabrigen. Hh. VI. 11. — 1, 1 Hortum. — 1, 19 nautis. — 2, 7 Seustis. — 3, 15 obesse. — Abschrift von Rev. H. M. Bannister.

9. In Nativitate Domini.

Versus optimus.

1. Radix Iesse
castitatis lilium,

2 a. Stella novum
nova profert radium;

2 b. Rosa mitis
et coruscans lilium

3. Exsulatis,

4 a. Captivatis,

4 b. Morti datis

5 a. Mater natis

5 b. Dedit gratis

6. Vitae bravium.

7 a. Nova profert radium

7 b. Virgo Dei filium,

7 c. Qui est salus omnium,

8 a. Qui non habet initium,

8 b. In hoc venit exsilium

8 c. Dare nobis consilium.

9. Cuius in praeconia

10 a. Intonet harmonia,

10 b. Resonet symphonia

11 a. Patri, nato athanato,

11 b. Athanato, athanato

12. De virgine Maria.

13 a. Ergo per haec gaudia

13 b. Gaudet caeli curia,

13 c. Gaudeat ecclesia,

14 a. Vociferans prodigia

14 b. Per haec sacra sollemnia

14 c. Patrem natum de filia.

Tropar. ms. Martialense saec. 12. [13. 14.]. Cod. Parisin. 1139. — Die Melodie (Neumen) entspricht genau der vorgelegten Abteilung.

10. In Nativitate Domini.

1. Resonemus hoc natali
Cantu quodam speciali,
Deus ortu temporali
De secreto virginali
Processit hodie,
Argumenta
cessent perfidiae.

2. Magnum quidem sacramentum,
Mundi factor fit figmentum,
Sumens carnis indumentum,
Ut conferat adiumentum
Humano generi,
Coetus inde
mirantur superi.

3. Post maerorem redit risus,
Aperitur paradisus,
Est in terris Deus visus,
Lapis manu non praecisus,
Quem vidit Daniel,
Quem venturum
praedixit Gabriel.

4. Hic est noster angularis,
Spes iustorum salutaris,
Hic est noster salutaris,
Potens caeli, terrae, maris,
Facturae condolens,
Quam premebat
tyrannus insolens.

Trop. ms. Martialense saec. 12 [13. 14.] Cod. Parisin. 1139. — 1, 6 sq. Cessant argumenta. — 4, 2 sq. das doppelte salutaris an erster Stelle adjektivisch, an zweiter substantivisch; daher nach mittelalterlicher Auffassung kein fehlerhafter (reicher) Reim.

11. In Nativitate Domini.

1. Res nova, principium
Facti subit seriem.
Rerum factor omnium,
Novam sumit speciem
In virgine.
R° Miranda potentia,
Quae sic naturalia
Frangit iura!

2. Est irregressibilis
Lex fatalis ordinis,
Sed fit regressibilis
Facta forma hominis
In virgine.
R° Miranda potentia,
Quae sic naturalia
Frangit iura!

3. Ut propheta docuit,
Virga Iesse floruit,
Verbum sic innotuit,
Quod impleri potuit
In virgine.
R° Miranda potentia,
Quae sic naturalia
Frangit iura!

Trop. ms. Martialense saec. 12 [13. 14.]. Cod. Parisin. 1139. A. — Trop. ms. Martialense saec. 12. Cod. Parisin. 3719. B. — Str. 1 und 2 fehlen B; Str. 3 fehlt A. — 1, 2 Facis subit A. — 1, 7 Quae signatur alia A. — Vgl. auch Chevalier, Prosolarium ecclesiae Aniciensis p. 19. sq., wo diese Cantio als „Farsumen" in die Lektionen der zweiten Nokturn eingewoben ist.

12. In Nativitate Domini.

1. Ius naturae consumitur,
Dum virgo parit filium,
Et castitas [non rumpitur],
Sed partu floret lilium.
Nova mater novam prolem,
Homo Deum, stella solem,
Patrem profert filia.

2. Quem mundus nequit capere,
Virgo claudit interius,
Et fit sacrae puerperae
Deus pater et filius.
Felix alvus castae matris,
Quia sumpsit verbum patris,
Protulit ex gratia.

Trop. ms. Martialense saec. 12. Cod. Parisin. 3719.

13. In Nativitate Domini.

1. Virgine nato
Rege beato
Gaudeat orbis;
Hoste fugato,
Se medicato
Gaudeat orbis.

2. Lux dominatur,
Nox separatur,
Gaudeat orbis;
Vita paratur,
Mors superatur,
Gaudeat orbis.

Trop. ms. Martialense saec. 12. (13. 14.). Cod. Parisin. 1139. — 1, 5 Sed medicato. — 2, 5 separatur.

14. In Nativitate Domini.

1. Promat chorus hodie,
O contio,
Canticum laetitiae,
O contio,
Psallite, contio
Psallat cum tripudio.

2. Regum rex et dominus,
O contio,
Quem non claudit terminus,
O contio,
Psallite, contio
Psallat cum tripudio.

3. Ex cuius imperio,
O contio,
Servit nostra regio,
O contio,
Psallite, contio
Psallat cum tripudio.

4. In utero virginis,
O contio,
Carnem sumpsit hominis,
O contio,
Psallite, contio
Psallat cum tripudio.

Trop. ms. Martialense saec. 12. [13. 14.]. Cod. Parisin. 1139.

15. In Nativitate Domini.

1. Surge, vide, gens misera,
De virgine puerpera
Christum natum considera
Fide eius reficiens.
De virgine puerpera.

2. Illum citari propera,
De virgine puerpera,
Quem prophetavit litera,
Praedixit falsum nesciens.
De virgine puerpera.

3. Iam excluduntur vetera
De virgine puerpera,
Tua lex velut extera
Iacet, quasi praeteriens.
De virgine puerpera.

Collect. ms. Maioris Monasterii saec. $^{13}/_{14}$. Cod. Turonen. 615 (927). — 1, 4 fehlt. — 2, 4 neciens. — Aus derselben Handschrift bei Luzarches, Office de Pâques, p. 45 mit folgenden Fehlern: 2, 1 citari propheta. — 2, 2 fehlt. — 2, 4 Praedixit falturum nesciens.

16. In Nativitate Domini.

1. In laudes debitas,
Manet virginitas,
Prorumpat civitas
Omnis et regio,
Manet virginitas
In puerperio.

2. Divina bonitas,
Manet virginitas,
Res servat perditas
Arto consilio,
Manet virginitas
In puerperio.

3. Absit iniquitas,
Manet virginitas,
Dolus et pravitas
Ab hoc collegio,
Manet virginitas
In puerperio.

4. Utquid exorbitas,
Manet virginitas,
Iudaeae caecitas,
Errans in invio?
Manet virginitas
In puerperio.

5. Ad trina excitas,
Manet virginitas,
Nos summa [deitas]
Laudem cum gaudio,
Manet virginitas
In puerperio.

Collect. ms. Maioris Monasterii saec. $^{13}/_{14}$. Cod. Turonen. 615 (927). — 5, 1 Atrina excitas. — Aus dieser Hs. auch bei Luzarches, Office de Pâques, p. 30 sq., mit folgenden Fehlern: 1, 1 Oh laudes. — 2, 3 Mariae servatur puritas. — 2, 4 Sacro consilio. — 2, 6 fehlt. — 3, 3 Dolus et impuritas. — 3, 6 fehlt. — 4, 4 Errans in inferno. — 4, 6 fehlt. — 5, 1 Acriam excitas. — 5, 6 fehlt.

17. In Nativitate Domini.

1. Ignis in rubo cernitur,
Festa dies nunc colitur,
Neque rubus comburitur,
Hoc mystice ostenditur.
Congaudeat ecclesia,
Festa dies nunc colitur,
Nova dicamus gaudia.

2. Nunc ignis, qui aspicitur,
Festa dies nunc colitur,
In rubo, intelligitur
Spiritus, qui emittitur.
Congaudeat ecclesia,
Festa dies nunc colitur,
Nova dicamus gaudia.

3. Dum puer nobis nascitur,
Festa dies nunc colitur,
Per quem homo redimitur
A morte, quae non moritur,
Congaudeat ecclesia,
Festa dies nunc colitur,
Nova dicamus gaudia.

Collect. ms. Maioris Monasterii saec. $^{13}/_{14}$. Cod. Turonen. 615 (927). — 1, 4 steht in der Hs. hinter 1, 7. — 1, 6 nec colitur. — 3, 6 nec colitur. Aus dieser Hs. auch bei Luzarches, Office de Pâques, p. 47, mit folgenden Fehlern: 2, 4 Spem qui emittitur. — 2, 5—7 fehlen.

18. In Nativitate Domini.

1. Deus pater filium,
O natale gaudium,
Deus pater filium
Proprium donavit;
O natale gaudium,
Dominus regnavit.

2. Habet vaticinium,
O natale gaudium,
Habet vaticinium
Suum psalmus David;
O natale gaudium,
Dominus regnavit.

3. Abraham fidelium,
O natale gaudium,
Abraham, fidelium
Pater, exsultavit;
O natale gaudium,
Dominus regnavit.

4. Ecce, sicut lilium,
O natale gaudium,
Ecce, sicut lilium
Iustus germinavit;
O natale gaudium,
Dominus regnavit.

Collect. ms. Maioris Monasterii saec. 13/14. Cod. Turonen. 615 (927). — 3, 4 Pauper exsultavit. — Aus dieser Hs. auch bei Luzarches, Office de Pâques, p. 54 u. f., mit folgenden Fehlern: 2, 4 Suum psalmus dedit. — 2, 6 fehlt. — 3, 6 fehlt. — 4, 3 fehlt. — 4, 6 fehlt.

19. In Nativitate Domini.

1. Beata nobis gaudia,
Dum patrem parit filia,
Nam Christi natalitia,
Concives, exsultate,
Cum patrem parit filia,
Sed salva castitate.

2. Sit celebris laetitia,
Dum patrem parit filia,
Per haec sacra sollemnia,
Concives, exsultate,
Dum patrem parit filia,
Sed salva castitate.

3. Gaudet nostrum ecclesia,
Dum patrem parit filia
De stirpe virgo regia;
Concives, exsultate,
Dum patrem parit filia,
Sed salva castitate.

4. Vagit inter praesaepia,
Dum patrem parit filia,
Salvatoris infantia,
Concives, exsultate,
Dum patrem parit filia,
Sed salva castitate.

Collect. ms. Maioris Monasterii saec. 13/14. Cod. Turonen. 615 (927). — 1, 1 gaudium. — 3, 3 regna. — Aus dieser Hs. auch bei Luzarches, Office de Pâques, p. 31 sq., mit folgenden Fehlern: 1, 6 Sua salva castitate. — 2, 3 Haec sacra. — 2, 6 fehlt. — 3, 1 Gaudet enim ecclesia. — 3, 6 fehlt. — 4, 6 Sua salva castitate.

20. In Nativitate Domini.

1. Magnus qui factus erat,
Tandem praeterit,
Novus, qui non aderat,
Caput exserit.
Virga, quae floruerat,
Virgo peperit.

2. Adam, qui perierat,
Portum comperit,
Evam qui deceperat,
Captus interit.
Virga, quae floruerat,
Virgo peperit.

3. Eva, cui crediderat,
Caput conterit,
Librum, quem lex clauserat,
Agnus aperit.
Virga, quae floruerat,
Virgo peperit.

4. Lex ad lucem properat,
Umbram deserit,
Legem lux non alterat,
Sed plus asserit.
Virga, quae floruerat,
Virgo peperit.

5. Pharao non imperat,
Undis deperit,
Licet, qui transierat,
Non meminerit.
Virga, quae floruerat,
Virgo peperit.

Collect. ms. Maioris Monasterii saec. $^{13}/_{14}$. Cod. Turonen. 615 (927). — 1, 1 factus undeutlich. — 1, 4 exserat. — 2, 3 quae. — 3, 2 Captus conterit. — 5, 1 imperat undeutlich. — Aus dieser Hs. auch bei Luzarches, Office de Pâques, p. 43 sq., mit folgenden Fehlern: 2, 4 Caput interit. — 5, 3 Licet qui tum steterit.

21. In Nativitate Domini.

1. Agnoscat omne saeculum,
Nostri venit piaculum,
Mortis solvens periculum.

2. Isaias quae cecinit,
Christus implet, ut meminit
Fides, prophèta praecinit.

3. Maria ventre concepit,
Mundus vero quod percepit,
Eo salus ortum cepit.

4. Radix Iesse iam floruit,
In Maria cum claruit
Fructus vitae nec defuit.

R°. Hymnizetur regi melos,
Qui natus est de virgine.

Cant. ms. Venetum saec. $^{15}/_{16}$. Cod. Bononien. 2216. — 1, 3 resolvens. — 4, 3 ne defuit.

22. In Nativitate Domini.

1. Hamus prendit virginis
Verbo fortitudinis
Christum Iesum, ens entium;
Ecce, nitet in prora
Ut rutilans aurora
Rex in salutem gentium.
R° Iesus ille parvulus,
Quem Mariae alvulus
Gessit rerum praeter morem.

2. Numquid dormis, physica?
Dic, quod probat logica,
Dic, quis audivit talia?
Regnat quod praedicatum
Per subjectum monstratum,
Ens necans barathralia.
R° Iesus ille parvulus,
Quem Mariae alvulus
Gessit rerum praeter morem.

3. Infernorum hinc portam
Perquam reddit absorptam
Eiusdemque voraginem.
Constat, quod divinitus,
Immo non humanitus
Carnis sumpsit originem.

Collect. ms. Bohemicum saec. 15. Cod. Vindobonen. 3143. — 1, 3 phy ens entium — 1, 4 Ecce nat in prora. — 3, 2 Per quod restat adcortam. — 3, 3 voraginis. — 3, 4 Constat a divinitus.

23. In Nativitate Domini.

1. Nascitur ex virgine
Sine viri semine
Verus sol iustitiae.

2. Laudemus in virgine,
Quod produxit libere
Nobis regem gloriae.

3. Iacet in praesaepio,
Cuius natalitio
Mundus floret gaudio.

4. Ergo nostra contio
Omni plena gaudio
Benedicat Domino.

Collect. ms. Hilariense saec. 15. Cod. Hilarien. 83. — Nach 1, 3 noch Natus sine crimine, ersichtlich eingeschoben. — Nach 4, 2 eingeschoben; Nunc et sine termino.

24. In Nativitate Domini.

1. Resonent pueruli
Sollenniter
Voce pia cantando
Unanimiter
Novo nato,
Qui plasmavit et creavit
Terram, pontum, aethera.

2. Infantes ut infanti
Pueriliter
Corde puro psallendo
Hilariter
Deo nato
Singuli concinite:
Suze libe nynne.

3. Aeternitas nascitur
. . . .
Templum dum destruitur
. . . . .
Et olei
Fluit rivus, quando vivus
Verus Deus redditur.

4. Natus est verbigena
De virgine,
Cui symphonizemus
Cum conamine
Ei grates
Referendo et laudando
Summum regem gratiae.

Process. ms. Ambergense saec. 15. Clm. Monacen. 2992. — 1, 7 Terra, pontus. — 2, 5 dioie. — 2, 7 Zuze nynne, ſuze nynne, ſuze libe nynne. — 3, 5 Et fehlt. — 3, 6 Fuit. — 4, 7 Summo regi.

25. In Nativitate Domini.

1. Vernalis lux emicuit,
Error vetus conticuit,
Iam resonant melodia,
Quae restant, nova gaudia,
Quae mundo sunt salubria.

2. Chorus noster in iubilo
Nato plaudat puerulo
Vigente pro victoria,
Cum superis abs scoria
In altis canens gloria.

R.° En, natus est de virgine
Nunc puer sine semine,
Quem vates dudum speculo
Vidit futurum saeculo.

Process. ms. Ambergense saec. 15. Clm. Monacen. 2992. — 2, 2 plaudet. — 2, 5 In artis. — R°, 4 Fautor futurum.

26. In Nativitate Domini.

1. Terit, perit illusio,
Protoplasti confusio
Per natum generosum,
Pyr ne, pyr ne, Pyr ne,
Pyr ne laedat furiosum.

2. Per trinitatis speculum
Vidit errare saeculum,
Cuncta qui creavit.
Pyr ne, pyr ne, pyr ne,
Pyr, ne laederet, fugavit.

3. Exinanivit semet El,
Uti praedixit Gabriel,
Mundus omnis doleret.
Pyr ne, pyr ne, pyr ne,
Pyr ne hominem urgeret.

4. Rogemus sanctum spiritum,
Patrem atque filium,
Ut plebem hanc defendat,
Pyr ne, pyr ne, pyr ne,
Pyr ne inferis mandet.

Process. ms. Ambergense saec. 15. Clm. Monacen. 2992. — 3, 3 omni. — 4, 5 inferos mandat.

27. In Nativitate Domini.

1. Enche, Enche, Enche,
Fetum nunc produxit ens
Verum, Enche,
Fetum nunc produxit dans
Libens, Enche.

2. Metfe, Metfe, Metfe,
Se exinanivit ens
Verum, Metfe,
Se exinanivit dans
Libens, Metfe.

3. Trine, Trine, Trine,
Nobis afta in fine ens
Verum, Trine,
Nobis asta in fine dans,
Libens, Trine.

4. Elfe, Elfe, Elfe,
Se humiliavit ens
Verum, Elfe,
Se humiliavit dans
Libens, Elfe.

Process. ms. Ambergense saec. 15. Clm. Monacen. 2992. — 3, 4 Statt Libens Trine: O fili Mariae. Vielleicht sind Str. 3 und 4 umzustellen.

28. In Nativitate Domini.

1. Sibyllae dictum floruit,
Et pacis templum corruit
Christo nato.

2. Abrahae semen capitat,
In quo Moyses navigat,
Suze nynne.

3. Pax in mundo penitus,
Angeli dicunt caelitus,
Cum gaudio.

Process. ms. Ambergense saec. 15. Clm. Monacen. 2992. — 1, 3 Christo nato to to to to to to to to to Christo nato. — 2, 3 Suze nynne zu zu zu zu zu zu zu zu Suze nynne. — 3, 2 dicent. — 3, 3 Nunc cum gaudio cum cum cum cum cum cum cum cum cum Cum gaudio.

29. In Nativitate Domini.

Quam felix, quam praeclara
Maria genuit
Christum, per quem amara
Mors nostra doluit!
Scripturas hic implevit
In Bethlehem,
In praesaepe locari voluit,
Quod toti mundo hic condoluit.

Die felige vnd vil reyne
Maria vns gepar
Christum, den wir loben,
den edelen herren clar;
Wir lesen in den bucheren,
wy Jesus in den tucheren
in eyner krippen lag,
der do in dem hymel ist
vnd alle ding vermag.

Process. ms. Ambergense saec. 15. Clm. Monacen. 2992.

30. In Nativitate Domini.

Basilio poli laudemus hodie,
Natum, datum de virgine.
Qui nos redemit,
Pestem [ademit]
Atque restituit patris gloriae.

Den himmel kunick
der ist geparen von einer maidt,
als vns dy propheten haben gesait;
pist gelobet, Jesu crist,
das du vns geparen pist
vnd durch vnser not
pist gestorben tot.

Process. ms. Ambergense saec. 15. Clm. Monacen. 2992.

31. In Nativitate Domini.

Polo, polo egreditur
Per El, per El,
Intrat domum Gabriel
Nymphae retulitque Ave
Matris Dei in conclave.
O felix puerpera,
Nostra dele crimina;
Tuba, tuba canimus,
Exi, exi dulciter,
Natum, natum laudat bos
Et asinus.

Process. ms. Ambergense saec. 15. Clm. Monacen. 2992. — 5 Matrem Domini in.

32. In Nativitate Domini.

1. Ex sinu matris parvulus
Est egressus Iesulus,
Alſo die ſonn durchſcheint das glas.

2. Hic iacet in praesaepio,
Qui regnat sine termino,
Ohn end ſo iſt die herſchafft sein.

3. Natus est Emmanuel.
Quem praedixit Gabriel,
Und den bezeugt [Ezechiel].

4. Ab Oriente veniunt,
Aurum, tus, murram deferunt,
Die hailigen drey kinig kumen dar.

5. Qui Caspar, Melchior, Balthasar
Nomine dicuntur,
Gott brachten ſie das opffer dar.

6. Hic stella lucet dulciter,
Oriente pariter,
Alſo sahen ſie das kindelein.

7. Cognovit bina bestia
Iacentem in fascia
Bekannten ſie das kindelein.

8. In hoc natali gaudio
Benedicamus Domino
Et Mariae puerperio.

Cant. ms. Kirchheimense saec. 16. Cod. Maihingen. II 2. 8° 13. — 1, 1 patris. — 7, 2 in effascia.

33. In Nativitate Domini.

1. Natus est nobis hodie
De pura virgine
Rex gloriae.

2. Ergo pangamus ei
Omnes et singuli
Cum voce tubali.

3. Qui et plasmavit omnia,
[Terras] et maria,
Per cuncta saecula.

4. Laudemus quoque Dominum,
Mariae filium,
Regem caelorum.

5. Laudetur sancta trinitas,
[Vera] aeternitas,
In esse unitas.

6. Benedicamus Domino
Atque regi nato
Cum tripudio.

Cant. ms. Kirchheimense saec. 16. Cod. Maihingen. II 2. 8° 13. — Nach Str. 3 folgt ein Vers aus dem Liede Puer natus in Bethlehem, der nicht hierher gehört; vor Str. 4 steht „Aliud"; augenscheinlich gehören aber diese Strophen zusammen. Nach jeder Strophe folgt deren deutsche Übersetzung, frei dem Sinne und frei dem Metrum nach. So lautet die Übertragung von Str. 6:

Mir loben das kindelein
mit reichem fchall,
mir klofterfrauwen all.

34. In Circumcisione Domini.

1. Novus annus, dies magnus
Assit in laetitia,
Lux aeterna de superna
Venit ad nos regia,
Culpam saevae matris Evae
Sola delet gratia.

R° Quia sic genitor
paradisi Adam,
Protoplasma suum,
vexit ad patriam
Crucis supplicio
reparando viam.

2. Omnis homo sacra domo
Propagate Domini,
Consecrate vel signate
Suo sancto nomini,
Gratulare et laetare,
Salus datur homini.

R° Quia sic genitor
Paradisi Adam,
Protoplasma suum,
vexit ad patriam
Crucis supplicio
reparando viam.

3. Ad haec festa, Christe, praesta
Cuncta nobis prospera,
Qui gubernas res supernas
Iura tenens omnia,
Istum chorum clericorum
Tua salvet dextera.

R° Quia sic genitor
paradisi Adam,
Protoplasma suum,
vexit ad patriam
Crucis supplicio
reparando viam.

Trop. ms. Martialense saec. 12. [13. 14.]. Cod. Parisin. 1139. — Chevalier, Prosolarium Aniciense (saec. 16. ex.) p. 19. B. — 1, 6 Epla delet A. — 2, 2 Propagata B. — 2, 3 Consecra te et signate B. — 3, 2 Nobis cuncta B. — 3, 3 de superna A. — 3, 4 tenens infima B. — 3, 5 Laetum chorum B. — In B als conductus bezeichnet.

35. In Circumcisione Domini.

1. Tuta canit Michael
Gaudia,
Natus est rex Israel;
Eia, eia,
Anni novi
Nova novi
Gaudia.

2. In excelsis canitur
Gloria.
Terris pax indicitur;
Eia, eia,
Anni novi
Nova novi
Gaudia.

3. Nostra nobis redditur
Patria,
In qua [bene] vivitur;
Eia, eia,
Anni novi
Nova novi
Gaudia.

4. Devitemus igitur
Vitia.
Per quae virtus moritur;
Eia, eia,
Anni novi
Nova novi
Gaudia.

5. Sua spargat castitas
Lilia,
Peperit virginitas;
Eia, eia,
Anni novi
Nova novi
Gaudia.

Collect. ms. Maioris Monasterii saec. 18_{14}. Cod. Turonen. 615 (92 c). — 4, 3 Per quem. — Aus dieser Hs. auch Luzarches, Office de Pâques, p. 52 u. f., mit folgenden Fehlern: 1, 1 Certa canit; in der Hs. steht uta, die Initiale fehlt. — Der Refrain ist nicht wiederholt.

36. De Nomine Iesu.

1. Cordi nihil vivacius,
Auri nil tinnibilius,
Ori nil sapit gratius,
Quam Iesus Dei filius.

2. En, magnum nomen Domini,
Quo cordi nihil mundius,
Quo solo salus homini,
Menti nihil iucundius.

3. Est iubilo plenissimum,
Est ori sapor melleus,
Auri melos dulcissimum,
Rancor quo perit felleus.

4. Est nomen tetragrammaton
Sanctum et ineffabile,
Nec dici fas automaton
Nomen hoc admirabile.

5. Est oleum languentibus
Huius dulcedo nominis,
Magnificatum gentibus,
Hinc tota salus hominis.

6. Hoc nomen admirabile
Est datum Christo homini,
Omne genu curvabile
Est huic sancto nomini.

7. Hoc magnum nomen gloriae
Sit nobis benedictio,
Nostrae fixum memoriae,
Non caritatis fictio.

8. Laus, bonitas, potentia,
Honor sit sancto nomini,
Virtus et sapientia
Christo Deo et homini.

Collect. ms. FF. S. Crucis in Colonia saec. 15. Cod. Vindobonen. 4556; mit Melodie.

37. In Epiphania Domini.

1. Oriente oriens
Stella nova claruit,
Ex Iacob egrediens
Lucifer emicuit,
Balaam praesagiens
Ut olim edocuit.

2. Auctor saecli nascitur
Saeculorum vespere,
A magis agnoscitur
Artifex in opere,
Adorandus creditur
Unus trino munere.

3. In ture divinitas,
In auro dominium,
In murra mortalitas
Et carnis supplicium,
Et haec tria caritas
Offerat fidelium.

Trop. ms. Martialense saec. 12. Cod. Parisin. 3719. — 2, 3 Ac magis.

38. In Epiphania Domini.

1. Iam ver exoritur,
Laetemur igitur,
Hiems conteritur.
Cesset tristitia,
Floralis gaudia
Dat Epiphania.

2. Hiems conteritur,
Laetemur igitur,
Novus sol oritur.
Cesset tristitia,
Floralis gaudia
Dat Epiphania.

3. Ecce, flos oritur,
Laetemur igitur,
Herba nunc nascitur.
Cesset tristitia,
Floralis gaudia
Dat Epiphania.

4. Draco conteritur,
Laetemur igitur,
Pax nobis redditur.
Cesset tristitia,
Floralis gaudia
Dat Epiphania.

5. Laus Christo dicitur.
Laetemur igitur,
Angelis canitur.
Cesset tristitia,
Floralis gaudia
Dat Epiphania.

Collect. ms. Maioris Monasterii saec. ^{13}/$_{14}$. Cod. 615 (927). — 5, 3 Angelus canitur. — Aus dieser Hs. auch bei Luzarches, Office de Pâques, p. 43. — Vgl. das Lied: Novum ver exoritur, Anal. XX, 94.

Cantiones Paschales.

---

39. In Resurrectione Domini.

R. Cedit frigus hiemale,
Redit tempus aestivale,
Iuventus laetatur.

1. Ecce, tempus est vernale,
Quo per lignum triumphale,
Inter ligna nullum tale,
Genus hominum mortale
Morte liberatur.

2. Iudaeorum turba duce
Nucleus exit de nuce,
Nudus ponitur in cruce,
Terra tremit, et sol luce
Propria privatur.

3. Accusatur, condemnatur,
Ligatur et flagellatur,
Aceto, felle potatur,
Opprobriis saturatur,
Spinis coronatur.

4. Gens Iudaea, „crucifige“,
Clamans „tormentis adfige,
Per membra clavos infige“;
Adam Averni de Styge
Extractus laetatur.

5. Gaude, plebs religionis,
Dies resurrectionis
Instat, novis plaude sonis,
Expende tempus in bonis,
Dum spatium datur.

Collect. ms. S. Mariae Rivipullensis saec. 13. in. Cod. Parisin. 5123. add. saec. 13. — Mit Melodie.

40. In Resurrectione Domini.

1. Mittendus praedicitur,
Morte vitae vincitur,
Et praedictus mittitur,
Concipitur
Et nascitur,
Magnum consilium.
Morte vitae vincitur
Et tollitur
Et moritur
Mortis dominium.

2. Deus homo nascitur,
Morte vitae vincitur,
Et propter nos traditur,
Conspuitur,
Contunditur
Et fit opprobrium.
Morte vitae vincitur
Et tollitur
Et moritur
Mortis dominium.

3. In cruce suspenditur,
Morte vitae vincitur,
Sanguis aqua labitur,
Redimitur
Et tegitur
Mundi flagitium.
Morte vitae vincitur
Et tollitur
Et moritur
Mortis dominium.

4. Consolemur igitur,
Morte vitae vincitur,
Surrexit, non moritur,
Absconditur
Et creditur
Nostrum iudicium.
Morte vitae vincitur
Et tollitur
Et moritur
Mortis dominium.

Collect. ms. Maioris Monasterii saec. $^{13}/_{14}$. Cod. Turonen. 615 (927). — 2, 5 contenditur. — 3, 5 et regitur. — Aus dieser Hs. auch bei Luzarches, Office de Pâques. p. 50ff.

41. In Resurrectione Domini.

1. Resurrexit libere
Filius puerperae
Die tertia;
Eia,
Gaudeat ecclesia
Nova colens sollemnia.

2. Nos volens redimere
Ab inferni carcere
Die tertia;
Eia,
Gaudeat ecclesia
Nova colens sollemnia.

3. Festina iam credere,
Iudaeae gens miserae,
Die tertia;
Eia,
Gaudeat ecclesia
Nova colens sollemnia.

4. Hunc vere resurgere
Gaudeamus hodie
Die tertia;
Eia,
Gaudeat ecclesia
Nova colens sollemnia.

Collect. ms. Maioris Monasterii saec. $^{13}/_{14}$. Cod. Turonen. 615 (927). — 4, 2 der schlechte Reim h o d i e läfst eine Verderbnis des Textes vermuten; derselbe liefse sich mit den überlieferten Worten etwa so herstellen:

Gaudeamus hunc vere
Hodie resurgere.

Aus derselben Hs. auch bei Luzarches, Office de Pâques, p. 60 sq., mit folgenden Fehlern: 2, 2 De inferni. — 3, 1 iam edere.

42. In Resurrectione Domini.

1. Dies felix atque grata,
Haec est dies oblata,
Dies nostri
doloris terminus.
Haec est dies,
quam fecit Dominus.

2. Dies purgat haec peccata,
Haec est dies oblata,
Dies purgans
humanum facinus,
Haec est dies,
quam fecit Dominus.

3. Haec est romphea sublata,
Haec est dies oblata,
Vires perdit
hostis serpentinus,
Haec est dies,
quam fecit Dominus.

4. Evae mala sunt velata,
Haec est dies oblata,
Vetus cessat
luctus vespertinus,
Haec est dies,
quam fecit Dominus.

Collect. ms. Maioris Monasterii saec. 13^{14}. Cod. Turonen. 615 (927). — 1, 1 Dies felix et gloria gegen den Reim. — 2, 1 Dies purgata peccata. — 2, 3 Dies fehlt. — 4, 1 durch Radierung unleserlich: der Text der Zeile aus Luzarches, Office de Pâques, p. 38.

43. In Resurrectione Domini.

1. Agnus sine macula,
Inimici vincula,
Praedictus per saecula
Ex Abrahae semine;
Inimici vincula,
Dirupisti, Domine.

2. Post patrum oracula,
Inimici vincula,
Prodit ex virguncula,
Natus est de virgine;
Inimici vincula
Dirupisti, Domine.

3. Fraude Iudae sedula,
Inimici vincula,
Traditur per oscula
Occultato numine:
Inimici vincula
Dirupisti, Domine.

4. Post amara pocula,
Inimici vincula,
Per crucis patibula
Nos redemit sanguine:
Inimici vincula
Dirupisti, Domine.

Collect. ms. Maioris Monasterii saec. 13^{14}. Cod. Turonen. 615 (927). — 1, 4 Ex Habre. — 2, 1 Post partum. — Aus dieser Hs. auch bei Luzarches, Office de Pâques, p. 49 u. t., mit folgenden Fehlern: 2, 3 Prodit ex virgula. — 2, 6 fehlt. — 3, 6 fehlt. — 4, 4 redimit. — 4, 6 fehlt.

44. In Resurrectione DN.

1. Adest celeberrima
Dies resurgentis,
In qua sacratissima
Caro redimentis
Ministratur populis.
Expurgetur azima
Ab inquinamentis,
Nam virtus altissima
Stans in sacramentis
Plena est miraculis.

2. Procedunt oracula
Legis, prophetarum,
Succedunt miracula
Panem gratiarum,
Laudis et potentiae.
Sine fide sedula
Mentium sacrarum
Permanens in saecula
Operatur parum
Panis eucharistiae.

3. Sacerdos et hostia
Hoc in sacramento
Christus est, et gratia
Datur in augmento
Simul et remissio.
Totus est in hostia,
Totus in fragmento,
Manent accidentia
Sine fundamento
Et eorum actio.

4. Totum est miraculum
Christi sacramentum,
Quod praetendit speculum
Et vocis figmentum
Et splendor visibilis.
Datur in cenaculo
Mentis alimentum,
Ministratur populo
Sed per tegimentum
Specie sensibilis.

5. Panis vivus sumitur,
Sed non immutatur
Sumptus nec consumitur,
Sed sic operatur
Divina potentia.
Agnus verus editur
Hic et immolatur,
Per quem plebs redimitur
Et iam liberatur
Regis violentia.

6. Celebrantes gaudium
Resurrectionis
Recordemus pretium
Nostrae passionis
In cena dominica.
Crescat per edulium
Reparationis
Nostrae desiderium
Retributionis
Et fides catholica.

Ord. ms. Casinense saec. 14. Cod. Vatican. 9340.

45. In Resurrectione Domini.

Christus surrexit, vinctos de carcere vexit,
Quos hic dilexit, mundi cruciamine texit,
Polliciens caeli vincenti regna fideli,
Expertes caeli iustos sociavit Abeli.
Eia, felices hinc psallatis genetrices,
Omnes gaudete, destructae sunt quia metae.

Daemonis astuti sumus effecti quoque tuti,
O princeps Christe, tibi laus sit modulus iste.

Collect. ms. Eberhardiclusan. saec. 15. Cod. Treviren. 322. Mit Mel. — 1 victos. — 2 Et quod hic . . . cruciamina. — 3 Allicions caeli viventi. — 4 iustus. — 5 hinc psallades. — 6 quia mitte. — 7 affecti. — 8 O princeps opem tibi.

46. In Resurrectione Domini.

1. Surgens mortis victor fortis
Praedam tulit de distortis
Barathri militibus,
Patri factus coaequalis
Est mutatus talis, qualis
Se praestitit hominibus.

2. Formam sumens humanalem,
In se tenens triumphalem
Possidendam caelitus,
Nobis vitam reparavit,
Qua nos Adam parens stravit
Per peccatum penitus.

3. Hanc advexit supernorum
Turbae chorus angelorum
Per patentes aditus.

Collect. ms. Eberhardiclusan. saec. 15. Cod. Treviren. 322. Mit Mel.

47. In Resurrectione Domini.

1. Epulemur in azimis
Sinceritatis veteris
Et veritatis gressibus
Mundi huius solacium,
Donec purgentur vetera,
Quo premimur nos, vitia.

2. Gratulemur in laudibus
Praecelsae Dei virginis,
Det nobis suum filium.
Cordis, carnis pedibus
Zima purgato veteri,
Quo firmemur miseri.

Collect. ms. Eberhardiclusanum saec. 15. Cod. Treviren. 322. — 1, 5 purgando. — 1, 6 vitiis. — 2, 2 Ut nobis suum. — 2, 6 firmentur.

48. In Exaltatione s. Crucis.

1. O mira clementia,
Triumphus et gloria,
Propter nostra vitia
Crucis extollatur
Triumphus et gloria,
Christus immolatur.

2. Sua sola gratia,
Triumphus et gloria,
Pia pius hostia
Christus immolatur,
Triumphus et gloria,
Christus immolatur.

3. Evae contumacia,
Triumphus et gloria,
Adae ignorantia
Per crucem purgatur;
Triumphus et gloria,
Christus immolatur.

4. Zabuli saevitia,
Triumphus et gloria,
Potest[as, malit]ia
Cruce debellatur;
Triumphus et gloria,
Christus immolatur.

5. Gratis efficacia,
Triumphus et gloria,
Inferni potentia
Cruce conculcatur;
Triumphus et gloria,
Christus immolatur.

6. In crucis victoria,
Triumphus et gloria,
Porta prius invia
Caeli reseratur;
Triumphus et gloria
Christus immolatur.

Collect. ms. Maioris Monasterii saec. $^{13}/_{14}$. Cod. Turonen. 615 (927). — 2, 4 wahrscheinlich verschrieben; lies etwa: Christus victimatur oder Ähnliches. — 4, 3 Was in Klammern steht, wegen Radierung unleserlich. — Aus dieser Hs. auch bei Luzarches, Office de Pâques, p., 33 mit folgenden Fehlern: 1, 1 Mira Christi clementia; in der Hs. steht mira clementia mit fehlender Initiale; O ist zu ergänzen. — 4, 3 Potestatis gratia. — 5, 1 Gravi efficacia. — Die sechste Zeile in allen Strophen mit Ausnahme der ersten ausgelasssn.

49. In Pentecoste.

1. Ex linguis multifariis
Hebraeus teritur,
Confusus tot linguagiis,
Quis phalanx loquitur
Apostolorum candida,
Amore flammea.

2. Nunc veni, pater pauperum,
Tributor munerum
Et lumen luminum,
In mentes hominum
Rigando, quod est aridum,
Regendo devium.

Collect. ms. Eberhardiclusanum saec. 15. Cod. Treviren. 322. — 1, 4 fallax. — 1, 6 flammeo.

50. De Corpore Christi.

1. Ecce, magnum sollemnium,
Quo Christus summum omnium
Constituit mysterium.
Hunc laudemus,
Doxa theo
in excelsis iubilemus.

2. Laetetur caeli curia,
Gaudeat omnis usia,
Deo patri sit gloria,
Decantemus,
Doxa theo
in excelsis iubilemus.

3. De corporis mysterio
Christi, quod in hoc orgio
Fiat cum magno gaudio,
Nos dicemus,
Doxa theo
in excelsis iubilemus.

4. Sicut fit vespertilio
Hebes pro solis radio,
De praesenti sollemnio
[Exsultemus],
Doxa theo
in excelsis iubilemus.

5. Sed, quod nequit locutio,
Supplet mentis devotio,
Ob hoc, sother, auxilio
Decantemus,
Doxa theo
in excelsis iubilemus.

6. Cum turba stantes duodena
Ad mensam Christi in cena.
Alternatim voce plena
Laudes demus,
Doxa theo
in excelsis iubilemus.

7. Expletis agni ferculis
Panem fregit, discipulis
[Suis] dedit; cum modulis
[Hunc] laudemus,
Doxa theo
in excelsis iubilemus.

8. Dicens eis: comedite
Ex hoc omnes et bibite,
Cibus et potus est vitae.
Hunc laudemus,
Doxa theo
in excelsis iubilemus.

9. Hunc discant panem Iudaei
Esse verum corpus Dei,
Baculo fulti fidei
Confitemus,
Doxa theo
in excelsis iubilemus.

10. In carnem panis mutatur,
Pro vino sanguis potatur,
In his fides operatur.
Adoremus,
Doxa theo
in excelsis iubilemus.

11. In omnibus et singulis
Totus manet particulis,
Hunc in omnibus saeculis
Rogitemus,
Doxa theo
in excelsis iubilemus.

12. Unicum Deum senties,
Licet diversa species,
[Carnis] verae materies.
Hic spectemus,
Doxa theo
in excelsis iubilemus.

13. Pulsis peccatis ideo,
Qui est trinus et unio,
Benedicamus Domino.
Decantemus,
Doxa theo
in excelsis iubilemus.

14. In nomine trinitatis
Ite missa est dicatis,
Nos cum rege maiestatis
Exsultemus,
Doxa theo
in excelsis iubilemus.

Collect. ms. Victorinum saec. 15. Cod. Parisin. 15105. — 1, 5 theos, so immer. — 6, 1 Eine Silbe zuviel. — 11, 3 Nunc in. — 11, 4 Hunc rogitemus. — 13, 2 trinus et unus. — 14, 2 est deitatis (Lesefehler?). — Dafs Str. 13 spätere Zutat, beweist der Reim; vielleicht ist auch Str. 14 dem Liede nicht ursprünglich. — Abschrift von Rev. H. M. Bannister.

Cantiones Partheniae.

51. In Nativitate BMV.

1. Iam novum sidus oritur,
Iam patet galaxia,
Iam ex Iudaea nascitur,
Iam oritur Maria,
Iam nobis enim panditur,
Iam det nobis gaudia
In caeli curia
Christus, cuius filia
Et mater es, Maria,

2. Iam nubes dissolvitur,
Iam patet galaxia,
Iam flos de spina rumpitur,
Iam oritur Maria,
Iam verum lumen cernitur,
Iam demonstratur via,
Iam pro nobis pia
Exorat Maria,
Ut fruamur gloria.

Collect. ms. Eberhardiclusanum saec. 15. Cod. Treviren. 322. — 1, 8 filius. — 2, 1 desolvitur. — 2, 3 Iam nobis de spina rumpitur. — 2, 9 Ut summa fruitur.

52. In Purificatione BMV.

R. Gaudeamus
nova cum laetitia!

1. Fulget dies hodierna,
Nata luce sempiterna,
Nova dies,
nova natalitia,
Novus annus,
nova haec sollemnia,
Nova decent gaudia
Novae laudis cantica.

2. Speciali gaude choro,
Maritali iuncta thoro,
Suo Deus
sempiterno filio
Ecclesiam
copulat conubio;
Viduata Domino,
Annae gaude gaudio.

3. Prius gaude, vetuli
Senex aetas servuli;
Dat se visum
Simeoni veteri,
Mittunt aquas
sub lechyto pueri,
Novitas miraculi,
Quo mittuntur iaculi.

4. Omnis ergo aetas, gaude,
Sed tu, virgo, prius plaude,
Virgo parit
filium prudentiae,
Novum genus
mirum hoc potentiae,
Partum esse feminae
Sine plaudat semine.

Trop. ms. Martialense saec. 12. [13. 14.]. Cod. Parisin. 1139; mit Melodie in Neumen. — 2, 1 corum. — 2, 5 sq. Copulat ecclesiam. — 3, 1 gaude ut veruli. — 3, 2 seruli. — 3, 3 Da se. — 3, 6 sub eccite pueri. — 3, 7 miraculum. — Die Reime der Strophen bilden die Vokale a, o, i, e; demnach möchten die Strophen 1. 4. 3. 2 zu ordnen und eine Schlufsstrophe, in u reimend, ausgefallen sein.

53. In Assumptione BMV.

1. Cantat omnis creatura,
Sua refert nobis iura,
Sua nobis refert iura
Virginis assumptio.
O, o, Domino
Concinat haec contio.

2. . . . . nos mensura
Sua refert nobis iura,
Cibi potusque mensura
Sit in hoc sollemnio.
O, o, Domino
Concinet haec contio.

3. Christo regi demus tura,
Sua refert nobis iura,
Pio corde, [mente] pura,
Puro desiderio.
O, o, Domino
Concinat haec contio.

4. Dedit suum ius natura,
Sua refert nobis iura,
Rerum factor fit factura
Virginis in gremio.
O, o, Domino
Concinat haec contio.

Collect. ms. Maioris Monasterii saec. $^{13}/_{14}$. Cod. Turonen. 615 (927). — Daraus auch bei Luzarches, Office de Pâques, p. 41 u. f., mit folgenden Fehlern: 1, 2 fehlt. — 2, 1 fehlt. — 3, 3 pura fehlt. — 4, 1 Dedit suum nil natura. — Der Schlufsruudreim fehlt immer.

54. In Assumptione BMV.

1. Adest dies celebris
Decoris et laetitiae
Virginis Mariae,
Quae assumpta hodie
Choris ab angelicis.

2. Ubi regnat cum filio
In aeternis gaudiis,
Quae orat pro miseris
Postulando veniam,
Largiendo gratiam.

3. Felix caelorum domina,
Plena polorum gaudiis,
Astris praepollens lucidis,
Pia Maria,
Pro literatis
Tibi paratis
Crucifixum exora.

Collect. ms. Eberhardiclusanum saec. 15. Cod. Treviren. 322. — 2, 1 regnas. — 2, 5 indulgentiam. — 3, 1 O felix — 3, 3 Astris pollenciis. — Nach 3, 5 scheint dies Lied aus Böhmen zu stammen. Vgl. Anal. I, 27.

55. In Assumptione BMV.

1. Dies recolitur
Annua,
Virgo caeli vehitur
Ad ardua;
Nova res, panditur
Ianua,
Per quam vitae scanditur
Ad pascua.
R° Igitur
Merito
Plus solito
Adplauditur.

2. Sacri mysterium
Operis
Terris mittit gaudium
A superis;
Dum scandit solium
Aetheris,
Orat mater filium
Pro miseris.

3. Virgo virginibus
Sanctior,
Mater cunctis matribus
Beatior,
Fit astris omnibus
Clarior,
Fit supernis civibus
Superior.
R° Igitur
Merito
Plus solito
Adplauditur.

4. Stupet angelica
Dignitas,
Quod admittit caelica
Sublimitas
Carnem, quam publica
Pravitas
Arguit et lubrica
Fragilitas.

5. Tam mirandae rei
Gratia
Blanditur nobis Dei
Clementia,
Nam collatae rei
Venia
Laudis refer ei
Praeconia.

Trop. ms. Martialense saec. 12. Cod. Parisin. 1139 add. saec. $^{12}/_{13}$. — 1, 5 Onara panditur.

56. In Assumptione BMV.

1 a. Instanter
Veneremur
Condignis nunc laudibus,

1 b. Laetanter
Coniungemur
Supernis nunc civibus.

2 a. Haec praesentia
Dulcis Mariae
festa per sollemnia

2 b. Laus sit angelis,
Gloria summo
Deo sit in excelsis.

3 a. Quam prompserunt angelorum
Collaudando nunc caelorum
Regem, Christum Dominum,

3 b. Qui pro nobis homo natus
Et in mundo conversatus
Pater factus hominum.

4 a. Laudem demus pronius,
Voce multa plenius,
Hilarius,
Amoenius,

4 b. Harmoniam crebrius
Discernentes merius,
Celerius
Ac verius.

5 a. Est in terra pax largita
Et parentum est sopita
Prorsus maledictio;

5 b. Adest nobis salus illa.
Felix tulit quam ancilla.
Est et benedictio.

Collect. ms. Tegurinum saec. 15. Clm. Monacen. 18921: mit Melodie. — Nach Str. 5 wiederholt sich Str. 4 als Rundreim.

57. De Beata Maria V.

1. Gaude, gloriosa,
Morborum medela,
Laude copiosa,
Iustorum tutela.

2. Tutela iustorum,
Copiosa laude,
Medela morborum,
Gloriosa, gaude.

3. Via in viando,
Viantes procura,
Curia curando
Deviantes cura.

4. Cura deviantes
Curando curia,
Procura viantes
In viando via.

5. Prece preciosa
Precantes intende,
Nece tenebrosa
Peccantes defende.

6. Defende peccantes,
Tenebrosa nece,
Intende precantes
Pretiosa prece.

Collect. ms. Lirense saec. 12. Cod. Ebroicen. 17. add. saec. 13; zweimal mit Mel. A und B. — An ersterer Stelle folgen sich die Strophen: 1. 3. 5. 2. 4. 6. — 5. 4 Cantentes defende A. — 6. 1 Cantantes defende A. — Die geraden Strophen stets Umkehrungen der ungeraden.

58. De Beata Maria V.

1. Verbo verbum incarnatur,
Dum Maria salutatur
A salutis baiulo,
Sponso sponsa collocatur,
Pax in terra reformatur
Universo populo.

2. Virginale gravidatur
Claustrum, nimis admiratur
Naturalis regula;
Tecum Deus operatur,
Sic breviter persolvatur
Ista quaestiuncula.

3. Virgo sancta, te precatur
Grex hic, ut exaudiatur
Eius deprecatio,
Ut ad regnum perducatur,
In quo quisque praeditatur
Diurno denario.

Collect. ms. Lirense saec. 12. Cod. Ebroicen. 17. add. saec. 13. mit Mel.

59. De Beata Maria V.

1. O domina,
Dominatrix,
Illumina,
Vitae datrix
Femina,
Nostras tenebras.

2. Illuminatrix
Cordium,
Eliminatrix
Sordium,
Imperatrix,
Nos visita.

3. Respice nos,
O matrona,
Post hos threnos
Nos duc, bona,
Ad amoenos
Vel amoena.

Collect. ms. Lirense saec. 12. Cod. Ebroicen. 17. add. saec. 13. Mit Mel.

60. De Beata Maria V.

1. Ave, virgo sapiens
Et matura,
Caro Deum pariens
Contra carnis iura,
Angelorum gaudium,
Pasce, cura,
Reorum remedium,
Manu tange pura,
Te gestantem brachia
Tua gestent, eïa,
Tibi iungat basia
Dei genitura.

2. Cum infante loquere
Voce tuta,
Quo loquente libere
Lex silebit muta,
Ritus prisci Moyses,
Vultum muta,
Erubescat facies
Legis iam corruta.
Puer nobis natus est,
Cuius pater Deus est,
Cuius mater prorsus est
Virgo impolluta.

3. Quos abscondit regulus
In operto,
Noster iste parvulus
Traxit in aperto;
Serpens factus aeneus
In deserto,
Quos vulnerat igneus,
Dono cura certo.
Ergo spreta Veneri
Vita simus pueri
Novatore miseri
Status iam reperto.

Liber ms. Miraculorum B. V. saec. 13. Cod. Arsen. 3517. add. saec. 13. — 2, 2 Nocitiva. — 3, 9 spreta venum; der Reim scheint die Form Veneri zu fordern. — 3, 10 puri.

61. De Beata Maria V.

R. Nardus odorifera
Stillat arce supera,
Per quam fit puerpera
Virgo maris stella.

1. Thronus regis instauratur
Hodie puella,
Terra caelo fecundatur,
Fundunt caeli mella,
Mella, quibus irrigatur
Virginalis cella,
Novus liquor eliquatur
De vite novella.

2. Deus, qui cum Deo vivit,
Unius usiae,
Quem prae cunctis illinivit
Oleo sophiae,
Humanandus introivit
Uterum Mariae,
Humanatus nunc exivit
Clauso cursu viae.

3. Qui Iudaeis suscitavit
Rude testamentum,
Sese nobis instauravit
Novum testamenutm,
Venit, ut non ultra staret
Vetus sacramentum,
Et ut legis azymaret
Veteris fermentum.

4. Benedictus sermo patris,
Qui sic nos revisit,
Per quem sacer thorus matris
Mendam non admisit,
Quem a sinu patris [nata]
Caro non divisit,
Dum se carne calciata
Deitas immisit.

5. Virgo prudens et virilis
Nescia mixturae,
Dum parturit sub virilis
Forma creaturae,
Virgo, cella trinitatis,
Obvia naturae,
Salvo iure castitatis
Purum parit pure.

Cod. Berolinen. Phillipp. 1996. add. saec. 12. — Der Refrain folgt jeder Strophe.

62. De Beata Maria V.

1. Salve, virgo regia,
Tui nati nata,
Patrem paris filia
Natura mutata.

2. Totius triclinium
Tu es trinitatis,
Paris, virgo, filium
Vi divinitatis.

3. Tua pudicitia
Nunquam violata,
Sed adest laetitia
Integre servata.

4. Eva nobis nocuit
Dans mortem et luctus,
Sed sic, virgo, floruit
Ventris tui fructus,

5. Quod antiqua vitia
Per te sint ablata,
Sed et castimonia
Salutis oblata.

6. Tu fons aquam gratiae
Omnibus inundans,
Mater regis gloriae,
Infernum pessumdans.

7. Dilue propitia
Reorum peccata,
Quia reis alia
Non est advocata.

Collect. ms. S. Mariae Rivipullen. saec. 13. in. Cod. Parisin. 5132. add. saec. 13. ex.

63. De Beata Maria V.

1. O venerabilis
et salutifera,
Semper amabilis
atque melliflua.

2. Regina virginum,
felix puerpera,
Decus sidereum,
stella clarissima.

3. Virtutum specimen
et vitae ianua,
Nobis tam miseris
stilla remedia.

4. Fac, nostras tenebras
videns irradia,
Tua dulcedine
supplices satia.

5. O Iesu Domini
genetrix inclita,
Iam suo iudici
reos concilia.

Collect. ms. incertae orig. saec. 13. in. Cod. Tolosan. 871. — Abschrift von Adr. Carrère S. I.

64. De Beata Maria V.

1. Ave, Maria,
Gratia
Plena, viris invia,
Via regia.
Thalamus pudoris,
Summi vas odoris,
Mater salvatoris
Atque filia,
Parens paris nescia,
Dans gaudia
Dulcia,
Terminans doloris
Nostri taedia,
Primi genitoris
Tollis vitia.

2. O solacium
Omnium,
Reis da remedium,
Mundo gaudium
Confer salutare,
Mundi luminare,
Servans singulare
Privilegium,
Dum post puerperium
Egregium
Gremium
Manens puellare
Nescit vitium,
Mater absque mare
Paris filium.

3. O puerpera,
Foedera
Ferens orbi prospera,
Cuius ubera
Christum lactaverunt,
Per te recesserunt,
Per te perierunt
Legis vetera,
Celsa supra sidera,
Mortifera
Scelera
Tua purgaverunt
Sacra viscera,
Quod magi noverunt
Dando munera.

4. Stella marina,
Lumina
Cordium illumina,
Felix femina.
Tuum ora natum.
Ne nos Adae fatum
Trahat in peccatum.
Caeli regina,
Vitae confer semina.
Discrimina
Termina,
Nostrum munda statum.
Terge crimina,
Mundes et reatum,
Mundi domina.

5. Christo laudibus
lugibus
Insistens cum cantibus
Tuis precibus
Petit adiuvari,
Ne mundano mari
Possit naufragari,
Sed mortalibus
Purgatis criminibus
Et levibus
Omnibus
Possit adgregari
Caeli civibus
Atque gloriari
In caelestibus.

Cant. ms. Anglicanum saec. 13. Cod. Oxonien. Rawl. C 510. A. — Cant. ms. Gallicum saec. 13. Cod. Guefenbyteran. 677 (Helmstadien. 628). B. — 1, 6 Templum creatoris B. — 1, 11 Grandia B. — 2, 3 dans A. — 2, 7 Serva A. — 2, 13 Nescis B. — 2, 14 absque patre (gegen den Reim) B. — 3, 6 Per te claruerunt B. — 3, 7 paruerunt B. — 3, 15 Dantes B. — 4, 1 Stella maris A. — 4, 6 factum B. — 4, 7 ad peccatum. B. — 4, 12 purga statum B. — Str. 5 fehlt A.

65. De Beata Maria V.

1. O Maria,
O felix puerpera,
Mater pia,
Cuius suxit ubera,
Qui creavit sidera,
Munera
De te fluunt dulcia,
Spiritus sancti cratera.

2. Aqua viva.
Clausa semper ianua,
Progressiva,
Stella non occidua,
Ficus sed non fatua,
Irrigua
Paradisi pascua,
Balsamus, myrtus, oliva.

3. Ioseph spica,
Humus, de quo vipera,
Per quam sicca
Ionae perit hedera,
Sanans anguis vulnera
Pertica,
Funda tu Davitica,
Parens cedrum mirica.

4. Salomonis
Thronus es eburneus,
Visionis
Electrinus urceus,
David sitim satians
Puteus,
Tu septenus cereus
Radians septenis donis.

5. Iacob scala,
Fac me caelum scandere,
Mundi mala,
Carnem, Satan fugere,
Tollens Evae miserae
Scandala,
Pietatis ubere
Gratiae fove sub ala.

Cant. ms. Petri de Medicis saec. 13. Cod. Laurentian. Pl. XXIX. 1. A. — Orat. ms. Campense anni 1462. Cod. Darmstadien. 521. B. — A hat nur Str. 1.

66. De Beata Maria V.

1. Cella pudoris,
Maria, vocata,
Plena dulcoris
Et inviolata,
Gloria regis,
Clausula legis,
Per prospera,
Per aspera,
Per invia
Servos rege, Maria.

2. Porta polorum,
Aegris medicina,
Spes miserorum,
Salus in ruina,
Flos mulieris,
Nescia sceleris,
Per aspera,
Per prospera,
Per devia
Servos rege, Maria.

3. Fons sine limis
Supernae virtutis,
Qui pluis imis
Pocula salutis,
Manna beatum
Das nobis gratum,
Mirifice,
Magnifice,
O pia,
Servos rege, Maria.

4. Corrige mores,
Lava vitiosum,
Pelle furores,
Praebe virtuosum,
Dele reatum,
Placa nobis natum,
Per prospera,
Per aspera,
Per devia
Servos rege, Maria.

Collect. ms. Llantoniense (?) saec. 13. Cod. Coll. Corp. Chritsi Oxonien. 59. — 1, 6 Flos mulieris, gegen den Reim; vgl. 2, 6. — Vor 3, 7 noch Mystice. — 3, 9 fehlt eine Silbe am Verse. — Abschrift von Rev. H. M. Bannister.

67. De Beata Maria V.

1 a. Tenerae
Rosulae
Lenia folia
Pullulant ex arida.

1 b. Temere
Nebulae
Prodeant lolia.
Quae perimunt valida.

2 a. Species
Aurea
Quodlibet aes
Rutilitate praeminet.

2 b. Series
Rosea
Quaslibet res
Germinis supereminet.

3 a. Spectabilis
Haec valorifera
Remedia creticae
Turmulae.

3 b. Tractabilis
Haec odorifera
Viriditas inclitae
Rosulae.

R ° Singuli terrigenae,
Diligite
Prae ceteris
rosulam floribus
Laudibus
In canoribus.

Proximam verbigenae
Porrigite
Nemoribus
In temporibus
Bulliens aream
Paradisi
plurimis decoribus.

4 a. Genitor,
Editor
Trifidae machinae
Caelitus hanc rosulam

4 b. Posuit,
Imbuit
Mystico semine
Desuper aridulam.

5 a. Auream,
Roseam
Rutilatriam
Rediviviscit quoniam,

5 b. Aruit,
Caruit
Ope, patriam
Sed per rosulam Mariam

6 a. Apparuit,
Claruit
Amoenitas,
Qua reviviscunt
saecula.

6 b. Lux oritur,
Moritur
Sterilitas,
Hanc vivificat
diecula.

R ° Singuli terrigenae etc.

7 a. Prae violis
rosulam diligo,
Quae pullulat in Iericho,
Supra celsas cedrus
emicuit
Ac intra Nazareth
viruit.

7 b. Quae rosula
protulit lilium,
Quod caeli supercilium
Regens fert saeculis
auxilium,
Praegnans verbigena
filium.

8 a. Per quod vetitus
Aditus
Humanitus
Est regenitus.

8 b. Tamquam eminus
Comminus
Hic eminus
Fulget Dominus.

9 a. Per rosulae
redolentiam
Deus omnipotentiam
Implicuit,
condescendentiam
Ad sceleris
inclementiam.

9 b. Per rosulae
stillicidia
Supprimuntur dissidia,
Salubria
dantur praesidia,
Tot rosulae
sunt subsidia.

10 a. Resonet laus et gloria
Per saecula
meritoria,

10 b. Lilia cum memoria
Per rosulam
duratoria.

11 a. Mater filium saeculo
Indulgeat,
lilium speculo

11 b. Sordes inquinamentorum
Et tribuat
genitis iterum

12 a. Post saeculum
ambigiferum

12 b. Peroptima
regna polorum.

R^0 Singuli terrigenae etc.

Collect. ms. Tegurinum saec. 10. Clm. Monacen. 18628. add. saec. $^{13}/_{14}$. A. — Miss. ms. Altovadense saec. 14. Cod. Altovaden. LXV. add. saec. 14. B. — 1b, 1 Tremere B. — 1b, 3 Prodeunt B; lolea A. — 1b, 4 Quae peribunt B. — 2a, 3 Quolibet B. — 2b, 3 Quaelibet A. — 2b, 4 Lies germinis? — 3a, 2 Hic A. — 3b, 2 Haec fehlt B; Hic A. — 3a, 3 sq. und 3b, 3 sq. umgestellt A. — R^0, 7 verbigenam AB. — 5a, 2 Rosulam B. — 5a, 3 Luti laetam A; butilatria wohl statt buti latrix. — 5a, 4 Rediviscit A, rediviviscat B. — 6a, 4 rediviscunt A, rediviviscunt B. — 7a, 1 Prae cunctis A. — 7a, 3 pullulant AB. — 7a, 4 celsa B. — 7a, 6 Hac intra. — Str. 8 und 9 fehlen B. — 8a, 1 veditus A. — 9b, 3 Supruntur A. — 10b, 2 rosulae A. — 11b, 1 Sordens B. — 11b, 2 tribuat et A. — 11b, 3 genus iterum. A. — Die Wiederholung von R^0 nach Str. 6 und 12 nur in B, an zweiter Stelle mit dem Vermerk: „quaeratis superius“.

68. De Beata Maria V.

1. Veni, sancte spiritus,
Et in me robur auge
virtuosum,
Effunde lumen caelitus
Et munda, quod est in me
vitiosum.
Fer solamen misero,
Qui nititur laudare
Mariam, piam virginem,
Cuius laudem intendo
propalare.

2. Maria, mater gratiae,
Spes veniae,
Solamen miserorum,
Tu civitas iustitiae,
Vas gloriae,
Reparatrix reorum;
Tu stella maris lucida,
Tu rutilans aurora,
De me demas aspera,
Da prospera,
Cor aridum dulcora.

3. Ave, regina virginum
Et angelorum,
Thronus Salomonis,
Tu peperisti dominum
Caelorum;
Ave, vellus Gedeonis,
Tu sola virgo crederis
Et mater deitatis,
Tu sine spina lilium,
Triclinium
Totius trinitatis.

4. Tu virtutum speculum,
Lucet in te
Salomonis sophia,
Tu perlustrasti saeculum
Splendore
claritatis, o Maria.
Luna sub tuis pedibus,
Tu es amicta sole,
Ex te processit filius
Homo Deus
Sine peccati mole.

5. Languoris tu solacium,
Peccantium
Tu spatium, Maria,
Spes in te sperantium,
Errantium
Tu es directa via,
Actus meos dirigas
Orisque rege dicta,
Hostes nocentes destruas
Et diluas,
Virgo, mea delicta.

6. Tu rosa parens lilium,
Tu virens virga
fructum protulisti,
Cum peperisti filium,
Quem contra carnis
morem genuisti:
Tu mater maris nescia,
Cella divinitatis
A nobis pelle noxia
Et vitia,
Nos solvas a peccatis
Et fac caelesti gloria
Gaudere cum beatis.

Pass. et Orat. ms. Emmeramense saec. 14. in Clm Monacen. 14528.

69. De Beata Maria V.

1. *Ave*, mater o Maria
Pietatis, tota pia,
Sine te non erat via
Deploranti saeculo.

2. *Gratia* tu nobis data,
Quam fidelis advocata,
Caeli thronis es praelata
In aeterno solio.

3. *Plena* dulci medicina,
Tu protegens a ruina,
Tu es portus, tu carina
In omni periculo.

4. O Maria, tu solaris
Micans phoebus, stella maris,
Christo regi tutelaris
Coruscanti solio.

Cant. ms. S. Salvatoris Venet. saec. $^{15}/_{16}$. Cod. Bononien. 2216. A. — Cant. ms. Franciscan. Venet. saec. 15. Cod. Marcian. It. IX 145. B. — 1, 4 A deploranti A. — 2, 3 prolata B. — Str. 3 und 4 umgestellt B. — 3, 1 dulcis A. — 3, 2 Tu es B. — 3, 3 Tu es puntus A. — 3, 4 In fehlt A. — Str. 4 fehlt A.

70. De Beata Maria V.

1. Rector potens caeli, terrae, maris,
Omnium factor, qui moderaris
Alto deitatis consilio
Summa cum imis nullo medio,
Tu matris ad laudes summe bonae
Digno dato sermone
Os aperi, pulsoque vitio
Purae matri pura sit cantio.

2. Dic, Christi, dic, misericordiae,
Dic nostra, dic, totius gratiae,
Qua laude te referamus, mater?
Quia contentus a nullo pater,
Continens omnia, qui non caelo
Capitur, hic sub velo
Velaminis carnis a te nata
Natus est filius, o beata.

3. Dicant omnes: o vere beata,
Quae per illud ave salutata
Ab ingenerato illo vaevae
Sanasti omnes filios Evae,
Nam morti deditus homo mortem
Non vicisset, si sortem
Hanc non terminasset per te data
Gratia misericors, beata.

Collect. ms. S. Floriani saec. [11. et] 13. Cod. Florian. XI 58. — 2, 5 Contines.

71. De Beata Maria V.

1. O quantum sollicitor
Et curis suppeditor,
Dum corde transmeditor
Praesens et futurum;
Praesens et praeteritum
Vergunt in interitum,
Talem habet exitum
Humana natura.
O qui intellegeret
Mortem, quam sit dura,
Et finem prospiceret,
In timore viveret,
Voveret et redderet
Deo sua iura.

2. Cunctis, quibus milito,
Diebus in proposito
Sum, quod velim subito
Aut cras emendari;
Cras ut corvus crocito
Et cras idem appeto,
Volo, sed non quaerito
A sorde mundari.
Lingua, sed non ratio
Spondet haud peccare,
Sed nec satisfacio,
Sed, [si] venit unctio,
Tunc venit compunctio
Vix passu salutari.

3. Vae vobis presbyteris,
Qui estis [in] literis
Testamenti veteris
Et novi doctores
Praestatuti ceteris,
Obstructores aetheris.
Indiscreti oneris
Estis iniunctores;
Cathedrae recubitus
Primos adamatis.
Si sit [vobis] subditus,
Commissus divinitus.
Grex salvus vel perditus,
Minime curatis.

4. Quid de vulgo proferam?
Nunquam eius sufferam
Ita, quod non efferam
Miras falsitates,
Cuius lingua florida,
Acta vero sordida
Et corda sunt perfida
Per subtilitates.
Traditur sophistice
Nec est, ut apparet,
Doctrinae catholicae
Iam factae sunt pseusticae,
Si quis vivit deice,
Mundi laude caret.

5. Adiuva nos, Domine,
Qui passus es pro homine,
Ut in tuo nomine
Semper gloriemur;
Maria, humilium
Et spes, salus omnium,
Tu pro nobis filium
Ora, ut salvemur.
Audi nos, nam te filius
Nil negans honorat;
Salva nos celerius,
Christe, sis propitius,
Pro quibus te dulcius
Virgo mater orat.

Collect. ms. Pragense saec. 15. Cod. Pragen. I G 39. — 1, 9 O quis. — 2, 3 Sim. — 4, 14 Hic mundi laude. — 5, 12 Christe, tu sis. — 5, 9 sq. entlehnt aus der Sequenz Ave praeclara.

72. De Beata Maria V.

Tempore Paschali.

1. Concordi laetitia
Propulsa maestitia
Mariae praeconia
Recolat ecclesia.
Virgo Maria.

2. Quae felici gaudio
Resurgenti filio
Floruit ut lilium
Vivum cernens filium.
Virgo Maria.

3. Quam concentu parili
Chori laudant caelici,
Et nos cum caelestibus
Novum melos pangimus.
Virgo Maria.

4. O regina virginum,
Votis fave poscentum
Et post mortis stadium
Vitae confer bravium.
Virgo Maria.

5. Gloriosa trinitas,
Indivisa unitas,
Ob Mariae merita
Nos salva per saecula.
Virgo Maria.

Clement, Felix, Choix des principales Séquences du moyen-age, Paris 1861, S. 86. „Tiré d'un manuscrit du XVe siècle, qui nous appartient."

73. De Beata Maria V.

1. In trinitate consistit perfectio,
In trinitate vitae stat refectio,
In trinitate graduum collectio,
Et in trinitate caeli radicantur.
In illo numero Deus trifario
Modo providit nobis ordinario,
Aspiciens de caeli viridario,
In quo lucis filii sine fine laetantur.
Extremis medium simul compegit
Magister omni in sapientia,
Illud videns Mariae providentia
Interpretes circumspecta sententia;
Tunc tripartitae portionis optimam elegit.

2. Disce praecelsae virginis magnalia,
Efficitur suppeditans carnalia
Mater Dei vera, non alia,
Haec ab aeterno vas electum meruit vocari.
Haec est deserti petra Moabitica,
De qua bibit aquam turba levitica,

Haec est triumphalis funda Davidica,
Per quam Golias debuit gigas humiliari.
Haec est stella lucis ex Iacob orta,
Haec est Salomonis reclinatorium.
Totius trinitatis consistorium,
Haec est proselytarum divisorium,
Soli Deo transibilis Ezechielis porta.

3. Vide, quanta Dei sit humilitas,
Quod eius caro facta est sublimitas,
Immensurabilis est haec stabilitas,
A nobis mentis oculis non potest videri.
Divina fecit ista miseratio,
Quod protoplasti cernitur salvatio,
Quem noxialis pomi masticatio
Morti dedit, hunc redemit natus Dei veri.
Ex virgine rex nasci dignabatur,
Haec est mater nostra verissima.
Virgo et mater Deo dilectissima,
Succurre nobis, quaesumus, piissima,
Nam per te genus hominum perpetuo salvatur.

Collect. ms. Stiriacense saec. 15. Cod. Stiriacen. L 26 [s. n.] — 2, 2 Virclitur. — 2, 5 petri.

74. De Beata Maria V.

1. Alma mater, gemma principalis,
Te perornat mira castitas,
Et collaudat plebs universalis,
Quam pavit tua fecunditas,
Dum per aurem Deum concepisti
Et sine dolore peperisti
Et post partum virgo permansisti.

2. Hunc partum legislator praesignavit,
Dum rubus ardens incanduit,
Ezechiel portam clausam monstravit,
In te virga Iesse floruit.
Gedeonis per te vellus rigatur,
Area telluris solidatur,
Filius Dei sic humanatur.

3. Cum sis nostri utriusque mater,
Summi regis ac lapsi hominis,
Nil negando te honorat pater
Ob virtutem tui nominis.

Ergo pro nobis interpella natum,
Pia prece dilue reatum,
Nos ducas in beatorum statum.

Collect. ms. Tegurinum saec. 10. Clm. Monacen. 18628. add. saec. 13/14. (Mit Neumen.)

75. De Beata Maria V.

1. Humilitate stringitur aeternitas,
Et corde puro capitur benignitas,
Sic mortis umbra cingit immortalem;
Incircumscriptus loco circumscribitur,
Cursus naturae his decretis labitur,
Dum Deus formam sumit talem.
De caeli ergo solio
Mariae claustrum verbum visitavit,
Ut nos mundaret lolio,
Caput serpentis virgo conculcavit;
Adulter princeps tollitur,
Maxilla Leviathan perforatur,
Regnum eius destruitur,
Emptitiis libertas condonatur.
Sic Holofernis demitur
Caput atque Goliae
Funda manu feminea,
Tunc Hebraea
Cessat immolatio.
Crescit honor Mariae.

2. Non sum dignus videre caeli solium,
Propter peccata defluo ut folium,
Dormio mortis umbra soporatus,
Pro fonte peccati septenario
Mergor delicti flumine nefario,
Fremo gehennae freno laqueatus.
Libellus repudii
Datus mihi facie sanctorum,
Cessat spes auxilii,
Nam duco tristis fructum labiorum,
Si dulcis me despexeris
Maria, revocatrix proscriptorum,
Cadentem ni erexeris,
Mox deputabor sorte damnatorum.
Aeternum principium,
Mitte me, si praesumis,
Salva praedulci gratia
Labentia,
Virgo beata, revoca,
Ex hoc honorem sumis.

3. Pulchre cubas poli summo fastigio,
Angelorum circumdaris collegio,
Fons sinu tuo manat pietatis;
Ponis funestae haeresi tu terminum,
Mater perfecta beatorum nominum.
Tenes thesaurum verae castitatis.
Immolatur tis filius
In forma panis manu sacerdotis.
Cibo quid hoc sapidius?
Hunc nobis confer, pia, tuis votis,
Ut cum molares steterint.
Clausis fenestris thorus dissolvetur,
Aethiopes si venerint,
Potestas contra nos his nulla detur,
Nam virtus omnis deficit.
Sola sis advocata,
Verbosa viris ratio
Et cautio
Deperit, si abfueris,
Praedulciter trabeata.

Collect. ms. Stiriacense saec. 15. Csd. Stiriacen. L 26 [s. n.]. — 1, 13 Regnum Dei destruitur. — 1, 18 Hebrae. — 2, 3 Dormitis mortis. — 2, 12 praescriptorum. — 3, 1 cumbas. — 3, 3 mana. — 3, 4 funestri. — 3, 7 Immolatur tibi filius. — 3, 9 quod. — Verfasser nach der Hs. Magister Nicolaus de Sweydnicz.

76. „Mutetum de beata Virgine".

Imperatrix supernorum
Civium,
Consolatrix miserorum
Et gaudium,
Verum lumen cordium.
Vitae datrix,
Mediatrix,
Hominum,
Exoratrix
Sis pro nobis ad Dominum.
Per te mors destruitur,
Per te vita redditur;
Mortem nostram destrue,
Vitam nobis tribue.
Tu nostrum refugium,
O Maria,
Nobis fer auxilium,
Virgo pia,
O splendor gloriae,
O lux ecclesiae,
Nos te laudantes,
Nos exsultantes
Tuis laudibus,
Iunge caeli civibus.

Sermones ms. (S. Bernhardi super cantica) saec. 12. Cod. Hilarien 40. add. saec. $13/14$. — Das Ganze mit einstimmiger Melodie, was zur Feststellung des Begriffes eines Mutetum von Interesse ist.

Cantiones de Sanctis.

77. De sancto Nicolao.

1. Incomparabiliter
Cum iucunditate
Gaudeamus pariter
In hac sollemnitate.

In festo beatorum
Huius et aliorum
Decet melos canorum
Dari Deo deorum.
Hi sunt beati, quorum
Pater est rex caelorum
Nicolaus elisorum
Per saecula saeculorum.

R⁰ Festum ergo pontificis,
Iam sociati caelicis,
Cum cantibus mirificis
Atque modis organicis
Festivetur a clericis,
Sed maxime scholasticis.

2. Innumerabilibus
Nicolai vita
Clarens claris actibus
Ut gemmis redimita.

Nondum verba formare
Norat et praedicare,
Novit iam ieiunare
Et a mammis cessare.
Incepit castigare
Corpus suum amare
. . . . . .
. . . . . .

R⁰ Festum ergo pontificis,
Iam sociati caelicis,
Cum cantibus mirificis
Atque modis organicis
Festivetur a clericis,
Sed maxime scholasticis.

3. Decet ipsum precari
Et iuste venerari,
Qui natas lupanari
Iam datas revocari
Fecit eisque dari
Auri pondus praeclari,
Sic patrem consolari
Volens et has servari.

R⁰ Festum ergo pontificis etc.

Trop. ms. Martialense saec. 12. [13. 14.]. Cod. Parisin. 1139. — 1, 10 et rex. — 1, 11 Lies: clericorum? — 1, 15 sociasti. — 1, 18 hac clercicis. — 2, 7 Novit nam. — Vor 3, 1 scheinen vier Zeilen zu fehlen. — 3, 2 Et ustra venerari. — 3, 3 nata. — 3, 4 data. — 3, 8 Volens et asservari.

78. De sancto Nicolao.

1. Sollemni gaudio
Sit aucta contio
Fidelium
Ad digni [titulis]
Sollenne praesulis
Praeconium.

2. Praecedant clerici,
Succedant laici
Tripudio,
Ope Nicolai
Poscentes se trahi
De devio.

3. A morte clericos,
A mari laicos
Eripuit
Et multis aliis
Idem prodigiis
Emicuit.

4. Ut res haec clareat.
Iam lector subeat
Officio,
De vita praesulis
Audita populis
Sit lectio.

R° Sollenni gaudio
Sit aucta haec contio.

Collect. ms. Lirense saec. 13. Cod. Ebroicen. 1. add. saec. 13. Mit Mel. — 4, 1 res ex clareat.

79. De sancto Nicolao.

1. Nicolaus inclitus,
Laudet omnis spiritus,
Factus est divinitus
Praesul cum laetitia,
Laudet omnis spiritus
Gubernantem omnia.

2. Grex erat sollicitus,
Laudet omnis spiritus,
Quem pastoris obitus
Laeserat maestitia,
Laudet omnis spiritus
Gubernantem omnia.

3. Vox emissa caelitus,
Laudet omnis spiritus,
Viam, dixit, aditus
Serves vigilantia;
Laudet omnis spiritus
Gubernantem omnia.

4. Qui praefore praescitus,
Laudet omnis spiritus,
Praeferret intuitus,
Deferret insignia;
Laudet omnis spiritus
Gubernantem omnia.

5. Vigilare solitus,
Laudet omnis spiritus,
Sic est sancta deditus
Praesul in ecclesia;
Laudet omnis spiritus
Gubernantem omnia.

Collect. ms. Maioris Monasterii saec. 13/14. Cod. Turonen. 615 (927). — 3, 1 Vos emissa. — 4, 1 Qui praefore praesitus. — Aus dieser Hs. auch bei Luzarches, Office de Pâques, p. 42 sq., mit folgenden Fehlern: 4, 1 Qui pectore positus. — 5, 3 est sacra. — 5, 4 Praesul in Lycia.

80. In Festo S. Nicolai.

De Episcopo Puerorum.

1. O sedes apostolica,
Gaude, sedes mannetica,
In hac die dominica
Novum pastorem suscipe,
Gaude, sedes mannetica,
Novum pastorem suscipe.

2. In hac die dominica,
Gaude, sedes mannetica,
Emitte nova cantica,
Novus adplausus concipe,
Gaude, sedes mannetica,
Novum pastorem suscipe.

3. Emitte nova cantica,
Gaude, sedes mannetica,
Servos tuos laetifica,
Non adplaudentes corripe,
Gaude, sedes mannetica,
Novum pastorem suscipe.

4. Descende, virtus caelica,
Gaude, sedes mannetica,
Quod corruit, aedifica
Sub isto novo principe;
Gaude, sedes mannetica,
Novum pastorem suscipe.

Collect. ms. Maioris Monasterii saec. $^{13}/_{14}$. Cod. Turonen. 615 (927). — 1, 2 Zu sedes mannetica cfr. Du Cange s. v. manneta, exametum. — 3, 4 aplaudantes. — Aus dieser Hs. auch Luzarches, Office de Pâques, p. 33 sq. mit folgenden Fehlern: 1, 2 und im folgenden immer Nannetica. — 2, 6 fehlt. — 3, 6 fehlt. — 4, 6 fehlt. — Zwischen Strophe 3 und 4 scheint mindesteus eine Strophe zu fehlen, da sonst die erste Zeile jeder Strophe die dritte der vorhergehenden wieder aufnimmt.

81. De sanctis Innocentibus.

1. In laudes innocentium,
Qui passi sunt martyrium,
Psallat chorus infantium:
Sit decus regi martyrum
Et gloria.

2. Cum filius apparuit,
In quo patri complacuit,
Terrenus rex infremuit.
Sit decus regi martyrum
Et gloria.

3. Hunc magos iubet quaerere,
Qui praecedente sidere
Tres pergunt trinum colere.
Sit decus regi martyrum
Et gloria.

4. In somnis hanc fallaciam
Viderunt ac ad patriam
Per viam tendunt aliam.
Sit decus regi martyrum
Et gloria.

5. Nunc videns, quod paraverat,
Iratus rex cum furia
Nefas constans celaverat.
Sit decus regi martyrum
Et gloria.

6. Ut vitam morte omnium
Occidat, Dei filium,
Datur regis imperium.
Sit decus regi martyrum
Et gloria.

Trop. ms. Martialense saec. 12. [13. 14.] Cod. Parisin. 1139. — 2, 2 patris. — 3, 2 praecedentis. — 3, 3 Tres idem trinum. — 5, 1 Ne videns. — Nach 5, 3 Alleluia. — 6, 1 mortes. — 6, 2 Occidens. — 6, 3 Cantu regis.

82. De s. Iohanne Baptista.

1. Cleri universitas.
Solve laudes debitas
Beato Iohanni,
Ut per eum siccitas
Cesset, et humiditas
Assit boni anni.

2. Gaude, cleri contio,
Laetare cum gaudio,
Iohannem implora,
Ut eius subsidio
Aestuum effusio
Cesset absque mora.

3. Iohannis nativitas
Per sortes exhibitas
Claruit praeclare,
Cui laudes debitas
Populi immensitas
Debet decantare.

4. Dum iuventa floruit.
Maculari respuit
Vaniloquo felle,
Hinc eremum coluit
Et pro pastu habuit
Locustas cum melle.

5. Vitam ducens asperam
Docuit ad literam
Atque baptizavit,
Vestem gerens bugeram
Nec vinum nec siceram
Nec mustum potavit.

6. Mundo nolens subici
Nominis angelici
Voce nominatur,
Carne spernens infici
Laurea centuplici
Caelo laureatur.

7. Lux, lucerna praevia,
Hos aestus abhinc via
Pulsa livione
Ac in caeli curia.
Ubi pax et gloria,
Nos tecum repone.

Collect ms. Trecoriense saec. 14. Cod. Parisin. Nouv. acq. 426. — 1, 6 bonis. — 4, 4 Hic. — 7, 2 via, imp. von viare, transitiv gebraucht.

83. De s. Iohanne Baptista.

1. In hoc festo breviter
Iubilemus pariter
Collaudantes Dominum,
Salvatorem omnium.

R° Festum miri viri,
Festum miri viri,
Eia, celebremus.

2. In quo Samson meruit
. . . . . .
Aulam caeli scandere,
Qua regnat rex gloriae.

R° Festum miri viri,
Festum miri viri,
Eia, celebremus.

3. Qui natus de sterili
Fit praecursor Domini,
Signis et virtutibus
Effulsit in plebibus.

R° Ipsum, ipsum mirum
Virum, mirum virum,
Ergo collaudemus.

Trop. ms. Martialense saec. 11/12. Cod. Parisin. 1139. —

Cantiones Morales.

84. Pater Noster.

1. Pater, tui sumus,
Cui et poli sidus;
Sanctifica laude
Nomen tuum clare.

2. Adveniat regnum,
Quod est sempiternum;
Fiat voluntare
Sicut poli terrae.

3. Panem nostrum hodie
Cotidianum praebe;
Et dimitte pius
Sicut terrae pondus.

4. Libera nos recte
Ab antiqua fraude,
Maneat tutamen;
Fiat, fiat. Amen.

Trop. ms. Martialense saec. 12. (13. 14.) Cod. Parisin. 1139. — 1, 2 Qui et poli.

85. De Paenitentia.

1. Quare non cessas vivere,
O miser homo, misere?
Cur moriendo vivitas
Et quare te non excitas
A somno mortis miserae?

Clamat ad te cotidie
Pius largitor veniae:
Sunamitis, revertere,
O miser[a]; egredere
De Babylonis carcere.

Dum modo possibilitas
Adest et opportunitas,
Cur differs culpas plangere?
Cur in obscaenis habitas,
Cur in sepulcro latitas
Perversae conscientiae?
Cur iudicem non dubitas,
Cur te demulcet foeditas
Luxus et immunditiae?

2. Cur de te non deliberas
Et quare te non liberas,
Miser, a morte misera?
Dum vivis, nunc accelera
Delere cito scelera

Nec paenitere differas,
Ne poenas mortis perferas
Illic, ubi est mors altera.
. . . . . .
. . . . . .
Dum tractas de iudicio
Finali vel supplicio,
Cur in te tanta caecitas?
In quo dormitat ratio,
Cur semper vacas otio?
Surge, ne poenas debitas
Cum damnatis sustineas
Et in infernum pereas,
Ubi nulla redemptio.

Collect. ms. S. Germani Autisiodoren. saec. 15. Cod. Autisiodoren. 23.

86. De paenitentia non differenda.

1. Dic, homo, cur abuteris
Discretionis gratia,
Cum vitae viam deseris
Et tendis ad supplicia?
Saluti praefers otia
Et pretiosis vilia
Nec metu poenae flecteris
Nec spe salutis traheris,
Ut summa quaeras gaudia.

2. Quid valet mundi gloria,
Vide, quam sic amplecteris.
Multa vides iudicia,
Qui scienter deciperis,
Mundum, qui fugit, sequeris
Et cum labente laberis
Sequendo transitoria,
Sic bona permanentia
Sub aure surda praeteris.

3. Certe non excusaberis
Dissimulando talia,
Nam, si sic subterfugeris,
Post restat conscientia,
Quae non tacet latentia,
Et divina iudicia
Declinare non poteris,
Sed, si convictus fueris,
Patet mortis sententia.

4. Non confidas de venia,
Si sero paenitueris,
Dies est peremptoria,
Quam nisi tu praeveneris
Fructu condigni operis
Et reatum purgaveris,
Erit tibi miseria
Absque misericordia
In aeternum cum miseris.

5. Ergo vides, cum veneris
In iudicis praesentia,
Qui tibi, prout egeris,
Iusta reddet stipendia,
Ne gloriosa patria
Tua te privent vitia,
Nam, si mundus occurreris,
Cum iustis sociaberis
In aeterna laetitia.

Collect. ms. Victorinum saec. 15 Cod. Parisin. 14810. A. — Collect. ms. Victorinum saec. [14. et] 15. Cod. Parisin. 14923. B — Collect. ms. Victorinum saec. 15. Cod. Parisin. 15163. C. — 1, 2 Discretione B. — 1, 5 octia AB. — 2, 4 Quod B; Quae C. — 3, 5 non latet AC. — 4, 5 Fructu cum digni B. — 5, 1 vides AB; quo veneris A. — 5, 6 privat A; privant BC. — 5, 8 Cum istis A. — Nach jeder Strophe wiederholen sich 1, 1 sq. als Rundreim.

Gedanken, Ausdruck des Gedankens und Rhythmik dieses Liedes sind so sehr diejenigen Philipps de Grêve, dafs ich nicht umhin kann, ihn für den Autor desselben zu halten. Dies um so mehr, als sein Lied: Cum sit omnis caro foenum in allen drei Quellen mit diesem Liede verbunden ist.

Dies Lied steht auch in Cod. Palatin. Matriten. 2 N 4 saec. 13/14. ebenfalls ohne Angabe des Verfassers. — Vgl. Leyser, 422; Hauréau, Des poèmes latins attribués à Saint Bernard, 28.

87. De Morte et Iudicio.

1. O Christi longanimitas,
Et longa exspectatio,
O mira Christi pietas,
O quanta miseratio!
O cordis induratio!
Quid differs, cur non cogitas,
Homo, quae vitae brevitas?
Cito fit consummatio.

R° Cernat hoc meditatio,
Quid nos primo fuerimus;
Nihil prodest elatio,
Nam terra tandem erimus.

2. O vanitatum vanitas,
Curarum occupatio!
O cur ambitur dignitas,
Cur opum cumulatio?
Quo tendit congregatio,
Aut quid valet cupiditas
Et in sepulcro foeditas
Et extra dealbatio?

3. O quae mortis acerbitas
Et quanta trepidatio,
Cum tam tangit mortalitas,
Ut fiat separatio!
Quid prodest delectatio,
Quid pestiva iucunditas?
Numquid pro vita flagitas?
O sera recordatio!

R° Cernat hoc meditatio,
Quid nos primo fuerimus;
Nihil prodest elatio,
Nam terra tandem erimus.

4. O servitus, quid cogitas
Apparens in iudicio?
O arguens crudelitas
Hostis et accusatio!
O dolor, o confusio,
O horror, o obscuritas,
O poenarum aeternitas
Et ignis aestuatio!

5. O homo, cur non cursitas,
Ut detur tibi mansio?
Quam felix immortalitas
Et nulla trepidatio,
Sed perpes exsultatio
Sanctorumque societas
Et permanens felicitas
Et laeta Dei visio!

Collect. ms. Victorinum saec. 15. Cod. Parisin. 14810. A. — Collect. ms. Victorinum saec. [14. et] 15. Cod. Parisin. 14923. B. — Collect. ms. Victorinum saec. 15. Cod. Parisin. 15163. C. — Nach 1, 5 folgt noch Et mortis festinatio ABC; diese Zeile ist aber nach Analogie aller anderen Strophen zu tilgen. — 1, 6 cur non agitas ABC. — R°, 1 haec AC. — 2, 8 de abbatio B. — 5, 6 Quid pecunia iucunditas B. — Das Repert. hymnol. Chevaliers bezeichnet dies Lied als „divisio“ des Liedes Dic homo cur abuteris. Zwar hängen die beiden Lieder in A und C zusammen; dafs sie aber nicht zusammengehören, sondern zwei getrennte Lieder sind, beweist einmal das Versmafs, das in unserem Liede eine Zeile weniger hat als in jenem, ferner der Reim, der in diesem Liede durch alle Strophen auf itas und io, in jenem dagegen auf eris und ia gebildet ist, endlich der Rundreim, der in beiden Liedern verschieden, in diesen vierzeilig, in jenem zweizeilig ist. Auch für dies Lied ist Philippe de Grève als Verfasser anzusehen, da beide Lieder zweifelsohne aus einer Feder geflossen.

88. De Poena Peccati.

1 a. Eva virum
dedit in mortem,
Omnes eam
sequimur sortem;

1 b. Perdidimus
caeli cohortem,
Gemit homo
se hinc exsortem.

2 a. Pulsus in hanc patriam
Patitur miseriam;
Proh dolor,
Proh dolor!

2 b. In sudore corporis
Cursum habens temporis;
Corporis,
Temporis.

3 a. Surgunt spinae,
tribuli.

3 b. Operantur
exsuli

4 a. Humillimi

4 b. Simillimi.

5 a. Eva, mater,
paris in tristitia;

5 b. Terribilis
data est sententia.

6 a. Sorte hic degunt misera,
Quos vipera
Letifera

6 b. Trudit sede de supera
Ad infera,
Ad infera

7. Sede de supera.

Trop. ms. Martialense saec. 12. (13. 14.) Cod. Parisin 1139. — Mit Mel. in Neumen. — 4a, 1 Humillimo. — 4b, 1 Sub millimo. — 5b, 2 est fehlt. — 6a, 1 hic legunt. — 6a, 2 Quo. — 6b, 1 Strudit sedeus de. — 7, 1 Sedens de.

89. De Morte.

1. Deus, quam brevis est
Vita mortalium!
Suo perit augmento.
Eam si compares
Ad aevi spatium,
Vix par est ut momento.

2. Ut fumus deficit,
Cadit ut folium,
Quod rapitur a vento.
Fili putredinis
Et cibus vermium,
Homo quod est, memento.

3. Ni tempus redimas,
Dum habes spatium,
Mors cita tibi lento.
Heu me, quid faciam,
Cum ad iudicium
Surgam de monumento?

4. Districti iudicis
Stans ad praetorium
Quo fruar argumento?
Quam felix fuerim
Intrans in gaudium
Lucratus de talento!

Tropar. ms. Martialense saec. 12. (13. 14.) Cod. Parisin. 1139. — Die Initialen der Strophen fehlen durchgängig (doch nicht in Str. 1): sollte indes nicht doch Heus statt Deus zu lesen sein? — 4, 1 Districtis. — 4, 3 Quid. — 4, 5 gaudio.

90. De Mundo.

1. Multa nobis adversantur,
Quibus mores impinguantur,
Tria tamen principantur,
Quae vicissim proeliantur:
Hostis invisibilis,
Mundus hic umbratilis,
Caro, comes fragilis,
Ista coniungantur.

2. Mundus fraudes praemolitur,
Scelus celat et blanditur,
Dum, quod spondet, non largitur,
Mendax esse comperitur,
Occultans versutias,
Rerum affluentias
Spondens et res varias,
Omnia mentitur.

3. Dignitates et praebendas
Hic promittit exhibendas,
Si magnates non offendas,
Sed ipsorum tegas mendas
Et occultes vitium
Suave per mendacium,
Quod est adulantium;
Sed hoc non attendas.

Flacius, De corrupto ecclesiae statu poemata. p. 23. sq. — 1, 2 mores adeo. — Nach Versmafs und Inhalt könnten diese Strophen füglich zu Anal. XXI, N. 207 gehören.

91. De Paenitentia et de Statu mundano.

1. O quantum sollicitor
Et curis suppeditor,
Dum corde transmeditor
Praesens et futurum.

Praesens et praeteritum
Vergunt in interitum,
Talem habet exitum
Humana natura.

O quis intellegeret
Mortem, quam sit dura,
Et finem prospiceret,
In timore viveret,
Voveret et redderet
Deo sua iura.

2. Cunctis, quibus milito,
Diebus in proposito
Sum, quod velim subito
Aut cras emendari.

Cras ut corvus crocito,
Et cras idem appeto,
Volo, sed non quaerito
A sorde mundari,

Ligari sed non cupio,
Spondens haud peccare,
Sed nec satisfacio,
Sed [si] venit unctio,
Tunc venit compunctio,
Vix possum salvari.

3. Vae vobis presbyteris,
Qui estis [in] literis
Testamenti veteris
Et novi doctores

Praestituti ceteris!
Obstructores aetheris,
Indiscreti oneris
Estis iniunctores.

Cathedrae recubitus
Primos adamatis,
Si [vobis] sit subditus,
Commissus divinitus,
Grex salvus vel perditus,
Minime curatis.

4. Quid de vulgo proferam,
Nunquam eius sufferam
Ita, quod non efferam,
Miras falsitates.

Cuius lingua florida,
Acta vero sordida
Et corda sunt perfida
Per subtilitates.

Graditur sophistice
Nec est, ut apparet,
Doctrinae catholicae
Iam factae sunt pseusticae,
Si quis vivit deice,
Hic mundi laude caret.

5. Adiuva nos, Domine,
Qui passus es pro homine
Ut in tuo nomine
Semper gloriemur.

Maria, humilium
Spes et salus omnium,
Tu pro nobis filium
Ora, ut salvemur.

Audi nos, nam te filius
Nil negans honorat.
Salva nos celerius,
Christe, tu sis propitius,
Pro quibus te dulcius
Virgo mater orat.

Collect. ms. S. Georgii Pragen. saec. 15. Cod. Pragen. I G 39. — 2, 4 emendare. — 2, 10 Lies peccari? — 5, 2 passus est. — 5, 6 Et spes salus omnium. —

92. De Fortuna mundana.

1. Fortuna, si alluseris
In altum me tollendo,
Gressus meos direxeris
Adversa deprimendo,
Firme muniendo,
Sum Salomonis socius;

Si versipellis figeris
Furtim nec non latenter,
More consueto feceris
Deplumans me recenter,
Vulgo tunc patenter,
Videbor [compar] ocius.

Tenes regnum, honores,
Nobilitatis copiam,
Posttergas inopiam,
Pauperem de sentina
Trahis ferendo balteum,
Sceptrum de pruina,
Botri tui vina
Laute mihi propina,
Felix medicina,
Succurre nunc velocius.

2. Ut quid spina dorsi premis,
Paupertas cumula,
Sensus, simul vires demis
Cervice adgregata,
Sic coadunata
Motus vitales suffocas,
Abiectum cunctis populis
Tamquam vermem ostendis
Orbis totius oculis,
Arcum dire intendis,
Sic me deprehendis,
Mox vinctum abysso locas.
Prostibulo natas iungi
Patri egenti praecipis,
Formam, mores recipis,
Dormis sic contractus
Per cuncta mundi climata,
Heu, cui viget actus,
Ponderosus tactus,
Leges tuas nactus,
In nihil sum redactus,
Caelum contra me invocas.

3. Sother magne, mirabilis,
Votorum exauditor,
Super cunctos laudabilis,
Bonorum elargitor,
Vultus tui nitor
Cives supernos debriat,
Inaestimatum gaudium
Choris das angelorum,
Corda purges fidelium
Figura mundanorum,
Comites sanctorum
Pietas tua faciat.
Non aestimator meriti,
Sed verus veniae dator,
Vitae perennis sator
Valle nos lacrimosa
Degentes pie respice
Virtute gratiosa,
Ne ob criminosa
Caterva tenebrosa
Sede speciosa
Festine nos proiciat.

Collect. ms. Stiriacense saec. 15. Cod. Stiriacen. L 26 (s. n.). — 1, 18 Ceptrum das pruina. — 2, 2 tumulata. — 3, 6 supremos. — 3, 9 purgis.

93. Planctus de temporum nequitia.

1 a. Advertite, percipite,
perpendite, cunctorum
populorum agmina.

1 b. Quantis mundum fraudulenter
improbant malis, turbant
et conculcant vitia.

2 a. Principes, satellites
ac praepotentes, ignea,
dum derident, et seducunt
et mergunt in tartara,

2 b. Iudicantes impia
iudicia tyrannica
et super innocuos
falsitatis ingenia.

3 a. Et dira conterentes
pauperum ferocia,

3 b. Mites et vesania
cedentes malitia,

4 a. Tendunt omnes iudicantes
ad maioris doni lucra;
Praesidis ante tribunal
vox pupilli plorat frustra,
Meliorem tenet locum,
quem honorant praemia.

4 b. Panti parcunt et succurrunt
principum praesidia,
Nulla paene iam virescunt
caritatis germina,
Bona cadunt, mala surgunt,
immutantur vitia.

5 a. Sic deludit Dei formam
daemonis versutia.

5 b. Miserere, Deus pie,
qui regnas immortalis

6. Per terrena saecula,
Mundi calcans crimina
Perenni victoria.

Collect. ms. Parisinum saec. 10. — 13. Cod. Mazarin. 1708 (1318) adh. saec. 11. A. — Trop. ms. Nivernense saec. 11. Cod. Parisin. 9449 B. — 1b, 1 Quantus B. — 2a, 3 cum A. — 4a, 2 donis B. — 4a, 2 Praesides A. — 4a, 4 implorat A. — 4a, 5 tenent AB. — 5b, 2 Lies: regnas imperia?

94. Planctus Cleri.

1. Margarita pedibus calcatur,
Et electum aurum obscuratur,
Terrae sal infatuatur,
Azimusque panis fermentatur,
Et peripsima, * proh dolor, fit pulpa.

Iam in Israel non est propheta,
Exorcismus et verbum Effeta
Truculenta sunt in meta,
Sacerdos, eximius athleta,
Nugatoria * accusatur culpa.

Auditur ignobilis ecloga,
Non ecclesia sed synagoga
Iam diligitur * nec Deus in culpa

2. Rota legis atque iuris cardo
Retractatur volumine tardo,
Citiores leopardo
Desidiae immutantur lardo,
Heu, iudicium * misere declinat.

Petri navis fluctuat damnosa,
Et suavis in Iericho rosa
Stat in campo dolorosa,
Neque prodest litera nec glosa,
Sub periculo * lupus ovem minat.

Hyaena in margine catini
Transiens in ordine Latini,
Velut antea * nemo iam divinat.

3. Doctus non auditur sed susurro,
Et fidelis aestimatur scurro,
Si ad axem caeli curro
Et ad centrum aridae recurro,
Non invenio * caritatis fidem.

Fides ab aula retrahit pedem
Et ineptam aptat sibi sedem,
Rusticanam petens aedem
Malum ordinat et mortis caedem,
Fides aurea * non est iam ut pridem.

Lazarus repellitur a mensa
Servorum divitis cum offensa,
Cuius indiget * ope dives idem.

4. Tortuosum labis modo tuber
Aemulatur canus atque puber,
Innocens sanguinis uber
Non curatur, quantumcunque ruber,
Chaos horridum * subarrhavit iura.

Austrum fugat rigor Aquilonis,
Dominatur feritas Neronis,
Clerus ad instar leonis
Rugit gemitu confusionis,
Quod premitur * enormi pressura.

Ululat ecclesiae libertas,
Quod promissiones perdat aetas,
Quod constituit * Pharao censura.

5. Caput mundi, proh dolor, aegrotat,
Ergo membra doloribus rotat,
Sponsus sponsam male dotat,
Prudens lector illud bene notat,
Quod praeposterus * ordo non servatur.

Roma misit Ungaris Gentilem,
Per quem fecit clerum hic servilem,
Iuvenem atque senilem,
Neque per annum hunc bissextilem
Mentis exstasis * iam apocopatur.

Maiorem degenerat potestas
Ob thesauri regulas incestas,
Nec est alia: * si das, tibi datur.

6. Nam apostolorum maior natu,
Petrus, degens in apostolatu,
Non vixit in apparatu,
Pastores ut hoc in incolatu,
In discipulis * hoc est manifestum.

Ovis in ovili non est tuta,
Quia timet victima versuta,
Facies Moysi cornuta
Facta nimis oculis acuta,
Intuentibus * iubar fert molestum.

Tibi soli Deo hoc revelo,
Clero fer auxilium de caelo,
Tributarium * ut evadat aestum.

Collect. ms. Stiriacense saec. 15. Cod. Stiriacen. L. 26 (s. n.). — 1, 5 perisma. — 2, 4 intorbonantur lardo. — 2, 8 Stat in rampno. — 2, 11 Lyena in. — 3, 1 sed surro. — 3, 2 curro. — 3, 7 Et fehlt. — 4, 9 premitu. — 4, 13 Pharaonis. — 5, 9 hunc fehlt. — 6, 3 Tanto non vixit, gegen das Versmafs. — 6, 4 ut huius incolatu. — 6, 7 victimae. — 6, 11 hoc fehlt. — Land und Zeit der Abfassung des Liedes bestimmen 5, 6 und 5, 9: Kardinal Gentilis de Monte florum weilte in Ungarn als Legat Clemens X. von 1307 bis 1310. Da in diese Zeit nur das eine Schaltjahr 1308 fällt, so ist in diesem das Lied geschrieben worden.

95. Adhortatio ad bellum sacrum.

1. Ierusalem, laetare,
Quae flebas tam amare,
Dum serva tenebare,
Ierusalem, exsulta.

2. Namque diu servisti
Turcis, sub quis fuisti
Post mortem Iesu Christi.

3. Fletu movisti regem,
Qui, ne nil veri negem,
Proposuit hanc legem,

4. [U]t contio fidelis,
Si vult potiri caelis,
Curet accingi telis,

5. [U]t perimat tyrannos,
Qui per tam multos annos
Vexarunt Christianos,
Ierusalem exsulta.

6. [U]t locus suae mortis
Nobis per fidem ortis
Proprie fiat fortis.

7. Vera res est et nota:
Non est Deo devota
Gens non ad haec commota.

8. Hoc praemium rex dabit,
Quod se manifestabit
Huic, qui bene pugnabit.

9. Cur ergo, creatura,
Non militas secura,
Cum sis hoc adeptura?

10. Quam bene servit patri
Proles devota matri,
Sic placitura fratri!

11. Christus tuus est pater,
Ipsi sunt tibi mater,
His tu soror et frater.

12. Nati, parete patri,
Fili, succurre matri,
Fratres, servite fratri.

13. [U]rbs regia, gaudeto,
Corde resulta laeto
Et secura maneto.

14. Rex praecipit, ut gentes
Gladiis renitentes
Te visitent gaudentes.

15. Procedant ipsae tutae
Signo crucis indutae,
Caeli regem secutae.

16. Lancea regis caeli
Genti datur fideli,
Ut sit mors infideli.

17. Coetus Christianorum,
Pro vobis stant cunctorum
Catervae superorum.

18. Quid igitur timetis?
Nonne plane videtis,
Quae dona capietis?

19. Iussa regis complentur,
Servuli gratulentur,
Per quos hostes delentur.

20. Rex pugnat et praecedit,
Sic mors neminem laedit,
Qui moritur, dum caedit.

21. O mira lex vivendi!
De casu moriendi
Ius oritur nascendi.

22. Ierusalem terestris.
Principium caelestis,
Laetare novis festis.

23. Felix est ille mensis,
Quo te tuorum ensis
Eruit ab infensis.

24. Iunius obsidendi,
Iulius capiendi
Ius dedit et gaudendi.

25. Ab ortu redemptoris
Ad hoc tempus honoris
Certis maturis horis

26. Anni centeni fructus
Undecies reductus
Diluit omnes luctus.

27. Sexta die suspensus,
Sexta fuit defensus
Eius locus immensus.

28. Meridies dum splendet,
Christus in cruce pendet,
Ut sic suos emendet.

29. Urbs capitur hac hora;
Nulla sit ergo mora,
Nostra sit vox canora,

30. Ut ipse dux laudetur,
Qui facit, ut iuvetur
Urbs eius et laetetur.

31. Rivi fluunt cruoris
Ierusalem in moris,
Dum perit gens erroris,

32. Et templi pavimentum
Efficitur cruentum
Cruore morientum.

33. Ipsi traduntur igni;
Vos gaudete, benigni,
Nam pereunt maligni.

34. Cum sit invasor reus,
Pulsus dolet Iudaeus,
Quod regnat Christus Deus.

35. Sit gloria, spes eo,
Unde surrexit leo
Suscitatus a Deo.

Collectan. ms. St Mariae Rivipullensis saec. 13. in. Cod. Parisin. 5132. — 31, 2 über *in moris* von gleicher Hand: *vel in horis.* — 34, 3 Qui tenet Christus, darüber von gleicher Hand: *vel regnat.* — 35, 3 über der Linie von gleicher Hand: *Iam potitus tropaeo.* — Das Lied bezieht sich auf den ersten Kreuzzug; Str. 16 auf die Auffindung der hl. Lanze in Antiochien.

96. Adhortatio ad bellum sacrum.

1. Ierusalem mirabilis,
Urbs beatior aliis,
Quam permanens optabilis
Gaudentibus te angelis!

2. Nam in te Christus veniens,
Aperta bona tribuens,
Super asellum residens,
Gens flores terrae consternens.

3. Qui ibi cenam fecerat,
Cum discipulis manderat,
Iudas illum prodiderat,
Triginta nummis venderat.

4. Illum Iudaei emerant,
Colaphos ei dederant,
In faciem conspuerant
Et in cruce suspenderant.

5. In ligno poenas passus est,
In latus perforatus est,
Pedes, manus confixus est
Ibique nos redemptus est.

6. Et in sepulcro positus
Custoditur militibus.
Tamen surrexit Dominus
Illis aspicientibus.

7. Illuc debemus pergere,
Nostros honores vendere,
Templum Dei acquirere,
Saracenos destruere.

8. Quid prodest nobis omnibus
Honores acquirentibus
Animam dare penitus
Infernis tribulantibus?

9. Illuc quicumque tenderit,
Mortuus ibi fuerit,
Caeli bona receperit
Et cum sanctis permanserit.

Trop. ms. Martialense saec. 12. (13. 14.) Cod. Parisin. 1139. — 4, 2 Colafis ei. — 7, 1 Illic. 9, 3 deceperit. — Die Melodie ist in der Hs. in Neumen en points superposés ohne Linien aufgezeichnet; ist daher mit einiger Sicherheit zu überschreiben. Sie lautet:





97. De Amicitia.

R. Coetibus angelicis
Gaudium sit in caelis,

1. In terris omni populo
Celebris exsultatio,
Quia hodie vigilia
Sancti Mathaei fulgida,

2. Pellitur nebulum omne
Gemitus et tristitiae
Ab amicorum intimis
Cordis duorum secretis.

3. Fit amarum namque dulce
Qualitatum versa vice,
Fel quoque amarissimum
Nectar exsistit optimum.

4. Fuliginis duritia
Efficitur melliflua,
Dulcedine nectarea
Pacatur bilis acerba.

5. Firmatur foedus integrae
Ac fortis amicitiae,
Quod semper insolubile
Aeterno constet tempore.

6. Datur munus, ut nitidi
Existat testis foederis,
Et proprium fit commune
In usibus utriusque.

7. Constituitur, ut semel
Colloqua[n]tur omni die,
Ne frigescat multimodae
Fervor benevolentiae,

8. Sed ferveat benevola
Semper amoris gratia
Per saeculorum omnia
Christo donante saecula.

9. Quod adnuas, summe Deus,
Vultu deposco cernuus,
Qui cuncta hic et in caelo
Nutu gubernas proprio.

Trop. ms. Martialense saec. $^{10}/_{11}$. Cod. Parisin. 1120. add. saec. $^{10}/_{11}$.

Cantiones Scholasticae.

98. Pro Vacatione in Natali Domini.

1. Congaudentes exsultemus,
Exsultantes collaudemus
Deum, Dei filium;
Deum, qui nos visitavit
Et in terra se monstravit
Nostrae carnis socium.

2. Venit nostrae spes salutis,
Deus pacis et virtutis,
Deus, dator gratiae;
Verbum patris incarnatum
Corpus sumit animatum
Carnis uteus specie.

3. Ecce, dies specialis,
Vitae causa principalis,
Salutis praeambula;
Fit Maria virgo mater,
Mittit natum Deus pater
Ad salvandum saecula.

4. Virgo parit, et est mirum,
Virgo nullum passa virum
Deum parit hominem;
Tumet venter virginalis,
Nec corrumpit partus talis
Incorruptam virginem.

5. Nato mundi salvatore
Novo gaudet terra rore,
Caeli gaudent sidera;
Terra novum habet regem,
Dat rex novus novam legem
Legis complens opera.

6. O quam felix istud Ave,
Quam praeclarum, quam suave
Fuit verbum nuntii!
Illud verbum salutavit
Et puellam impraegnavit
Partu novi filii.

7. Consummatur in Maria
Prophetarum prophetia
Tot per vaticinia;
Stella praeit novum solem,
Virgo parit novam prolem,
Virgo viri nescia.

8. Ut nos ducat ad salutem,
Carnis sumit servitutem
Summi patris filius;
Lactis sumit alimenta,
Qui gubernat elementa
Potens et propitius.

9. Lex impletur et scriptura,
Fit creator creatura
Sine viri semine;
Ut sit mundi reparator,
Creatura fit creator
In Maria virgine.

10. O magister, vas honoris,
Pretiosi flos odoris,
Fluentum scientiae,
Te clamantes exoramus,
Nos permittas, ut petamus
Fines dulcis patriae.

11. Nos ituri tibi vale,
Doctor, damus, post natale
Revertemur iterum;
Cum ad scholas revertemur,
Omnes tibi largiemur
Largitatem munerum.

12. Iubilemus salvatori
Nos concordes cordis ori
Pura conscientia.
Laudes Christo concinamus,
Ut cum ipso gaudeamus
In perenni gloria.

Collect. ms. Victorinum saec. 13. [et 14.] Cod. Parisin. 11412. — 1, 6 carnis solium. — 4, 2 Virgo verbum passa. — 7, 3 Tot in vaticinia. — 8, 1 ducas. — 10. 5 Nos permittes si petamus. — Cfr. Duméril III, 390 sqq.

99. Pro Vacatione in Natali Domini.

1. Iubilemus omnes ei,
Cuius caecis iubilaei
Dies nobis oritur,
Dies, inquam, nostrae spei,
Dies, in qua primi rei
Delictum obstruitur.

2. Sola mater excors maris
Fit Maria, stella maris,
Sol de stella nascitur;
Pia parens, expers paris,
Dum parentem tuum paris,
Natura deluditur.

3. Lux lucet nulli secunda,
Lux insignis, lux iucunda.
Iucundemur pariter,
Natus mirata natura
Creator de creatura
Carne nostra tegitur.

4. Carnis nostrae reparator
Carnem vestit, imperator
Archangelis imperans,
Omnis caro renascatur,
Verbum patris incarnatur
Carne carnem liberans.

5. Fallit norma rationem,
In hoc verbo passionem
Dum recipit actio,
Nec aufertur vis activa,
Sed in ipsam vi passiva
Fit reciprocatio.

6. Immensum claudit mensura,
Factor exit de factura,
Figulus de vasculo,
Iustitia terras visit
De supernis, quod promisit
Davidis oraculo.

7. Caelos inclinans descendit,
Quod mundus non comprehendit,
Claustro brevi clauditur,
Ille ventre puellari
Dignatus est baiulari,
Qui non circumscribitur.

8. Ne serviamus aeternum,
Regnum cuius est aeternum,
Servi corpus induit;
Germinavit radix Iesse
Florem, quem satis expresse
Isaias innuit.

9. Virga Iesse comparatur
Et decenter adaptatur
Partui virgineo,
Sive rubus visionis,
Sive vellus Gedeonis
Sparsum rore vitreo.

10. Ezechiel non patentem
Se portam ad orientem
Vidisse perhibuit;
Ventris parit clausa porta
Virgo, de qua lux est orta
Et terris enituit.

11. Porta clausa post et ante,
Florens hortus austro flante,
Hortus fetus balsamo,
Hortus clausus florens austro,
Cuius Deus prodit claustro,
Sponsus ut ex thalamo.

12. Sine succo, sine rore
Virga leni dat cum flore
Fructum sine germine,
Virgo, per quam nobis datur
Fructus vitae, gravidatur
Sine viri semine.

13. A fructu mors emanavit,
Mundum fructus emundavit
Fracto mortis malleo,
Eva fructu nos seduxit,
. . . . . .
. . . . . .

14. Sacra lux nos elucescit,
Et nox eius noctem nescit
Ortum dantis luminis,
Quod ad lucem nos direxit,
Quod pedes nostros reflexit
A via caliginis.

15. Illustravit umbras praesto
Noctis huius intempesto
Veri solis radius,
In tenebras gentis missae
Lucem magnam micuisse
Notat Amos filius.

16. De nocte praevidens ista,
Ut dies, ait psalmista,
Nox illuminabitur,
Nox illustrans tenebrosa,
Legem legens legis glosa,
Legis nubes scinditur.

17. Iam aufertur sceptrum Iuda,
Synagoga sedet nuda
Fixo legis tegmine;
Tange lyram, pange laudes,
Tu qui Christum natum gaudes
Ex Maria virgine.

18. Gaude turba, lyram tange,
Gaude manu, melos pange,
Mente tamen sobria;
Tange lyram, turba, gaude,
Pange manu, pange, [plaude],
Nato canunt omnia.

19. Assistentes tuae laudi
Nos tuere, nos exaudi,
Sancta virgo virginum,
Digna mater, tu dignare
Auxilium flagitare
Pro nobis ad Dominum.

20. A maris huius procella
Nos erue, maris stella,
Verbi Dei baiula.
In Ierusalem superna
Nos disponens per aeterna
Saeculorum saecula.

Collect. ms. Victorinum saec. 13. [et 14.]. Cod. Parisin. 11412. — 5, 5 Sed in hanc vi. — 7, 2 mundus. — 10, 1 Iezechiel. — 11, 4 clausus florem. — 12, 5 Fructus in te. — 13, 2 mundum fructus emundavit. — 15, 1 umbra. — 15, 6 Noctat. — 17, 2 sedes. — 17, 4 Pange lyram. — 20, 6 In saeculorum. — Vgl. zu diesem Liede Anal. XX, 42.

100. Pro Vacatione in Natali Domini.

1. Gratuletur omnis mundus
Et festinet, ut sit mundus
Ab immundo crimine;
Ecce, mundi reparator,
Iesus Christus, rex, salvator,
Natus est de virgine.

2. Corpus sumit passionis
Deus trinus in personis,
Unus in substantia;
Virgo, vellus Gedeonis,
Templum veri Salomonis,
Mater est et filia.

3. Novus dator novae legis,
Princeps pacis, fortis aegis,
Fit Mariae filius.
Fons et auctor pietatis
Mundum salvat a peccatis,
Peccatorum nescius.

4. Virgo felix salutatur,
Salutata contemplatur
Hunc salutis nuntium;
Audit, stupet et miratur,
Et ad partum praeparatur
Ventris domicilium.

5. Sol de stella nascitur,
Dum Deus egreditur
De Maria virgine.
Nec virgo corrumpitur,
Nec maiestas laeditur
Iuncto carni numine.

6. Rubus ardens per ardorem
Incorruptum signat florem
Incorruptae virginis,
Ardet rubus nec crematur,
Sic nec virgo violatur
Per ingressum numinis.

7. Pridem erat mundus caecus,
Sed nunc venit mundi decus,
Rex incomparabilis,
Deus, iudex iustus, fortis,
Ut sit comes nostrae sortis,
Homo fit passibilis.

8. O quantum mysterium,
Quantum beneficium
Dedit haec nativitas!
Salus datur homini,
Caro nubit numini,
[Nascitur divinitas].

9. Quidquid fuit in scripturis
Signis dictum et figuris,
Patens est ad oculum:
Erubescat nunc Iudaeus,
Qui non credit, quod sit Deus,
Nunc qui salvet populum.

10. O Bethlehem felix, gaude,
Lauda Deum digna laude,
Sonet iubilatio!
In te natus rex caelorum,
Medicina peccatorum,
Iacet in praesaepio.

11. Hic est ille, qui nos lavit,
Hic est, de quo prophetavit
Iohannis augurium;
Hic est, per quem sumus mundi,
Qui peccata tollit mundi,
Redemptor fidelium.

12. O magister, dux scholarum,
Cuius nomen est praeclarum
Titulo scientiae,
Vultu cerne nos clementi,
Audi preces et consenti
Voci pueritiae.

13. Aures tuas aperi,
Da, quod petunt pueri,
Ludendi licentiam,
Nostra quod infantia
[Pro tali licentia]
Tuam laudet gratiam.

14. Haec est illa sancta dies,
In qua debet esse quies
Et summa laetitia;
Christo nato concinamus,
Ut cum Christo gaudeamus
In aeterna gloria.

Collect. ms. Victorinum saec. 13. [et 14.] Cod. Parisin. 11412. — 1, 2 mondus. — 1, 3 immondo. — 3, 5 mondum solvat. — 4, 4 Audet. — 5, 6 Iusto carni munere. — 6, 1 Rubet. — 6, 4 Ardet rubet. — 9, 3 Parens. — 10, 4 Inde natus. — 11, 4 mondi. — 11, 6 Vice pueritiae. — Cfr. Duméril III, 297 sqq.

101. Pro Vacatione in Natali Domini.

1. Magistrorum omnium
Decus speciale,
Adelphe, per studium
Nomen immortale,
Accipe scholarium
Turbae pressae male,
Quae, tibi quod mittit,
non habet ipsa, Vale.

2. Turba tuorum
Discipulorum,
Quae grave nutat,
Quae studiorum
Continuorum
Mole volutat,
Scribit honorum
Carmen sonorum
Teque salutat.

3. Doctor sagax studio,
Sagax lege dia,
Sagax in quadrivio
Triviique via,
Cui non fit deceptio
Nec falsigraphia,
In cuius gremio
requiescit philosophia.

4. Doctor, cuius caritas
Longe dilatatur,
Cuius generositas
Vix enumeratur,
Tua nunquam probitas
Nec laus corrumpatur,
Quam labor et gravitas
operandi continuatur.

5. Lux subit, ecce, Dei,
lux festa, dies requiei;
Quaeque dies isti
cedit, quia natio Christi.

6. Mare, tellus, sidera,
Gaudia habete,
Homo, gaude, vetera
Prorsus pelle de te
Et curata cetera
Laetitiam pete;
Prospera lux oritur,
linguis animisque favete.

7. Quam dulce colloquium
Fuit et quam vernum,
Per quod virgo filium
Concepit paternum

Et sensit officium
Intacta modernum,
Solem iustitiae,
regem paritura supernum.

8. Paris ergo mentibus
Et plausu canoro
Psallamus in domibus
Linguis et in choro,
Sed quibus te laudibus
Efferam, ignoro,
Femina, caelesti
digna reperta choro.

9. Stella, maris
Expers paris
Contra iuris regulam
Deum paris,
Virgo, paris
Inexperta copulam.
Homo, fraude
Pulsa gaude,
Deo praebe gloriam,
Mente plaude,
Ut de laude
Consequaris veniam.

10. Istud est sollemnium,
In quo contra morem,
Virgo, parientium
Non passa dolorem
Peperisti filium,
Deum genitorem,
Ad laudem Domini
nostrum ditantis honorem.

11. O mira festivitas
Domini natalis,
Qua peperit castitas
Deum virginalis,
Particeps virginitas
Fit vitae carnalis,
Decet in hac solitis
poena carere malis.

12. Ergo parce miseris,
Magister perite,
Miserere miseriis
Aliorum rite.
Et si nobis dixeris
Licitum dans *Ite*,
Detur inoffensae
tibi metas tangere vitae.

13. Petimus licentiam
Imminente festo.
Relaxa familiam
Cum vultu modesto,
Ad misericordiam
Dandam pius esto,
Fac modo iustitiam
tibi nam, sunt munera
praesto.

14. Si dederis licitum
pueris, mercede frueris
Et, si forte negas,
sis certus, quod punieris.

Collect. ms. Victorinum saec. 13. [et 14.] Cod. Parisin. 11412. — 1, 1 Dagistrorum. — 2, 8 honorum. — 3, 5 sit. — 6, 4 Prorsus per se dete. — 11, 6 Fit fehlt; vergl. Nr. 102, Str. 14, 6. — 12, 5 sq. fehlen; vergl. Nr. 102, Str. 16, 5 sq. — 13, 8 tibi non sunt.

102. Pro Vacatione in Natali Domini.

Doctorem nostrum puerorum turba salutat,
Nam nihil utilius esse salute putat.

1. Doctor, vatum gloria,
Decus morum, cui
Dedit sapientia
Primitias sui,
Rex qui regit omnia,
Sit protector tui,
Dans tibi perpetua
prosperitate frui.

2. Quisquam tibi similis
Non fuit hactenus,
Corpore curabilis
Moribus es plenus,
Nam, licet sis nobilis,
Avis tam serenus,
Exsuperas morum
nobilitate genus.

3. Es virtutum alveus,
Custos et patronus,
Totus es sidereus,
Tam ad bonum pronus,
Quodsi essem ferreus,
Tamen, quam sis bonus,
Dicere conantem
debilitaret onus.

4. Sed ut loquar brevius,
Conferri tibi res
Nulla potest, totius
Bonitatis vir es,
Nam in sensu potius
Quam Salomon vires;
Heu mihi, tam parvas
quod habent mea carmina vires!

5. Non mirum, languescimus
Intus atque foris,
Nam, quidquid habuimus
In vultu decoris,
Penitus consumpsimus
Sub pondus laboris,
Quidquid et in nobis
vivi fuit atque vigoris.

6. Sufferri diutius
Nequit labor gravis;
Quid est bono firmius?
Defecit sua vis;
Sis ergo propitius
Nobis et suavis,
Nostra ne quam citius
mergatur in aequore navis.

7. Nos per anni circulum
Fuimus studentes,
Studendo corpusculum
Nostrum atterentes,
Parum cordis oculum
Alibi ponentes,
Sufficiens epulum
vix nobis suscipientes.

8. Non modo contrarius
Nostrae voluntati,
Da portum quam citius
Fatigatae rati,
Nam cura diutius
Scholarum gravati,
Possumus ulterius
vix graviora pati.

9. Sine mora licitum
Sit nobis collatum,
Ut colamus inclitum
Regem regum natum,
Ortum tam insolitum,
Tam longe praefatum,
Pandite nunc nobis
praesentia numina vatum.

10. Deus volens solvere,
Quod promisit pridem,
Mariam eligere
Thalamum, ibidem
Voluit et sumere
Carnem manens idem,
Quod fuit, et sumptam
pace manere fidem.

11. Est factus ad virginem
Sermo Gabrielis:
Tu paries hominem
Deumque de caelis,
Virgo noscens neminem
Stupet de loquelis,
Donec ait Gabriel:
careant tua verba querelis.

12. Virtus sancti flaminis
Obumbrans credentem
Te faciet hominis
Deique parentem.
Fit consensus virginis,
Mox omnipotentem
Concipit in gremio
caelum terramque regentem.

13. Clauso puer limine
Prodit, alienae
Sunt omnes a virgine
Parientis poenae.
Sonat in hoc numine
Talis ortus bene
Excedente modum
stadium mortalis habenae.

14. O mira sollemnitas
Domini natalis,
Peperit qua castitas
Christum virginalis,
Particeps divinitas
Fit vitae carnalis!
Debet in hac solitis
poena carere malis.

15. Propter imminentia
Festa regis tanti
Praestetur licentia
Clero postulanti;
Ne moveam taedia
Prece tam instanti,
Verba mihi desunt
eadem tam saepe roganti.

16. Ergo parce miseris
Potius concite.
Miserere miseris
Aliorum rite,
Et si nobis dixeris
Licitum dans *Ite*,
Detur inoffensae
metas tibi tangere vitae.

17. Da licitum omnibus,
Doctor, modo quoquo,
Pro me, pro sodalibus
Unde Deum voco.
Quod veres de talibus
Aliter sub ioco,
Defuit hic uno
litera nostra loco.

Tu qui cuncta regis, dignus diademate regis,
Qui dator es legis, mihi sis protector et aegis.

Collect. ms. Victorinum saec. 13. [et 14.] Cod. Parisin. 11412. — 1, 4 Primitias cui. — 2, 3 Lies: amabilis? — 3, 7 cognantem. — 6, 7 Ne nostra quam. — 6, 8 sonatur in aequore. — 9, 2 nobis scholar. — 10, 4 sibidem. — 15, 1 eminentia. — 16, 8 tangere lite; vgl. Nr. 101, Str. 12, 8.

103. „Salus Paschae."

1. Tempus novum renovat omnia,
Renovata sunt temporalia.
Faciamus spiritualia
Renovari.

2. Rerum fetus emittunt germina,
Circumquaque pullulant semina,
Puerorum deposcit anima
Spatiari.

3. In doctrina satis studuimus,
Omnem carnem mollem consumpsimus,
Mentes nostras cuncti retraximus
Ab errore.

4. Omnis error nobis displicuit,
Lascivire nobis non licuit,
Sicut patet et sicut patuit
In colore.

5. Tantus labor quaerit temperiem,
Quaerit pacem et quaerit requiem,
Generabit cito pernitiem
Iugis poena.

6. Fac, quod solent facere ceteri,
Gaudeamus statuto veteri,
Nos reformet eventu celeri
Pax amoena.

7. Postulamus a te licentiam,
Tui cordis misericordiam
Postulamus, pacis materiam
Sentiamus.

8. Consentire tacentem credimus;
Nobis faves, quaecunque petimus,
Ad Deum te, quia recedimus,
Commendamus.

Collect. ms. Victorinum saec. 13. [et 14.] Cod. Parisin. 11412. — 3, 2 sq. umgestellt. — Am Schlufs: „Explicit salus Paschae.“

104. Pro Vacatione Paschali.

1. Universa gens laetetur
Et festinet, ut mundetur
A peccati macula,
Christus, cunctis aegis fortis,
Factus comes nostrae sortis
Est carnali copula.

2. Novus dator novae legis,
Princeps pacis, pastor gregis,
Pro salute populi
. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .

3. Fructu ligni mors oblata,
Per parentes nostros data,
Nos dedit miseriae;
Superatur mors, et vita
Ligno nobis est largita
Dono dato veniae.

4. Vita morti dominatur,
Dum non mori dedignatur
In crucis ergastulo;
Nobis donum largitatis
Datur, rivus pietatis
Toto fluxit saeculo.

5. Impletae sunt prophetiae,
Quas praedixit Ieremiae
Nobilis facundia.
Ierusalem sub tributo
Corporeo servit scuto,
Christus obit hostia.

6. Palo serpens exaltatur,
Et Iudaea liberatur
Ignitis draconibus,
Christus in cruce levatur,
Homo vermis expurgatur
A suis squaloribus.

7. Quidquid fuit in scripturis
Signis dictum et figuris,
Patens est ad oculum,
Erubescat nunc Iudaeus.
Qui non credit, quod sit Deus
Morte salvans populum.

8. Christus, actor pietatis,
In virtute baptismatis
Nos dignetur tergere;
In honore tanti regis,
Nobis est qui fortis aegis,
Cuncto decet plaudere.

9. Ergo, doctor, qui nos foves
Documentis et removes
Posse tuo vitia,
Iube, quod est in Catone,
Fessis dixit: interpone
Tuis curis gaudia.

10. Valde sumus fatigati,
Parum sumus relaxati
Nos vacantes studio;
Labor frangit cuncta dura,
Nulla res est duratura,
Si desit pausatio.

Collect. ms. Victorinum saec. 13. [et 14.] Cod. Parisin. 11412. — 1. 2 mondetur. — 6. 1 Pallo. — 6. 6 scaloribus. — Zu Str. 7 vgl. Nr. 101, Str. 9. — 10. 3 vagantes. — Cfr. Duméril III, 295 sqq.

105. Pro Vacatione Paschali.

1. Ecce, dies gaudii,
Dies gloriosa,
Dies desiderii
Diesque iocosa,
In qua fuit filii
Caro pretiosa,
Crimina nostra pians,
pro peccatis operosa.

2. Mortem nobis praebuit
Morsu noxiali
Prima parens, statuit
Ligno triumphali
Mori Deus, voluit
Tactos labe mali
Sic quoque restitui
peccato nos crimina[1].

3. Mors minax et effera,
Mors pro morsu lata
Vincitur, ad infera
Victor pace data
Transit, sede misera
Traxit collocata,
Nostraque peccata
sunt ad veniam revocata.

4. Luget Sion nescia
Primitus doloris,
Hebraei nequitia
Laetatur erroris
Contemnens remedia,
Unda sed cruoris
Antidotum nobis
fuit et medicina doloris.

5. Praesens proposuimus
Celebrare festum,
O dolor, quam citius
Nostram placa questum,
Penitus exuimus,
Quidquid est molestum,
Cura, quid expediat,
non est, sed quid sit honestum.

6. Ergo beneficio
Vestrae pietatis
Illico cum gaudio
Nobis concedatis
Et morandi taedio
Non nos adfligatis,
Quia procul dubio
nocuit differre paratis.

Da licitum gratis, nos mos est ludere pratis;
Exigit aetatis lascivia; dic: abeatis.

Collect. ms. Victorinum saec. 13. [et 14.] Cod. Parisin. 11412. — 5, 6 est moh estum.

106. Pro Vacatione Paschali.

1. Salve, doctor, gemma scientiae,
Lumen cleri, flos patientiae,
Odor recti, fons eloquentiae,
Veritatis!
Quot in caeli sunt stellae regia,
Quod labuntur guttae per maria,
Quot in mari pisces, quot folia
Vere pratis;

2. Quot abundant Gargara frugibus,
Quot sunt apes in Hyblae vallibus,
Quot racemi dependent vitibus
In macera,
Quot volucres sub fronde latitant,
Quot [muscellae] circum has volitant,
Et quot membra vivunt et palpitant
Mundi sphaera;

3. Quot sunt puncti diebus saeculi,
Quot aestate sunt flores patuli,
Tibi mandant, doctor, discipuli
Tot salutes,
Et meliora putes, nisi ius superesse refutes.

4. Si commendo novo praeconio
Te perfectum, erit nugatio;
Auctorizat te conversatio
Tuae vitae;
In te cum sit omnis perfectio,
Quid prodest laus, quid adulatio,
Nisi velis sub multiloquio
Frustrari te?

5. Me compellit instans necessitas,
Ut revolvam, quod iubet aequitas;
Iubet usus et iubet veritas
Illud idem.
Sermo nugax et nugax otium
Postponatur, ne gignat taedium;
Si non possum tenere medium,
Me trucidem.

6. Pretiosa Domini passio
Hic sacrorum sacro ieiunio
Celebratur magno mysterio,
Prout debet.
Sion plangit, Ephraim queritur,
Iudas gemit, Iacob atteritur,
Ratione quoniam frangitur,
Questus praebet.

7. Vita lucis in ligno moritur,
Sol eclipsat, et Ioseph venditur,
Terra tremit, terra non fruitur
Iure lucis.
Vitam mori res est mirabilis,
Mortem subit libens et humilis.
[Imorta'is factus passibilis],
Mortem crucis.

8. Mors amara, minax et effera,
Tu succumbis, victor ad infera
Quaerit suos, a sede misera
Revocantur.
Salus nostra mortis angaria
Liberatur in die tertia,
Fel, acetum, sputa, flagitia
Superantur.

9. Affligamur votis, ieiuniis,
Exsultemus Christo praeconiis,
Occurramus in paenitentiis
Salvatori.
Expurgetur vetus spurcitia,
Vetus error, vetus nequitia,
Emundemur convenientia
Meliori.

10. Vobis notum, magister, facimus,
Quod hucusque satis studuimus,
Mentes nostras cuncti retraximus
Ab errore.
Lascivire nobis non licuit,
Omnis ludus nobis displicuit,
Sicut patet et sicut patuit
In colore.

11. Detur ergo nobis pausatio,
Recreatur nam corpus otio,
Nunquam potest sine remedio
Sustentari.
Dicas nobis tuo dominio:
Ite lusum omnes cum gaudio,
Ne tollatur morandi taedio
Spatiari.

Collect. ms. Victorinum saec. 13. [et 14.] Cod. Parisin. 11412. — 2, 2 in Ible. — 2, 4 macera für maceria. — 2, 6 Quot frondes circum. — 2, 8 Mondi pena. — 4, 1 commenda nove praecognio. — 6, 1 Celebrator magno mixterio. — 6, 7 fringitur. — 9, 1 Affigamur. — 9, 2 praecogniis. — 9, 7 Emundemus.

107. Pro Vacationibus.

Doctorem nostrum puerorum turba salutat,
Nam nihil utilius esse salute putat.

1. Salve, doctor optime,
Doctor, flos doctorum,
Arca sapientiae,
Fonte pollens morum,
Exaudi piissime
Preces subditorum,
Si non iusta petunt,
voces contemnas eorum.

2. Te, doctor, scientiae,
Thesaurus fecundat,
Et torrens facundiae
Tuum os inundat;
Quid loquar de specie,
Quae nulli locum dat?
Non eget exterius,
qui moribus intus abundat.

3. Quia labi respuis
Post mores amaros,
Sed magis proficuis
Exemplis ignaros
Invitas et instruis
Ad mores praeclaros,
Carmina iure damus
mores testantia raros.

4. Qui labori ponere
Suum finem nescit,
Diu nequit vivere,
Sed cito decrescit;
Terram potes cernere,
Quae, si non quiescit,
Frugibus assiduis
et fructu lassa senescit.

5. Opera novalium
Tauros necuere.
Per cursum eximium
Equi periere,
Frequenter tractantium
Manus riguere,
Ferrum cuncta domans
acet omni durius aere.

6. Laboris immodici
Pondus cuncta terit,
Quo gregis scholastici
Virtus tota perit,
Arcus, ut Nasonici
Libri carmen serit,
Si nunquam cesses
tendere, mollis erit.

7. Exemplorum [talium]
Attendens virtutem
Paulisper studentium
Tolle servitutem,
Revoca per otium
Nostram iuventutem,
Quae, nisi tu dederis,
non est habitura salutem.

8. Longo pressit spatio
Nos labor poenalis,
Nec nos recreatio
Fovit aliqualis,
Sed confracta studio
Vis est corporalis,
Ingenium tantis
exsultat omne malis.

Collect. ms. Victorinum saec. 13. [et 14.] Cod. Parisin. 11412. — 3, 3 Sed mage proficimus. — 3, 4 innaros. — 4, 4 diescit. — 5. 6 Manus confusere. — 6, 3 grege scholari. — 6, 6 carmine. — 8, 4 Fovet. — 8, 8 exigit. — Zu diesem Liede findet sich in der Hs. noch ein zweiter Anfang (fol. 9a):

Magistrorum omnium
Decus speciale,
Adelphe, per studium
Nomen immortale,
Accipe scholarium
Turbae pressae male,
Quae tibi, quod mittit,
non habet ipsa Vale.

Dann folgt noch Str. 2 und die Bemerkung „Superius scriptum est." — Vgl. Nr. 101, Str. 1.

108. Altercatio inter Fratres et Magistrum.

Fratres.

1. R. decane civitatis,
In quo non est levitatis
Crimen vel fallacia,
Omnes fratres domus Dei
Salutamus speciei
Te plenum eximiae.

Magister.

2. Decane, vir nobilis,
Salve, reverende,
Mihi favorabilis
Cunctis condescende
Et magistri debilis
Sermones attende.
Proposito stabilis
proprium ius cuique rependе.

Fratres.

3. Querelam intellige,
Patrone perite,
Nec sermones neglige,
Pauperum oblite,
Iudicio dirige
Nos discussa lite
Detur inoffensae
tibi metas tangere vitae

Magister.

4. Hanc causam ingredior
Solus nec consultus,
Absque culpa patior
Istorum assultus,
Cum sit causa melior,
Huc adhibe vultus,
Ne fiat deterior
ac insons ne sit inultus.

Fratres.

5. Istud fratres primo proponimus,
Cum magistro nunquam potuimus
Computare, dum domus fecimus
Provisorem.
Nostrae domus proventus deterit,
Lis, gravamen se iam ostenderit,
Nobis fore dicit et asserit
Se priorem.

Magister.

6. Ad obiecta breviter
Respondere volo:
Computavi noviter
Absque cordis dolo,
Coram vobis firmiter
Terras, vites colo,
Temptatis me graviter
depellere crimine solo.

Fratres.

7. Audi, iudex, hunc loquentem,
Falsa veris inserentem,
Sicut scit fraternitas.

Magister.

Hoc per testes atque per me
Comprobabo, quod sit ferme
Cunctis nota falsitas.

Fratres.

8. Causa subest alia
Gravior priore,
Pauperes miseria
Pressos ac languore
Hic spernit, inedia
Dignus graviore,
Qui Christi clementia
non est motus nec amore.

Collect. ms. Victorinum saec. 13. [et 14.] Cod. Parisin. 11412. — 1, 4 Lies O decane? oder ist R. die Abkürzung für Reverende? — 3, 7 sq. vgl. Nr. 102, Str. 16, 7 sq. — 4, 6 Huc adhibeo multus. — 6, 7 der Hexameter setzt erst mit 6, 8 ein. — 8, 3 Paupere. — 8, 4 a languore. — 8, 7 vgl. 6, 7. — Nach Str. 8 folgt noch: Humo nos depellitis Pressos paupertate; das Weitere fehlt.

109. Planctus Vagorum.

1. Hac in terra
cernuntur nefanda,
Latinistis
denegantur danda,
Litera fit detestanda,
Non constat ratio blanda,
Iam despiciunt
Praelati scholares,
Omnes atten-
dunt vigellatores,
Nihil curant
latinos cantores,
Licet viles sint hi mores,
Saltatrices
et fistulatores,
Hos respiciunt
Uxores et mares.
Hanc noscatis,
domini, querelam,
Vilipendunt
nobilem loquelam,
Iam deficiunt
Radii solares.

2. Disciplinis
amodo imbuti,
Dicebantur
qui quondam astuti,
Surdi sedent, quasi muti,
Conqueror il-
lud summae virtuti,
Quod subtilia
Nequaquam curantur,
Nec est modo,
prout fuit ante.
Vere scimus
sensu mediante,
Ratione comprobante,
Antichristo
iam appropinquante,
Per scurrilia
divina fugantur,
Paucos uti
cernimus virtute,
Vivunt besti-
aliter et brute,
Quia vilia
Per hos adamantur.

3. Eia, rosa,
verbi Dei mater.
Hunc lactasti,
qui est Deus pater,
Christus fertur noster frater,
Ne nos unquam
terat daemon ater
Multipliciter
tuearis, dia.
Salva vagos
tibi servientes,
Benedic his
dona tribuentes;
Tenaces sunt viles gentes,
Isti semper
sint deficientes.
Te suppliciter
deprecamur, pia.
Adoptamus
largos honorari,
Cum sanctis in
caelis coronari
Da feliciter
hos, virgo Maria.

Collect. ms. Stiriacense saec. 15. Cod. Stiriacen. L 26 (s. n.). — 1, 5 Litera sunt. — 1, 6 planda. — 1, 9 Omnino. — 2, 1 sq. Amodo disciplinis. — 2, 3 sq. Qui quondam dicebantur. — 2, 18 sq. cernimus uti. — 3, 7 terreat. — 3, 13 retribuentes. — 3, 19 sq. Largos adoptamus.

II.

CANTIONUM BOHEMICARUM AUCTARIUM.

Cantiones Natalitiae.

110. De Nativitate Domini.

1. Sonitemus voculis
Neumatum in tropulis,
Res amoenitatis
Madefacto vellere
Stellam signat parere
Solem claritatis.

2. Vis hebescit physicae,
Partus hic mirifice
Flaminis adflatu
Sine viri semine
Pura fit de virgine
Salvo caelibatu.

3. Taciturus logice
Mirans prolis deicae
Partulum sincerum,
Cuncta qui disposuit,
Sic potens sic voluit,
Sic dans esse verum.

4. Assueri coniugio
Genus a supplicio,
Hesther, exemisti,
Dum pro Vasthi tumida
Veste regis fulgida
Sponso placuisti.

5. Benignis precatibus
Veniam reatibus,
Virgo, deprecare,
Audit namque protinus
. . . . . .
. . . . . .

6. Regis nec praesentia,
Virgo mater, filia,
Horre peccatores,
Sine quibus filio
Tanto puerperio
Nunquam digna fores.

7. A decreto deico
Carcere de Lymbico
Si non redimendi
Hi fuissent pretio,
Nulla tibi ratio
Natum pariendi.

8. Benedicta filio,
Rosa iuncta lilio
Iam es, o aurora,
Coram mundi principe
Vota nostra suscipe,
Gratiam implora.

9. Ad matris benigniter,
Rex o summe, iugiter
Vide supplicamen,
Salva matris servulos,
Cleros atque populos
Tergendo peccamen.

Cant. ms. Pragense (Wenceslai de Wyskytna) anni 1512. Cod. Mus. Bohem. XIII A 2. — 2, 6 Salvato. — 3, 6 Si das esse. — 6, 3 Non horre.

111. De Nativitate Domini.

1. Verbum patris mundo fulsit
Uterum per virginis,
Mentem cuius non oppressit
Sarcina peccaminis.

2. Praesagium prophetarum
In hac die panditur,
Et figura paginarum
Novo partu solvitur.

3. En, secretum Isaiae
Propalatur hodie,
Porta clausa Ezechiel
Reseratur festine.

4. Iamque Gedeonis vellus
In area maduit,
Rubus quondam incombustus
Fructum vitae protulit.

5. Iam captivus liberatur,
Zabulon conteritur,
Vita datur, mors fugatur,
Deus homo nascitur.

6. O quam stupenda natio!
Parit virgo filium,
Haesitat stupens ratio
Infantis exordium.

7. Intellectus discurrendo
Syllogizans frustratur
Causam prolis inquirendo,
Quomodo humanatur.

8. Sed claudicat hic natura,
Ratio confunditur,
Nam est mira genitura,
Pneumate disponitur.

R. O beata progenies,
Dulci cum puerpera
Ab aerumnis te laudantes
Leva super aethera.

Cant. ms. Pragense (Wenceslai de Wyskytna) anni 1512. Cod. Mus. Bohem. XIII A 2. 1, 4 peccaminum. — R° steht hinter Str. 1.

112. De Nativitate Domini.

1. Salvator iam illuxit,
Mundi principem destruxit,
Pastoribus dans gaudium
Reclinavit praesaepium.

2. O mira humanitas,
Quod virginalis castitas
Semper illaesa exstitit,
Ex qua Deus prodiit!

3. Salutemus hunc natum,
Immolatum per ministrum
Generis Levitici,
Quod non credunt schismatici.

4. Omnes ergo plaudentes,
Patrem Deum venerantes,
Qui nos clarificavit
Et filium condonavit.

5. Mons hic manet illaesus,
De quo Christus lapis caesus,
Nobis est condonatus
Et pro nobis immolatus.

6. Sacra haec mysteria
Nos perducant ad gaudia,
Ubi pax et gloria
Per infinita saecula.

Cant. ms. Pragense (Wenceslai de Wyskytna) anni 1512. Cod. Mus. Bohem. XIII A 2. — 1, 4 Declinavit.

113. De Nativitate Domini.

1. Succinamus vocum harmonia
Laudis sonorosae eulogia
Christi natalia
Exsultantes venerabilia.

2. Qui de throno gloriae polorum
Caeli dono aulae puellaris
Invisit conclave
Salutando Gabrielis ore.

3. Hunc enixa virgo egregia,
Procreata stirpe ex regia,
Turba prophetica
Quam praedixit laude hymnidica.

4. Est facturus omnipotens mirum,
Circumdabit puerpera virum,
Gemma mulierum
Germinabit antiquum dierum.

5. Portam clausam cernit Ezechiel,
Saxum ruptum propheta Daniel
Abs manu fragili,
Signans ortum virginis filii.

6. Iam egressus thalami cubile
Reclinavit praesaepium vile,
Stricta dum fascia
Membra ligat repleta gratia.

7. Qui parentis dolens de ruina
Voluisti appetere ima,
Ut tis medicina
Restauretur gaudia ad prima.

8. Molis nostrae expia reatum,
Ut post vitae taediosum statum,
Mentis caelibatum,
Mereamur caeli incolatum.

Cant. ms. Pragense (Wenceslai de Wyskytna) anni 1512. Cod. Mus. Bohem. XIII A 2. — 5, 2 prophetavit.

114. De Nativitate Domini.

1. Est de monte lapis caesus,
Fuit tamen mons illaesus,
Quo processit noster Iesus.

2. Qui de sede maiestatis
Venit ad nos ferens gratis
Nostrae onus paupertatis.

3. Quam ut daret virga Iesse,
Tempus erat et necesse,
Cum iam seges sit in messe.

4. Thronus regi praeparatur,
Arca Noe fabricatur,
Per quam mundus liberatur.

5. Caelum stillat nobis rorem,
Apis mellis dat dulcorem,
Virga Iesse gignit florem.

6. Iesu, verbum summi patris,
Per amorem tuae matris
Nos tuere a peccatis.

Cant. ms. Pragense (Wenceslai de Wyskytna) anni 1512. Cod. Mus. Bohem. XIII A 2. A. — Cant. ms. Vissegradense saec. 15. Cod. Capit Vissegraden. s. n. (ol. V C c η) B — 3, 3 fit in A. — 4, 3 Per quem B. — 5, 3 gignens B. — In B zum Teile als Tropus des Sanctus verwendet.

115. De Nativitate Domini.

1. En, virgo parit filium,
Iubilemus,
Rosa gignit lilium,
Exsultemus.

2. Qui prophetizatus,
Iubilemus,
Est in orbem natus,
Exsultemus.

3. Hominum naturam,
Iubilemus,
Sumpsit contra iura,
Exsultemus.

4. Golias prostratus,
Iubilemus,
Homo liberatus,
Exsultemus.

R. Natum sine Patre,
Filium cum matre
Collaudemus.

Rozenplut, Kancyonál 1601, p. 78.

116. De Nativitate Domini.

1. Nobis est natus hodie
De pura virgine
Rex victoriae,

2. Cui sol, luna et terra
Et omnia sidera
Vernant per tempora.

3. Ideo nos terrigenae
Laudemus hodie
Regem potentiae.

4. Ob hoc nunc pangamus ei
Omnes et singuli
Cum voce chorali.

5. Laudemus nostrum Dominum,
Mariae filium,
Regem humilium,

6. Ut dentur nobis praemia
Magnaque gaudia
In caeli curia.

7. Salus illi et gloria
Atque victoria
Per cuncta saecula.

Rozenplut, Kancyonál 1601, p. 80. — 1, 3 fehlt eine Silbe; 2, 2 ist eine überschüssig.

Cantiones Paschales.

117. In Resurrectione Domini.

1. Phoebus ecclipsi tumuli
Restringens umbram saeculi,
Pridem neci subiectus,

Refulsit surgens hodie,
Per quem perennis gloriae
Spe homo est refectus.

R⁰ Alleluia laetitiae
Christo, soli iustitiae!

2. De morte surgens grabato,
Qui hominem in sabbato,
Totum mundum salvavit;

Mortem morte propterea
Devicit et tartarea
Claustra praecipitavit.

R⁰ Alleluia laetitiae
Christo, soli iustitiae!

3. Captivos, quos dilexerat,
De limbo patres vexerat
Ad agmina polorum;

Plutonis posse destruit
Et vitae sedem construit
Credentum populorum.

R⁰ Alleluia laetitiae
Christo, soli iustitiae!

4. O Iesu, qui conglutinas
Et in statera trutinas
Totius orbis molem,

Laus, honor cum victoria
Sit tibi, virtus, gloria,
Qui manes ante solem.

R⁰ Alleluia laetitiae
Christo, soli iustitiae!

5. In hoc paschali gaudio
Benedicamus Domino
Discantu cum tenore;

Laudetur sancta trinitas,
Deo dicamus gratias
Mente simul et ore.

R⁰ Alleluia laetitiae
Christo, soli iustitiae!

Cant. ms. Pragense (Wenceslai de Wyskytna) anni 1512. Cod. Mus. Bohem. XIII A 2. — R⁰ steht hinter 1, 3. — Vor 5, 1 noch folgende, jedenfalls nicht dorthingehörige Zeilen:

Cum patre sed ingenito
Et spiritu nec genito,
Sed tantum procedenti.

118. In Resurrectione Domini.

1. Mortis, en, cum gloria
Victor mortis revixit,
Hostis posse victoria
Desolando vinxit.

2. Alacris lux oritur
Festa triumpho tali,
Quo mire decus promitur
Lucta palaestrali.

3. Retexit caliginem
Noctis lustrans livore,
Mortis dum vertit ordinem
Surgens miro more.

4. Tetendit ad inferos
Patres emanicipavit,
Manubriis horticulos
Captis spoliavit.

5. It patris ad solium,
Regnet ut sine fine,
Angelorum et hominum
Stipatus agmine.

6. Neuma caeli concinunt,
Patres laetificantur,
Colles, montes exsiliunt,
Una gratulantur.

7. Veris fer praesidia
Desuper, Iesu, cunctis,
Nobis et in Bohemia
Lege tua functis,

8. Surgentes ut colere
Pascha possimus digne,
Corde, ore et opere
Animo benigne.

R⁰ Canentes Alleluia
Laudes da resonemus,
Nos te duce gens libera
Tecum conregnemus.

Cant. ms. Pragense (Wenceslai de Wyskytna) anni 1512. Mus. Bohem. XIII A 2. — Akrostichon: Martinus.

119. In Resurrectione Domini.

1. Fortis, ecce, leo ille,
Christus surrexit hodie
Carmine laetitiae.

2. Quem designat in figuris
Clarus David, manu fortis,
Carmine laetitiae.

3. Iam armatus in atrio
Spoliatur cum gaudio
Tollens capta spolia.

4. Nam captivos liberavit,
Israel Aegypto pavit,
Psallat vox laetitia.

5. Hic est Samson vere fortis,
Qui abstulit portas mortis,
Sonet vox laetitia.

6. Velut Samgar hic robustus
Necat vomere sexcentos
Divina potentia.

7. In hoc paschali gaudio
Christo, victori strenuo,
Benedicamus Domino.

8. Laudetur sancta trinitas,
Gloriosa divinitas
Laetabundo carmine.

Rozenplut. Kancyonál 1601, p. 238 sq.

120. In Ascensione Domini.

1. Constat aetheris Iesum sedilibus iam residere,
Viris Gallilaeis ipsum cernentibus, cum assistere.

2. Testes angelici, semper veridici, sic profitentes:
Iterum veniet, qui mundum possidet; este gaudentes!

3. Pueri, canite, denuo vivite absque fermento,
Stabiles faciat, qui suos satiat vitae sacramento.

R^0 Per semitonia haec festivalia non ore nodoso
Chorus, Alleluia, canat per omnia corde iocoso.

Cant. ms. Pragense (Wenceslai de Wyskytna) anni 1512. Cod. Mus. Bohem. XIII A 2. — R^0 steht hinter 1, 1; 3, 2 und R^0, 1 fehlerhaft.

121. In Pentecoste.

1. Spiritum misit hodie
Ab aethere rex gloriae.

2. Huic melos laetitiae
Plaudat decus harmoniae.

3. Ut flamen sancti spiritus
Succendat corda caelitus,

4. Foris atque interius
Expurget nostrum facinus.

5. Gavisi sunt discipuli
Orantes corde humili.

6. Gaudium nobis attulit,
Evidenter quod patuit.

7. Dies laeta intepuit,
Sol clarius resplenduit.

8. Concinamus corde laeto
Viventes absque fermento.

9. Angelorum altissimo
Benedicamus Domino.

10. Laudetur sancta trinitas,
Deo dicamus gratias.

Cant. ms. Pragense (Wenceslai de Wyskytna anni 1512. Cod. Mus. Bohem. XIII A 2.

122. De sanctissima Trinitate.

1. Deum trinum adoremus,
Tres in una collaudemus
Personas essentia;
Hae personae personali
Distinguuntur, non locali
A se differentia.
Quamvis sunt tres, non sunt tria,
Quarum simplex est usia,
Sed trina distinctio,
Quas discernunt notiones,
Non humanae rationes,
Sed vera confessio.

2. Hae personae sunt diversae,
Non diversa nec aversae
In rerum regimine,
Cum sit illis idem nosse,
Idem velle, idem posse
Pari moderamine.
Pater alter est a prole,
Proles tamquam, sol ex sole,
A patre progreditur;
Quod procedit ab utroque,
Flamen patre filioque
Firma fide creditur.

3. Vivum, verum
Deum confitemur
Unanimiter,
Quem trinum in personis
Et unum in esse profitemur
Laudantes alacriter.
Per patrem vitia
Nostra a nobis removentur,
Per filium gratia tribuitur,
Fides per pneuma nobis datur.
Sic fide roborati
Stemus in fide rati.

Cant. ms. Pragense (Wenceslai de Wyskytna) anni 1512. Cod. Mus. Bohem. XIII A 2.

123. De sanctissima Trinitate.

1. Omnipotens
Pater gentium
Factor entium,
Exsistentium,
Quem colit terra,
Tremunt tartara
Et adorant aethera,

R° Gloriosus rex caelorum,
Dux angelorum,
Decus sanctorum,
Sub potestate magnus
Sedes in throno ut agnus.

2. Unigenitus
Ac illustris
Filius patris
Natusque matris,
Fortis leo
De tribu Iuda,
Victor mortis capta praeda,

R° Summus rerum opifex,
Verus pontifex,
Cuius mira lex,
Sub panis materia
Designat mysteria.

3. Consolatur
Mentis intimus,
Hospes optimus
Magisterque maximus,
Increatus
Nec factus nec natus,
Spiritus paraclitus.

R° Sed procedens ab utroque,
Patre filioque,
Compar utrique
Potestate,
Maiestate,
Divina aeternitate.

Cant. ms. Pragense (Wenceslai de Wyskytna) anni 1512. Cod. Mus. Bohem. XIII A 2. — 1. 12 et agno.

124. De Corpore Christi.

1. Iesus Christus dum cernitur,
A veris ipse colitur,
Corde tamen purissimo
Canamus regi Domino.

2. Agmina angelorum
Astantant nunc sacerdotum
Manibus offertur [pia]
Pro fidelibus [victima].

3. Corpus Christi immolatur,
Ut a matre generatur,
Verus homo, verus Deus,
Pius liberator meus.

4. Omni bono augmentatur,
Qui te fide speculatur,
Bone Iesu, miserere
Omnium nostrum tu vere.

5. Bonis, sanis sumentibus
Est refectio mentibus,
Indigne sumentibus
Est detrimentum talibus,

6. Ut non accedant infirmi,
Imbecilles et indigni,
Ut refert apostolus,
Ille doctor egregius.

7. Sanis, bonis inquit: ite,
Salutem vestram quaerite,
Nam summum bonum Deus est,
Quod maius eo, nihil est.

Cant. ms. Pragense (Wenceslai de Wyskytna) anni 1512. Cod. Mus. Bohem. XIII A 2. — Der Einfluſs des nachfolgenden Liedes auf dieses ist unverkennbar. Nach dem Akrostichon dürfen wir wohl Iacobellus von Mies für den Verfasser halten.

125. De Corpore Christi.

1. Iesus Christus, nostra salus,
Quod reclamat omnis malus,
Nobis sui memoriam
Dedit in carnis hostiam.

2. O quam sanctus panis iste!
Tu solus es, Iesu Christe,
Caro, cibus, sacramentum,
Quo nunquam maius inventum.

3. Hoc donum suavitatis
Caritasque deitatis,
Virtus et eucharistia,
Communionis gloria.

4. Ave pietatis forma,
Dei unionis norma,
In te quisque delectatur,
Qui te fide speculatur.

5. Non es panis, sed es Deus
Homo, liberator meus.
Ut in cruce pependisti
Et in carne defecisti.

6. Non augetur consecratus
Nec consumtus fit mutatus
Nec divisus in fractura
Plenus Deus in statura.

7. Esca digna angelorum,
Pietatis lux sanctorum,
Lex moderna adprobavit,
Quod antiqua prophetavit.

8. Salutare medicamen,
Peccatorum relevamen,
Pasce nos, a malis leva,
Duc post, ubi lux est aeva.

9. O quam magna tu fecisti,
Dum te, Christe, impressisti
Panis et vini specie
Obfantium in facie.

10. Caro cibus, sanguis vinum,
Est mysterium divinum,
Huic sit laus et gloria
In saeculorum saecula.

R⁰ Eia, iubilantes
Vultum attollite
Nostro creatori,
Symphoniis hymnidicis
Christum zelate.

Grad. ms. Altovadense anni 1410. Cod. Altovaden. 42. A. — Cant. ms. Vissegradense saec. 15. Cod. Capit. Vissegraden. s. n. (ol. V C ε η). B. — Orat. ms. Pollingense anni 1501. Clm Monacen. 11922. C. — Cant. ms. Pragense (Wenceslai de Wyskytna) anni 1512. Cod. Mus. Bohem. XIII A 2. D. — 1, 2 Quam C. — 3, 3 virtus est D. — 4, 1 norma BD. — 4, 2 forma BD. — 5, 1 est panis sed est BCD. — 6, 2 Inconsumens fit BD. — 8, 3 Tibi sit laus et gloria B. — 8, 4 Duc nos ubi est lux CD; per infinita saecula B. — 9, 1 Ach quam. — 9, 2 Dum te cruci impressisti D. — 9, 3 Panis, vini in speciem B; Vini et panis specie D. — 10, 1 Caro, sanguis panis, vinum D. — Str. 9 fehlt in C, 10 in BC. Dieselben scheinen auch deshalb unecht, weil mit Str. 8 das Akrostichon Iohannes endet und auch dem Sinne ein Abschlufs des Liedes wahrscheinlich ist. — Verfasser des Liedes Iohannes Hus. Vgl. Anal. I, 51 u. f. Das Lied steht auch in Collect. ms. Eberhardiclusanum saec. 15. Cod. Treviren. 322. Der Text ist aber so schlecht, dafs eine Heranziehung seiner Lesarten wertlos wäre; ebenso in: Orat. ms. Vallis iocosae saec. 15. Cod. Labacen. 147 mit der Aufschrift: „Carmen nobile de venerabili sacramento". Vor Str. 8 (Str. 9 und 10 fehlen) steht der Rundreim mit der Überschrift: „Repetitio Iohannis". Vgl. auch Anal. I, 43 (unter 8).

126. De Corpore Christi.

1. Panis vivus typicatus
Reclusus velaminibus,
Sciscitatur designatus
Lugubraminibus,
Nunc in mundum translegatus
Fit cibus viatoribus
Et in cruce est oblatus
Pro foedis peccatoribus.

2. Iste panis, est credenti
Qui salutis hostia,
Fideliter se vescenti
Caeli pandit ostia.
Pange, exsul, typicalem
Recolendo victimam
Sancti agni, quae paschalem
Se dedit dapem optimam.

3. In figuris praesignatus
Obscuri aenigmatibus,
Iste est agnus nobis datus
In pabulum credentibus.
Iste [panis] spiritalis,
Salubriter reficiens,
Vita bonis, mors est malis,
In se non deficiens.

4. Panis, ecce, angelorum,
Non mittendus canibus,
Est factus cibus viatorum
Repromissus patribus.
Iste panis sacramentum
Novum et celeberrimum,
Quod antiquum testamentum
Terminat durissimum.

5. Tantum ergo sacramentum
Veneremur cernui
Et antiquum testamentum
Novo cedat ritui,
Praestet fides supplementum
Sensuum defectui,
Fides sitque firmamentum
Aegro intellectui.

Cant. ms. Pragense (Wenceslai de Wyskytna) anni 1512. Cod. Mus Bohem. XIII A 2. — 2, 2 que. — 2, 7 agnique.

Cantiones Partheniae.

127. De beata Maria V.

1. Depromamus iubilose
Melos, pangamus cordose
Virgini gloriosae.

2. Aaron tu florens virgula,
Ex te sine macula
Carmen vitae prodiit.

3. Verbi Dei manens cella,
Regem regum interpella,
Salvet nos ut a procella.

4. Hymnizet cohors caelica
Sonora voce mellica
Virgini pia cantica.

5. Pelle culpas, o Maria,
Per te nobis detur via
Ad aeterna gaudia,

6. Ut ad caelos sic intremus,
Gratulemur et regnemus
Sedibus in caelestibus.

Cant. ms. Pragense (Wenceslai de Wyskytna) anni 1512. Cod. Mus. Bohem. XIII A 2.

128. De beata Maria V.

1. Divo fragrans numine
Maria dulcoris
Congaudet in culmine
Angelicis choris;
Ave, virguncula,
Maria pia.

2. Radiis solaribus
Undique amicta,
Stellis luminaribus
In connexo picta,
Ingenti gaudio
Maria pia.

3. Honor est per filium,
Tu dignum rapuisti
Singulare lilium,
Quia genuisti
Ornata monilibus,
Maria pia.

4. Vale, virgo virginum,
Ab angelis sumpta,
Mediatrix hominum,
Tu sola innupta,
Charismatum munere,
Maria pia.

5. Almo quem tu ubere
Lactasti in solo,
Tecum regnat libere
Rutilo in polo,
O beatissima
Maria pia.

Cant. ms. Pragense (Wenceslai de Wyskytna) anni 1512. Cod. Mus. Bohem. XIII A 2. — 3, 4 Quae genuisti.

129. De beata Maria V.

1. Gratulentur
musici, carminis
Prorumpant voces
in laudem virginis
Mariae gloriosae,
Sine spineto
florentis rosae,
Servans caelibatum
Orbi quae profudit natum.

2. Ex figuris
divinis claruit,
Dum rubus arsit
nec virens aruit,
Quo, virgo, praesignaris,
Partu producto
non temeraris;
Donum singulare!
Exstas mater sine mare.

3. Ortus clausus
germinas lilium,
Te fons signatus
rigans exsilium,
Te thronus Salomonis,
Vellus praesignat
te Gedeonis,
Flos florum, Maria,
Tu porta regis pervia.

4. Regis regum
genetrix humilis,
. . . . . .
. . . . . .
Prae cunctis es electa,
Mater honoris.
virgo, effecta,
Felix puerpera,
Lactans regentem aethera.

5. Gloriosam
te poli agmina,
Vatum beatam
collaudant famina.
Laudant et Evae nati,
Per filium
tuum reparati,
Te dignam laudibus
Concinunt omnes plausibus.

6. Iuncta tuo
congaudes filio,
Orbis assumpta
iam ab exsilio,
In veste deaurata
Astas a dextris
iam coronata
Corona gloriae,
Sponsa regis victoriae.

7. Vera mater
misericordiae,
Sis adiutrix
in valle miseriae,
Placando tuum natum
Potenter de-
terge reatum
Purgare vitia
Pietatis ex gratia.

8. Summe Iesu,
matris precamine
Nobis in diro
servis examine
Placare, rex sanctorum,
Coetibus ad-
iunge beatorum
Matris per iuvamen,
Da tibi conregnem. Amen.

Cant. ms. Pragense (Wenceslai de Wyskytna) anni 1512. Cod. Mus. Bohem. XIII A 2. — 3, 1 Ortus statt Hortus fordert das Akrostichon. — 3, 7 te fehlt. — 5, 5 Laudant te et. — 8, 9 conregnemus. — Akrostichon: Georgius.

130. De beata Maria V.

1. Imperatrix egregia,
Virgo gloriosa,
Iesu Christi mater pia
Et imperiosa.

R. O dulcis Maria,
Interventrix dia,
Lux, serena flebiles,
Refove nos debiles,
Advocata pia.

2. Ave, plena tu gratiae,
Salus humanitatis,
Tu sceptrum regis gloriae,
Arca deitatis,

R. Fac nos esse mites
Semper et humiles,
Potestas summi Dei,
Miserorum sancta spes,
Iunge nos, ubi tu es.

3. Memento nostri, quaesumus,
Praeelecta, sancta,
Ut tuus primogenitus
Parcat nostra peccata,

R⁰ O virgo virginum,
Exora Dominum,
Ut nos tuis precibus
Locans in caelestibus
Regni det solium.

Cant. ms. Pragense (Wenceslai de Wyskytna) anni 1512. Cod. Mus. Bohem. XIII A 2.

131. De beata Maria V.

1. Iam praestolantes gloriam,
Victoriam,
Surgite,
Clara dies illuxit,
Atram noctem destruxit,
Et nebula propellitur
Et umbra terrestris.

2. Nam mystice quem ceperit,
Hunc peperit
Maria,
Caelorum verum lumen,
En, pneumatis per numen,
Cui dixit Gabriel
Angelus caelestis:

3. O virgo venerabilis,
Laudabilis
Regina,
De stirpe David orta.
Tu vera caeli porta
Cunctis te laudantibus
Precibus praecelsis.

4. Trinitatis triclinium,
Tu filium
Vestisti
Patri [Deo] oboediens,
Paraclito consentiens;
Huic sit laus et gloria
Per aeterna saecula.

R° Ave, ave, gratia plena,
Dominus tecum,
Concipies et paries
Verbum patris altissimi;
Et verbum caro factum est,
Nobiscum est
Et manet in aeternum.

Cant. ms. Pragense (Wenceslai de Wyskytna) anni 1512. Cod. Mus. Bohem. XIII A 2. — 3, 5 veri caeli. — R° steht hinter Str. 1.

132. De beata Maria V.

1. Iesu dulcis mater bona,
Mundi salus et patrona
Supernorum civium,

2. Ad te flentes suspiramus,
Te gementes invocamus
Evae proles misera.

3. Regina tu pietatis
Et totius sanctitatis
Flumen indeficiens.

4. O Maria, tu benigna
Christi consors atque digna,
Votis nostris adnue.

5. Spes reorum es, Maria,
Redemptoris mater pia,
Electorum gloria,

6. Leti finis, vitae via,
Tibi triplex ierarchia
Digna dat praeconia.

7. Ave, gemma pretiosa,
Supra solem speciosa,
Virginale gaudium,

8. Virga Iesse tu florida,
Stella semper praefulgida,
Sidus verae lucis.

9. Statum nostrae paupertatis
Vultu tuae maiestatis
Clementer considera.

10. Pacem confer sempiternam
Et ad lucem nos aeternam
Transfer post exsilium.

Cant. ms. Pragense (Wenceslai de Wyskytna) anni 1512. Cod. Mus. Bohem. XIII A 2. — Str. 3 steht als R° hinter Str. 1; das Akrostichon Iaroslaus weist ihr indes ihren Platz als Str. 4 an.

133. De beata Maria V.

1. Iesu mater, deica
Virginum *Maria*
O curatrix, medica
Hominum *Maria*.

2. O de Deo genita
Genetrix *Maria*,
O decus angelicum,
Gaudium *Maria*.

3. Haec divina *gratia*
Mire procuravit,
Te virtutum *gratia*
Privilegiavit.

4. Ave, ventrem *gratia*
Prole fecundavit,
Cuius mira *gratia*
Damnatos sanavit.

5. Nam *plena* munditiae
Cella puritatis,
O *plena* laetitiae
Porta pietatis!

6. Nam in ventris alvulo
Requievit *tecum*,
Iacens in praesaepio
Colludebat *tecum*.

7. Et prius in stabulo
Laborabat *tecum*,
Nunc sedens in solio
Gratulatur *tecum*.

8. Solam iam prae ceteris
Dominus dilexit,
Ultra summos angelos
Dominus te vexit.

9. Decoris te pallio
Dominus contexit,
Et dulcoris oculo
Dominus respexit.

10. Et benedicto Domino
Gaudens *benedicta*,
Nam Maria nomine
Tu es *benedicta*.

11. Tui fructus praemia
Da participare,
Amen dicat populus
Cum devotione.

Cant. ms. Pragense (Wenceslai de Wyskytna) anni 1512. Cod. Mus. Bohem. XIII A 2. — 4, 1 ventrem tuum; gratia fehlt. — 8, 1 Sola. — Das Lied ist unvollständig; dies zeigt einmal die Glosse über das Ave Maria, anderseits das Akrostichon „Iohannes de . . .“

134. De beata Maria V.

1. Rosa, rosarum primula,
Consurgens ut aurora,
Immunis omni rimula
Noe salutis prora.

R⁰ Davidis ala . . . .
Clangens et sonora,
Dulcor in aure Domini,
Virgo, pro nobis ora.

2. Omnis dos Abigail,
Iudith, Esther formosa,
Maria, sponsa pervigil,
Stirps Iesse fructuosa.

3. In tribus, virgo, tertium
Tu mundo peperisti,
Nos perduc in Cistertium
Lotos cruore Christi.

Grad. ms. Pragense anni 1473. Cod. Mus. Bohem. XII A 1. — R⁰, 2 et fehlt.

135. De beata Maria V.

1. Felici amatrici
Christique genetrici
Dulci sono resonemus,
Decet symphonizare
Virginem et laudare
Pro morum virtute.

2. Te Deus genetricem
Et nos te adiutricem
Egentium censemus.
Belial te spernente
Dominoque cernente
Servata es a fomite.

3. Tu virginum speculum,
Evellens hostis iaculum
Tu cum virtutibus.
Exhinc post statum gratiae
Assumpsit locum gloriae
Regnans in caelestibus.

4. Christicolae nos lasse
Precamur, ut non casse
Roges pro venia,
Ut tua per suffragia
Relaxentur vitia.
Et placetur Dominus.

R° O norma virginum.

Cant. ms. Pragense (Wenceslai de Wyskytna) anni 1612. Cod. Mus. Bohem. XIII A 2. — Eine primitive Umarbeitung der Cantio *Felici peccatrici*, Anal. I, 108. Das Versmafs ist von dem Umdichter des öftern verderbt; der Rundreim offenbar unvollständig.

136. De beata Maria V.

1. Dies iam laetitiae,
Salutisque fiduciae,
In qua processit hodie
De stella sol iustitiae.

2. Servi sumens formulam,
Plastorum quoque normulam,
Per vatum praesagia
Mundi tollit contagia.

3. Sanctissima, te poscimus
Supplicibus nunc vocibus,
Adveni, dulcis domina,
Dele nostra peccamina.

4. Pro nobis ora filium,
Rosa, candens lilium,
Absterge nostra vitia,
Imple nos laetitia.

5. Per tuum, virgo, filium,
Per patrem, per paraclitum
Assis praesens ad obitum,
Da felicem exitum.

6. Maria, mater gratiae,
Mater misericordiae,
Tu nos ab hoste protege,
In hora mortis suscipe.

7. Maria, virgo virginum,
Deposce nobis omnium
Remissionem criminum
Tuum placando filium.

8. Gloria tibi, Domine,
Qui natus es de virgine,
Cum patre et sancto spiritu
In sempiterna saecula.

R. Aaron virga florida
Casta virgo fecunda,
Thronus veri Salomonis
Et vellus iusti Gedeonis.

Cant. ms. Pragense (Wenceslai de Wyskytna) anni 1512. Cod. Mus. Bohem. XIII A 2.

137. De beata Maria V.

1. Virgo nobilis,
Genetrix dia
Et amabilis,
Virgo Maria.

2. Summus te pater
Ab exordio,
Ut esses mater
Suo filio,

3. Dignam elegit;
Qui caelos regit,
Te adamavit
Ac illustravit.

4. Nuntium misit,
Cui commisit:
Haec arcana fer
Et cuncta refer.

5. Habitaculum
Archangelus it
Et oraculum
Dei aperit.

6. Ave, Maria,
Angelus dixit,
Plena gratia,
Et post detexit:

7. Paries natum,
Quem chori vatum
Praecinuere,
Adoravere.

8. Ex tuo alvo
Pudore salvo
Procedet natus
Desideratus.

9. Virgo turbatur
Archangelico
Et admiratur
In eloquio.

10. Virum non nosco,
Ait Maria,
Materque posco
Effici dia.

11. Noli timere,
Virgo sacrata,
Haec tibi ferre
Veni secreta.

12. Numen paternum
Te obumbrabit,
Pneuma supernum
Te adornabit.

13. Verbis secunda;
En, altissimi
Fies fecunda
Mater filii.

14. Velis credere,
Mitis puella,
In tua vere
Sacrata cella

15. Gigas armari,
Carne togari
Vult, oprimere
Hostem, sternere,

16. Cuncta spolia
Illi rapere
Et ad lilia
Patris transferre.

17. Hunc tuum natum
Vocabis Iesum,
Post immolatum
Videbis caesum.

18. En, Elisabeth,
Tua cognata,
Cum Deus iubet,
[Est] impraegnata.

19. Ecce, humilis
Dei ancilla;
Ea, quae dicis,
Fiant in illa.

20. Stupet natura,
Dum sua iura,
Puella pura,
In te franguntur.

21. O mater Dei
Felicissima,
Sis memor mei
Die ultima.

22. Spes mortalium
Prima post Deum,
Nobis filium
Fac propitium.

23. Virtutum cella
Fragrantissima,
Propinans mella
Suavissima,

24. Maria, stella
Serenissima,
Educ, ancilla,
Profundissima.

25. Quibus oriris,
Non naufragantur,
Fluctus aequoris
Non adversantur.

26. Splendens aurora,
Solis praevia,
Pro nobis ora,
Dulcis Maria.

27. Iericho rosa,
Palma in Cades,
Tu gratiosa,
Cui vis, ades.

28. Caeli fenestra,
Inferni castra
Da evitare
Ducens ad astra.

29. Vera patrona
Christianorum,
Pia matrona
Desolatorum,

30. Audi canentes,
O piissima,
Cura languentes,
Clementissima.

31. Pestem removens
Praebe vivere,
Post letum fovens
Summo aethere.

32. Aevum solamen,
Tuum iuvamen,
Sacrum det flamen,
Canamus Amen.

Cant. ms. Pragense (Wenceslai de Wyskytna) anni 1512. Cod. Mus. Bohem. XIII A 2. — 17, 2 Vocabis eum. — 25, 4 Non aquasantur. — 31, 3 Post locum.

138. De beata Maria V.

1. Vigilanter melodum
Nymphae harmonizent,
Hymnidice phonicum
Matri modulizent,

2. Corde ovans cleri coetus
Carmen ructuando,
Ore tonans, mente laetus
Melos reboando.

3. Castissimam Assuerus
Hesther collocavit,
Vasthi spernens sceptro regni
Iure trabeavit.

4. Te architam Salomon
Dextris sociavit,
Venustate praecellentem
Laude adornavit.

5. Orphanorum lugubres
Laudant matrem voces,
Regi regum celebres
Per te mittunt preces,

6. Adiutricem exspectantes
Divam abs repulsa,
Redemit quos, ut salventur
Morte saeva pulsa.

7. Interventu caelibis
Matris, Iesu, salva
Hanc catervam deposcentem
Tua tecum regna.

8. Nymphularum reginam
Cohors interpella,
Consequaris protectricem
Euntem in regna.

R. Magnificans assistricem
Regis theotocos,
Humanitus alitricem
Summi venerando.

Cant. ms. Pragense (Wenceslai de Wyskytna) anni 1512. Cod. Mus. Bohem. XIII A 2. — 1, 3 sq. und 2, 1 sq. vertauscht. — 1, 4 modulizet. — 2, 2 ructuantes. — 5, 3 sq. und 6, 1 sq. vertauscht. — 6, 2 Diva. — R° steht hinter Str. 1.

139. De beata Maria V.

1. Superni iubar aetheris
Praefiguratam veteris
Mundo detegit scripturam
Laudando Mariam piam.

2. Aspectu solis rutilans,
Salutis tempus nuntians
In orbe divo iam legi
Summo quoque Christo regi.

3. Nam chaos necis pellitur,
Caelestis vita redditur,
Hic sumus nunc exstantes
Ac praecelsum venerantes.

4. Praefulgens natus cernitur,
A sinu patris mittitur,
Paternalique dulcore
Iubilo canamus ore.

5. Hebescit sensus logicae,
Stupescit cursus physicae,
Obmutescunt cunctae artes
Ac philosophicae partes.

6. Dum virgo carens semine
Sacroque gignit germine
Caelique terrae rectorem,
Maris quoque dominatorem.

7. Aurora fulgentissima
Stellaque praepurissima
Subventrixque miserorum,
Consolatrix oppressorum.

8. Benigna, placa filium,
Ut nobis post exsilium
Donet regna introire,
Tandem chorum angelorum.

Cant. ms. Pragense (Wenceslai de Wyskytna) anni 1512. Cod. Mus. Bohem. XIII A 2. — 3, 3 fehlt eine Silbe.

140. De beata Maria V.

1. Salve, mitis virguncula,
Tu trinitatis cellula,
Maria beatissima,
Virtuosa Annae nata,
In mysticis typicata
Figuris, aenigmatibus,

R. Nascentis Christi clementia
Illa, quam prodit Sibylla
Sollemni vaticinio.

2. Ierusalem filia,
Tu optima consilia
Dans veniam quaerenti,
Tu clavis es Davidica,
Tu es serpentis pertica,
Percussus qua revixit;

R. Realis est arca illa,
Ne Charybdis nos vel Scylla
Obruat in diluvio.

3. Amicta sole, luce plena,
Quam cum prole duodena
Te circumtendunt sidera,
Medicinalis camphora,
Tu es farinae amphora,
Tu olei lechytus.

R. Mystica tu metaphora,
Tu repetens anaphora,
Qua sermo fit politus.

4. Lux omnium pulcherrima,
Tu fama celeberrima,
Gens praerogat modesta,
Urna tu quoque aurea,
Tu tabula lapidea
Dans decem iussa genti.

R. Dotata mille sortibus
Et grata prae consortibus,
Te spiritus ignivit.

5. Memento nostri oneris,
Nos Abrahae ut generis
Fiamus coheredes,
Implora tuum filium,
Ut det nobis auxilium,
Tu honor trinitatis.

R. Laetemur ut in aetheris,
Sanctorum quae prae ceteris
Nostra es advocatrix.

6. Legalis es coniugii,
Vitalis es refugii
Fidelis advocata,
Arca tu es aetherea,
Tu, virgo, virga fumea
Aromate pigmenti

R. Et humilis [ancillula],
Tu es in nostra terrula
Vox turturis audita.

7. Sponsa tu praebens oscula,
Tu deitatis cartula
Sigillo communita,
Amica fidei tutrix,
Peccatorum es adiutrix
Et salus in periculis,

R. Regalis es virga Iesse,
Laborantum falx in messe
Mortis in articulo.

8. Armatura tu fortium,
Insultibus cohortium
Resistens alienis,
Vatum tu es oraculum,
Tu fidei signaculum,
Quo Deus subarrhavit,

R. Nos gratia roritluos
Et famulos rege tuos,
Virguncula Maria.

Cant. ms. Pragense (Wenceslai de Wyskytna) anni 1512. Cod. Mus. Bohem. XIII A 2. — 1, 8 Illam quam. — 2, 5 portica. — 3, 9 Que sermo sit. — 7, 8 Laborantium. — 8, 4 es fehlt.

141. De beata Maria V.

1. Salve, deitatis cella,
Virgo virginum,
Maria, nostra consolatrix;

Salve, de radice Iesse,
Noster chorus optat adesse
Orphanorum adiutricem.

R. Ex Davidis progenie,
Mater misericordiae,
Tu nos ab hoste protege.

2. Salve, vas deitatis,
Cubile trinitatis,
Placa tuum filium;

Salve, virgo virginum,
Deposce nobis omnium
Remissionem criminum.

R. Ex te nascitur verus
Iesus Christus parvulus,
O virgo sacrata.

3. Salve, mater Maria,
Tuo nos concilia
Regi, regum filia;

Salve, virgo singularis,
Serva nos a peccatis
Rogans tuum filium.

R. Salve, regina diva,
Suscipe haec carmina,
O virgo beata.

Cant. ms. Pragense (Wenceslai de Wyskytna) anni 1512. Cod. Mus. Bohem. XIII A 2.

142. De beata Maria V.

1. Salve, lux fidelium,
Lucens in aurora,
Quae es supra lilium
Pulchra et decora.

2. Nostra spes, fidelium
Vitae reparatrix,
Est et erit hodie
Mater virginalis.

3. Suspiramus fletibus
Nostris pro peccatis
Et nostris criminibus
Viliter patratis.

Cant. ms. Pragense (Wenceslai de Wyskytna) anni 1512. Cod. Mus. Bohem. XIII A 2. — 3, 3 nostris gemitibus.

143. De beata Maria V.

1. Mater altissimi regis,
Tu humani altrix gregis,
Advocata potissima
In hora mortis ultima.

2. Amore matris filius
Placabitur facilius,
Ergo regnans cum natulo
Sis assistrix pro populo.

3. Regina caeli diceris
Sanctissima prae ceteris,
Spes prima tu post filium
Nostrum, servorum vilium.

4. Tu Hesther, salus Iudaei,
Ingementis Mardochaei,
Assuero regi placida
Astans in veste fulgida.

5. Habes accessum, o homo,
Coram sedente in throno,
Si monstrat mater ubera
Nato, is patri vulnera.

6. Accede, securus esto,
Sunt interventores praesto
Christus cum sanctis omnibus,
Regina cum virginibus.

Cant. ms. Pragense (Wenceslai de Wyskytna) anni 1512. — 5, 3 Si fehlt. — Akrostichon: Martha; wohl nicht die Verfasserin, sondern eine dem Dichter irgendwie nahestehende Persönlichkeit, der er seine Dichtung zueignen wollte.

144. De beata Maria V.

1. Imperatrix gloriosa,
Mater gratiosa,
Mitis et serena,
Dona fer amoena,
Dulcedine plena.

2. Radix vera salutaris,
Clara stella maris,
Virgo singularis,
Miro modo paris,
Nato non gravaris.

3. Tu flos florum, fons hortorum,
Tu zelatrix morum,
Mater orphanorum,
Fugatrix dolorum,
Pudoris lilium.

4. Superas solem splendore
Lunamque decore,
Virgineo flore
Caelestique rore,
Repleta pudore.

5. Ave, templum deitatis,
Splendor claritatis,
Vas sinceritatis,
Decus sanctitatis,
Nympha bonitatis.

6. Nobis confer nunc solamen
Christi per iuvamen,
Ne nobis noceat
Iudicis examen;
Depromemus Amen.

Cant. ms. Pragense (Wenceslai de Wyskytna) anni 1512. Cod. Mus. Bohem. XIII A 2. — 2, 1 vera salvatoris. — 4, 1 Tu superas.

145. De beata Maria V.

1. Ave, pura tu puella,
Dominantis domicella,
Cuius tuto sub mantello
Nullus timor est misello,
Sed timido latibulum.

2. Nulla inventa similis
Est in milibus feminis,
Gestans Christum in gremio
Et pariens cum gaudio
Mundi salvatorem.

3. Dilecta nunc gaude mea,
Cuius vadunt in chorea
Omnes tui spiritales
Sponsi, tui curiales,
Qui tuum cantant canticum.

4. Regina caeli exsulta,
Auro, gemmis bene fulta,
Ad te nostra mens suspirat,
Qui te amat, non delirat,
O amor, o amoenitas!

5. Electa, candens facies,
Caeli transscendens acies,
Dignare nos erigere,
Faciens tu diligere
Sortem beatorum.

6. Arbor praepulchra floribus,
Te fructus suavissimus
Subintrans ventris clausulam
Onustat castissimam
Cellam pigmentariam.

7. Salve, salutis facies,
Centena mille per vices,
Fac mundum nos despicere,
Tecum nos semper vivere,
O nutrix egenorum.

Cant. ms. Pragense (Wenceslai de Wyskytna) anni 1512. Cod. Mus. Bohem. XIII A 2. — 2, 2 Est in milibus in femineis.

146. De beata Maria V.

1. Cantemus laudes virgini
Cuncti, senes et parvuli,
Haec est rosa floridior
Lilioque candidior.

2. Rident namque caeli ei
Vocantque matrem spei,
Et, si dicas Ave ei,
Cedunt daemones rei.

3. Illam nam Bernardus inquit,
Non dubites haec, fore sic,
Haec est pia advocata
Tutrixque praeparata.

4. Sola spes haec miserorum,
Quam opifex, rex caelorum,
Super choros angelorum
Locavit in solium.

5. O advocatrix benigna,
Rogamus, tu nos assigna
Dominatori cunctorum
In vitamque beatorum.

6. Speciosa o virgula,
Quae excedis amygdala,
Gena tua rubens, clara
Pulchriorque purpura.

7. Teque per advocatricem,
Sanctam quoque genetricem
Adiungamur nato pio
In caelesti collegio.

8. Omnes ergo assurgamus
Et laudes nunc prorumpamus
Christi genetrici dignae
Carmen per insigne.

9. Mater misericordiae.
Poenis Orci nos erue.
Ne labamur perpetue
Ex hac valle miseriae.

10. Virginitatis zelatrix,
Lapsus nostri reparatrix,
Culpam Adae tu tegisti,
Christum cum genuisti.

11. Sanctissima, deprecare,
Coetum cleri collocare
Velisque in sideribus
Solutis tunc doloribus.

Cant. ms. Pragense (Wenceslai de Wyskytna) anni 1512. Cod. Mus. Bohem. XIII A 2. — 9, 2 A poenis. — 9, 3 labemur. — 10, 2 Lapsi. — 10, 3 tu texisti.

147. In Visitatione BMV.

1. Abit virgo in montana
Concrepando mente sana,
Elisabeth exsultavit,
Quam tunc Maria salutavit
Visitando gravidam.

2. Illa illam amplexatur,
Miles hero famulatur,
Dum praesens sit convenire,
Se matres sanctas sic ambire,
Senem mulcet pavidam.

3. Chorus noster dicat Amen
Collaudando sacrum flamen,
Quod utramque visitavit,
Divino igne inflammavit
Mariam et cognatam.

4. Alleluia decantemus,
Florescentem collaudemus,
Quae protulit sanctum florem
Iustis ac sanctis in honorem,
Matrem atque filiam.

Cant. ms. Pragense (Wenceslai de Wyskytna anni 1512. Cod. Mus. Bohem. XIII A 2. — 2, 2 Miles heres. — 4, 2 decantemus.

148. In Assumptione BMV.

1. Quae est ista, quae ascendit?
Quod vult ipsa? quo protendit
Gressus suos ponere?
Haec est rubus inflammatus,
Rore cubus elevatus
Moysi sub onere.

2. Haec est vellus humefactum,
Rore pellis de intactum
Gedeonis munere;
Haec vult caelum transmeare,
Orci velum depraedare
Supplicatus fenore.

3. Haec est mater Iesu Christi,
Suum munus adipisci
Venit [haec] speciosa,
Quam assumit angelorum
Rector, tector miserorum,
Turba cum iubilosa.

4. Haec est rubus inflammatus,
Per quem it discalceatus
Moyses electus,
Hunc inflammat numen sanctum,
Et conclamat eum tantum
Crimine detectus.

5. Haec ad Deum vult meare,
Qui eam vult coronare
[Honore et gloria]
Qua praecincta fulget iustis
Lumen praesidis adustis,
Qui degent iustitia.

R° Ergo pro nobis ora
Venerabilis
Et amabilis
Christum virgo Maria.

Cant. ms. Pragense (Wenceslai de Wyskytna) anni 1512. Cod. Mus. Bohem. XIII A 2. — 1, 5 sq. unverständlich. — 1, 6 sub honore. — 2, 2 intacto. — 4, 6 Crimen. — 5, 3 Iustitia. — 5, 6 iustitiae. — 5, 4 Quia.

149. In Assumptione BMV.

1. Praelustri elucentia
Titani redimiris,
Virtutum sic fragrantia
Dulciflue fulciris.

2. Super choros angelorum
Maria exaltata,
Arcem muri vitiorum
Nostrorum rue grata.

3. Maria, flos munditiae
Et castitatis norma
Fugatrixque malitiae,
Tu deitatis forma.

4. Caelicis saepta turmulis
Spirituum beatorum,
Dulciter resonantibus
Neuma personorum.

Cant. ms. Pragense (Wenceslai de Wyskytna) anni 1512. Cod. Mus. Bohem. XIII A 2. — Es folgen noch die drei bekannten Hymnenstrophen: Maria, mater gratiae etc.; Maria, virgo virginum etc.; Gloria tibi, Domine etc.

Cantiones de Sanctis.

150. De Omnibus Sanctis.

1. Resonans cleri coetus
Odas harmoniae,
Personans visu laetus
Carmen symphoniae,

R° Concrepet cordis iubilo
Cuncta gubernanti,
Psallat oris modulo
Per saecla regnanti.

2. Conditor, ens entium,
Supplicantes audi,
Director degentium,
Gementes exaudi,

R° Subleva laesos squalide
Valle lacrimosa.
Subleva lapsos valide
Regno gaudiorum.

3. Nymphula speciosa,
Regina caelorum,
Virgula gemmulosa,
Mater orphanorum.

R° Cohortem plebis respice
Sexus promiscui,
Sortem vitae divide,
Status perpetui.

4. Ordines hierarchici
Omnes electorum,
Incliti domestici
Cives beatorum.

R° Iungamur vestris precibus
Regi supernorum,
Orbi facti sedibus
Taetris [tar]tarorum.

Cant. ms. Pragense (Wenceslai de Wyskytna) anni 1512. Cod. Mus. Bohem. XIII A 2. — 1, 6 Cuncti. — 2, 8 Regni; der Reim verderbt; lies Urbe gaudiosa oder dgl. — 4, 5 Iungar. — 4, 7 Orbus factus.

151. De Omnibus Sanctis.

1. In hoc sacro sollemnio
Anni versante circulo
Exsultemus et laetemur
Omnes cum tripudio.

2. Rogitantes Iesum pium
Almae virginis filium,
Ut de lacu miseriae
Nos absolvat hodie.

3. O Maria, virgo dia,
Mater et dulcis filia,
Tu fac nobis propitium
Tuum unigenitum.

4. Vos angeli, patriarchae,
Vos quoque, sancti prophetae,
Vos apostoli, martyres,
Lucidi confessores,

5. Virgines nec non viduae,
Vos precamur assidue,
Ut per vestra precamina
Luantur peccamina.

6. Omnes sancti et electi
Dominoque praedilecti,
Sollicitate Dominum
Votisque precaminum,

7. Utque per hanc miseriam
Peccati lustrans scoriam,
Mortalem tollens tunicam
Det vitam sempiternam.

R^0 Eia, hagie,
Iesu Christe pie,
Christe, rex gloriae,
Tu riga nos,
Caelorum ros,
Virginis flos,
Salva nos.

Cant. ms. Pragense (Wenceslai de Wyskytna) anni 1512. Cod. Mus. Bohem. XIII A 2. — R^0 steht hinter Str. 2.

152. De Omnibus Sanctis.

1. Omnium sanctorum pia iuvamina
Ad regis polorum nos ducant culmina.

2. Prophetae, apostoli atque virgines,
Patriarchae, viduae atque martyres,

3. Deum exorate pro nobis miseris,
Omnibus succurrite in miseriis.

4. Iam iudicis summi iram nunc cernimus,
Quem multiformi crimine offendimus.

5. Omnes christicolae, iam hoc deposcite
Totiusque plebis crimen abstergite.

6. Angelica voce nacti consolamen
Omnes cum honore decantemus Amen.

Rozenplut, Kancyonál, 1601, p. 514.

153. De sancta Barbara.

1. Perennis regis nymphula,
O Barbara, nunc incola
Per sponsum tuum, ave.

2. Trabea, dextrochirio
Virtutum et virgineo
Pudore insignita.

3. Ex claro manans genere
Aetatis virgo tenerae
Praelustris margarita,

4. Reclusa turri procerum,
Cum cursum stupes siderum,
Mox nuntius caelestis

5. Vim conditoris recitat,
Ad fidem sic te incitat,
Cuius es facta testis.

6. Stridens Dioscorus furit
Pater atque diis spondet
Libare, ut promisit.

7. Tu, abra Dei tenera,
Non crucis horres genera,
Blanditias sprevisti.

8. Constanter fidem adprobas,
Deos gentiles reprobas
Honorans nomen Christi.

9. Caelestis vox, o Barbara,
Te vocat dicens: propera,
Suscipe solacium.

10. Gaudens in caelis hodie
Nos iunge regi gloriae
Post carnis exsilium.

Rozenplut, Kancyonál. 1601, p. 509. — 2, 1 Trabeo. — 8. 3 nomen Iesu.

154. De sancto Bartholomaeo.

1. O sancte Bartholomaee,
O martyr et apostole,
O amice Dei,

2. Te Astrages, rex crudelis,
Iussit percuti baculis
Pro nomine Christi.

3. Parans, ut eius idolis
Secum credas ac incolis
Huius provinciae.

4. Sed te fides promptissima
Semper traxit ad aethera
Orans pro famulis.

5. Dicens ad eos: Audite,
Deum verum adorate
Sinentes idola.

6. Ex quo et in quo omnia,
Per quem vivunt et singula
Nunc et in perpetuum.

7. Tandem excoriari
Iussit et decollari
Propter constantiam.

8. Vincens hic minas tortorum,
Simul poenas tormentorum,
Migrasti a saeculo.

9. Sit benedicta trinitas,
Sit veneranda unitas
Tua pro victoria.

10. Laus patri cum filio,
Sancto simul paraclito
Nunc et in aevum.

Cant. ms. Pragense (Wenceslai de Wyskytna) anni 1512. Cod. Mus. Bohem. XIII A 2. A. — Rozenplut, Kancyonál, 1601, p. 500. B. — 1, 2 et fehlt B. — 1, 3 Et amice B. — 2, 1 Te fehlt B. — Str 3 fehlt A. — 5, 3 Spernentes B. — Str. 7—10 fehlen B. — 7, 1 excoriari A. — Rundreim O amice Dei; aufserdem hat aber A statt Str. 3 die folgenden Zeilen, die gleichfalls ein Rundreim zu sein scheinen:

Petimus te, care,
Ut velis impetrare
Peccatorum veniam.

155. De sancto Bartholomaeo.

1. Bartholomaeo beato
Decantemus singuli,
Martyrio decorato,
Senes ac iuvenculi.

R° Qui divina pietate
De bonorum honestate
Est ditatus in aetate
Absque malignitate.

2. Qui princeps exstitit soli
Natus alto genere,
Manet adhuc princeps poli,
Tectus agni vellere.

3. Hinc Indos dum convertebat
Verbo salutifero,
Daemones tunc confundebat
Facto nimis aspero.

4. Bartholomaeus beatus
Sua devota prece
Populorum incolatus
Liberavit a nece.

5. Post ut agnus coriatur
Tyrannorum manibus,
In caelis mox adunatur
Duodenis sedibus.

6. Hunc ergo iam imploremus
Venerantes hodie,
Ut post mortem collaudemus
Secum regem gloriae.

R° Pater, natus, sacrum flamen,
Det nobis hoc iubilamen,
Ut consequentes [iuvamen]
Decantemus omnes Amen.

Cant. ms. Pragense (Wenceslai de Wyskytna) anni 1512. Cod. Mus. Bohem. XIII A 2. — R°, 2 Te bonorum. — 5, 1 scoriatur.

156. De sancta Dorothea.

1. Dorothea coronata
Aureola et aurea,
Dori senatoris nata,
Bina pollens laurea.

2. Oriunda ex profunda
Senatorum prosapia,
Cuius aedes atque sedes
Fuit Cappadocia.

3. Regi poli atque soli
Exstitit ab initio
Desponsata, pro qua data
Diro est supplicio.

4. Castitatis rationem
Fers primam cum virginibus,
Capitis truncationem
Alteram cum martyribus.

5. Pretiosa martyr Christi,
De sponsi viridario
Poma, rosas direxisti
Theophilo notario.

6. Hortum rosis dulcorosis
Tu plenum cum Theophilo
Meruisti, fac, ut isti
Iungamur cum iubilo.

7. Ergo, nympha, nos, quos lympha
Abluebat baptismatis,
Fac sentire, non odire
Hortulum aromatis.

8. Ad quem sursum fac post cursum
Orbis atque exsilium
Nos creatos, expiatos
Per Mariae filium.

Cant. ms. Pragense (Wenceslai de Wyskytna) anni 1512. Cod. Mus. Bohem. XIII A 2. A. — Rozenplut, Kancyonál. 1601, p. 510. B. — A hat nur die Strophen 1, 5 und 4, worauf noch folgende zwei:

Vos, scholares et studentes,
Huius amatores nymphae,
Doctrinarum nectar lymphae
Sitis ab hac petentes.

Hos nam iuvat, quae honorant
Ipsius natalitium,
Ut in chorum beatorum
Intrent post exsilium.

Die Strophen 4 und 5 zerstören das Akrostichon Dor[ot]hea. Vier Strophen dieses Liedes mit dem Anfange Katharina coronata (sic!) und sehr schlechtem Text stehen auch in der Trierer Handschrift 322, einem Sammelband aus Eberhardsklausen (15. Jahrh.).

157. De sancta Dorothea.

1. Dulcem caeli collaudemus
Virginem cum agmine,
Omnes simul decantemus
Laeto modulamine.

R° Regulante chorum
Puella nobili
. . . . . .
. . . . . .
Dorothea.

2. O dulcedo pietatis,
Rex caelorum, Domine,
Temporibus qui mutatis
Reples terram germine,

R° Hoc (in mense) Februario
Rosae dum mittuntur
a te notario,
Puellae datae
pro praemio.

3. Eia, virgo, martyr Dei,
Ora Christum Dominum,
Adiutrix sis sanctae spei
Laetum optans terminum.

R° Assis in extremis
Iesu per iuvamen,
Amovendo fortiter
sostium examen,
Quo laetemur.

Cant. ms. Pragense (Wenceslai de Wyskytna) anni 1512. Cod. Mus. Bohem. XIII A 2. — 2. 5 Hoc in viso Februario.

158. De ss. Iacobo et Christophoro.

1. In hac die Christophorus
Iacobusque apostolus
Pro fidei suspirio
Trucidantur martyrio.

2. Iohannes, frater Iacobi,
Alter filius tonitrui.
Dum tonant evangelium,
Corda fremunt crudelium.

3. Fratris tunc bibit calicem
Sibi desiderabilem,
Hinc iungitur altissimo;
Benedicamus Domino.

Rozenplut, Kancyonál. 1601, p. 497 sq.

159. De s. Iohanne Evangelista.

1. Iohannes virgo clarior,
Amicus Christo carior.
Apostolus electior,
Discipulis dilectior.

2. Scrutator evangelicus,
Custos virginis caelicus,
Supra pectus recubuit,
In poenis non occubuit.

3. O virgo Christi dilecte,
Nobis veniam obtine,
Dum pleno vase oleo
Mersus es coram populo.

4. Illaesus exis de eo
Adiuvante te Domino,
Manens Patmos in insula
Secreta videns in ea.

5. Christus vocavit dicendo:
Veni, dilecte, psallendo
Ad choros, quos tu vidisti,
Cum adhuc ibi mansisti.

6. O Iohannes apostole,
Nostris delictis condole,
Caelorum tenes in aula
Pandendo nobis gaudia.

7. Exora nobis gratiam,
Ut ducamur ad patriam;
Cum dilecto discipulo
Benedicamus Domino.

Rozenplut, Kancyonál, 1601, p. 498 sq.

160. De sancto Laurentio.

1. O summa spes fidelium
Sanctorumque solacium,

2. Ad te clamantes respice,
Nostras preces non despice

3. Martyris et diaconi
Interventu Laurentii,

4. Qui caecis lumen reddidit,
In te sperans hoc edidit.

5. Pro tuo pio nomine
Et thesauro ecclesiae

6. Igne sanctus comburitur,
Passus caelum ingreditur.

7. Iacens iam in craticula
Gessit miranda opera.

8. O sanctissime Laurenti,
Nos coniunge sacrae genti,

9. Ut cum sanctis gaudeamus,
Christum verum recolamus.

10. Ergo de tali gaudio
Benedicamus Domino.

Rozenplut, Kancyonál, 1601, p. 504.

161. De sancta Margareta.

1. O praeclara Margareta,
Ave, tu decus virginum,
Serto candens lilium.
Sponsa Christi gloriosa,
Caeli scandens solium,
Evelle cordis lolium.

R⁰ Salva, Christe, te laudantes,
Tibi laudes concrepantes
Cordis cum tripudio.

2. A praefecto concupita
Eius spernis munera,
Caeli fulge gloria.
Margareta, flos virtutum,
Tua per suffragia
Duc ad caeli gaudia.

R° Eia, Iesu, rex benigne,
Fac, vivamus tibi digne
Nunc et in perpetuum.

Cant. ms. Pragense (Wenceslai de Wyskytna) anni 1512. Cod. Mus. Bohem. XIII A 2. — In Str. 1 steht der Abgesang vor dem zweiten Stollen.

III.

CANTIONES SUECICAE.

Cantiones Natalitiae.

162. In Nativitate Domini.

1. Ecce, novum gaudium,
Ecce, novum mirum!
Virgo parit filium,
Quae non novit virum,
Sed ut pirus pirum.
Gleba fert papyrum,
Florens lilium.
Ecce, quod natura
Mutat sua iura!
Virgo parit pura
Dei filium.

2. Mundum Deus flebilem
Cernens in ruina,
Rosam delectabilem
Produxit de spina,
Natum de regina,
Qui est medicina,
Salus gentium.
Ecce, quod natura
Mutat sua iura!
Virgo parit pura
Dei filium.

3. Nequivit divinitas
Plus humiliari,
Nec nostra carnalitas
Magis exaltari,
Deo coaequari,
Caelo collocari
Per coniugium.
Ecce, quod natura
Mutat sua iura!
Virgo parit pura
Dei filium.

Piae Cantiones 1582 fol. B 8a. (Klemming II, 12 sq. als: „Hymnus".)

163. In Nativitate Domini.

1a. Florens iuventus virginis
Fructum salutis germinat,

1b. Qui labentis originis
Vetustatem exterminat.

2a. Dum verbum patris nascitur
Ex matre simul filia,

2b. Factumque caro pascitur
Inter pudoris lilia.

3 a. In fine virgo temporis
Membris tumescit teneris

3 b. Viro perfecti corporis
In forma nostri generis.

4 a. O patris
Mira benignitas!

4 b. O matris
Praecelsa dignitas!

5 a. Quae pro salute hominum
Caeli regem et dominum
Sacrato fovet gremio,

5 b. Quem ordines angelici
Laudant, adorant caelici
Cives in regni praemio.

6 a. O Maria,
Virgo pia,
Orta dia
Ex regia
Progenie.

6 b. Expers maris,
Deum paris,
Portus maris
Salutaris,
Spes veniae.

7 a. In cuius laude deficit
Mens, lingua, sensus, ratio,

7 b. Sed laus haec eius reficit
Caelesti nos solacio.

8 a. Quae sola
Praebens solacia

8 b. Est schola
Docens veracia.

9 a. Scientia cum artibus,
Orationis partibus
Hanc cuncta laudant gram-
mata,

9 b. Rhethorica cum floribus
Venustisque coloribus
Ac logicae sophismata.

10 a. Dignare me
Laudare te,
O sanctissima domina,

10 b. Libro scribi
Vitae tibi
Fac devotorum nomina.

11 a. Tu trinitatis templum,
Exemplum iustitiae,
Tu renatis
Sanctitatis
Speculum.

11 b. Tu rosa sine spina
Et via munditiae,
Tu sol lustrans
Et illustrans
Saeculum.

12 a. Ductrix gregis,
Doctrix legis
Gratiae,
Patris honor,
Carmen conor
Condere.

12 b. Sis indulgens,
Clara fulgens
Facie,
Mei memor,
Culpae premor
Pondere.

13 a. Sed vitia,
Flagitia
Tu relaxare propera,

13 b. Ut Domino,
Quem nomino,
Mea grata sint opera.

14 a. Ambitio,
Traditio,
Seditio,
Dire ne vulnus sauciat,

14 b. Ora Deum
Placans eum,
Ne me reum
Inferni Styx deglutiat.

15 a. Ergo, columna
Misericordiae,

15 b. Pacis alumna,
Basis concordiae,

16 a. Me non ob reatum
Despice,
Respice
Pietatis oculo,

16 b. Virtute beatum
Effice,
Refice
Vivi fontis poculo.

17 a. Mater misericordiae,

17 b. Spes et salus veniae,

18 a. Bonitas immensa,
Plena Dei gratia,
Me patris in mensa
Pane vitae satia.

18 b. Dat pauper amicus
Carmen tibi mellicum,
Postulat mendicus
A te donum caelicum.

19 a. Salva multis annis,
Sis nobis perennis
Vita, veritas, via,

19 b. Ut post finem vitae
Sortiamur rite
Sempiterna bravia.

20 a. Sit laus Deo patri
Natoque victoria,

20 b. Per quem suae matri
Magna datur gloria.

21 a. Nos amborum pneuma
Erigat,
Dirigat,
Cura regat sedula,

21 b. Ut melodum neuma
Intonet,
Personet
Per aeterna saecula.

Piae Cantiones 1582 fol. C 3 a. (Klemming II, 22 ff. als „Hymnus".) — Dies Lied ist ein umgeändertes Marienlied, das sich im wesentlichen leicht herstellen läfst. — 3 b, 1 Virum. — 5 a, 1 Qui pro salute. — 6 b, 2 Portum. — 6 b, 5 Spem. — 7 b, 1 Et schola. — 9 a, 1 Scientiam. — 9 a, 3 Hunc. — 9 b, 1 Rhetoricam. — 10 a, 3 Chris.e, nate ex domina. — 11 b, 1 Tu fehlt. — 12 a, 1 Ductor. — 12 a, 2 Doctor. — 13 b, 1 Orans. — 17 a, 1 Pater misericordiae. — 19 a, 1 sq. Der falsche Reim schmeckt nach dem Überarbeiter. — 21 b, 1 Et melodum.

164. De Nativitate Domini.

1. Laetetur Ierusalem,
Sion plaudat filia,
Nam Christus in Bethlehem
Natus est a filia;
Pax in terra comminus,
Lux in nocte claruit,
Rex et regum Dominus
Mundo dum apparuit.

2. In caelorum sedibus
Regnat et hic cernitur,
Irrigatur fletibus,
Heu, a multis spernitur;
Ibi felicissimus
In supernis colitur,
Hic vero mitissimus
In praesaepe ponitur.

3. Exsultarunt angeli
Nato Dei filio,
Exsultemus singuli
In isto exsilio,
Nam humano generi
Salus et redemptio
Ortus salutiferi
Venit ab initio.

4. Ipse fecit hominem
Et eum paenituit
Atque fudit sanguinem
Et peccata abluit:
Pneumati paraclito
Detur laus et gloria,
Cum patri et filio
Per aeterna saecula.

R⁰ In Mariae filio
Nostra gaudet contio,
In hoc ipso parvulo
Salvatore Domino.

Piae Cantiones 1582 fol. B 3 b. (Klemming II, 31 ff. als „Hymnus".) — 1, 4 est a familia. — 2, 3 Mitigatur.

165. In Nativitate Domini.

1. Psallat scholarum contio
In hoc convivio,
Sed Mariae filio
Non sit oblivio,
Nam is dat solacia
Sua bona gratia
Studentibus in trivio.

2. Extinxit ignem sceleris
Hic dator gratiae,
Exstans fructus foederis
In orbis acie,
Per quem regnant reguli
Super orbem saeculi
Cuncti in terrae facie.

3. Totius orci saeviit
Saevi potentia,
Dum puella genuit
Dei clementia,
Mundus quidem aruit,
Sed iam virens claruit
Et eius simul entia.

4. Respexit nos diluculo,
Qui ardet fulmine,
Caritatis oculo,
A caeli culmine
Venit huc, ut solveret,
Quos aestus involveret,
Christus suo fulcimine.

5. Venite ergo lilii
Hunc florem legere,
Ut nos partus filii
Possit protegere:
Hunc omnis laicitas
Oret et clericitas,
Ut det nos secum regere.

6. Seraphin laudes concinunt
Caeli palatio,
Christo Iesu iubilent,
Quos regit ratio,
Hunc omnis deifice
Collaudet mirifice
Triplatae vitae statio.

Piae Cantiones Ecclesiasticae 1582 fol. B 5 a. (Klemming II, 45 als „Hymnus".) — 1, 3 filii. — 5, 1 Conemur ergo gegen das Akrostichon. — 5, 5 omnis felicitas. — 6, 1 Certatim laudes gegen das Akrostichon; concinent. — 6, 3 Augenscheinlich geänderter Vers. — Akrostichon: Petrus.

166. De Nativitate Domini.

1. Tempus adest gratiae
Hoc, quod optabamus,
Carmina laetitiae
Devote reddamus.

2. Deus homo factus est,
Natura mirante,
Mundus renovatus est
Maria praegnante.

3. Ezechielis porta
Clausa pertransitur,
Unde lux est orta,
Salus invenitur.

4. Ergo nostra contio
Psallat iam in ostro;
Benedicat Domino,
Salus regi nostro.

R^{o} Gaudete, gaudete,
Christus est natus
Ex Maria virgine,
Gaudete.

Piae Cantiones 1582 fol. F 2 a. (Klemming II, 28 als „Hymnus“.) — 2, 4 A Christo regnante. — 4, 2 iam in lustro. — R^{o} steht als Str. 1 an der Spitze.

167. De Nativitate Domini.

1. Personent hodie
Voces puerulae,
Laudantes iucunde
Qui nobis est natus,
Summo Deo datus
Et de virgineo
ventre procreatus.

2. In mundo nascitur,
Pannis involvitur,
Praesaepi ponitur
Stabulo brutorum
Rector supernorum,
Perdidit spolia
princeps infernorum.

3. Magi tres venerunt,
Parvulum inquirunt,
. . . . . .
Stellulam sequendo,
Ipsum adorando,
Aurum, tus et murram
ei offerendo.

4. Omnes clericuli,
Pariter pueri
Cantent ut angeli:
Advenisti mundo,
Laudes tibi fundo,
Ideo gloria
in excelsis Deo.

Piae Cantiones 1582 fol. B 4 a. (Klemming II, 40 sq. als „Hymnus“.)

168. De Nativitate Domini.

1. De radice processerat
Iesse virga mirifica,
Quae mirum florem gesserat,
Fecunda vi deifica.

2. Huius virgae mysterium
Si sane vis percipere,
Virginis puerperium
Tu debes intellegere.

3. Flos Christus est in saeculo
Dans odorem veraciter
Et in caeli rosario
Coruscans aeternaliter.

4. In fructum flos convertitur
Gustando salutiferum.
Hoc est corpus, dum loquitur
Natus ante luciferum.

5. Granum, de cuius fructibus
Egens turba reficitur,
Christus pro nobis omnibus
Cadens in terra moritur.

Piae Cantiones 1582 fol. B 1 b. (Klemming II, 18 als „Hymnus".) — 1, 3 sq. nach 2, 4. — 3, 2 odorem mirificum. — 4, 3 Hoc est corpus meum dum. — 4, 4 Loquitur natus ante luciferum.

169. In Nativitate Domini.

1. Congaudeat
turba fidelium,
Virgo mater
peperit filium
In Bethlehem.

2. Ad pastores
descendit angelus,
Dicens eis:
Natus est Dominus
In Bethlehem.

3. Loquebantur
pastores invicem:
Transeamus
Ad novum hominem
In Bethlehem.

4. Ad praesaepe
stant bos et asinus,
Cognoverunt,
quod esset Dominus,
In Bethlehem.

5. In octava
dum circumciditur,
Nomen ei
Iesus imponitur
In Bethlehem.

6. Trini trino
trina dant munera,
Regi regum
sugenti ubera
In Bethlehem.

7. Collyridas
simul cum nectare
Benedicat
Christus, rex gloriae,
In Bethlehem.

Piae Cantiones 1582 fol. B 2 a. (Klemming II, 17 als „Hymnus".) — 4, 4 quis esset.

170. In Nativitate Domini.

1. Angelus emittitur,
Ave dulce promitur,
Semen Dei seritur;
Igitur
Porta caeli panditur.

2. Vim natura patitur,
Filius concipitur,
Virgo non corrumpitur;
Igitur
Porta caeli panditur.

3. Grex in nocte pascitur,
Caeli lumen funditur,
Laus in altis canitur;
Igitur
Porta caeli panditur.

4. Gaudium praedicitur,
Pax quoque promittitur,
Bonis tamen traditur;
Igitur
Porta caeli panditur.

5. Novum sidus oritur,
Mortis umbra tollitur,
Mundi salus gignitur;
Igitur
Porta caeli panditur.

6. Diligendus proditur,
Nil culpandus moritur,
Non vincendus capitur;
Igitur
Porta caeli panditur.

7. Cruci vita figitur,
Infernus destruitur,
Captivitas tollitur;
Igitur
Porta caeli panditur.

8. Adam nexu solvitur,
Mors orco deprimitur,
Caput hostis teritur;
Igitur
Porta caeli panditur.

9. Argumentis igitur
In his Christus sistitur,
Morte sic excluditur;
Igitur
Porta caeli panditur.

Piae Cantiones fol. A 7 a. (Klemming II, 12 mit der irrigen Bezeichnung „Hymnus“.)

171. De Nativitate Domini.

1. A dextris Dei Dominus
Initio qui
sedet et in aevum,
Advenit nobis comminus
Hostem scabellum
ponens pedis saevum.
Ex Sion flos,
Dulcoris ros,
Virga viret amoene.

R° Rosam spina parit
sanctam vere,
A qua gratiarum
fluunt venae,
Cui cor fidele
dicat bene.

2. Hic crevit et in tegimen
Nec non cunctorum
dominationem,
Caeli, terraeque regimen,
Abs labe viri
incarnationem
Cepit, ut nos
Essemus dos
Aeternitatis plene.

R° Rosam spina parit
sanctam vere,
A qua gratiarum
fluunt venae,
Cui cor fidele
dicat bene.

3. Hic damna ligni reparat
Surgendo scandit
compar patri digno,
Viam salutis praeparat
Scelus ob nostrum
mori volens ligno.
Sis nobis dux,
Hostis ne trux
Orci nos iungat poenae.

4. Ut agnus insons mutuit
Coram tondente,
dixit Esaias.
Assa caro perduruit
In ligno crucis
torrido, Messias
Sic iuvet nos.
Ne Dytis os
Voret ardore plene.

Piae Cantiones 1582 fol. G 1 a. (Klemming II. 70 irrtümlich das Lied als Hymnus bezeichnend.) Vgl. Anal. XX, 104, wo ein kürzerer und sehr abweichender Text mitgeteilt ist.

172. In Nativitate Domini.

Benedicite.

1. Tres personas Trinitatis,
Unum esse deitatis,
Hunc Deum benedicite.

2. A quo subsistunt omnia,
Rerum simul essentia,
Hunc Deum benedicite.

3. Deum creantem omnia
Universorum entia,
Hunc Deum benedicite.

4. Tres in fornacis medio
Odizant cum tripudio:
Hunc Deum benedicite.

5. Et Christum Dei filium
Ac sanctum quoque spiritum
Cantantes benedicite.

6. Et nos in hoc convivio
Benedicamus Domino
Cantantes benedicite.

7. Laudetur sancta trinitas,
Deo dicamus gratias
Cantantes benedicite.

Piae Cantiones fol. H 5 a. (Klemming II, 2 als „Hymnus".) — 1, 1 Benedicite tres. — 2, 2 simul entia. — 3, 1 Benedite Dominum creantem. — 4, 1 Sic tres in. — Das Lied ist ein s. g. Benedicite, d. h. ein Tischgebet für das gemeinschaftliche Weihnachtsmahl der clericuli.

173. De Passione Domini.

1. Iesus humani generis.
Ex membris natus teneris
Virgineis,
Factus est salvatio;
Psallat fidelis contio.

2. Ovis gaudet deperdita
Et sanitati reddita,
Vitae data.
Spreta vi pythonica
Exsulta, plebs catholica.

3. Hamum appendit caelicum,
Qui fructum tulit deicum,
Magnificum,
Vincens inferni principem,
Pendens ad crucis stipitem.

4. Aspexit nos sophia,
Exclusos ierarchia,
Mundi via,
Emisit nobis filium,
Laudemus caeli filium.

5. Nomen Iesu gloriosum,
Verbum Dei generosum
In saeculum,
Cuius amara passio
Est mitis consolatio.

6. Nostris da, pater luminum,
Culpis fore propitium
Atque pium,
Ne terreat supplicium,
Dele peccantis vitium.

7. Emisti tuo sanguine
A Stygis nos voragine
Et scelere;
Matris piae hortamine
Flentem naturam respice.

8. Sancto sit laus paraclito,
Cum patre simul filio
Prae gaudio;
Septem dona spiritus
Nobis redde divinitus.

Piae Cantiones 1582 fol. G 4 a. (Klemming II, 81 als „Hymnus".) — 5, 2 Et verbum. — 7, 4 Patris pii hortamine, augenscheinliche, ungeschickte Änderung. Der Vater ermahnt nicht den Mittler zum Mitleiden, sondern umgekehrt. — Akrostichon: Iohannes.

174. De Passione Domini.

1. Amoris opulentiam
Christus morte testatur,
Ad veram paenitentiam
Suos semper hortatur:
Expulsus sum ab omnibus
Et exsul cum exsulibus,
Maestum de suis domibus
Expellunt me cum canibus;
Audite, quod rependitur,
Caelorum rex offenditur.

2. Remotis meis vestibus
Sum funibus ligatus,
Iniuste victus testibus,
Flagellis flagellatus;
Amoris passionibus
Iuncturas dissolvebant,
Gingivae tunsionibus
Oris intumescebant,
Rumpuntur venae tactibus,
Assiduis incursibus.

3. Alapis caesa centies
Est veneranda facies,
Coagulatus quinquies
Sanguis deformat species,
Intitulatur passio
Honoris exhibitio,
Angore cor inficitur,
Cruci corpus affigitur,
Pedes perfossi pondera
Portarunt salutifera.

4. Latus ferro transfigitur,
Spinis punctus arguitur,
Extensa membra tenera
Pendent, nudata viscera;
Naturae solvi debitum
Patri commendans spiritum.
Attende, qualem exitum
Sum passus et interitum,
Discurre probans omnia,
Quod nemo curat talia.

5. O qualis retributio,
Contrarii commissio,
Magistratus despectio
Pro caritatis studio!
Infelix finis talium,
Aeterna mors stipendium,
Nautarum exclamatio
Sum semper et probatio,
Ut Samson fortis viribus
Oro pro peccatoribus.

6. Suavis Deus, omnium
Miserere peccantium,
Tales vermes occidere
Quid tibi pro hoc gloriae?
Eis magis compatere,
Tu, pater omnis gratiae,
Convertere laudabilis
Et esto deprecabilis.
Ubi misericordiae
Davidis in progenie?

7. Memorare substantiae,
Pater, tuae familiae,
Adfatur patrem filius,
Quod vix fiat celerius,
Miserebor ramusculis
David fugatis vitiis,
Aeternitatis cellulis
Locans pro paenitentiis,
Nobis optati taliter
Regnabunt aeternaliter.

Piae Cantiones imp. 1582 fol. G 3 a. (Klemming II. 71 mit der irrigen Bezeichnung „Hymnus“.)

175. De Passione Domini.

I.

1 a. Autor humani generis,
Pietatis
Mirabilis consilio,

1 b. Pro redimendis miseris
Morti datis
Suo non parcens filio,

2 a. Natum Maria virgine
Morti crucis exposuit,
Qui passus sine crimine
Exsolvit, quae non rapuit.

2 b. Fulget crucis mysterium,
Aeternae lucis speculum,
Cui subditur imperium
Rectorum huius saeculi.

3 a. In paradisi gremio
Lignum vitae productum

3 b. Nostri laboris praemio
Salutis profert fructum.

4 a. Agnus haerens in vepribus
Pro Isaac occiditur,

4 b. Anguis spectandus omnibus
Cruce pendens erigitur.

5 a. Haec est ara salutaris,
Rigata rivis sanguinis,

5 b. Qua, Christe, sacrificaris
Pro lapsi culpa hominis.

6 a. Cruci clavis affigeris,
Tu patrem placans hostia,

6 b. Sic confixus erigeris.
Leti fracturus ostia.

7 a. Distenditur in stipite
Crucis caro virginea,

7 b. Ostenditur in capite
Sacro corona spinea.

8 a. Sanguis et unda profluit
De fossi fonte lateris;

8 b. Sic miseris crux profuit,
Quam innocenter pateris.

9 a. Hoc exaltatus solio,
Ut ad te trahas omnia,

9 b. Rixae destructo lólio
Fers ad amplexus brachia.

10 a. Cor ad amandum aperis
Inclinans os ad oscula,

10 b. Suffers plagas, dum caperis,
Sputa, flagella, vincula,

11 a Matrem piam discipulo
Commendans, patri spiritum,

11 b. Aceti sumpto poculo
Carnis exsolvens debitum.

12 a. Sic morte mortem destruis
Vincens inferni principem,

12 b. Qui latronem instituis
Tui regni participem.

13 a. Succurre nobis, Domine,
Qui passus es pro homine,

13 b. Fac nos in tuo numine
Frui caelesti lumine.

II.

1 a. A peccatis
Perpetratis
Reos libera,
Indulgere scelera
Accelera.

1 b. Tibi gratos
Et beatos
Pios effice,
Vitae verae perfice,
Nos aspice.

2 a. Tropaeo fac nos inclito,
Quo superas diabolum,

2 b. Cum spiritu paraclito
Hostem calcare subdolum.

3 a. Ave, crux,
Turmae dux,
Forma paenitèntiae,
Tu Peccatorum venia.

3 b. In te spes,
Et (re)quies,
Norma patientiae,
Caelorum tangens moenia.

4 a. Nostrae salutis ancora,
Tu portus in naufragio,

4 b. Qui mundi placas aequora
Pacis dato suffragio.

5 a. Tu vexillum regis
Es victoriae,
Decoratum
Dignis lucis dotibus.

5 b. Tu sigillum legis,
Decus gloriae,
Sublimatum
Signis et virtutibus.

6 a. Ab hostis maligni
Fallacia
Atque pertinacia
Virtutis
Defende
Nos potentia,

6 b. Ut Iesu benigni
Nos gratia
Ducat ad solacia
Salutis
Colendae
Cum clementia.

7 a. Qui regnat in caelis,
Cum angelis
Exaltatus
Sine termino,

7 b. Ubi grex fidelis,
Archangelis
Sociatus,
Canit Domino.

8 a. Cui aeterna
Cum gloria
Sit laus cunctorum
Sedula

8 b. Pro superna
Victoria
In saeculorum
Saecula.

III.

1 a. Cantate cantica, socii,
Crucis signati
charactere.

1 b. Consortes tanti negotii,
Laetemur parili
foedere.

2 a. Culpa liberemur,
Mundemur,
Purgemur
A fomite.
Laudes congaudentes,
Plaudentes,
Psallentes
Depromite.

2 b. Vita reparata,
Beata,
Donata
Recipitur,
Dum nostrae corhortis
Plebs mortis
A portis
Eripitur.

3 a. Christum ducem,
Qui per crucem
Nos ad lucem
Duxit gratiae.
Veneremur,
Imitemur,
Gratulemur
Laeta facie.

3 b. Cunctis locis
Piis iocis,
Dulcis vocis
Claro studio
Personemus,
Decantemus,
Iubilemus
Cum tripudio.

4 a. Pater, natus, sacrum flamen
Det nobis spem et solamen,

4 b. Nos veniens ad examen.
Christus iudex salvet. Amen.

Piae Cantiones 1582 fol. F 2 a sqq. (Klemming II, 74 ff. alle drei Stücke als einen „Hymnus".) — II. 5a, 4 locis dotibus.

176. In Resurrectione Domini.

1. Cedit hiems eminus,
Surrexit Christus Dominus
Tulitque gaudia;
Vallis nostra floruit,
Reviviscunt arida,
Postquam ver intepuit
Recalescunt frigida.

2. Pastor, qui pro ovibus
Ducendis ab erroribus
Ponebat animam,
Libens ferre voluit
Crucis poenam maximam:
Solvit, quae non rapuit,
Per mortem turpissimam.

3. Vidit et condoluit,
Quod ovis una defuit
Errans per devium,
In deserto deserit
Magnum gregem ovium,
Abit, quaerit, reperit
Errantem per devium.

4. Magna miseratio!
Quam deduxit de devio,
Imponit umeris.
Non est dolor similis
Dolori, quem pateris,
Iesu, qui sic humilis
Factus es prae ceteris.

5. Mortis nexu diruto,
Dracone surgens obruto
Depraedans inferos,
Pharaonis impio
Captivos et miseros
Ducens ab imperio
Choros usque superos.

Piae Cantiones 1582 fol. G 5 a. (Klemming II, 108.) Vgl. das Lied gleichen Anfanges Anal. I, 98, das aber mit diesem nur die erste Strophe gemein hat.

177. De sanctissima Trinitate.

1. Triformis relucentia
Abundat in solio,
Lucis deficientia
Carens ab initio,
Est honor, virtus, gloria
Uniformi radio,
Qui supra rerum entia
Lucet abs primordio.

2. Haec lux mirando lumine
Mira triplex adfuit
Seraphico in culmine
Formulasque coluit,
Cuncta, quae sunt sub tegmine
Polorum, composuit,
Potentias in homine
De non ente statuit.

3. O quam pater ingenitus
Excellens potentia,
Patre procedit genitus,
Dives sapientia,
Ab utroque spiritus,
Praedulcis clementia,
Hae tres personae penitus
Simplices essentia.

4. Magnus Deus in opere,
Maior in natura,
Potens mira perficere,
Patet in creatura,
Qui polum scivit pingere
Plasmabili pictura,
Cuncta disponit pondere,
Numero et mensura.

5. Auctor descendit caelitus
In caritate pura,
Occultans se divinitus
Sub lilii clausura.
Quidnam admirabilius
Quam virgo paritura,
Quod Isaias penitus
Prospexit in figura?

6. Sol vertitur zodiaco
Gradiens in geminis,
Dum sol supremus thalamo
Iuvenescit virginis,
Erupit fons cum balsamo
Caelicae dulcedinis,
Rosa crevit de calamo
In salutem hominis.

7. Fecit grande convivium
Amator castitatis,
Suscipiens homagium
Nostrae fragilitatis;
Qui carnis per supplicium
Nos redemit gratis,
Laudemus Dei filium
Cum angelis beatis.

R⁰ Optima sunt entia
Optimam ducentia
Vitam in empyreo.

Piae Cantiones fol. H 7 a. (Klemming II, 8 ff. als „Hymnus".) — 2, 1 Lux haec gegen das Akrostichon. — 3, 3 procedit filius gegen den Reim. — 3, 5 Ab utroque manat. — 5, 5 Unreiner Reim. — Akrostichon: Thomas fecit.

178. De ss. Trinitate.

1. Bene quondam dociles
Scholares mirari
Coeperunt, mirabiles
Videntes creari
Res et has dissimiles
Actus operari;
Coepit Aristoteles
his miris philosophari.

2. In intellegentiam
Primi entis vere
Sensus per notitiam
Veteres venere,
Quo primam essentiam
Res omnes sumpsere,
Affirmant quoniam
nil posse creante carere.

3. Rident licet physici
De philosophia,
Quanto plus catholici,
Qui ex prophetia
Fiunt scientifici,
Non ex phantasia,
Nam data multiplici
fit eis virtute sophia.

4. Credimus stabiliter
Fide non creatum
Patrem aeternaliter
Generasse natum,
Et flamen aequaliter
Ab utroque latum:
Unum, tres pariter,
sunt hi super omne creatum.

5. Expedit grammaticis
Leviter transire
In rebus deificis,
Quam quid definire,
Ne queant haereticis
Nostri consentire,
Sitque theologicis
iudicare facile de re.

6. Regem Deum credimus
Trinum in personis,
Quem praecesse novimus
Malis atque bonis,
Nequaquam concedimus
Tres deos in thronis,
Sed Deus est unus,
ang(e)lorum canitur sonis.

7. Ut possimus fidere
Trinitatem esse,
Simplicibus sapere
Non plus est necesse,
Quam valebunt metere
Fidei de messe,
Immo minus capere
docti reputant facile se.

8. Scholares in trivio
Studentes guberna,
Regnans ab initio
Trinitas aeterna,
Fac vita cum gaudio
Frui sempiterna,
Puros a vitio
ducens ad regna superna.

Piae Cantiones 1582 fol. H 6a. (Klemming II, 3 ff. als „Hymnus"). — 3, 1 Vident, gegen das Akrostichon. — 4, 7 sq. sunt pariter hi, gegen das Metrum. — 6, 7 Verum Deus. — 8, 7 Puros nos a. — Akrostichon: Bircerus; ob mit demselben Birgerus Gregorii, Erzbischof von Upsala, gemeint ist, von dem wir liturgische Dichtungen besitzen?

Cantiones Partheniae.

179. Laus Virginis.

1a. Laus virginis
Nati sonat cum iubilo,
Fraus criminis
Absit culpae
fugato nubilo.

1b. Parens carens
Originis contagio,
Totis votis
Te carminis
laudat praeconio

2a. Coetus nostri collegii,
Laetus festo
natalis regii.

2b. Cedit luctus tristitiae,
Redit per te
fructus iustitiae.

3a. Praedestinata nosceris
In salutem credentium,

3b. Sancta priusquam nasceris
In lucem orta gentium.

4a. A prophetis praecognita
Signorum aenigmatibus,

4b. Quae decretis es praedita
Donorum charismatibus.

5a. David semen, stirps regia,
Virga Iesse florigera,

5b. Virgo, proles egregia
Servans pudoris foedera.

6a. Tu stella,
Quae bella
Procellarum destituis,

6b. Maria,
Spem pia
Gratiarum restituis.

7a. Porta clausa nec pervia,
Orta nobis
qua lux est praevia;

7b. Portus maris periculis,
Hortus clausus
Dei signaculis.

8 a. Signo fons indeficiens
Signatus sancti spiritus,

8 b. Redundari sufficiens
Mundo fluenta caelitus.

9 a. Audi nos,
Dos,
Honoris et flos,
Inter florum
et rosarum milia
Tu primatum
solus possides.

9 b. Vitae pax,
Fax
Amoris verax,
Quae caelorum
regem, nati filia,
Nobis placas,
cui nunc assides.

10 a. Tu es virtutis
Nos trahens exemplum,
In odorem
post te currimus.

10 b. In spe salutis
Ad te, pacis templum,
Trementes ab
hoste fugimus.

11 a. Cuius dira nequitia,
Fallax et infidelis,
Seduxit nos ad vitia
Deceptionum telis,

11 b. Ut tandem ad supplicia
Secum trahat crudelis,
Ab eius nos saevitia
Semper tueri velis.

12 a. O salus hominum,
Curans nos dextera,

12 b. O lumen luminum,
Illustrans aethera!

13 a. Tu rubus ardens crederis,
Tu vellus Gedeonis,

13 b. Tu arcus sacri foederis,
Tu thronus Salomonis.

14 a. Tu caeli sanctuarium,
Tu clavis paradisi,

14 b. Verbi Dei sacrarium
A patre indivisi.

15 a. Excelsa super sidera,
Tibi cedit natura,

15 b. Nam te virtutum opera
Praesignant in scriptura.

16 a. Tu Iudith fortis,
Hester mortis
In caput sententiam
Convertens Haman pravi,

16 b. Tu Sunamitis,
Ioel vitis,
Sisaris potentiam
Refutans ictu clavi.

17 a. O sancta domina,
Precamur miseri:

17 b. Tu nostra nomina
Fac caelis inseri.

18 a. Nato commenda
Et emenda
Nos consilio,

18 b. In hoc dignare
Gubernare
Nos exscilio.

19 a. A malis erue,
Adversa destrue,
Statum innocuae
Vitae restitue.

19 b. Reatum dilue,
Salutem tribue,
Stola perpetuae
Pacis nos indue.

20 a. Te collaudantes aspice
Nos, decus angelorum,

20 b. Quae dignitatis apice
Tenes arcem caelorum.

21 a. Eia, solari facie
Splendens caeli regina,

21 b. Caelestis aula gratiae,
Serva nos a ruina.

22 a. Tu vas virtutum,
Nobis tutum
Esto scutum
Muniens
Ab ira Dei magni;

22 b. Tu forma legis,
Mater regis,
Ductrix gregis,
Uniens
Morte redemtos agni.

23 a. Te cordis studio
Exorat animus,

23 b. Vocis tripudio
Melos hoc canimus,

24 a. Ut nos conducas
Et adducas
Regi Domino,

24 b. Qui regnat tecum
Et tu secum
Sine termino.

25 a. Qui se dedit in pretium
Nostrae redemptionis,

25 b. Det quoque per te praemium
Remunerationis,

26 a. Ut congaudentes
Et plaudentes
Iugiter
Nos unitati trinae

26 b. Laudes pangamus
Et canamus
Dulciter
Regnanti sine fine.

27 a. Sit finis huius carminis
Et cantio finita,

27 b. Quae dicitur Laus virginis.
Christo laus infinita.

Cantiones Piae 1582 fol. D 1 a. (Klemming II, 33 ff. als „Hymnus".) — Das Lied ist augenscheinlich wieder ein auf Christus ungeschickt genug umgekehrtes Marienlied. Denn wie kann ein vernünftiger Mensch von Christus sagen: Porta clausa nec pervia! Cfr. 6 a, 1. — 1 b, 1 Natus carens, den Reim zerstörend; vgl. 1 b, 3. — 3 a, 1 Praedestinatus. — 3 b, 1 Sanctus. — 3 b, 2 ortus. — 4 a, 1 praecognitus. — 4 b, 1 Qui; praeditus. — 6 b, 1 Sophia. — 7 a, 2 Hora nobis. — 10 b, 5 regem tuum patrem (patrem reimt mit filia!). — 11 a, 1 virtutum. — 17 a, 1 O nate Mariae, gegen den Reim. — 18 a, 1 Patri commenda. — 20 b, 1 Qui dignitatis. — Nach Str. 20 folgen zwei Strophen, die wohl aus einem andern Liede entnommen sind, da sie mit dem Gedankengange dieses Weihnachtsliedes gar keinen Zusammenhang haben:

O dulcis Iesus,
Spinis laesus,
Flagris caesus
Asperis,
Velis placatus fore,

Qui lux de luce
Victo duce
Pendens cruce
Sceleris
Indutus es splendore.

Inferni portas urgens
Inde tuos duxisti

Post triduum resurgens
Mundi victor fuisti.

21 a, 2 nate regina. — 22 b, 2 Fili regis. — 22 b, 3 Sis dux gregis. — 24 a, 3 Patri Domino. — 25 a, 1 Qui te dedisti pretium. — 25 b, 1 Da quoque in te.

180. De beata Maria V.

1 a. Psallat fidelis contio
Cum gaudio
Iubilando Mariae,

1 b. Et praesentemus cantica
Organica
Sollennis melodiae.

2 a. Quam sine labe criminis
Et salvo flore virginis
Matrem pater elegit,

2 b. Per quam gustus exitii
Et perpetis exsilii
Ius pristinum infregit.

3 a. Tu es pincerna veniae,
Dives in caritate,
Et fons misericordiae
Manans suavitate.

3 b. Tu stella pudicitiae,
Tu vitae medicina,
Peccati telo sauciae
Munditiae cortina.

4 a. O nobilis puerpera,
Mundi tu lavas scelera,
Hoc orbi perfecisti,

4 b. Et mortalium generi
Clausisti portas inferi
Vectesque confregisti.

5 a. Flos virginum,
Dux agminum
Caelestium,
Prae ceteris hominibus
Beata.

5 b. Tu servulis
Periculis
Refugium,
Caelestibus agminibus
Praelata.

6 a. O regina,
Sine spina
Tu rosa vernalis,
Dans odorem
Dulciorem
Paradisi malis,
Tu gemma principalis,
Signum dumi,
Virga fumi
Vigor aestivalis.

6 b. Stella maris
Appellaris
Lapsis in sentinam.
Peccatorum
Naufragorum
Dirige carinam
Ad patriam divinam,
In qua domo
Nullus homo
Patitur ruinam.

7 a. Maria, salus hominum,
Medicina criminum,
Te decet post Dominum
Laus, honor et potestas,

7 b. Nam ex te manat gratia,
Pax, misericordia,
Fides, temperantia,
Lux, bonitas, maiestas.

8 a. Tu nati tui filia,
Supremi genitoris,
Continentis omnia
Nostrique creatoris,
Tu manna es saporis.

8 b. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .

9 a. Area arida,
Quam supernus
humor irrigavit,
Vinea regia,
Rosa spinae nescia,
Quam Deus plantavit.

9 b. Tu sine semine
Nati Dei
mater exstitisti,
Caelicos aditus,
Vetitos introitus
Orbi reclusisti.

10 a. Tu adulescentulis
Oleum effusum,
Salus in periculis,
Spes in offendiculis,
Ostium praeclusum.

10 b. Tu nautae fluctivago
Sidus salutare,
Ancora tu naufrago,
Submersis in pelago
Nobis auxiliare.

11 a. Tu principium
Nostrae salvationis,
Reduc devium
Ad thronum Salomonis.

11 b. Flecte rigidum
Mundanis inhaerentem,
Fove frigidum
A crimine torpentem.

12 a. Impetra divinitus
Laude te laudantibus
Et in te sperantibus
Vitam cum beatis,

12 b. Ut sublatis penitus
Poenis infernalibus
Iungamur agminibus
Deo sociatis.

13. O mater pietatis.

Piae Cantiones 1582 fol. E 1b. (Klemming II, 41 als „Hymnus".) — Dies Lied ist ein in den Piae Cantiones oberflächlich und ungeschickt umgeändertes Marienlied und hier hergestellt. Doch bleibt die Herstellung in Str. 2 und 4 fragwürdig, da nicht durchsichtlich, wie weit die Retouche gegangen. — 1a, 3 Carmen nato Mariae. — 2a, 1 Quem. — 2a, 2 Ex pura carne virginis. — 2a, 3 Natum pater. — 2b, 1 quem. — 3a, 1 Hic est. — 4a, 1 O nate ex puerpera. — 5a, 1 Flos iuvenum; hier ist die Korrektur handgreiflich, weil sie den Reim virginum — agminum zerstört hat. — 5a, 5 Beate. — 5b, 1 In seriis, was den Reim zerstört. — 5b, 5 Praelate. — 6a, 1 Nate diva; hier ist wieder an der Zerstörung des Reims der Überarbeiter erkenntlich. — 6a, 8 bis 10 stehen irrtümlich (vgl. Reim und Sinn) zwischen 6b, 7 und 8. — 7a, 1 O Christe salus. — 8a, 1 Tu natus es ex. — 9b, 2 sq. Natus Dei patris. — 11a, 2 Verae salvationis. — 12a, 2 Adplaude laudantibus.

181. De beata Maria V.

1 a. Unica, gratifera,
Legis veteris umbrae fuga,
Veritatis lucifera,
Virgo florigera,
Regali stirpe progenita
Deo gratissima.

1 b. Ex Iacob surgit stella,
Mundo dum oreris lucida,
Florens virgula arida
Aaron mystica,
In cuius flore mirifice
Fructus producitur.

2 a. Novum signum
Laude dignum
Imitatur mirabile,

2 b. Incarnari,
Mundo dari
Caelo misit verbum pater,

2 c. Dum implevit,
Quod decrevit,
Virum circumdans mulier.

3 a. Florum flos,
Virtutum dos,
Virgo rosa
Formosa,
Tu vitis fructuosa,
Absint per te dolosa,
Absterge vitia.

3 b. Sola spes
Tu nobis es,
Doctrix morum
Bonorum,
Solamen peccatorum,
Iuvamen miserorum,
Pro nobis supplica.

4 a. Gaude, Mater mirabilis,
Quae in scripturis
Et figuris
Fulges venerabilis,
Spectabilis.

4 b. Rubus ardens non uritur,
Dum impraegnatur,
Fecundatur
Parens viri nescia,
Virgo pia.

5 a. De monte sine manibus
Lapis mire praescinditur,
Nam de fiscella
A puella
Moyses educitur.
Vitae datur.

5 b. Lignum aquis immergitur,
Marath dulcor infunditur,
Nam servans urna
Nos diurna
Pane vitae praepara,
Salvifica.

6 a. Terrarum
Nostrarum
Fons rigans superficies,
Ex te nostrae salutis spes;
Velut de pratis
Voluptatis
Fluvius egreditur,
Fons laeditur.

6 b. Servorum
Tuorum
Preces benigne suscipe,
Mater misericordiae.
Placaus iratum
Redde gratum
Nostrum ministerium
Deificum.

7 a. Tu veri Salomonis
Eburneis [in] thronis
Apta coronis
Hanc plebeculam,

7 b. Porta Ezechielis,
Tu lacus Danielis,
Casta, fidelis.
Tu mundi domina.

8 a. Implorat, qui cognoscit
Se reum, et deposcit
Per te sublimari

8 b. Ab imis ad suprema,
Caeleste diadema
Ora nobis dari.

9 a. Cum digne de te fari,
Te venerari
Non valeo,

9 b. Respice affectum,
Cura defectum,
Iuvamen praestito.

10a. Resuscita depressum
Et obtine ingressum
Pacis infinitae,

10b. Ab hostibus defende,
Piam natum ostende
Post hunc finem vitae.

Piae Cantiones Ecclesiasticae 1582 fol. D 7 a. (Klemming II, 49 ff. als „Hymnus".) — Auf Christus umgeändertes Marienlied. — 3, 3 Christe rosa. — 3b, 3 Doctor morum. — 4a, 1 Gaude Christe mirabilis. — 6b, 4 Pater misericordiae. — 7b, 3 Caste. — 7b, 4 domine gegen den Reim. — 10b, 1 und 2 umgestellt. — 10b, 2 Pium patrem ostende.

182. De beata Maria V.

1. Virgo mater piissima
Cunctorum plasmatoris,
Tu mihi sis certissima
Salvatrix peccatoris,
Sis omnibus in horis
Te corde flagitantium
Et ore collaudantium
Stipendium laboris.

2. Praecellit rosa lilium
Candore puritatis,
Virgo adorat filium,
Quem parit, castitatis;
Haec sidus claritatis,
Haec balsamo suavior,
Sole, luna splendidior
Fervore caritatis.

3. Virtutum flos et gratiae
Aures ad nos inclina,
Placata patris facie
Charismata propina,
Nos a mundi sentina
Celerius eripias
Et tecum nos custodias
In unitate trina.

Piae Cantiones 1582 fol. I 2 b. (Klemming II, 59 als „Hymnus".) — Umarbeitung eines Marienliedes auf Christus. — 1, 1 O Christe, rex piissime. — 1, 2 plasmatorum. — 1, 3 Tu nobis sis certissime. — 1, 4 Solamen peccatorum.

183. De beata Maria V.

1. Salve, flos et decus ecclesiae,
[Lumen huius viae
Ad te clamans sitio];
Te fatentur sacrae prophetiae
[Voxque Isaiae]
Puram omni vitio.
Virgo sine viro peperisti
Et post partum virgo peperisti,
Mater Iesu Christi,
Qui caret initio.

2. Haec adest, ubi periclitatur,
Vere nuncupatur
Portus navigantium;
In ardore rubi praesignatur
Et pie vocatur
Mater desperantium.
Moysi haec scirpea fiscella,
Praebens lapsis gratiarum mella,
Lucens maris stella,
Via deviantium.

3. Sublevatrix pia miserorum,
Ad regnum caelorum
Duc nos post exsilium,
Relevatrix pia peccatorum,
Rectrix supernorum,
Da sanum consilium.
O dulcis, o clemens atque pia,
Sis nobis directrix atque via
In extremis, dia,
Fer nobis auxilium.

Cantiones Piae 1582 fol. A 7b. (Klemming II, 48 als „Hymnus".) — Umarbeitung eines Marienliedes auf Christus; das zeigen außer den zerstörten Reimen in Str. 1 vor allem 2, 7 und 9, da Moysi fiscella und maris stella typische Beiworte Mariens sind. — 1, 2 Iesu Christe pie. — 1, 3 Patris in palatio; der Reim der 3., 6. und 10. Verse ist gleitend. — 1, 5 Lexque vitae tuae. — 1, 6 Purum. — 1, 7 Virgo sine viro peperit te. — 1, 8 Et post virginem declaravit se. — 1, 9 Frater Iesu Christe. — 1, 10 cares. — 2, 1 Hic. — 2, 6 Pater. — 2, 7 hic. — 3, 1 Sublevator pie. — 3, 4 Relevator pie. — 3, 5 Rector. — 3, 7 pie. — 3, 8 director nostrae viae. — 3, 9 Et extremo die.

184. De beata Maria V.

1. Ave, regina omnium,
Maria, salus hominum
Credentium,
Quae pauperes salvare
voluisti.

Tu virtutis principium,
Tu pauperum refugium,
Solacium,
Tu lumen verum mundo
contulisti.

Te collaudat exercitus
Caelestis angelorum,
Magnificat,
Glorificat
Et praedicat,
Adorat omnis ordo
beatorum.

2. Tu solis habitaculum,
Iustitiae spectaculum,
Signaculum,
Tu sola patri semper
placuisti.

Tu vitae propugnaculum,
Tu summi Dei aureum
Palatium,
Tu caput Holofernis
constrivisti.

Tu balsami suavitas,
Tu odor pigmentorum,
Tu caritas,
Tu castitas,
Tu bonitas,
Tu fragrans cella plena
unguentorum.

3. Ad te clamantes respice,
Maria, pie protege
Et eripe
A laqueo aeterno
damnatorum

Mentes aegrorum refove,
Lapsorum gressus erige
Et dirige
Ad te tuorum corda
famulorum.

Tu lilium convallium,
Tu malum granatorum,
Tu campi flos,
Virtutum dos,
Et caeli ros,
Tu perduc nos ad regna
supernorum.

Piae Cantiones 1582 fol. I 3a. (Klemming II, 55 ff., als „Hymnus" bezeichnet.) Dies offenbar auf Maria verfafste Lied ist in den Piae Cantiones auf Christus umgedichtet mittels folgender Änderungen: 1, 1 Ave, rex regum omnium. — 1, 2 O Iesu, salus. — 1, 4 Qui. — 2, 4 solus. — 3, 2 O Iesu pie.

Cantiones de Sanctis.

---

185. De s. Henrico Upsalensi.

1. Ramus virens olivarum
Per columbam panditur,
Binum genus animarum
Arca Noë clauditur.

2. Apex montis abscondatur,
Aquae vis dum tollitur,
Nubis sordes expurgatur,
Signum rei ponitur.

3. Grande mirum pietatis,
Arca dum salvatur,
At tunc cunctis animatis
Ira Dei datur,

4. Velut nostro demonstratur
Doctori Finlandiae,
Fides Christi dum fundatur,
Linquenti terram Angliae.

5. Vpsalensem praesulatum
Regno rexit Sueciae,
Per Ericum sublimatum
Pro cultu fiduciae.

6. Ardor strinxit caritatis
Corda patronorum,
Via ducti veritatis
Sorte supernorum.

7. Laeti petunt Finnorum
Terram pervenire,
Cultum pellunt daemonum
Palmam reperire.

8. Doctor mirae sanctitatis,
Ponens se periculis,
Formam verae pietatis
Turbis dans incredulis.

9. Uersus partes rex Ericus
Tendens domicilii.
Sanctus praesul hic Henricus
Comes fit exsilii.

10. Subit poenas patienter
Palmas per martyrii,
Adest lictor vehementer
Potum dans exitii.

11. Christus nobis patrem oret,
Pacem servans patriae,
Laudis turba quem decoret
Firma fide varie.

R° Ergo, plebs Finnonica,
Gaude de hoc dono,
Quod facta es catholica
Verbi Dei sono.

Piae Cantiones 1582 fol. N 2 a sq. (Klemming IV, 93.) — Das Akrostichon dieses Liedes, Ragvvaldus, verrät uns, dafs dasselbe Ragvaldus I. Bischof von Abo († 1266), oder Ragvaldus II. († 1321) zum Verfasser hat. Str. 11 ist augenscheinlich „verbessert;" wahrscheinlich hiefs es: Praesul oder Pater nobis Deum oret etc., wenn nicht noch weitere Änderungen vorgenommen wurden, denn die Str. sieht verballhornt genug aus.

Cantiones Morales.

186. De Parabola Cenae Regalis.

1. Homo quidam, rex nobilis,
Dives in caritate,
Cenam magnam divitiis
Et magna largitate
Fecit vocatis plurimis
Cordis hilaritate.

2. Tempus adest, convivium
Ut intrent invitati.
Regale beneficium
Contemnunt sed ingrati,
Sic verum perdunt gaudium
Mundanis implicati.

3. Unus, ad quem rex miserat
Suum fidum legatum,
Uxorem quod adduxerat,
Invenit occupatum,
Venire nec aptus erat
Ad festum praeparatum.

4. Alter, quem rex per nuntium
Rogans iussit intrare
Ad locum exsultantium
Et epulas gustare,
Spernens regis imperium
Sic coepit excusare:

5. Domum altam aedificem,
In qua gaudens manebo,
Alteram et amplificem
Et plures possidebo,
Si venero, multiplicem
Defectum hinc habebo.

6. Rex ad amicum tertium
Servum velociorem
Mittens rogat, ut regium
Non deserat amorem.
Sed derelinquens otium
Eius servet honorem.

7. Respondit: Quinque debeo
Iuga boum probare,
Quae fortia possideo
Et ea valde care,
Cum quibus opes studeo
Et terras dilatare.

8. Die dum lucrum quaereret,
Boves defatigavit,
Sed sero, quo quiesceret,
Locum lassus optavit,
Et tenebras dum cerneret,
Noctem multam expavit.

9. Neglectum tunc convivium
Incepit cogitare
Regis et ad palatium
Iam tarde properare,
Clausum invenit ostium,
Iubetur foris stare.

10. Tunc rex aversa facie
Dixit: huc non intrabis
Nec epulas laetitiae
Vel cenam hanc gustabis,
Sed tuae neglegentiae
Dispendia portąbis.

11. Iam privor beneficiis
Et filiis carebo,
Uxore cum deliciis
Et mecum permanebo
Pernoctans in miseriis
Et inde magis flebo.

12. Mundus, caro, daemonia,
Me male seduxistis,
Dum per diversa vitia
Me miserum duxistis
Et paradisi ostia
Finaliter clausistis.

13. Fratres, hortor, perpendite
Tormenta graviora,
Assidue dirigite
Ad bona meliora,
Ad cenam vos disponite,
Nam brevis vocat hora.

14. Caelestis pater gratiae,
Qui Christum huc misisti,
Tu nos ad cenam gloriae
Voca a mundo tristi,
Nobiscum stes in acie
Amore Iesu Christi.

Piae Cantiones 1582 fol. M 8 b sqq. (Klemming IV, 87.) — 8, 1 Tota die lucrum quaerens gegen den Reim. — 8, 3 quod.

187. De Onere Possidendi.

1. In stadio laboris
Currunt omnes socii,
Sed bravium honoris
Non sequuntur singuli;
Si non vis onerari,
Caveas honorari,
Honor vult onere gravari.

2. Sicut dulcedo mellis
Non evacuabitur,
Acerbitasque fellis
Nunquam relaxabitur,
Sic et in praelatura
Nullus est sine cura,
Rerum hoc exigit natura.

3. Sed si in libertate
Vivere volueris,
Vivas in caritate,
Sic tu non dolueris;
Nil habes, nil dolebis,
Perditum neque flebis,
Sed in hoc, quod habes, gaudebis.

Piae Cantiones 1582 fol. M 2 b sq. (Klemming IV, 52.)

188. De Morte.

1. Mirum, si laeteris,
Cum ex apparentibus
Magis quam ex veris
Mors concludit
Et illudit;
Dic, homo, quid tunc eris?

Mors fallax sophista,
Breves dies hominis;
Quam vera sunt ista!
Iustus aret,
Et disparet
Fragilis arista.

Cum sine vitiis
Homo vix in mundo,
Heu, sit, suppliciis
In lacu profundo
Agitatur
Et pulsatur
Ut ventis arundo.

2. Mors mundi figura,
Quae corrupta subito
Perit ut pictura,
Non in luctu,
Sed in fluctu
Hominem demptura.

O mundi sophia,
Nos errantes corrige,
Veritatis via
Ut eamus,
Ne cadamus
In mortis ruina.

Tu spes humilium,
Rutilans aurora,
Pro nobis Dominum
Iugiter implora,
Adiuvare
Tu dignare
Nos mortis in hora.

3. Hominem tam durum,
Iacentem in crimine,
Se iudicaturum,
Dum post mortem
Sciat fortem
Iudicem venturum.

Quid artes, quid iura
Tibi prosunt homini?
Solum ad futura
Vel est *Ite*
Vel *Venite*
Iudicis censura.

Ergo, dum veneris,
Iudex, iudicare,
Tu nostri generis
Statim memorare,
Quos emisti,
Redemisti,
Noli condemnare.

Piae Cantiones 1582 fol. K 1a. sqq. (Klemming IV, 31.)

189. De Condicione Humana.

1. In hoc vitae stadio
Diversa conditio
Carnis est humanae,
Agit hic in vitiis,
Ille in divitiis,
Et hic eget pane;
Mors ut ponit metas,
subit omnis sexus et aetas,
Cum mors quemque ferit,
quis modo tutus erit?

2. Concludit in tumulo
Mors multos ex cumulo
Populi frequenter,
Occultat in pulvere
Divitem cum paupere
Tunc indifferenter;
Factis vel verbis,
homo simplex, unde superbis?
Nam, si credideris,
tu cito pulvis eris.

3. Bella movent plurima
Mundus et daemonia
Carnem infestantes,
Vulnus suffert anima,
Ex eisdem saucia
Clamant hoc gustantes:
Pace frui plena
cupiens de sorde refrena
Carnem, mortiferis
ne pareat vitiis.

4. Sursum mentem erige,
Tua facta corrige
In hac vita dura,
Labili ac flabili,
Debili ac flebili,
Cito transitura;
Sentit adhuc proles,
quod commisere parentes;
Hinc tua facta rege
nec mala corde tege.

Piae Cantiones 1582 fol. K 5a. sqq. (Klemming IV, 19.) — Den Schluſs jeder Strophe bildet ein Distichon.

190. De Vanitate Mundi.

1. Vanitatum vanitas,
omnia sunt vana,
Nil sub sole stabile
in vita humana,
Velut fumus transiit
gloria mundana.
Ista cur amplecteris,
o tu mens insana?

2. Caecus es? an oculus
tibi caligavit
Et apertis oculis
caecitas prostravit,
Vel tuam dementiam
furor induravit?
Ista non consideras
neque cor expavit?

3. Dic, miser homuncule,
quidnam cogitasti,
Cuius erunt omnia
haec, quae congregasti?
Ad caput reponitur
tibi, quod amasti?
Nequaquam, sed possides
id, quod ignorasti.

4. Animam diaboli
rapiunt ad poenas,
Amici pecunias
dividunt amoenas,
Vermes carnem devorant
simul atque venas,
Res tua devolvitur
ad manus alienas.

5. Uxori et liberis
res tuas liquisti,
Pro his, miser, animam
tuam posuisti.
Uxor ducit alium,
quem tu non novisti,
Tui obliviscitur,
quam sic dilexisti.

6. Sic perit memoria
tuorum filiorum
Ipsis succedentibus
in prosperis bonorum,
Gaudent cum gaudentibus,
ut mos est eorum.
In tui memoria
cum sonitu verborum.

Piae Cantiones 1582 fol. I 7 a. (Klemming IV, 5.) — Dies Lied erinnert an so manche ähnliche, dafs man versucht ist, es für ein Bruchstück zu halten. Es kommt hinzu, dafs die Anfangsbuchstaben der 3 letzten Strophen: A, U, S auf ein verstümmeltes und verdorbenes Akrostichon hindeuten.

191. De Vanitate Mundi.

1. Mundanis vanitatibus
Astrictus potentatibus,
Nam sapiens sic instruit,
Servire magis congruit
Veris felicitatibus
Abiectis falsitatibus.
Elatus facultatibus
Resistit cum dogmatibus,
Sunt ista transitoria
Spernenda velut scoria
Propter caeli palatium,
Verum gazophylacium.

2. Vorax infernus surripit
Suis nos suasionibus,
Consentientem corripit
Aeternis torsionibus,
Mundus extollit leviter
Illos, quos fallit breviter,
Mortem ponens in foribus
Multos pulsat timoribus,
Carnalis urget macula
Perurens quasi facula,
Multi pro tanto vitio
Torrentur in supplicio.

3. Traduntur in historiis
Viri digni memoriis,
Virtutibus eximiis
Fulserunt et scientiis
Cunctis, loris et viculis
Ponentes se, periculis,
Spreverunt hic terrestria,
Amplexi sunt caelestia,
Praeclari solis radio
Certabant in hoc stadio,
Patris Abrahae gremio
Funguntur vitae praemio.

4. Quorum, scholares, studio
Benigne vos erudio,
Haec vobis sit conclusio,
Vana desit confusio,
In mentem nam malevolam,
Deformem sive frivolam
Non intrat sapientia
Virtutum seu decentia;
Clamans inquit sagacia
Per mundi cuncta spatia:
Vitam bonam comperiet
Homo, qui me reperiet.

Piae Cantiones 1582 fol. K 4 a sqq. (Klemming IV, 35) — 3, 12 Lies: Fruuntur?

192. De Fallacia Mundi.

1. Insignis est figura,
Quam adinvenit aries,
Cunctorum flos camporum,
Mundum vocando vetulam,
Gressu mirabilem,

Ambigua statura,
Cuius rugosa facies,
Asperitas membrorum
Vitae praesentis formulam
Monstrat instabilem.

Constat cunctis certissime
Iam toties expertum,
Quod defluit certissime
Finem habens incertum;
Hanc ergo credas fabulam,
Rem tam probabilem?

2. O quam multa promittit,
Longam vitam, divitias,
Favores et honores;
Tandem in fine decipit
Te fallibiliter.

Nam nudum te dimittit
Ad maximas miserias,
Dolores et horrores,
Corpus dum terra suscipit
Miserabiliter.

Possessio disrumpitur
Heredes per carnales,
Et anima demergitur
Ad poenas infernales,
Scito, quis ista recipit
Iam satis graviter.

3. Quam miser es, avare,
Qui non vis Deo credere
Nec in eum sperare,
Qui diligis terrestia
Spernens caelestia.

Praedico tibi clare,
Quod cito debes perdere,
Quae congregas avare,
Teque cum violentia
Tollit mors impia.

Versutias, astutias
Persolvis cum usura
Post carnisque delicias,
Quae possides cum cura,
Traheris ad supplicia
Semper manentia.

4. Si tamen vis salvari
Innixus Christi sanguine,
Dum tempus indulgetur,
Pietatis operibus
Insta fideliter.

Misericors placari
Pater potest facillime,
Si tamen exoretur
Cum lacrimis et precibus,
Flectitur dulciter.

Nam si conversus fueris
Corde simul et ore
Tuaque libens dederis
Divino cum amore,
Vere cum sanctis omnibus
Vives feliciter.

Piae Cantiones 1582 fol. L 8 a. (Klemming IV, 22.)

193. De Mundi Malitia.

1. Nunc floret mendacium,
Pravitatis consortium,
In mundo diliguntur,
Qui falsa obloquuntur,
Veritas mutabitur,
Et fides desolabitur,
Amabitur nequitia,
Disperditur iustitia,
Prava avaritia
Iam et vana gloria
In cunctis malignatur,
Si tibi sit iustitia,
Iam mundi saevitia
Male te tristatur.

2. Fraus donis coronatur,
Virtus suppeditatur,
Pietas et felicitas
Est tamquam bestialitas,
Indignus recipitur,
Egenus vero premitur,
Mammon, usura Satanae,
Sunt cura praecipue,
Iura renuerunt
Iam et bona diviserunt.
Mala reponuntur.
Heu, studii moralitas,
Vigoris quippe bonitas
Lapsum patiuntur.

3. Tunc vis virtutis viguit,
Discipulus dum timuit
Doctorem cum pudore,
Sed iam addiscunt more
Mala propagare
Nec volunt nunc amare
Artis incrementum,
Fit ergo detrimentum
Praefatae disciplinae,
Mores dant ruinae,
Sensu abutuntur.

Piae Cantiones 1582 fol. K 3a. sqq. (Klemming IV, 38.) — 2, 2 sub pede datur; augenscheinlich Korrektur statt des mittelalterlichen suppeditare (im gleichen Sinne). — 2, 7 et Satanae. — Str. 3 fehlen drei Zeilen am Schlusse.

194. De Falsis Fratribus.

1. O mentes perfidas
et linguas duplices
Et testes subdolos
et falsos iudices!
Aurate fabricant
fraudum artifices
In dorso pauperum
ferrum et silices.

2. Impune frangitur
fides in publico,
Vix potest credere
privignus vitrico,
Vix pater filio,
vix aeger medico,
Ipse, qui conqueror,
in fide claudico.

3. Ubique timeo
dentem vipereum,
Venenum seminant
vendentes oleum,
Qui tecum loquitur,
trahit ad laqueum,
Ut tibi temperet
doloris balneum.

4. Nullus nocentior
hoste domestico,
In magno decipit
sicut in modico,
De non ambiguis
aperte iudico,
De fratris laqueo
vix pedem explico.

5. Si bonum fecerim,
occulte lacerat,
Si malum aliquid,
fingens exaggerat,
Si verum approbo,
in multis peierat,
Ut prosit hostibus,
amicos vulnerat.

6. Minatur filio
mortis in radio,
In visu regulus,
in cauda scorpio,
In dente coluber,
princeps in gladio,
Ficta simplicitas
in falso labio.

7. Clamori super hoc
infero terminum,
Per aegritudines,
per ictus fulminum
Romana curia
fovet periurium,
Pro nummi gratia
salvat mendacium.

Piae Cantiones 1582 fol. K 2 a sqq. (Klemming IV, 41.) — 7, 6 periuria. — 7, 8 mendacia.

195. De Temporum Iniquitate.

1. Honestatis
Decus iam *mutatur*,
Occultatur veritatis
Splendor per mendacia,
Conculcatur castitatis
Rosa sub luxuria,
Omnis *aetas*, sexus, ordo
Studet avaritiae,
Transit *metas* morum, corde
Complectuntur vitia.

2. Heu indigni
Quaerunt *sublimari*,
Ut *lucrari* subditorum
Valeant pecunias,
Strata namque vitiorum,
Heu, perdunt animas
Et egenos privant bonis
Nec dant elemosynas,
Sed potentes ditant donis
Propter amicitias.

3. Amicorum
Fides iam *vacillat*,
Et *titillat* cor eorum
Adulans fallacia,
Cum propinat fel pro melle
Per verba praedulcia,
Ore plaudant et ap*plaudant*
Sibi per convitia,
Corde *fraudant* meditando;
Haec nunc amicitia.

4. Audi, fili,
Morum disci*plinam*
Et doct*rinam* Salomonis
Attendens cor inclina,
Ut securus salvatoris
Sequaris vestigia;
Time Deum, placa eum,
Purga noxam lacrima,
Praesto sis et ora eum,
Ut ducat ad gaudia.

Piae Cantiones 1582 fol. K 6 a sq. (Klemming IV, 29.) — 3. 3 frangat captus plangat. — 3, 1 sq. Fides amicorum.

196. De Temporum Iniquitate.

1. Ieremiae prophetiae
Stilus nove pingitur,
Hierarchiae, matris piae,
Vox in Rama gignitur
Ululatus et ploratus
Prae maerore filiae,
Nam affatus nec solatus
Hanc vir est clementiae.

2. Nam Rachelis gens crudelis
Natum sudat sternere,
Ventis, velis, fraudis telis
Quosque vult perimere,
Nunc raptorum, exactorum,
Qui placent in curia,
Dominorum oppressorum
Tollunt res cum furia.

3. Fraus Herodis pravis modis
Toti terrae imperat,
Fidem frangit, captus plangit,
Nova lex exsuperat,
Maior cedit et obedit,
Minor senem arguit,
Schisma cedit, retrocedit
Lex, quae prius placuit.

4. Poena iacet, culpa placet
Cleris, servis, dominis,
Iusti degunt, stulti regunt
Cunctis mundi terminis,
Conculcatur, enervatur
Clerus et religio,
Quisnam scivit vel audivit
Tot rivos a vitio!

Piae Cantiones 1582 fol. L 4 a sqq. (Klemming IV, 26.) — Zu Str. 3 u. 4 cf. Iam verus amor!

197. De Temporum Iniquitate.

1 a. Verus amor exspiravit,
Pax in terris exsulavit,
Patri proles imperat,

1 b. Legem dolus impugnavit,
Totus mundus se mutavit,
Nova lex exsuperat.

2 a. Fidem fraus incarcerat,
Famam lingua lacerat,
Regem rex exsuperat,
Plebem plebs vituperat.

2 b. Omnes mundi semitas
Occupavit novitas,
Vanitas, iniquitas,
Guerra vel hostilitas.

3 a. Quis errores numerat,
Quos mundus exaggerat?

3 b. Ebria modernitas
Res amat insolitas.

4 a. Bella placent aulicis,
Protervire rusticis,
Usura politicis,
Simonia clericis.

4 b. Vulgus habet onera
Aegre ferens vulnera,
Quis nescit, quot opera
Sequuntur post funera?

5 a. Plus placet iam fatuitas
Quam personarum trinitas,
Plus Decii nobilitas
Quam fides, spes et caritas.

5 b. Plus truncatus habitus
Quam dona sancti spiritus,
Plus idolorum servitus
Quam pro peccatis gemitus.

6 a. Plus placet crinis tractio
Quam psalmus vel oratio,
Plus Veneris abusio
Quam missa vel devotio.

6 b. Iam amplectuntur odio
Clerus et religio,
Quis novit ab initio
Tot rivulos a vitio!

7 a. Maior cedit et obedit,
Minor senem arguit,
Schisma redit, retrocedit
Lex, quae prius placuit.

7 b. Poena iacet, culpa placet
Cleris, servis, dominis,
Docti degunt, stulti regunt,
Lucra dantur asinis.

8. Pompa placet feminis,
Talis status hominis
Est in mundi terminis.

Piae Cantiones 1582 fol. K 7b sqq. (Klemming IV, 8 ff.) — Zu 6b, 3 sq. vgl. Nr. 196. Str. 4. 7 sq.; zu 7a. 3 sq. Nr. 196. Str. 3. 7 sq.; zu 7b, Nr. 195 Str. 4, 1—4.

198. De Temporum Iniquitate.

1. Mars praecurrit in planetis,
Homo pacis et quietis
Nil valet in saeculo,
Sed tyranni et feroces,
Qui ad mala sunt veloces,
Hi regnant in populo.
Effrenes et indomiti,
Qui devastant et incendunt,
Quae sunt sua, non attendunt,
Tales placent comiti.

2. Ducunt vaccas, equos, boves,
Capras, hircos, porcos, oves
Et, si quae similia;
Ducunt lanam atque linum,
De rapinis implent sinum,
Nudat matrem filia.
En, index ante ianuam
Clamat: redde, quae tulisti,
Vel peribis casu tristi
Mortem per turpissimam.

3. Iesu Christe, fili patris,
Confer nobis iam renatis
Tuum sanctum spiritum.
Quid prodesset nobis nasci,
Si tu velles, rex, irasci,
Ad nostrum interitum!

Memento, quod sumus tui,
Tu es factor, nos factura,
Tibi sit pro nobis cura,
Te precamur cernui.

Piae Cantiones 1582 fol. L 1 b sq. (Klemming IV. 24.)

199. De Temporum Iniquitate.

1. Invaluit malitia,
Iam hora vesperarum,
Despicitur iustitia
Ubique nunc terrarum,
Crescunt crebro vitia
Rerum mundanarum,
Est concors ad supplicia
Imago divinarum.

2. Ocello lustrat singula
Naturae vim pertransiens
Duelloque subtilia
Sophismatum discutiens,
Cum mundi huius machina
Et gyrum caeli ambiens
Quaeritque sic magnalia
Seipsum homo nesciens.

3. Amat nunc mundus dulciter
Honores populares
Erigitque suaviter
Ad gradus clericales,
Fallit tandem breviter,
Quos iam fecit tales,
Nec velut pridem nequiter
Nunc fallit immortales.

4. Exsurgens iam revertere,
O dulcis mi amica,
Emendemus nos hodie,
Ne moriamur ita,
Ad pedes Iesu sustine,
Imago insignita,
Nil tibi sit amabile
Nisi ipsa vita.

Piae Cantiones 1582 fol. L 2 b. (Klemming IV, 22.) — 4, 8 Lies Nisi superna vita.

Cantiones Scholasticae.

200. De Scholaribus.

1. Scholares, convenite,
Libenter haec audite
Procul a vitio,
Tractabo vobis rite,
Quae, qualis vestrae vitae
Constet condicio.
Nam primitus barbati,
In facie rugati
Stabant rigoribus,
Vix volunt ablactati
Iam esse subiugati
Suis doctoribus.

2. En, quondam timuistis
Magistros, dum sedistis
Vos in pulveribus;
Tunc certe profecistis,
Cum subditi fuistis
Scholae verberibus.
Omne caput languescit,
Dum pastor oves nescit,
Ac errans erit grex:
Latinum iam recessit,
Barbaricum accrescit,
Scholarum perit lex.

3. Scholaribus revera
Pecunia in pera,
Quinterna manibus,
Et capitis in sphaera
Mitra fulget sincera
Modis in omnibus.
Vix sciunt G, ut, A, re
Nec *Musa* declinare
Nec curant studium,
Sed discunt chorizare,
Incipiunt amare
Mundi tripudium.

Piae Cantiones 1582 fol. L 6 b sqq. (Klemming IV, 69.)

201. De Vita Scholarium.

1. O scholares, discite,
Auribus percipite,
Oculis videte,
Quam beatam ducitis
Vitam, quam diligitis
Studium quietis.
Mane scholas petite,
Vespere recedite
Domum repetentes;
Quis status felicior,
Quae vita securior
Inter nunc viventes.

2. Reges, duces, comites,
Principes et milites
Nunquam sunt securi,
Vivunt enim misere,
Arma debent gerere
Semper pugnaturi.
Appellantur domini,
Omini non homini
Talis laus debetur;
Bona transitoria
Sunt eorum gloria,
Sicuti videtur.

3. Mercatores avidi,
Nocte, die timidi
Flumina marina
Propter lucrum transeunt
Et quandoque pereunt
Morte repentina.
Quorum mercimonia
Sorte pendent dubia
Pariter et vita,
Visu miserabili
Pereunt de facili
Diu acquisita.

4. Rustici sunt asini,
Quibus terrae domini
Dominantur mire,
Quidquid habent, rapiunt,
Si non habent, adigunt
Pauperes abire.
De thesauro paupere
Magnis solent addere
Magnam portionem,
Sed eo flebilius,
Quod his Deus citius
Mittat ultionem.

5. Regula scholarium
Est excellens omnium
Vitae sanctitate,
Licet nulla similis,
Tamen est difficilis
In asperitate.
Soli Deo serviunt,
Sitiunt, esuriunt,
Quorum paupertatem
Enarrare nequeo,
Consequuntur ideo
Christi pietatem.

11. Ex istis colligite
Vitam, quam diligite
Semper, clericalem,
Singula pertranseo
Ita, quod nunc nescio
Similem vel talem.
Vos estis in medio
Libero arbitrio
Rite considentes,
Postquam senueritis,
Sacerdotes eritis
Deo servientes.

12. Qui in terris proprium
Linquunt, patrimonium
Habent spiritale;
Quapropter sollicite
Date preces debite
Propter donum tale.
Ipse vos ad gaudia
Transferat caelestia
Precibus placatus,
Ubi sine termino
Hymnum canit Domino
Populus beatus.

Piae Cantiones 1582 fol. L 6 b sqq. — (Klemming IV. 58 ff.) — 1, 8 Vesperi. — 5, 10 nequeunt.

202. De Vitiis Scholarium.

1. Castitatis speculum,
Scholares, amate,
Relinquentes saeculum
Scholas frequentate,
Puerorum rudimenta,
Precor, ut colatis
Et virtutum incrementa
Summe diligatis.

2. Boetii studia
Iubent amovere
Veneris incendia
Nec in his gaudere;
Assumatur pro exemplo
Lucretiae natus,
Corrigatur sic extemplo
Iuvenilis status.

3. Commessationibus
Sed, heu, iam assuescunt,
Suis lectionibus
Omnino marcescunt,
Sicut causa et causati
Se contingunt sedes,
Sic sunt Bacchus foederati
Atque Ganymedes.

4. Intricatis vestium
Gaudent ornamentis
Et suorum crinium
Torvis polimentis,
Gulam suam decorare
Fuco concupiscunt,
Magistratum honorare
Pauci iam addiscunt.

5. Tabulatis calceis
Incedunt elati
Et in semirciculis
Gyrant ut inflati;
Nolunt scholis interesse
Truphis inhiantes,
Sed festinant hic abesse
Vanis ambulantes.

6. Vitia dementiae,
Scholares, fugate,
Nectare scientiae
Vos inebriate,
Toto nisu custodite
Morum honestates,
Ut aeternae vobis vitae
Dentur dignitates.

Piae Cantiones 1582 fol. L 5 b sqq. (Klemming IV. 45.) — 6, 7 Et aeternae.

203. De Concordia.

1. O quam mundum, quam iucundum
Vivere concorditer,
Nam psalmista verba ista
Loquitur veraciter.
Hac virtute sunt solutae
Res unitae fortiter,
Iussu oris creatoris
Vivunt regulariter.
Herus verus fert sincerus:
Sancti sunt pacifici,
Grati nati non vocati,
Fiunt hi deifici.

2. Christianus is insanus
Subito efficitur,
Cuius ore, corde, fore
Vera pax non cernitur,
Illo ore, corde, fore
Vera pax non cernitur,
Quo coniurat patrem, curat
Sternere, ut legitur.
Ipso corde, pleno sorde,
Cain simul corruit,
Vehementer, fraudulenter
Dum in fratrem irruit.

3. Hanc in facto nuper acto
Scharioth non habuit,
Dum letale, heu, tam male
Laqueo se induit.
Magnum donum, summum bonum
Confert pacis dignitas,
Tollit bella, cordis fella,
Mentis fit sinceritas.
Est'amoris vinclum foris
Optima felicitas,
Premit iras intus diras,
Oris est sinceritas.

Piae Cantiones 1582 fol. M 6 b sqq. (Klemming IV, 76.)

204. De Concordia.

1. Laetemur, omnes socii,
Psallentes cum tripudio,
In nostro sit consortio
Sincerus amor, vera
Fides, procul ira
Et indignatio.

2. Benignam vitam ducite
In huius saecli tramite,
Omnes dolos abicite
Virtutes bonorum
Ac honestatem morum
Actis colligite.

Te, Christe, benigne,
Laudeque digne
Precamur,

Evelle scelera,
Da nobis iam praeterea
Tales, qui devote
Deo famulentur,
Ad astra leventur,
Et aethera.

Piae Cantiones 1582 fol. M 7 b. sq. (Klemming IV. 75.) — 2, 6 Ex actis ipsorum colligite.

205. De Insciția.

1. Olla mortis patescit,
Quam vidit Ieremias.
Cleri status vilescit
Spernendo scholae vias,
Schola nola virtutis
Tutis clangescit moribus,
Qui spernunt, cernunt luctum,
Fructum perdunt cum floribus.

2. Linquunt scholas scholares
Iam spreta disciplina,
Doctis apparent pares
Parva docti doctrina,
Artis partes postponunt,
Praeponunt aulizare,
Qui scit parum quid scribere,
Arae se vult dicare.

3. Apostata infestus
Ut suos plus molestat,
Aulae scriptor molestus
Sic et clerum infestat,
At cura praelatura
Aulizantes exaltat,
Provectos, vita rectos
Hos honor iam persaltat.

4. Virgam vidit propheta
Praefatus vigilantem,
In scholis quae est spreta
Per mentem arrogantem,
Curas duras despiciunt,
Sciunt vix la, sol, fa, re,
Statim gradum sic sitiunt,
Fiunt astantes arae.

5. Uitae via vitatur,
Dum clero deviatur,
Pro libris trupha datur,
Taxillis disputatur,
Tales, quales hi regunt,
Degunt arte sollertes.
Heu, lex quam grex insignis!
Dignis praefert inertes.

6. Sors Dei exstat clerus
Ex scholis procreatus.
Ut sit votis sincerus,
Orat pro vulgo gratus:
O Christe, pie Domine,
Esto clero solamen,
Ut hi, qui tibi militant,
Vitent dirum examen.

Piae Cantiones 1582 fol. M 1 b sqq. (Klemming IV. 54 ff.) — Der Name Olaus, den das Akrostichon verrät, ist ein so häufiger, dafs es schwer fällt, an eine bestimmte Persönlichkeit als Verfasser zu denken. Unter den Bischöfen von Abo finden wir einen Olaus Magni † 1460.

206. De Disciplina.

1. Disciplinae filius
Ait imperterrito:
Frater, cur fis devius,
Cur sudas in devio?
Esto Noe similis
Consecratus Domino,
Forte sum odibilis,
Quia verum concino.

2. Timor est initium
Omnis sapientiae,
Timor fugat vitium
Vilis ignorantiae,
Timor dat fastigium
Regiae potentiae,
Timor est humilium
Clipeus in acie.

3. Quid nocet id perdere,
Quod tam cito redeat,
Quidnam cutem vendere,
Cum cito refloreat,
Pro cute recipere,
Quod plus auro valeat?
Ergo, frater, patere,
Quod te timor arceat.

4. Dulcia non meminit,
Qui non gustat tristia,
Mel, ut Plato cecinit,
Sapit post absinthia,
Nam Matthaeus concinit
Inter evangelia:
Ubi timor desinit,
Incipit miseria.

5. Sicut humor modicus
Est medela floribus,
Sic et timor medicus
Optimus in rudibus;
Taurum domat rusticus
Ictu, fuste, restibus,
Puerum scholasticus
Verbis et verberibus.

6. Nunquam Pharaonicus
Proficit in artibus,
Quia diabolicus
Talis est in omnibus.
Iam ad finem contraho,
Velut ambo sapimus:
Si vis esse Pharao,
Finis erit pessimus.

R° Patienter patere
Verba cum flagitiis,
Noli dura spernere,
Ne volvaris vitiis.

Piae Cantiones 1582 fol. M 1 a sq. (Klemming IV, 48.)

207. De Timore.

1. Schola morum floruit,
Dum timorem habuit,
Sed timore mortuo
Statim flos emarcuit
Nec florere potuit
Mos timore defluo.

2. Timor honoris vinculum
Instruxit discipulum,
Ergo, si vis instrui,
Fer timoris iugulum
Et docentis baculum,
Quem repellunt fatui.

3. Timor laudabilium
Honor est scholarium,
Pauperes magnificat,
Timor dat imperium,
Rudium ingenium
Docet et authenticat.

4. Timor habet ordinem
Ad supernum cardinem,
Ubi nemo litigat,
Timor mansuetudinem
Excitat et turbinem
Punientis mitigat.

5. Timor et attentio
Sunt scholis in pretio,
Puer, qui assumpserit,
Puer in hoc bivio,
Si floret ingenio,
Triumphare poterit.

6. Timor est in inferis,
Quo concordant superis,
Nam sine concordia
Error est in ceteris,
Haec sunt verba veteris,
Qui timebat omnia.

7. Timor ei poculum,
Vitae habitaculum
In aeterna gloria
Dat, si hunc timuerit
Ipsumque sapuerit
Aeva per solacia.

Cantiones Piae 1582 fol. M 3 b. (Klemming IV, 66.) — Str. 2 kehrt als R° nach allen Strophen wieder, ist aber ursprünglich nicht als Rundreim gedacht.

208. Planctus Vagi.

1. Aliena provincia
Conturbat me miseria,
Iam deficit substantia,
Evanuit laetitia.

2. De provincia expulsus,
In angaria destructus,
Iam factus sum ut laicus,
Constringit me vilissimus.

3. Miles essem, equitassem,
Latro essem, spoliassem,
Non sum latro neque miles
Sed Phoebi pauper satelles.

4. Monachus esse nequeo,
Eremita non audeo,
Mendicare erubesco
Et fodere non valeo.

R° O salvator mortalium,
Consolator fidelium,
Per te Deus nos salvavit
Et a morte liberavit.

Cantiones Piae 1582 fol. M 4 a. (Klemming IV, 72.) — R° steht hinter Str. 1. — 1, 1 Sum in aliena. — 2, 1 sum expulsus. — 2, 2 sum destructus. — 4, 1 esse non valeo. — 4, 4 fodere iam nequeo. — R° steht hinter Str. 1.

209. Invitatio ad Convivium.

1. O scholares,
Voce pares,
Iam mecum concinite
Et choream
Iubilaeam
Semper mecum ducite.

2. Iam ad festum
Modo maestum
Servitutis studii
Noster coetus
Speret laetus
Nobilis convivii.

3. Convivari,
Non tristari
Iubet lex in saeculo,
Consolari,
Iucundari
Mandat Bacchus populo.

4. Felix ludus,
In quo nudus
Scholaris verberibus
Non succumbit
Nec decumbit
Magistri livoribus.

R⁰ Ergo, gaude,
Plaude laude,
Contio scholarium;
O si tale,
Tale, tale
Semper esset gaudium!

Cantiones Piae 1582 fol. M 4 b sq. (Klemming IV, 63.) — R⁰ steht hinter Str. 2.

210. De Tempore Vernali.

1. In vernali tempore
Ortu laetabundo
Dum recedunt frigora,
Nuntiat hirundo:
Terrae, maris, nemoris
Decus adest deforis
Renovato mundo,
Vigor redit corporis,
Cedit dolor pectoris
Tempore iucundo.

2. Terra viret floribus
Et nemus virore,
Aves mulcent cantibus
Et vocis dulcore,
Aqua tempestatibus
Caret, aer imbribus,
Dulci plenus rore,
Sol consumptis nubibus
Radiis patentibus
Lucet cum dulcore.

3. O quam mira gloria,
Quantus decor Dei,
Quanta resplendentia
Suae faciei,
A quo ducunt omnia
Ima, summa, media
Formam speciei!
Maior est distantia
Quam sit differentia
Noctis et diei.

Cantiones Piae 1582 fol. N 2 b sq. (Klemming IV, 81.)

211. De Tempore Vernali.

1. Tempus adest floridum,
surgunt namque flores,
Vernales in omnibus
imitantur mores,
Hoc, quod frigus laeserat,
reparant colores,
Cernimus hoc fieri
per multos labores.

2. Sunt prata plena floribus
iucundo aspectu,
Ubi iuvat cernere
herbas cum delectu.
Gramina et plantulae
hieme quiescunt,
Vernali in tempore
virent et adcrescunt.

3. Hae vobis pulchre monstrant
Deum creatorem.
Quem quoque nos credimus
omnium factorem;
Tempus ergo hilare,
quo laetari libet.
Renovato iam mundo
nos novari decet.

4. Terra ornatur floribus
et multo decore,
Nos honestis moribus
et vero amore,
Gaudeamus igitur
tempore iucundo,
Laudemusque Dominum
pectoris e fundo.

Piae Cantiones 1582 fol. N 3 a sq. (Klemming IV, 83.)

Musik-Beilage.

I.




O pa-tris mi-ra be-ni-gni-tas! O ma-tris prae-cel-
sa dig-ni-tas! etc.

II.


A-li-e-na pro-vin-ci-a Con-tur-bat me mi-
se-ri-a, Iam de-fi-cit sub-stan-ti-a, E-va-nu-
it lae-ti-ti-a, I

III.


O scho-la-res vo-ce pa-res. Iam me-cum con-ci-ni-te.
Et cho-re-am iu-bi-lae-am Sem-per me-cum du-ci-te.
Iam ad fes-tum mo-do maes-tum ser-vi-tu-tis stu-di-i
Nos-ter coe-tus spe-ret lae-tus no-bi-lis con-vi-vi-i.

IV.


Scho-la mo-rum flo-ru-it, Dum ti-
Stu-tim flos e-mar-cu-it Nec flo-


mo - rem ha - bu - it, Sed ti - mo - re mor - tu - o
re - re po - tu - it Mox ti - mo - re de - flu - o.
Ti - mor, ho - no - ris vin - cu - lum, In - stru - it dis - ci - pu -
lum; Er - go, si vis in - stru - i, Fer ti - mo - ris
iu - gu - lum Et do - cen - tis ba - cu - lum, Quem re -
pel - lunt fa - tu - i.

V.


In ver - na - li tem - po - re Or - tu
Dum re - ce - dunt fri - go - ra, Nun - ti -
lae - ta - bun - do Ter - rae, ma - ris, ne - mo - ris
at hi - run - do, Vi - gor red - it cor - po - ris,
De - cus a - dest de - fo - ris Re - no -
Ce - dit do - lor pec - to - ris Tem - po -
va - to mun - do;
re iu - cun - do.

VI.


Tem-pus ad-est flo-ri-dum, Sur-gunt nam-que flo-res,
Ver-na-les in om-ni-bus I-mi-tan-tur mo-res,
Hoc, quod fri-gus lae-se-rat, Re-pa-rant ca-lo-res,
Cer-ni-mus hoc fi-e-ri Per mul-tos la-bo-res.

Inhaltsverzeichnis.

	Seite
Abit virgo in montana	120
Adest celeberrima	41
Adest dies celebris	46
A dextris Dei Dominus	137
Advertite percipite	73
Agnoscat omne saeculum	30
Agnus sine macula	40
Aliena provincia	170
Alma mater gemma	60
Amoris opulentiam	139
Angelus emittitur	136
Auctor humani generis	140
Ave Maria gratia plena	51
Ave mater o Maria	57
Ave pura tu puella	119
Ave regina omnium	152
Ave virgo sapiens	49
Bartholomaeo beato	124
Basilio poli laudemus	33
Beata nobis gaudia	29
Bene quondam dociles	144
Cantat omnis creatura	46
Cantemus laudes virginis	119
Castitatis speculum	166
Causans totam structionem	17
Cedit frigus hiemale	38
Cedit hiems eminus	142
Cella pudoris Maria	53
Christus surrexit	41
Cleri universitas	66
Coetibus angelicis	79
Concordi laetitia	59
Congaudeat turba fidelium	136
Congaudentes exsultemus	79
Constat aethereis Iesum	103
Depromamus iubilose	107
De radice processerat	135
Deum trinum adoremus	103
Deus pater filium	29
Deus quam brevis est	70
Dic homo cur abuteris	68
Dies felix atque grata	40
Dies iam laetitiae	112
Dies recolitur annua	47
Disciplinae filius	168
Divo fragrans numine	107
Doctor vatum gloria	84
Dorothea coronata	125
Dulcem caeli collaudemus	127
Ecce dies gaudii	88
Ecce magnum sollemnium	43
Ecce novum gaudium	137
Ecce tempus est vernale	38
Enche, Enche, Enche	32
En virgo parit filium	100
Epulemur in azimis	42
Est de monte lapis caesus	100
Eva virum dedit in mortem	70
Ex linguis multifariis	43
Expurgator scelerum	20
Ex sinu matris parvulus	34
Felici amatrici	112
Florens iuventus virginis	131
Fortis ecce leo ille	102
Fortuna si alluseris	72
Fulget dies hodierna	45
Gratulentur musici	108
Gratuletur omnis mundus	82
Gaude gloriosa Morborum	48

	Seite
Hac in terra cernuntur	93
Hamus prendit virginis	30
Homo quidam rex nobilis	154
Honestatis decus iam	161
Humilitate stringitur	61
Iam novum sidus oritur	37
Iam praestolantes gloriam	109
Iam ver exoritur	37
Ieremiae prophetiae	162
Ierusalem laetare	76
Ierusalem mirabilis	78
Iesu dulcis mater bona	110
Iesu mater deica	111
Iesus Christus dum cernitur	105
Iesus Christus nostra salus	105
Iesus humani generis	138
Ignis in rubo cernitur	28
Imperatrix egregia	109
Imperatrix gloriosa	118
Imperatrix supernorum	62
Incomparabiliter	63
In hac die Christophorus	126
In hoc festo breviter	66
In hoc sacro sollemnio	122
In hoc vitae stadio	157
In laudes debitas	22
In laudes innocentium	65
Insignis est figura	159
In stadio laboris	155
Instantes veneremur	47
In terris omni populo	80
In trinitate consistit	59
Invaluit malitia	164
In vernali tempore	171
Iohannes virgo clarior	126
Iubilemus omnes ei	80
Ius naturae consumitur	26
Laetemur omnes socii	167
Laetetur Ierusalem	133
Laus virginis Nati	146
Lumen patris resplenduit	22
Magistrorum omnium	83
Magnus qui factus erat	29
Margarita pedibus calcatur	74
Mars praecurrit in planetis	163
Mater altissimi regis	118
Mira lege miro modo	20
Mirum si laeteris	156
Mittendus praedicitur	39
Mortis en cum gloria	102
Multa nobis adversantur	71
Mundanis vanitatibus	158
Nardus odorifera	50
Nascitur ex virgine	31
Natus est nobis hodie	34
Natus est rex de virgine	21
Nicolaus inclitus	64
Nobis est natus hodie	100
Novus annus dies magnus	35
Nunc floret mendacium	160
O Christi longanimitas	69
O domina dominatrix	49
Olla mortis patescit	168
O Maria o felix puerpera	52
O mentes perfidas	160
O mira clementia	42
Omnipotens pater gentium	104
Omnis orbis resonet in cantica	19
Omnium sanctorum pia	123
O praeclara Margareta	127
O quam mundum quam iucundum	167
O quantum sollicitor	58; 71
Oriente oriens	37
Ortum floris concinat	23
O sancte Bartholomaee	124
O scholares discite	165
O scholares voce pares	170
O sedes apostolica	65
O summa spes fidelium	127
O venerabilis et salutifera	51
Panis vivus typicatur	106
Pastores dicite quaenam vidistis	18
Pater tui sumus	67
Perennis regis nymphula	123
Personat chorus hodie	27
Phoebus ecclipsi tumuli	101
Polo polo egreditur	34
Praelustri relucentia	121
Psallat fidelis contio	148
Psallat scholarum contio	134

	Seite
Quae est ista quae ascendit	120
Quam felix quam praeclara	33
Quare non cessas vivere	67
Radix Iesse castitatis lilium	24
Ramus virens olivarum	153
Rector potens caeli terrae	57
R. decane civitatis	92
Res nova principium	26
Resonemus cleri coetus	122
Resonemus hoc natali	25
Resurrexit libere	39
Rosa rosarum primula	111
Salvator iam illuxit	98
Salve deitatis cella	117
Salve doctor gemma scientiae	89
Salve doctor optime	91
Salve flos et decus	131
Salve lux fidelium	117
Salve mitis virguncula	116
Salve virgo regia	50
Schola morum floruit	169
Scholares convenite	164
Sibyllae dictum floruit	33
Sollenni gaudio Sit aucta	64
Sonitemus voculis	98
Spiritum misit hodie	103
Succinamus vocum harmonia	99
Superni iubar aetheris	115
Surgens mortis victor fortis	42
Surge vide gens misera	27
Tempus adest floridum	172
Tempus adest gratiae	135
Tempus novum renovat	86
Tenerae rosulae lenia	54
Terit perit illusio	32
Thronus regis instauratur	50
Tres personae trinitatis	138
Triformis relucentia	143
Tuta canit Michael	36
Unica gratifera	149
Universa gens laetetur	37
Vanitatum vanitas	157
Veni sancte spiritus	56
Vernalis lux emicuit	32
Verbo verbum incarnatur	48
Verus amor exspiravit	162
Vigilanter melodum	114
Virgine nato rege beato	26
Virgo mater piissima	151
Virgo nobilis	113

Pierersche Hofbuchdruckerei Stephan Geibel & Co. in Altenburg.